


Ag

nf

15/

10/6

£3 at sale of John Burns library March 1944.

23

Jasper

20

B.D.

John Burns. Sept 16 1918

THOMÆ
MORI
ANGLIÆ QVONDAM CANCELLARII
OPERA
OMNIA,

QVOTQVOT REPERIRI POTUERUNT
EX BASILEENSI ANNI MDLXIII. ET LOVANIENSI ANNI MDLXVI.
EDITIONIBUS DEPROMTA,
Diverſa ab iſtis ſerie diſpoſita, emendatioraqve edita.
Præfixæ de Vita & Morte Thomæ Mori,
ERASMI ET NUCERINI EPISTOLÆ,
UT ET DOCTORUM VIRORUM DE EO
ELOGIA



FRANCOFURTI AD MOENUM ET LIPSIÆ,
SUMTIBUS CHRISTIANI GENSCHII,
ANNO MDC LXXXIX.

VITA ET OBITUS THOMÆ MORI,

è

THOMÆ STAPLETONI

TRIBUS THOMIS,

DUACI,

ANNO MD LXXXIX. EXCUSIS.



FRANCOFURII AD MOENUM,
Sumtibus CHRISTIANI GENSCHII,
ANNO M DC LXXXIX.



INDEX OPERUM
THOMÆ MORI.



VITA THOMÆ MORI

in hæc capita distribuitur.

THOMÆ STAPLETONI
EPIGRAMMA
AD EFFIGIEM
THOMÆ MORI.

TAlis erat Morus quum causas dixit in urbe:
Talis quum populi Jura tuetur, erat.
Talis erat pleno quum fecit verba Senatu,
Orator populi lingua decusque sui.
Talis erat ludens epigrammata, seria scribens,
Talis quum doctam scriberet Utopiam.
Talis in hæreticos quum docta volumina format,
Dum sacra defendit dogmata, talis erat.
Talis erat Gallis & Belgis fœdera pangens,
Legati fungens munere talis erat.
Talis erat Torquatus Eques, prudensque Senator,
Pertractans regni scrinia, talis erat.
Talis erat tibi quum factus Lancastria Judex
Ducatus tenuit Jura suprema tui.
Quum Cancellarius Brittannica sceptra teneret,
Primo post Regem munere, talis erat.
Talis erat Morus, quum tetro carcere clausus
Dogmate pro sacro vincula longa tulit.
Talis erat diræ submittens colla securi.
At nunc non talem regna beata vident.

PRO-



PROOEMIUM.

QUOD à multis annis, multi doctiſſimi, clariſſimi, optimique viri, diu multumque deſiderarunt; quod alii non pauci ſed fruſtra tentarunt, vel morte præventi, vel aliis negotiis præpediti; quod ad Dei gloriam & lectoris ædificationem, addo etiam voluptatem ſingularem facit; ut THOMÆ MORI, viri clariſſimi, pietate, eruditione, morum elegantia & ſuavitate ornatiſſimi, vita, mores, res geſtæ, ac nobiliſſimum pro fide orthodoxa, Catholica, Apoſtolica, Romana ſuſceptum martyrium, deſcriberentur; illud ego divini Numinis auxilio fretus, atque adeo Mori ipſius precibus atque interceſſione confiſus aggredior. Non ſane ut ipſius Mori gloriæ ac laudibus mea oratione aliquid accedat, cujus ut in cœlis tantus eſt ſplendor, quantus oratione capi ac ne mente quidem concipi non poteſt, ita & in terris tanta eſt celebritas, ut ejus viri virtutes, non dico exornare & amplificare, ſed vel percenſere ac commemorare vix queam. Cæterum ad hoc me ſcribendi argumentum perpulerunt; primum certè ipſius Dei gloria & Eccleſiæ Catholicæ dilectio, quam ne Morus quidem vel ad momentum deſereret, extremum potius capitis ſupplicium ſubire voluit; deinde patriæ meæ nunc ſane & afflictiſſimæ & fædiſſimæ (cujus dum viveret ſingulare decus & ornamentum Morus fuit) juſta commiſeratio; & bonorum quidem non modica conſolatio, improborum verò digna confuſio. Quum enim quantus vir Thomas Morus fuerit, quàm omnium & virtutum & ſcientiarum numeris abſolutiſſimus, conſtiterit; habebant gentis noſtræ pii & boni unde gaudeant, quem imitentur, de cujus laudibus & ipſi glorientur; habebunt impii & ſcelerati, fidei ac religionis deſertores, unde confundantur, de quo iniquiſſima morte ſublato ſempiterna ignominia afficiantur. Sed ad hoc argumentum me perpulit deſiderium multorum & eruditione & virtute præſtantium virorum, quibus in hoc diuturno exilio familiarem me eſſe contigit, qui de Thomæ Mori vita ac moribus, de martyrii ejus vera cauſa, modo, forma, & ſingulis circumſtantiis certi aliquid & explorati habere vehementer cupiverunt. Quam ſane ob cauſam ante annos viginti & amplius Ludovicus Pacæus Dominicanus Hiſpanus, vir doctiſſimus & facundus, ut Thomæ Mori vitam in lucem emitteret, plurimum laboravit; ſed ex hac luce ereptus, perficere quod ſtatuerat, non potuit. Non diffitebor porro ad hoc me argumentum peculiari quodam affectu jam dudum incitatum fuiſſe, vel quod conſortium nominis eum mihi chariorem reddidit, ut idcirco cum collectaneis noſtris de D. Thoma, Apoſtolo, & de D. Thoma, Cantuarienſi Archiepiſcopo & Martyre, Thomam Morum conjungerem; vel quia eodem me menſe & anno in hanc temporariam lucem educi & naſci contigit, quo in æternam lucem, nobili martyrio perfunctus, natus eſt Morus. Poſtremo de vita ac rebus geſtis Thomæ Mori eo libentius & confidentius ſcribo, quo his de rebus certiora & plura ad meam notitiam pervenerunt: quæ memoriæ jam dudum mandata ne mihi exciderent, neve me ſenio jam appetente citius ex hac vita ſublato penitus interirent, huic ſcripto mandare, & poſteritati tradere volui. Norunt fortaſſe alii de hoc ſancto & clariſſimo viro multa quæ me latent. Sed interim quæ mihi comperta fuere, ſatius duxi omnibus communicare, quam ut quæ alii norunt fruſtra expectando, & à me collecta penitus intereant, & aliorum, ſi qua ſunt, in lucem non veniant. Nunc autem his noſtris in lucem emiſſis, ſi quid eſt à me prætermiſſum quod ab aliis habetur, dabitur illis juſta occaſio vel ſua noſtris addendi, vel alio prorſus & meliori & uberiore modo Thomæ Mori vitam ſcripto mandandi. Ego in hunc noſtrum Commentarium ea referam quæ vel ex ſcriptis ejus tum Latinis tum Anglicis, (quæ numero & magnitudine Latina multum ſuperant) vel ex viva voce & relatione certa collegi eorum qui per aliquot annos domeſtici ejus fuerant, aut alioqui familiares ei extiterunt, poſteaque graſſante hoc nefario ſchiſmate in hoc

Belgio aliisque orbis partibus pro fide nobiscum exularunt. Ab illis enim quam plurima audivi à Thoma Moro sapienter dicta & facta. Hujusmodi autem fuerunt, Johannes Clemens Doctor Medicus, cujus adhuc pueri meminit in sua Utopia Morus his verbis; *Nam & Iohannes Clemens puer meus, qui adfuit, ut scis una, ut quem à nullo patior sermone abesse, in quo aliquid esse fructus potest, quoniam ab hac herba, qua & Latinis & Græcis literis cœpit evirescere, egregiam aliquando frugem spero, in magnam me conjecit dubitationem.* Uxor quoque ejus Margaretha quam inter filias suas educatam Morus pro filia habuit, ut ex ultima ejus ante martyrium susceptum Epistola constat, ubi his verbis ei valedicit; *Mitto jam dilectæ meæ filiæ Clementi lapidem ipsius arithmeticum; ipsique & filiolo meo, omnibusque liberis ejus, divinam benedictionem & meam impartio.* Johannes item Harrisius, cum uxore ejus Dorothea Coly adhuc hic Duaci superstite; quorum ille Thomæ Mori Secretarius intimus, hæc Magarethæ Roperæ filiæ primogenitæ Mori pedisequa fuerat. Johannes quoque Haiwodus quo per aliquot annos familiariter Thomas Morus usus fuerat. Ac postremo Gulielmus Rastellus Thomæ Mori ex sorore Elisabetha nepos, vir gravissimus, ac regnante serenissima Regina Maria, alter ex supremis Angliæ Judicibus; ipsi autem Moro circa ultimam ætatem familiaris admodum ut ex Epistola ejusdem ad Thomam Cromwellum patet. Ex horum omnium in hoc communi exilio nostro conversatione familiari, quæ mihi cum eis ante aliquot annos intercesserat, plurima per occasionem de dictis ac factis Thomæ Mori libenter audivi, diligenter retinui, & nunc fideliter collegi. Sed omnium maxime in hac me collectione juverunt Johannis Harrisii hominis industrii & in bonis literis atque ipsa veterum Patrum lectione egregie versati (à quo adeo Jacobus Pamelius in suo tum Cypriano tum Tertulliano elucidando plurimis in locis adjutus fuit) scripta & collectanea, multæ Thomi Mori Epistolæ propria ejus manu conscriptæ, quæ mihi omnia defuncti vidua adhuc nobiscum superstes communicavit. Evolvi denique & inspexi non indiligenter omnes horum temporum scriptores, qui de Thoma Moro aliquid scripsisse videntur; Erasmum inprimis ejusque Epistolarum farraginem aliasque seorsim Thomæ Mori Epistolas per Episcopium Basileæ impressas Anno 1563. Reginaldum Polum contra Henricum 8. Johannem Cochlæum contra Sampsonem, Paulum Jovium de viris illustribus, Gulielmum Paradinum in exegemate de rebus Britannicis; varias denique doctorum virorum Epistolas, Gulielmi Budæi, beati Rhenani, Hieronymi Buslidii, Petri Ægidii, Simonis Grynæi, & aliorum. Quæ postremo Polydorus Virgilius, Roverus Pontanus in suo indice rerum memorabilium, Johannes Fontanus in sua historia Gallica nostri temporis, Onuphrius in Paulo Tertio, & Laurentius Surius in suis Commentariis hac de re scripserunt. His ergo omnibus præsidiis instructus de Thomæ Mori vita, rebus gestis, ac potissimum illustri martyrio, non brevem modo Commentarium, sed forte etiam justam quandam historiam conficiam. Visum est autem tum ad Lectoris memoriam juvandam, tum ut ordine ac methodo tota procedat narratio, per certa capita rem Universam complecti & prosequi.

CAPUT I.

Genus, Educatio, Studia.

THOMAS MORUS Londini non celebri sed honesto loco natus, non ex prima nobilitate, nobilis tamen, Patrem habuit Johannem Morum, equestris ordinis virum, de quo in suo Epitaphio, quod post Patris mortem & Cancellarii munus abdicatum ipse sibi confecerat, sic scribit: *Johannes Morus Eques, & in eum Judicum ordinem à principe cooptatus qui regius consessus vocatur, homo civilis, suavis, innocens, mitis, misericors, æquus & integer, annis quidem gravis, sed corpore plus quàm pro ætate vivido, postquam eò sibi productam vitam vidit, ut filium videret Angliæ Cancellarium, satis in terra jam se moratum ratus, libens emigravit in cœlum.* Matris nomen nescitur, quippe quæ adhuc infante Thoma Moro mortua est. Fratres nullos habuit; sorores duas: Johannam Richardo Staferrono viro nobili, & Elisabetham Johanni Rastello etiam nobili nuptas. Mater ejus prima nocte à contractis nuptiis (ut Thomam Morum ex Patre suo referentem audivit Johannes Clemens) vidit in somnis quasi in annulo suo nuptiali descriptum numerum prolium quas habitura erat, & formas singularum,

quarum una tamen sic obscura erat, ut eam dignoscere non posset, (passa enim est postea de una abortum) altera miro quodam supra cæteras splendore eluxit. Sed & nutrix ejus dum flumen equo transmitteret, quum magno in mergendi periculo se videret, ut infantis incolumitati consuleret, projecit eum temere à se ultra sepem flumini propinquam: quem quum repeteret, invenit supra omnem spem penitus illæsum, & omnibus suis membris incolumem: Sed & infans venienti nutrici arrisit. Fuerunt hæc non obscura præsagia in magnum aliquando & excellentem virum hunc puerum evasurum. De S. Moronto viro non minus nobilitate (nepos quippe erat Erckenwaldi sub Sigeberto Majoris domus in Francia) quam pietate illustri, (suis quippe sumtibus collegium insigne sacerdotum extruxit atque dotavit ante annos jam fere mille, quod hodieque Duaci extat) prorsus simile narratur. S. Richarius qui hunc Morontum ex sacro Fonte susceperat, quum matrem Moronti S. Rictrudem Cœnobii Marchennensis fundatricem inviseret, eique equo conscenso valediceret, postulante matre ut filiolo (erat enim adhuc infans) in brachia accepto benedictionem ei suam abiens impartiret, hoc dum facere vellet, equo præter morem ferociente, & quasi subito furore correpto exiliente, puerum in terram proximam dejecit; qui tamen casu nihil læsus matri accurrenti & levanti suaviter arrisit. Non absimile præsagium Morus & Morontus habuere: uterque nobilis, uterque aulicus (hic Theodorico regi sigillifer, ille Henrico regi scrinii Magister) uterque sanctus. Quum autem ad eam ætatem pervenisset puer, qua solent parentes filios suos ad studia mittere, datus est Latinis literis imbuendus in pædagogio regio Londinensi sub N. Holt, Præceptore non incelebri. Devoratis autem primis Grammatices rudimentis, puer ad majora adeoque maxima natus Oxonium mittitur, Academiam percelebrem, tum ut Philosophiam audiret, tum etiam ut Latinis Græca adderet. Recens enim tunc ex Italia venerat Grocinus, qui primus ea ætate Græcas literas in Angliam invexerat, Oxoniique publicè professus fuerat. A cujus sodali Thoma Linacro Græcas literas Oxonii didicit. De quo sic in Epist. ad Dorpium scribit: *Quum ipse jam olim Aristotelis Opus audirem Græce, perlegente mihi atque interpretante Linacro, libuit interdum &c.* Pater interea sic puerum in bonis literis educari voluit, ut frugi ac sobrius esse à prima ætate disceret, nihilque aliud quam literas ac studia sua amare. Hanc ob causam sic ei necessaria subministravit, ut ne quidem teruncium in sua potestate eum habere permitteret, præter id quod ipsa necessitas postulabat. Quod adeo strictè observavit, ut nec ad reficiendos attritos calceos, nisi à patre peteret, pecuniam haberet. Solebat hoc Morus ipse de suo Patre sæpe narrare, vehementerq; factum laudare. Sic enim (inquit) factum est, ut nulli me vitio aut voluptati darem, ut horas meas noxiis & vanis lusibus non impenderem, ut quid esset luxus vel luxuria nescirem, ut pecunia male uti non addiscerem, denique ut nihil nisi studia mea amarem & cogitarem. Nempe fuit Patri per totam vitam obsequentissimus, ut nunquam vel Patrem ipse offenderit, vel quocunque Patris dicto aut facto offensus fuerit. Certe etiam Cancellarius regni factus non detrectavit publice in palatio Westmonasterii (loco judiciorum publico) à Patre flexis genibus, juxta optimum gentis nostræ morem, benedictionem petere. Solent enim apud nos liberi quotidie mane ac vesperi benedictionem flexo poplite ab utroque parente petere. Qui mos si apud alias quasdam gentes obtineret, haberent parentes filios magis morigeros, haberet Respublica subditos magis obsequentes, haberet Ecclesia fideles magis obedientes. Quo semel enim est imbuta recens servabit odorem testa diu. Tametsi vero etiam apud nos viri jam facti, & vel conjugati vel ad aliquam aut Ecclesiasticam aut secularem dignitatem evecti, præsertim nobiles, hoc obsequii genus parentibus suis amplius non præstent, aut certe rarius præstent, tamen Thomas Morus pro insita sibi à teneris annis pietate & humilitate, etiam sceptra Anglicani regni gerens, & primus post Regem, senem Patrem hoc honore prosequi non recusavit: quem etiam domi suæ senem aluit, eique in summa dignitate constitutus oculos clausit. Tanta videlicet erat Mori in Patrem pietas & obedientia, tantus vicissim honor amorque Patris in filium, tam vera charitas inter utrumque, ut nescias uter altero dignior fuerit, filius tali Patre, aut Pater tanto filio. Certe Pater felicior qui tantum habuerit filium. Sed & hoc ad teneram Thomæ Mori educationem feliciter accessit, quod Cardinalis Mortonus Archiepiscopus Cantuariensis, non solum dignitate sed virtute ac eruditione Angliæ tunc Primas, & indole & profectu pueri adductus, eum in familiam suam adscivit, apud se aliquandiu nutrivit, ac demum Oxonii aliquo tempore aluit. Qualis & quantus vir iste Mortonus fuerit, ipse Morus, Mœcenatis sui nec immemor nec ignarus, his verbis in sua Utopia describit. Sic enim Raphaëlem suum loquentem introducit: *Interea multum debui Reverendissimo Patri Johanni Mortono Cantuariensi Archiepiscopo & Cardinali, ac tum quoque Angliæ Cancellario, viro, mi Petre, (nam Moro cognita sum narraturus) non authoritate magis quam prudentia & virtute incomparabili. Etenim statura ei mediocris erat, nec ætati quanquam seræ cedens; vultus quem revereare, non horreas, in cogressu non difficilis, serius tamen & gravis. Libido erat asperius interdum compellando supplicantes experiri, sed sine noxa, quid ingenii, quam animi præsentiam quisque præ se ferret; qua velut cognata sibi virtute, modo abesset impudentia, delectabatur, & ut idoneam ad res gerendas amplectebatur. Sermo politus & efficax, juris magna peritia, ingenium incomparabile, memoria ad prodigium usque excellens. Hæc enim naturæ egregia, discendo at-*

que exercendo provexit. Hujus consiliis Rex plurimum fidere, multum Respublica niti videbatur; quippe qui ab prima fere juventa protinus à schola conjectus in aulam, maximis in negotiis per omnem versatus ætatem, ac variis fortunæ æstibus assiduè jactatus, prudentiam rerum multis magnisque cum periculis didicerat. Hæc in Utopia sua Morus. Quæ ideò transcripsi, ut sub quanto viro Morus puer pietatem ac prudentiam imbiberit, Lector intelligat. Lusit adhuc puer Epigrammata quædam non minus pia quam festiva lingua vernacula, quæ magno volumini Operum ejus Anglicorum initio præponuntur. Sed & in domo paterna in tela depicta humanæ vitæ vanitatem versibus Anglicanis supra ætatem eleganter expressit, quibus in fine hos Latinos subjecit.

Has fictas quemcunque juvat spectare figuras,
Sed mira veras quas putat arte homines;
Ille potest veris animum sic pascere rebus,
Ut pictis oculos pascit imaginibus.
Namque videbit uti fragilis bona ludicra mundi
Tam cito non veniunt, quam cito prætereunt.

Multa alia in eadem ætate contra fortunam lusit versibus vernaculis. Certe (si Erasmo credimus) progymnasmata illa seu versus è Græco in Latinum versos Thomæ Mori & Gulielmi Lilii, aliis ejus Epigrammatibus præfixos, etiam puer lusit. Nam in Erasmi ad Morum literis anno 1520. scriptis ait, pleraque ejus epigrammata ante annos viginti ab eo scripta, quo certe anno non nisi decimum septimum ætatis annum Morus attigerat. Atque ex his quidem quasi ex ungue Leonem, quanta ingenii magnitudo, quæ industria, qualis pietas futura erat, facile fuit conjicere.

CAPUT II.

Adolescentiæ mores, studia, actiones.

THomas Morus post annos pubertatis exactos, ut primum in virum adolescere cœpit, majora semper cum ætatis accremento eruditionis ac pietatis documenta præbuit. Eruditionem ac in bonis literis (quibus mirifice semper affectus fuit) profectum loquuntur varia ejus eo tempore conscripta epigrammata, sive ex Græco in Latinum conversa, sive à seipso inventa; quæ ut lepida ac jucunda admodum sunt, ita nihil scurrile, nihil contumeliosum aut sordidum habent. Sed satius est ut aliorum magis quam nostrum hac de re judicium Lector audiat. Beatus Rhenanus in Epist. ad Bilibaldum Pirckheimerum de Epigrammatibus Thomæ Mori sic scribit: *Utrobique mirus est Thomas Morus. Nam elegantissime componit, & felicissime vertit. Quam fluunt suaviter hujus carmina! Quam est hic nihil coactum! Quam sunt omnia facilia! Nihil durum est, nihil scabrum, nihil tenebricosum. Candidus est, argutus, Latinus. Porro gratissima quadam festivitate sic omnia temperat, ut nihil unquam viderim lepidius. Crediderim ego, Musas quicquid usquam est jocorum, leporis, salium, in hunc contulisse. Sunt autem hujus sales nequaquam mordaces, sed candidi, melliti, blandi, & quidvis potius quam amarulenti. Jocatur enim, sed ubique citra dentem: ridet, sed citra contumeliam.* Hæc Rhenanus. Idem fuit judicium doctissimi Poëtæ Leodegarii à Quercu, humaniorum literarum Lutetiæ Professoris regii. In selectis enim suis Epigrammatibus quæ ex tam variis Scriptoribus magno judicio collegit, unius Mori plura Epigrammata suo Collectaneo inseruit quam cujusquam alterius Scriptoris; quum tamen satis pauca Mori extent, præ maximo Epigrammatum numero quæ ab aliis in lucem sunt edita. Hujus ingenii felicitati invidens Germanus Brixius scripserat *Antimorum*; sed ea cum gratia & commendatione, ut Morum quidem enixissime Erasmus per literas rogaverit, ne amicum suum Brixium ea quam merebatur responsione obrueret; de ipso autem Brixio ejusque inepto Antimoro in hæc verba scribat: *Audio post editum à Brixio Antimorum quid eruditi loquantur de Brixio; quæ ut de illo non libenter audio, ita de te minus libenter audire velim. Quamobrem quum sentiam quàm arduum sit tam virulento libello lacessitum sic attemperare responsum ut nihil indulgeas affectibus, optimum certe sentio si rem totam ita ut meretur negligas atque contemnas. Neque verò hac tibi consulerem, optime More, si quicquam esset in Antimoro quod tibi sic labem aspersisset ullam, ut operæ pretium sit eam curare abstergendam.* Hæc Erasmus: ante cujus Epistolam jam Antimoro responderat Morus, suadentibus id gravissimis amicis, liberque in lucem editus fuerat, & quædam exemplaria distracta: sed in gratiam Erasmi, ut supprimeretur, Morus acquievit. In eadem ætate quædam ex Luciano in Latinum verterat, quas vocat in Græcis literis studii sui primitias: sed & posteaquam quum Luciani declamationem pro tyrannicida vertisset, aliam quæ illi Lucianicæ responderet, pro ingenii exercitio composuit, quæ quidem Lucianicæ nec inventione, nec eloquentia quicquam cedit. Eodem etiam tempore Londini in Ecclesia D. Laurentii Augustinum de civitate Dei publice docuit, non quidem ejus operis theologica discutiens, sed philosophica tantum atque historica, qualia sunt priorum ejus Operis librorum sola fere argumenta. Istud autem tanto hominum concursu, tanta cum commendatione fecit, ut Grocino relicto, qui antea bonarum literarum palmam tulerat, ad Morum audiendum omnes confluerent. Sic adhuc adolescens, & Poëtam se, & Oratorem & Philosophum atque Historicum insignem ostendit. Certe Johannes Coletus vir acris exactique judicii, (quo vitæ præceptore Morus adolescens utebatur) in familiaribus colloquiis subinde dicere solebat, (ut scribit Erasmus in Epist. ad Huttenum) *Britanniæ non nisi unicum fuisse ingenium*; Morum designans, quum hæc insula tot egregiis ingeniis floreat. Hæc Erasmus.

Sed nunc quam ab ipsa adolescentia pietatem coluerit, exponendum est. Eruditio enim,

utcunque multiplex & magna absque pietate est annulus aureus in naribus suis: nihilque absurdius, quam gemmas pretiosas putrido ligno inserere. In corrupto pectore male habitat scientia. Quid quod ipse Plato scientiam absque virtute, calliditatem potius quam sapientiam vocari voluit? Sed Thomas Morus adolescentiam suam non minus veris virtutibus & insigni pietate quàm praeclaris studiis excoluit; imo multo magis esse vir bonus quam esse vir doctus studuit. Adolescens quippe usus est cilicio, humi cubabat, & vel in scamno frequenter, vel trunco capiti supposito dormiebat: somnum ultra quatuor vel quinque horas ad summum non protendebat. In vigiliis & jejuniis frequens erat. Cum tamen tantae virtutis esset, ita dissimulabat omnia, ut in externo corporis habitu nihil horum eluceret. Meditabatur adolescens sacerdotium cum suo Lilio. Religionis etiam propositum ardenter desiderans, Minoritarum institutum arripere cogitabat. Sed quam exercitiis illis praedictis adhibitis, motus carnis qui in juventutis flore & ardore accidere solent, evincere non posse sibi videretur, uxorem ducere instituit. Solebat haec ille postea narrare non sine magna animi tristitia & moerore; dicebatque, multo esse facilius legem carnis in coelibatu vincere quam in matrimonio. Quod sane Apostolicis illis verbis conforme est; *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* Sed vel non erant tunc illa tempora ut cum fructu illo, quem desiderabat, arctioris vitae propositum amplecteretur (multum quippe à pristina pietate religiosae personae apud nos tunc degeneraverant, quod vel subsequens statim horrenda vastitas & totius status monastici in Anglia desolatio satis ostendit) vel ad majorem suam gloriam in communi Laicorum vita atque adeo per medios honores & Reipublicae administrandae fluctus, servum suum Deus integrum & illaesum conservare, imo ad verae pietatis apicem & perfectionem perducere voluit. Certe quum statum vitae perfectiorem assequi se non posse existimaret, id saltem studiose egit, ut Deum pure ac pie colere tota vita nunquam desineret. Statuit igitur aliquem sibi praeclarum virum ex ordine Laicorum ante oculos ponere, ad cujus exemplum vitam suam conformaret. Omnibus itaque, qui tunc vel domi vel foris pietatis & eruditionis nomine florebant, ad memoriam revocatis, occurrit illi Johannes Picus Mirandula Comes, de cujus sane multiplici & excellenti eruditione per totam tunc Europam fama celeberrima pervolitabat, qui etiam pietate & morum integritate non minus erat celebris. Hujus vitam Thomas Morus Latine conscriptam, Epistolas quoque ejus, & duodecim bene vivendi praecepta, in linguam Anglicam vertit: non tam ut aliis ea communicaret, (quanquam & id quoque) quam ut sibi ipsi magis familiaria illa omnia redderet. Hunc etiam ob finem in eadem aetate scripsit Tractatum valde pium, spiritualem & eruditum, de quatuor novissimis, etsi imperfectum. Propter idem etiam pietatis studium conciones diligentissime frequentabat, non quidem quasvis aut sine delectu, nec verbosas illas & ex sola vel elegantia vel doctrina laudatas, sed vere pias ac spirituales, & quae maxime ad cor loquebantur. Quo in genere quum eo tempore maxime floreret Johannes Coletus apud D. Paulum Londini Decanus, vir non minus pius quam literatus; (cujus vitam totam in quadam Epistola Erasmus diligenter describit) eum solum Morus ita assidue & avide audiebat, ut quum ex aliqua forte causa diutius ab urbe abesset Coletus, temperare sibi non potuerit, quin pro eo, quo audiendi verbi divini flagrabat, desiderio, per literas eum in urbem revocaret. Literas ipsas, quia excusae non extant, & pietatem adolescentis Mori luculenter loquuntur, hic subjicio.

THOMAS MORUS JOHANNI COLETO S. D.

Ambulanti mihi dudum in foro, & inter aliena negotia otianti obtulit se puer tuus. Quem quum primum intuerer, vehementer sum gavisus; tum quod hic ipse mihi semper charus extitit, tum praecipue quod arbitrabar, eum non sine te venisse. At ubi ab illo didici, te non modo non rediisse, sed nec adhuc diu rediturum, dici non potest ex quanta laetitia in quantam moestitiam rejectus sum. Quid enim mihi potest esse molestius quam suavissima consuetudine tua privari? cujus prudentissimo consilio frui, cujus jucundissimo convictu recreari, cujus gravissimis concionibus excitari, cujus exemplis & vita promoveri; in cujus denique vultu ipso ac nutu solebam conquiescere. Itaque ut his praesidiis vallatus aliquando me sensi roborari; ita eisdem destitutus languere mihi fermè videor ac solvi. Et quia tua nuper vestigia sequutus jam pene ex ipsis orci faucibus emerseram, nunc rursum tanquam Euridice (contraria tamen lege; Euridice quidem quod illam respexit Orpheus, ego vero quia tu me non respicis) in obscuras retro caligines nescio qua vi ac necessitate relabor. Nam in urbe quid est quod quenquam ad bene vivendum moveat, ac non potius suopte ingenio nitentem in arduum virtutis callem evadere, mille machinamentis revocet, illecebris mille resorbeat? Quocunque te conferas, quid aliud quam hinc fictus amor & blande adulatorum mellita venena circumsonant; hinc odia saeva & querulae lites ac forenses strepitus obmurmurant? Quocunque tuleris oculos, quid aliud videas quam cupedinarios, cetarios, lanios, coquos, fertores, piscatores, aucupes, qui materiam ventri ministrant, ac mundo & principi ejus diabolo? Tecta quinetiam ipsa nescio quo modo bonam partem lucis eripiunt, nec coelum liberè sinunt intueri. Aerem itaque non ὁρίζωνος ille circulus, sed domorum culmen determinat. Quo aequior tibi sum si minime te adhuc ruris poeniteat; quippe ubi simplicem turbum vides, & urbicae fraudis expertem: ubi quoquoversus oculos intendas, blanda telluris facies juvat, aeris grata reficit temperies, ipse te coeli delectat aspectus. Nihil ibi vides nisi benigna naturae munera & sancta quaedam innocentiae vestigia. Nolo

tamen

tamen his oblectationibus adeò capiaris, quin quam primum possis ad nos revoles. Nam si tibi displicent urbis incommoda, at Stephani rus (cujus etiam non minus debes esse sollicitus) haud minora tibi commoda suppeditabit, quàm quod nunc incolis: unde etiam in urbem (ubi magna tibi merendi materia est) potes interdum tanquam in hospitium divertere. Nam ruri quum sint homines ipsi per se aut fere innocui, aut certe non adeo magnis sceleribus irretiti, cujusque Medici manus utilis esse potest. At in urbe tum propter ingentem magnitudinem, tum ob inveteratam morborum consuetudinem, Medicus omnis frustra nisi peritissimus accesserit. Veniunt certe in D. Pauli suggestum aliquando qui sanitatem pollicentur. Sed quum speciose perorasse videntur, adeo vita cum verbis litigat, ut irritent potius quam mitigent. Non enim persuadere possent hominibus, ut quum ipsi sunt omnium ægrotissimi, idonei credantur quibus alienarum ægritudinum cura merito committatur. Itaque morbos suos quum ab his tractari sentiunt, quos exulceratos vident, indignantur illicet atque recalcitrant. At si (ut naturarum indagatores affirmant) is demum Medicus ad sanitatem appositus est, in quo ægrotus maximam habet spem; quis dubitet quin te uno ad curandam universam urbem nemo possit esse salubrior? A quo quam æquo animo vulnera sua tractari patiantur, quantum confidant, quantum pareant; & tute antehac satis expertus es, & nunc apud omnes tui desiderium atque incredibilis quædam expectatio declarat. Venias ergo tandem mi Colete, vel Stephani tui gratia, qui haud secus diuturnam tui gemit absentiam quam infantuli matris; vel patriæ tuæ causa, cujus haud minor tibi cura esse debet quam parentum. Postremo (quanquam hoc minimum sit reducendi tui momentum) mei te respectus commoveat, qui me tibi totum dedidi, & in adventum tuum sollicitus pendeo. Interea cum Grocino, Linacro & Lilio nostro tempus transigam, altero (ut tu scis) solo (dum tu abes) vitæ meæ Magistro; altero studiorum præceptore; tertio charissimo rerum mearum socio. Vale: & nos, ut facis, ama, Londini 10. Novembres.

Ex hac Epistola liquet, quàm B. adolescens Morus fuerit. *Beati enim qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Hæc fames, hæc sitis justitiæ, pietatis, & morum integritatis hanc illi Epistolam extorsit. Ideo Coleti viri integerrimi & Concionatoris sancti præsentiam exoptavit. Ideo ejus sanctas Conciones avidissime expetiit. Ideo urbicæ conversationis pericula tam diligenter exposuit. Ideo eo absente non nisi viris doctis & integerrimis adhæsit. *Hic Coletus* (ait Erasmus) *singulis diebus, quod tunc novum erat, in suo templo concionabatur, præter Conciones extraordinarias, quas nunc in regia, nunc aliis atque aliis locis habebat. In suo autem templo non sumebat sibi carptim argumentum ex Evangelio aut ex Epistolis, sed unum aliquod argumentum proponebat, puta, orationem Dominicam, Symbolum, aut aliud simile, quod diversis Concionibus ad finem usque prosequebatur. Habebat auditorium frequens, in quo plerosque primores suæ civitatis & aulæ regiæ. Novam scholam extruxit in cœmiterio S. Pauli, puero Jesu sacram, opere magnifico, in quo agerent duo ludimagistri, quibus salarium designavit ut gratuito doceant.* De qua schola sic in quadam ad eum Epistola Morus: *Neque valde miror, si clarissimæ scholæ tuæ rumpantur invidia. Vident enim, uti ex equo Trojano prodierunt Græci, qui barbaram diruere Trojam, sic è tua prodire schola, qui ipsorum arguunt atque subvertunt inscitiam.* Hæc de illo Erasmus. Tali vitæ suæ Magistro usus est Morus adolescens. Grocinus quo (absente Coleto) utebatur etiam Magistro, *præter Theologiæ professionem, in omni genere disciplinarum usque ad morositatem exactè versatus est*; ut idem alibi scribit Erasmus. Thomas Linacer (quem studiorum præceptorem Morus hic vocat) sic erat in utraq; lingua Græca & Latina excellenter doctus, ut tum Erasmus eum præceptorem suum vocet, tum Budæus ex ejus verso Galeno se multum profecisse profiteatur. Gulielmus Lilius adolescentis Mori socius, Grammaticam egregie methodicam & absolutissimam (qua tota juventus Anglicana ex eo tempore semper est usa) conscripsit. Habuit etiam adolescens Morus studiorum socium Cuthbertum Tonstallum virum doctissimum, frequenti legatione pro suo rege functum, Episcopum primo Londinensem, postea Dunelmensem; qui primitias studiorum suorum, de arte supputandi libros quatuor Lutetiæ impressos Anno 1529. Thomæ Moro dicavit, tanquam veteri condiscipulo & amico familiarissimo. Sic enim in præfatione loquitur: *Circumspicienti mihi cuinam potissimum ex amicorum cohorte hæc collectanea dicarem, tu pro nostra consuetudine atque animi candore visus es ex omnibus maximè idoneus: qui si quid in hoc opere placeret, gratum habere, si quid esset jejunius, boni consulere, si quid usquam offenderet, ignoscere paratus esses.* Hæc Tonstallus tunc Londinensis designatus Episcopus, (ut ex eadem præfatione patet) Thomæ Moro tunc Angliæ Proquæstori. Hujusmodi præceptoribus ac sociis studiorum adolescens Morus usus est; ab hujusmodi vitæ probitatem, morum integritatem, variarum literarum cognitionem hausit, accepit, didicit. Inter Philosophos Platonem & Platonicos maxime legit, & libentius evolvit, tanquam ad rempublicam regendam & civilem conversationem magis idoneos. Quare & in scriptis suis Platonicum scribendi morem imitatus est, ut in Utopia, in Dialogorum libris quatuor de rebus in religione hodie controversis, quos Anglicè scripsit: atque item in libris de consolatione in adversis quos etiam per formam dialogi elegantissime scripsit lingua vernacula. Præter Græcæ & Latinæ linguæ cognitionem, Gallicam edidicit, futuris postea legationibus idoneus, partim suo studio, partim frequenti illorum qui Gallice noverant consuetudine & congressu. Nam etsi aliquando in Franciam videndæ regionis gratia profectus fuerat, (quod nobilibus adolescentibus Anglis solenne est) tamen non ita diu illic hæsit. Musicam, Arithmeticam, Geometriam tenuit; sed & instrumento musico, viola lusit, hone-

honestissimæ recreationis causa. Historicos, quos habere potuit, omnes feliciter evolvit. Nam ut erat ingenio claro, prompto, & acri; sic memoria erat felicissima, quam tamen arte etiam juvit. De qua sua memoria sic ipse modestissime loquitur: *Utinam sic ingenio atque doctrina aliquid essem, ut memoria non usquequaque destituor. Sed de ejus animi dotibus alio loco expressius.*

Adolescens præterea, vel quia sic voluit pater, (qui eum ad Græcarum literarum & Philosophiæ studium omni subsidio destituit, ut ad istud induceret) vel quia postquam conjugalem vitam agere stabat sententia, certus hic gradus erat ad rempublicam juvandam (quod ille unice spectabat, ut reliquus vitæ cursus docebit) Juri municipali (quod solum fere in Anglia obtinet) seu legum Britannicarum studio operam dedit; in eoque eos progressus fecit, ut tum in hoc Jure bis legerit, vacationum tempore, quod à festo S. Johan. Baptistæ usque ad S. Michaëlem excurrit (est autem hoc legendi munus valde apud nostros splendidum, quod non nisi senioribus defertur, & non nisi à peritissimis exercetur, reliquis minus idoneis magnam quandam pecuniæ taxam lecturæ loco solventibus) tum ex hujus Juris studio varios & amplissimos honores in Republica gesserit, de quibus mox. Ac talis quidem adolescens Morus. Hæc ejus adolescentiæ studia, mores, actiones, pietas.

CAPUT III.

Quæ munera in Republica gesserit, & quomodo.

THomas Morus quum viribus ingenii, variaque literatura plurimum valeret, eo etiam loco ac genere natus, ut lux tanta latere non posset, ubi primum virilem togam induit, Reipublicæ operam suam præstitit. Ac primum quidem (quod Juris municipalis peritis solenne est) causas agere & advocatus esse cœpit. Quo in munere nulli non dedit amicum verumque consilium, magis illorum commodis prospiciens quàm suis: plerisque solitus persuadere uti litem componerent. Id si minus impetrabat, tum rationem indicabat, qua possent quam minimo dispendio litigare. Denique ita se incorruptum gessit, ea diligentia usus est, ut nullam causam defenderet, cujus totum statum prius accurate non examinasset, totamque veritatem explorasset. Ad eum igitur accedentes (sive suorum sive exterorum aliquis esset, sive amicus sive alienus, hoc enim illi plane perinde erat, ut mox exemplis docebimus) ante omnia monebat, ut à veritate facti nec levissime deflecterent. Quibus auditis, si ita est, inquit, ut retulistis, videtur mihi quod causa non cadetis. Quod si injustam causam haberent, diserte hoc illis affirmabat, hortabaturque ut desisterent ab illa: nam neque sibi, neque ipsis expedire dicebat, hujusmodi causæ patrocinium suscipere. Qui si eum audire nollent, ad alios advocatos eos remittebat, ipse autem nullo modo eis adesse voluit. Ubi hæc initia inculpate gessisset, circa annum ætatis vigesimum octavum electus est populi Londinensis consensu; qui in ea celeberrima urbe & totius Angliæ metropoli pro Shyrevo jus diceret. Sunt autem in illa urbe annui Magistratus tres, unus Prætor quem Majorem vocant, & duo Shyrevi. Sed quia hi plerumque imo fere semper, juris dicendi imperiti sunt, est unus perpetuus (ut in Jure vocatur) Syndicus civitatis, qui pro istis Shyrevis (quos etiam Vice-Comites aut etiam Consules vocare licet) jus dicit, judicisque urbani officio fungitur. Est hoc munus ut magnæ authoritatis & gratiæ: ita quod virum summæ integritatis, fidei, ac prudentiæ requirat. Omnes quippe civium causæ, ipsaque civitatis privilegia, ejus vel arbitrio decernuntur, vel industria conservantur. Hoc munus quanti Morus ipse fecerit, non propter emolumenta quæ percipere potuit, sed propter civium suorum charitatem, quorum commodis servire voluit, ipsemet in quadam ad Erasmum Epistola his verbis exponit; *Mihi ex legatione Flandrensi revertenti pensio annua ab Rege decreta est; eaque plane, si quis honorem spectet seu fructum, neutiquam contemnenda: quam ego tamen hactenus recusavi, videorque, mihi perpetuo recusaturus; quod ea suscepta, præsens hæc mea in urbe conditio (quam ego etiam meliori antepono) aut mihi foret relinquenda, aut, quod minime vellem, cum aliqua civium offensione retinenda: quibus si qua cum Principe (quod nonnunquam accidit) orrretur de privelegiis quæstio, minus me sincerum ac sibi fidum ducerent, tanquam annuis Principi mercedibus obstrictum.* Hæc ille. Atqui non ita diu in hoc munere urbico versatus, ubi insignem viri prudentiam, fidem, industriam Rex Henricus in una atque altera legatione, primum in Galliam de rebus repetundis, postea in Flandriam de fœdere confirmando probasset, eum ex urbe in aulam adscivit, & in Consilium suum supremum cooptavit; nec ita multo post fide, probitate, dexteritate, & prudentia viri in rebus gerendis magis ac magis spectata, Equitem auratum & totius regni Proquæstorem (Quæstor enim seu Thesaurarius regni supremus non nisi nobilissimus aliquis Dux, Comes, aut Baro esse solet) Morum declaravit. De quo duplici honore simul collato sic ad Goclenium scribit Erasmus: *Quum scribes ad Morum, gratulaberis illi, & dignitatis & fortunæ accessionem. Nam quum antea Regi tantum esset à Consiliis, nuper nec ambiens nec expetens, ultroneo favore Principis humanissimi, & Eques auratus factus est, & munus habet apud Britannos, cum honorificum inprimis, tum etiam salarii non pœnitendi, quod appellatur à Thesauris.* Hæc ad Conradum Goclenium Erasmus mense Augusto Anno 1520. In hoc autem munere quum per aliquot annos laudabiliter versatus esset, Du-

catus Lancastriæ (qui ob stirpis regiæ defectum ab ipso Rege possidetur) Cancellarium, id est, Administratorem supremum constituit. Qui sane locus & honorificus multum est, & ad rem familiarem ampliandam accommodatus. His in aula honoribus ac muneribus per annos circiter quatuordecim functus est, ita Regi gratus, & præ cæteris omnibus charus, ut ejus unius opera & domi & foris in rebus semper gravissimis Rex usus fuerit. Legatione functus est ter quaterve; postremo vero Cameraci, quum pax illa celeberrima inter quatuor potentissimos hujus orbis Principes, Imperatorem Carolum V. Ferdinandum Regem Romanorum, Henricum Angliæ, & Franciscum I. Francorum Reges, anno salutis 1529. solennibus pactis concludebatur. Rex ipse sic Morum adamabat, ut quum vacatione aliqua à rebus publicis impetrata, domi suæ in pago Chelsey, qui ab urbe Londinensi non nisi uno parvo milliari distat, sese cum familia sua recrearet, eum tamen (ut cujus convictu ac consuetudine impense delectabatur) derepente domi suæ invisere, mensæ domesticæ sine ullo speciali apparatu accumbere, uno atque altero die cum Moro suo rusticare solitus interdum fuerit. Sed & discedens dicebat Rex: *Quia jam hoc biduo te More à tuis avulsum mecum detinui, vide ut ultra ferias constitutas, aliud biduum adjicias: nolo enim ex hac mea præsentia domesticæ tuæ recreationi aliquid decedere.* Denique tantum Mori prudentiæ Rex tribuebat, sic eum diligebat, eam de ejus integritate ac fide existimationem habebat, ut non contentus honoribus illis multis & magnis antea Moro delatis, supremum tandem totius regni Cancellarium (qui honos hactenus solis fere Ecclesiasticis viris, ejusque supremæ dignitatis deferri solebat: duo enim Archiepiscopi, quorum alter Cardinalis, Morum in hoc munere proxime præcesserant;) Morum renuntiaverit. Est autem in Anglia Cancellarius regni proximus post Regem, omnesque alios quacunque dignitate fulgentes aut authoritate præditos præcedit. Ante eum prodeuntem à dextris gestatur sceptrum aureum, in cujus fastigio est corona aurea imperialis, ad lævam liber, quorum altero summa sub Rege potestas, altero legum prudentia designatur. Sed & sigillum regium bursæ holosericæ inclusum solenni pompa ante eum defertur, & pro tribunali sedenti coram ponitur. Tribunal Cancellarii supremum est & à quo non appellatur, ne ad Regem quidem ipsum. Judicat non ex legibus scriptis, sed ex æquo & bono. Ad illum à quovis alio tribunali appellari potest. Hunc supremum magistratum sicuti cum tanta totius regni gratulatione Morus suscepit, quanta ante illum alius nemo; ita maximo cum applausu docti & celebres ea ætate viri, quibus extra Angliam Mori virtutes atque eruditio jam innotuerant, eum prosequuti sunt. De quo sic Erasmus in Epistola ad Johannem Fabrum Episcopum Viennensem: *Harum rerum tibi facile fecero fidem, si summorum virorum Epistolas proferam, Regi, Regno, sibi, atque etiam mihi gestienti, cum alacritate de suscepto à Moro Cancellarii honore gratulantes.* Quin & ipse Cardinalis Wolsæus, etsi Moro parum æquus esset, eumque metueret verius quàm amaret, quum prospiceret tamen nullam spem esse reditus ad pristinam dignitatem, asseveravit, in Anglia non esse illi oneri quempiam ita parem ut unum Morum. Sed Regis ipsius judicium, quo uno nemo penitius inspexerat aut impensius amabat raras ac prope divinas Mori virtutes ingeniique dotes, quique ipse prudentissimus (nec dum schismatis labe aut cæca cupidine infectus) optimum semper suorum hactenus delectum fecit, præstantissimum & sempiternum præbet virtutibus Thomæ Mori testimonium. Maxime quum nemo unquam ante illum ejus ordinis, nemo ex Laica eaque inferiori nobilitate eum magistratum gesserit.

Non est autem hoc loco prætereundum, quum hunc amplissimum Magistratum Morus iniret, quo extra ordinem honore Rex, totus tunc Moro addictus, illustrare eum voluit, qua modestia & prudentia hunc ei delatum Morus acceperit. Quo enim primum die inaugurari debuit, & toto spectante populo tribunal illud supremum, in Camera regia, quæ à Stella nomen habet, conscendere, Dux Northfolciæ totius Nobilitatis Anglicanæ facile princeps & vir maxime tunc authoritatis, jubente id & mandante Rege, Morum ad Cancellarii cathedram honorifice deduxit, eoque conscendente Orationem ad populum ex mandato regio in hæc verba fecit: *Regiam Majestatem (quod ipsi Regno totique populo Anglicano faustum felixque sit) ad supremam Cancellarii dignitatem, Thomam Morum virum jam ipsi Regi totique regno spectatissimum evexisse; non alia quidem ex causa neque respectu alio, quam quia in hoc viro omnia illa gratiæ & naturæ præsidia inesse cerneret, quæ ad tantam dignitatem vel populus desiderare, vel Rex ipse optare posset. Hujus enim viri admirabilem prudentiam, integritatem, innocentiam, cum suavissima quadam ingenii facilitate conjunctam, non populo tantum Anglicano universo ab ineunte fere ætate, sed & ipsi Regi à multis retro annis spectatissimam fuisse. Illud Regem in multis magnisque negotiis domi forisque gestis, in variis quæ gessit muneribus, in amplissimis quas obiit legationibus, in assiduis & quotidianis pene rerum agendarum consiliis, uberrime expertum fuisse. Nihil hoc viro ad deliberandum prudentius, ad dicendum quod senserat integrius, ad ornandum quod diceret facundius animadvertisse. Regem itaque quia omnia à tanto viro summa expectaret, pro eo quo in regni ac populi sui administrationem*

tionem cum omni æquitate & justitia, integritate & prudentia faciendam desiderio tenetur, eum suo populo ac regno Cancellarium dare, quo Cancellario populus omni pace ac justitia frueretur, regno splendor & decus incomparabile afferretur. Novum quidem videri posse hujus ordinis virum, laicum, conjugatum, ignobilem ad eam dignitatem assumi, quæ hactenus non nisi Ecclesiasticis iisque primariis Prælatis, aut certe nobilissimis viris deferri solebat. Sed quæ ex hac parte desiderari cuipiam posse videantur, admirabiles hujus viri virtutes, dotes ingenii ac naturæ incomparabiles plenissime compensare. Regem itaque non quantus sed qualis vir esset, non splendorem sed meritum personæ, non ordinem sed virtutem spectasse. Denique in Thoma Moro ostendere se voluisse, non deesse suæ majestati ex inferiori nobilitate atque ordine laico viros præstantissimos, qui Ecclesiasticorum & nobilissimorum virorum munera exequi valeant. Quod quidem quanto rarius Dei beneficium est, eo & sua Majestas hoc habet excellentius, & populo suo judicat fore gratius. Morum igitur Cancellarium bonis (inquit) avibus & lætis auspiciis accipite; à tanto & tali viro omnia & regno & vobis faustissima expectate. Hæc ubi Dux ille nobilissimus aliaque nonnulla perorasset, Thomas Morus etsi inexpectata hac Ducis oratione (novum enim & insolens id erat) vehementer perculsus varieque affectus fuerat, & quidem pro insigni & consueta sua modestia totus fere contremisceret, nonnihil tamen sese recolligens, ut ille tum locus ac tempus postulabat, in hæc fere verba respondit: *Vir amplissime, vosque nobiles & humanissimi viri; Etsi quæ regia Majestas hoc jam loco & tempore de me dici voluit, quæque nobilissimus Dominus verbis ornatissimis amplificavit, à me omnia tam longe abesse judicem, quàm ea mihi singula adesse ego nunc vehementer optarem, & iste magistratus plurimum desiderat; etsi hæc tota oratio majorem mihimetum incusserit, quàm facile verbis explicare queam; tamen non potest non gratissimus mihi esse Regiæ Majestatis favor iste incomparabilis, quo tam præclare de me sentire voluit, tam honorifice meam mediocritatem vobis commendari præcepit. Viro quoque nobilissimo non possum non magnas agere gratias, qui quæ paucis verbis sua Majestas mandavit, ornatissima & accurata oratione amplificare voluit. Sic enim accipio, solum suæ Majestatis incomparabilem erga me favorem, solam benignitatem & incredibilem regalis animi in me propensionem (qua à multis jam annis me immeritum perpetuo prosequutus est) non ullum prorsus meritum meum, vel huic novo honori vel his novis laudibus causam dedisse. Quis enim ego sum aut quæ domus patris mei, ut hos mihi tot ac tantos honores, cursu quodam perpetuo Regia Majestas accumularet? Minor sum omnibus beneficiis ejus; hoc certe loco, hoc honore nec dignum me censeo, & vix parem fore confido. In ipsam aulam ac servitium Regium (quod sua Majestas profitetur sæpe) invitus veni: ad hanc dignitatem invitissimus accessi. Sed ea est Regiæ Majestatis bonitas, ea benignitas, ut exigua suorum obsequia maximi faciat; & servos suos non tam bene merentes quam bene mereri cupientes (quorum certe è numero semper esse desideravi, quandoquidem priorum in loco consistere non potui) splendide remuneret. Quæ quum ita sint, quantum mihi & quam grave onus incumbat, ut huic incredibili benevolentiæ regiæ omni diligentia atque officio parem me geram, ut ejus de me magnificæ expectationi respondeam, facile mecum omnes videtis. Mihi igitur ipsi tanto hæ laudes acerbiores fuerunt, quanto ut his laudibus non indignus appaream, graviora mihi officia subeunda sunt, & pauciora præsidia adesse conspicio. Onus enim est humeris meis impar, non par meritis honos: cura est non gloria; sollicitudo non amplitudo. Ferendum est illud, ut possum, strenue: expedienda sunt ista, quantum valeo, dextere. Sed erit mihi ingens ad hæc omnia stimulus, studium ac desiderium meum ardens, quo in omni vita nihil prius aut antiquius habui, quod habere me nunc maxime agnosco, ut Regiæ Majestatis amplissimis de me meritis omni qua fieri potest, ratione satisfaciam. Istud vero eo mihi facilius fore confido, quo vestras omnium erga me voluntates, quæ Regiam erga me munificentiam libentissime complectuntur, eique sese non gravate conformant, propensissimas futuras nihil ambigo. Meum enim certe rem bene gerendi desiderium, cum vestra omnium propensione conjunctum id profecto efficiet, ut quicquid à me geri potest, indubie fiat; idemque vobis etsi exiguum sit, magnum tamen atque præclarum videatur. Nam & quæ libenter facimus, fieri solent feliciter; & quæ benevole accipiuntur, fieri videntur felicissime. Vos ergo de me ut speratis optima, ita ego vobis polliceor non quidem optima, sed quanto possum meliora.* Hæc & alia quum Morus dixisset, ad cathedram ipsam sellamque curulem vultum ac verba convertens, hunc in modum progreditur: *At enim hanc sedem dum intueor, qui & quanti viri ante me eam occupaverint dum recordor; quis hic postremo sederit dum recolo, quam incomparabilis prudentiæ vir, quam in rebus maximis agendis dextere versatus, quam splendida & prospera fortuna diu usus, quam demum acerbo casu dejectus occubuit inglorius; habeo profecto in antecessore meo, quod & hanc mihi provinciam difficillimam reddat, & hunc mihi honorem parum gratum ac jucundum efficiat.*

Nam & tanti ingenii, prudentiæ, authoritatis ac splendoris viro cum laude succedere, ejusque vestigia paribus gressibus subsequi difficillimum; (veluti si occidente Sole lychnum accendas) & ne hic mihi honor nimium placeat, neve splendor ejus vano fulgore meos oculos perstringat; inopinatus ac repentinus tanti viri casus terribiliter me admonet. Sic igitur hanc cathedram conscendo, ut laboris quidem ac periculi plenam, solido autem ac firmo honore vacuam: quæ certe quanto sublimior est, tanto mihi præcipitium ma-

gis cavendum video; non rei tantum natura, sed & recenti exemplo admonitus. Ac nisi inter hæc omnia Regiæ Majestatis incredibilis erga me propensio, vestraque omnium (quam jucundissimus iste conspectus vester mihi præ se fert) benevolentia me reficeret ac recrearet, in ipso hoc certe primo vestibulo impingerem; forte & animo conciderem: nec hæc mihi suavior cathedra videretur, quam Damocli gladius seta equina supra caput appensus, dum Dionysii Regis solium occuparet, honoribus & deliciis affluens. Id unum ergo semper meminero, id ante oculos perpetuo habeo, hanc mihi cathedram sic esse honorificam, sic amplitudine & splendore plenam, sic novam & celebrem dignitatem; si omni cura ac vigilantia, fide ac prudentia hoc amplissimum munus administrare non desino; si brevem & incertum ejus fructum mihi fore persuasero. Quorum alterum meus mihi labor præstare debet alterum; antecessoris exemplum docere me potest. Quæ quum ita sint, quantam animo meo voluptatem vel hic amplissimus magistratus, vel nobilissimi Ducis effusa mei prædicatio, vel ipsius in me Regis incomparabilis hic favor afferre possit, facile omnes perspicitis. Hæc & his plura cum omnium admiratione eo tum tempore ac loco Morus peroravit.

Atqui præter has omnes in Republica functiones (quod prius dictum oportuit) fuit etiam in plenis regni Comitiis (quæ *Parleamenta* vocamus) Orator populi, & inferioris domus, (ut nos loquimur) ubi totius populi & inferioris Nobilitatis consessus est, Dux verbi: cujus est, quæstiones & causas omnes in Comitiis propositas, populi nomine, prudenter, graviter, copiose vel admittere & approbare, vel rejicere & refutare. Ad quam provinciam ille solus deligitur, qui & dicendi facultate, & juris ac rerum gerendarum peritia, & denique animi robore ac fortitudine cæteris omnibus præstat.

Sed nunc in tanto honorum cursu, qua fide, integritate, prudentia versatus fuerit, ex paucis illis, quæ ad nostram notitiam pervenerunt, satis elucescet. Cum Judicis officio fungeretur, solebat dicere, nihil apud eum inter amicum & inimicum interesse. Id expertus est gener ejus Ægidius Heron, qui Cæciliam, tertiam Mori filiam, in uxorem duxerat. Cum enim litem injustam coram socero suo instituerет, monuit illum Morus, ut desisteret à lite. Quod quum non faceret, tulit contra eum expedite sententiam. Alias quum inimici cujusdam causa coram illo verteretur, judicem se æquissimum, quasique solito æquiorem præbuit. Rogatus, cur id faceret, respondit: Hostis capitalis quantumvis læserit, non committam, ut ea res illi fraudi sit in judicio; quod omnibus æque debet patere. Cum sic esset plane incorruptus & integerrimus, æmuli tamen ejus aliquam reprehendendi ansam studiose captabant. Hoc quum animadverteret quidam Pernel, sive ut aliis rem gratam faceret, sive ut suo dolori indulgeret, retulit cuidam ex Aula regia primario, Morum Cancellarium à vidua Vaugham, adversaria ejus, poculum aureum accepisse post sententiam pro ea latam. Res ad aures Regis pervenerat, suggerente primario illo viro. Jubetur in diem certum adesse vidua. Ea præsente coram multis nobilissimis viris rogat Cancellarium Rex, an poculum aureum ab illa vidua accepisset? Fatetur Morus. Huc quum indignius Rex ferre videretur, orat Morus Regem, velit viduam rogare, quid porro de poculo factum sit. Vidua rogata agnoscit, Cancellarium poculum quidem hilari vultu accepisse, magnasque de dono gratias egisse, sed & convocata familia, magnificis verbis donum prædicasse: (quæ omnia accusationi conveniebant) attamen vino postulato, ipsi hilariter præbibisse, simulque poculum reddidisse. Indignatur Rex, ob rem tam futilem vel se interpellari, vel Cancellarium vexari; calumniatorem potestati Mori permittit, primarium illum virum objurgat, Morum collaudat. Jam vero industriæ Mori in summo & negotiosissimo illo Cancellariæ munere luculentum istud & sempiterna memoria dignum argumentum est. Est tribunal illud causis & litibus ita prægravatum, ut vix unquam fiat, quin innumeræ causæ pendeant illic indecisæ. Certe Moro Magistratum hunc ineunte pendebant adhuc quædam causæ ante annos viginti cœptæ. Ille vero tam dextre & feliciter id munus gessit, ut (quod nec antea nec deinceps unquam visum est) semel tribunal de more conscendens, & causa quadam expedita, sequentem proferri jubens responsum acceperit, nullam hic amplius causam superesse. Deo igitur gratiis actis, quod negotiosissimum illud tribunal semel vacaret, lætus surrexit. Jubens interea publicis Cancellariæ registris id inferri, in quibus adhuc legitur. Sed vero summæ ejus in hoc munere integritatis & innocentiæ, non testimonium tantum celebre & luculentum, verum etiam argumentum firmum & invictum est, Regis ipsius Henrici VIII. de Moro judicium, postquam hoc summo Magistratu ut sese abdicaret à Rege impetrasset: de quo ejus facto plura suo loco. Sed quod ad rem præsentem facit, quale fuerit Regis de eo judicium, ipsemet in quadam ad Erasmum Epistola propter quasdam obtrectatorum calumnias his verbis exponit: *Expectavi jam Syndici tempus à gesto ac deposito magistratu: nec adhuc quisquam prodiit, qui de mea integritate quereretur. Aut tam innocens fui, aut tam cautus saltem, ut æmulis meis necesse sit, si me altero nolint, altero sinant gloriari. Sed de hoc negotio Rex ipse quum alias, tum privatim sæpe, tum bis publice pronuntiavit. Nam supra*

supra quam meus pudor pati potest ut recenseam, per os Ducis illustrissimi, Ducis, inquam, Northfolciæ magni Thesaurii Angliæ, quum successor meus homo inprimis egregius collocaretur in loco, honorifice jussit de me testatum reddere, quod ægre ad preces meas me dimiserit. Nec eo singularis Regis erga me bonitas contenta, recitari fecit idem denuo multo post in sua præsentia, in solenni conventu Magnatum ac populi per os successoris mei, in oratione, quam ex more primam habuit in Senatu: quem Senatum nos Parleamentum vocamus. Hæc ad Erasmum Morus. Sed & in literis quibusdam à Thoma Moro post abdicatum Cancellarii munus ad Regem ipsum scriptis, memorem eum facit verborum, quæ, quum id munus deponeret, ad eum Rex diceret. *Placuit* (inquit) *Majestati tuæ tunc ad me dicere, curaturam se, ut propter officia hactenus à me præstita (quæ quidem eo tempore longe supra id, quod merebantur, laudare dignata est Majestas vestra) omnibus in rebus, quæ vel ad honorem vel ad commodum meum spectarent, si quid forte peterem benignam ac propitiam erga me Majestatem vestram semper experirer.* Quæ sane pollicitatio & commendatio regia, in tali articulo facta, luculentissimum fuit magistratus integerrime gesti testimonium. Atque hæc de variis in Republica muneribus à Thoma Moro gestis, deque integritate & innocentia, qua in illis versatus est, hactenus: etsi de hoc posteriori quædam adhuc alia postea dicendi dabitur locus. Hujus autem futuræ integritatis egregium specimen adhuc juvenis dedit, quum Juri municipali operam daret, regnante tunc Henrico VII. Quum enim in pleno Senatu (quem Parleamentum vocant, in quo libere loqui quod sentiunt, omnibus permittitur) exactiones & vectigalia iniqua imponere populo Rex vellet: Thomas Morus (multis aliis tacentibus, &, quod senserant, dicere non audentibus) libere & fortiter Regis postulato restitit. Ægre admodum tulit hoc Rex, maxime à Dudleo & Empsero ejus rei authoribus instigatus.

Suaserunt tunc multi Moro, & inter alios Episcopus quidam, ut culpam apud Regem agnosceret, veniamque precaretur: hac enim ratione Regem placari posse. Recusat ille prorsus hoc facere, prudenter respondens, se nec culpæ alicujus sibi conscium esse, nec debere ibi culpam fateri, ubi certus de venia non esset. Post septem vel octo annos defuncto Henrico VII. & Dudleo illo, propter iniqua illa consilia Regi suggesta, pœna capitis damnato, quum jam ad supplicium traheretur, accedens ad eum Morus, *ecquid*, inquit, *Domine Dudlee, in causa illa exactionis bene olim sententiam dixi?* Cui ille, *O Domine Thoma*, inquit, *bene te juvit Deus, quod culpam tuam apud Regem non agnosceres. Hoc enim si fecisses, pœnam capitis haud dubie subiisses.* Sic ille & fidem suam erga Rempublicam bene liberavit, & suæ saluti prudenter consuluit. Erat quidem (ut jam dictum est) Judex æquissimus, sed contra improbos fortis & severus, & ut de seipso in suo epitaphio scribendum curavit, *furibus, homicidis, hæreticisque molestus.* Maxime vero hæreticis, de quibus sic ad Erasmum scribit: *Quod in epitaphio profiteor, hæreticis me fuisse molestum, hoc ambitiose feci. Nam omnino sic illud hominum genus odi, ut illis, ni resipiscant, tam invisus esse velim, quam cui maxime: quippe quos indies magis ac magis experior tales, ut mundo ab illis vehementer metuam.* Neque tamen ita hæreticis molestus Morus fuit, ut sub illo Cancellario quisquam eorum capitis pœnam dederit; id quod & Erasmus affirmat in epistola mox citata, & nostri annales testantur. Quod si aliter sensit Sleidanus, quum scriberet, *Thomam Morum, qui Regis Cancellarius fuit in suspectos de Lutheranismo graviter animadvertisse*, (quæ vox juridice loquendo pœnam capitalem notat) mentitur, ut solet, splendide.

CAPUT IV.

De multiplici ejus eruditione & laboribus literariis.

Qualis in Republica sua civis, quibus honoribus & muneribus perfunctus, qua integritate, fide, prudentia in illis versatus Thomas Morus fuerit, quantum ea de re cognoscere potuimus, jam explicatum est. Nunc quam fuerit idem literatus, doctus, studiis ac libris deditus, quos in eo genere labores tulerit, fructus fecerit, explicare conabimur. Quæ pueritiæ & adolescentiæ studia fuerint, in præcedentibus dictum est. Quod Poëta, quod Orator, quod Philosophus extiterit, quod stylum & vocem in illa ætate ingenti cum laude exercuerit, ex illis liquet. Et quidem necdum ad Reipublicæ administrationem vocatus, minime mirum, si vir tanti ingenii otio adhuc abundans, otiosus esse non potuerit. Sed vero in tanta negotiorum & tam continua multitudine, quæ in officiis prædictis (quibus adde vitam conjugalem, familiæ curam) nunquam deesse poterant, quis expectabit, ut magni aliquid in literis ac studiis præstare possit? Amant enim otia Musæ, & à forensi strepitu atq; aulica conversatione vel maxime abhorrent; deniq; quæ est nostra ignavia, totum pæne hominem desiderant. Et certe Morus ipse vir totus suapte sponte literis ac libris deditus, avocationes istas suas & interpellationes assiduas misere alicubi deplorat.

plorat. Sic enim ad Petrum Ægidium Antverpiensem, amicum suum, post elaboratam Utopiam scribit: *Dum causas forenses assidue alias lego, alias audio, alias arbiter finio, alias Judex dirimo; dum hic officii causa visitur, ille negotii, dum foris totum ferme diem aliis impartior, reliquum meis, relinquo mihi, hoc est, literis nihil. Nempe reverso domum, cum uxore fabulandum est, garriendum cum liberis, colloquendum cum ministris. Quæ ego omnia inter negotia numero, quando fieri necesse est. Necesse est autem, nisi velis domi tuæ peregrinus esse. Et danda omnino opera est, ut quos vita tuæ comites aut natura providit, aut fecit casus, aut ipse delegisti, his ut te quam jucundissimum compares, modo ut ne comitate corrumpas, aut indulgentia ex ministris dominos reddas. Inter hæc, quæ dixi, elabitur dies, mensis, annus. Quando ergo scribimus? Nec interim de somno quicquam sum loquutus, ut nec de cibo quidem, qui multis non minus absumit temporis quam somnus ipse, qui vitæ absumit ferme dimidium.* Hæc ille. Quid ergo tandem ad studia temporis superfuit? Subjungit statim: *At mihi hoc solum temporis acquiro, quod somno ciboque suffuror: quod quoniam parcum est, lente; quia tamen aliquid, aliquando perfeci, atque ad te, mi Petre, transmisi Utopiam.* Nempe in more habebat THOMAS MORUS non ultra quatuor aut ad summum quinque horas somno dare. Hora secunda matutina surgere solitus, usque ad septimam studiis & precibus se dabat; reliquum diei tempus negotiis. Scripsit ergo præter prius enumerata, tum Latino, tum maxime Anglico sermone valde multa. Utopiam suam scripsit, si Johanni Paludano credimus, adhuc juvenis; non tamen ita juvenis, quin virilem plane togam induerit. Scripsit enim illam à Flandrensi legatione reversus, ut in ipsa Operis præfatione testatur, sed certe nec dum in aulam à Rege vocatus, ut ex illa pensione liquet, quam finita legatione Rex ei obtulerat, ut in præcedenti capite retulimus. Cæterum hanc scripsit Utopiam anno ætatis trigesimo quarto, Domini 1516. Passus est autem anno Domini 1535. & ætatis suæ anno quinquagesimo secundo. De Operis autem ipsius præstantia etsi, quia passim legitur, adeoque in Gallicam, Italicam, & Flandricam linguam translatum, nihil me attinet dicere, quorundam tamen doctorum virorum judicia subjiciam. Gulielmus Budæus in Epistola ad Thomam Lupsetum: *Utopiæ cognitionem THOMÆ MORO debemus, qui beatæ vitæ exemplar ac vivendi præscriptum ætate nostra promulgavit. Hanc historiam ætas nostra, posteræque ætates habebunt velut elegantium utiliumque institutorum seminarium, unde translatitios mores in suam quisque civitatem importent & accommodent.* Johannes Paludanus Cassiletensis in epistola ad Petrum Ægidium sic scribit: *Quicquid ad rempublicam bene instituendam pertinet, in Utopia velut in speculo liceat cernere. Multos certe eosque insignes in literis viros Anglia habet. Nam quid de cæteris conjectandum est, si tantum præstat Morus primum juvenis, deinde publicis ac domesticis negotiis adeo distractus: postremo quidvis profitens citius quam literas?* Petrus Ægidius in Epistola ad Hieronymum Buslidium Præpositum Atriensem de Utopia sic scribit: *Tantum hic occurrit undique miraculorum, ut ambigam, quid primum aut potissimum admirer; felicissimæ memoriæ fidem, quæ tot res auditas duntaxat pæne ad verbum reddere potuerit; (sic enim fabulæ subservire oportuit) an prudentiam, qua vulgo ignotissimos fontes, unde omnia reipublicæ vel oriuntur mala, vel oriri possent bona, sic animadverterit; an orationis vim ac facultatem, qua tanta sermonis Latini puritate, tantis dicendi nervis, tot res complexus est, præsertim unus in tot publica simul & domestica negotia distractus.* Hæc Petrus Ægidius. Sed nunc gravissimorum viri gravissimi Hieronymi Buslidii, Cæsareæ Majestatis à Consiliis judicium apponam. Sic in epistola ad Morum ipsum lecta Utopia scribit: *In Utopiensis reipublicæ felici descriptione nihil est, in quo vel summa eruditio, vel absoluta rerum humanarum peritia desiderari possit. Tam siquidem multifaria polles doctrina, rursum tam multa eaque certa rerum peritia, ut prorsus expertus affirmes, quicquid scripseris; doctissime scribas, quicquid affirmandum destinaveris. Mira profecto raraque felicitas, ac plane eo rarior, quo magis ipsa sese, invidens plurimis, non præbet nisi raris: maxime iis, qui sicut candore velint, ita eruditione sciant, fide queant, authoritate possint, tam pie, recte, provide in commune consulere, sicut tu jam facis probe. Qui quod non solum tibi, verum etiam toti gentium orbi existimas operæ pretium, duxeris hoc tuo pulcherrimo merito vel totum ipsum orbem demereri: quod præstare alia ratione neque rectius neque melius potuisses, quam ipsis mortalibus ratione pollentibus eam Reipublicæ ideam, eam morum formulam, absolutissimumque simulachrum præscribere, quo nullo unquam in orbe visum sit vel salubrius institutum, vel magis absolutum, vel quod magis expetendum videatur: utpote multo quidem præstante, atque longo post se intervallo relinquente tot celebratissimas, tantopere decantatas Lacedæmoniorum, Atheniensium, Romanorum respublicas.* Paulo post prudenter observat & laudat, *quod Utopiensis respublica, à Moro formata, non tam in condendis legibus, quam in optimis magistratibus formandis elaborarit: ad quorum videlicet simulachrum, probitatis specimen, exemplar morum, justitiæ imaginem totus status & rectus tenor cujusvis absolutæ Reipublicæ sit effingendus.* Hæc ille. Sed & de hoc laudatissimo Opere sic Paulus Jovius: *Mori nomen in Utopia perenni constantiæ laude fruitur. In ea enim beatæ gentis regione optimis instituta legibus, ac opulenta pace florentem Rempublicam elegantissime descripsit, quum damnatos corrupti seculi mores*

mores fastidiret, *ut ad bene beateque vivendum commento perjucundo*, *rectissima via monstraretur.* Hæc ille.

Certe hoc unum Utopiæ monimentum facile legenti ostendet verissimum esse, quod Budæus, quod Erasmus, quod Cochlæus, quod Rhenanus, quod Buslidius, quod Tonstallus, quod Reginaldus Polus Cardinalis, omnesque qui Utopiam legerunt, de eo scribunt, *incomparabile*, *homine majus & prope divinum fuisse hominis ingenium.* Nihil eo opere vel circa inventionem jucundius, acutius & artificiosius; vel orationis genus, elegantius, uberius, ornatius; vel circa præcepta vitæ ac morum gravius, solidius, prudentius. Ejus lectio nec lectorem unquam fastidire, nec absque singulari aliquo fructu dimittere potest, si attentus & proficiendo studio legat.

Scripsit porro eodem fere tempore historiam Richardi, Regis Angliæ ejus nominis Tertii, Latine, quam etsi exercitii tantum gratia conscriptam & imperfectam & non relectam reliquit, sermonis tamen elegantiam & nitorem vix in ea desideres. Anglice illam multo ante & plenius & elegantius descripsit. Jam vero quum anno Domini 1523. contra librum Henrici Regis de Sacramentis, spurcissimum libellum spurcus Lutherus evomuerat, Thomas Morus ad ejus convicia responsionem emisit: & procaci ac scurrili Lutheri libello eodem orationis filo responsionem parandam judicavit, ipsumque eisdem, quibus intemperantissime usus erat in Regem, conviciis obruendum: ut si quid male loquendo voluptatis cepisset, id rursum male audiendo amitteret. Cæterum quum haudquaquam personam dignitatemque suam (erat enim tunc Eques & Consiliarius regius) lascivos jocos & quandoque etiam immodestos decere intelligeret, non suo sed *Gulielmi Rossei* alieno nomine librum exire voluit. Hic autem Rosseus eodem fere tempore Romam peregrinatus in Italia moritur, ut non incommode etiam ipsis Anglis Rosseus author videri possit. Et hic quoque liber præter sanam & solidam doctrinam contra impudentem hæreticum graviter defensam, facetissimum præterea & elegantissimum Mori ingenium luculenter exprimit. Denique facti sui rationem quod cum scurra scurriliter agere compulsus fuerit, invitusque hoc fecerit, in ipso fine & ultimis libri verbis sic exponit: *Quandoquidem Lutherus totum se devovit inferis*, *& obduravit in schismate*; *statuere tamen secum debet aliquam saltem ut habeat civilis honestatis rationem*, *quo sibi potius vendicet authoritatem Dogmatistæ*, *quam vilis in hæretico scurræ. Quod si quando volet*, *si disceptabit serio*, *si mendacia sua recantet ac sycophantias*, *si abegerit stultitias*, *furores*, *& hactenus nimium familiares furias*, *si merdas suas resorbeat*, *& sua relingat stercora*, *quibus tam fœde linguam suam calamumque conspurcat*, *non deerunt*, *qui de re gravi graviter*, *quod decent*, *disserant. Verum si ad istum*, *quo cœpit*, *modum scurrari perget & furere*, *si grassari calumnia*, *nugari stultitia*, *insanire dementia*; *scurrilitate lædere*; *nec aliud in ore gestare*, *quam sentinas*, *cloacas*, *latrinas*, *merdas*; *stercora*; *faciant quod volent alii: nos ex tempore capiemus consilium*, *velimusne sic bacchantem ex ejus tractare virtutibus*, *& coloribus suis depingere*, *an furiosum fraterculum & latrinarium nebulonem cum suis furiis & furoribus*, *cum suis merdis & stercoribus cacantem cacatumque relinquere.* Hæc ultima ad Lutherum verba sunt, quibus quasi postremis bellariis tali nebulone dignis os ejus perliniatur, & buccella palato congrua dulcoretur. Certe *hic liber* (ut refert Cochlæus) *mira dexteritate & facete ludens & graviter objurgans*, *certissimis testimoniis ita convincit Lutherum*, *& in os ejus improbum omnia ipsius mendacia retrusit*, *ut is contra ne hiscere quidem ausus fuerit.* Cum enim quotidie scriptitaret, & omnibus responsitaret, Rosseo lecto magis mutus factus est quam piscis. Scripsit & adversus Johannem Pomeranum Epistolam luculentam, quæ seorsim excusa est. Hæc fere sola (quæ quidem extant) Latino sermone scripsit libertate sua adhuc gaudens. Nam in carcere quum esset, scripsit tractatum prolixum de Passione Domini, ex posteriori parte Latinum, ut in operibus ejus Latinis extat, sed priori & multo majori ex parte Anglicum, de quo postea.

Nunc quæ sermone vernaculo vel contra hæreticos, vel de rebus piis scripserit, commemorabo. De vita Pici Mirandulæ aliisque ejusdem opusculis Anglice ab eo versis quam adhuc adolescens esset, supra diximus. Vitam Richardi III Regis Anglorum, eloquentissime scripsit, eo tempore, quo Londini causas agebat. Postquam in Aulam & Senatum regium assumptus est, quo demum tempore vitam maxime negotiosam egit, eo tamen tempore quam plurima scripsit. Eques creatus, & à Consiliis Regi, regnique Proquæstor, scripsit tractatum insigniter pium & doctum de quatuor novissimis: sed multo major ejus pars intercidit. Quum autem ex hoc Belgio in Angliam hæretici irrepere cœperunt (*ex Belgio enim*, ait Morus in Epistola quadam ad Erasmum, *quo se velut in portum aliquem omnes hæreses receperunt*, *libri hæretici in Angliam mittebantur*) Morus etsi tunc occupatissimus, utpote & Consiliarius regius, & Ducatus Lancastriæ Cancellarius, scripsit de rebus hodie controversis Dialogorum libros quatuor, Opus prolixum, eruditum, elaboratum: in quo de Sanctorum invocatione, de peregrinatione, de reliquiis, quum multa disputasset, ostendit tandem, variaque ratiocinatione demonstrat, & quæ sit vera Ecclesia, & illam errare non posse. His Dialogis absolutis, quum eodem tempore hæreticus quidam librum edidisset, cui Titulum fecit *Pauperum libellus supplex*: quod id agebat,

gebat, ut Regi persuaderet, unicum & præstantissimum ad pauperes sublevandos, aliasque reipublicæ necessitates juvandas remedium esse, ut Monasticorum & Ecclesiasticorum bonorum ut minimum ex quatuor partibus tres fisco addicerentur; scripsit Morus sequenti anno contra hunc libellum non supplicem, sed infamem, responsionem justam, cui titulum dedit: *Animarum in purgatorio libellus supplex.* Quo in libro sub persona animarum adhuc in purgatorio existentium, ad quarum pœnas piis suffragiis & sacrificiis sublevandas Ecclesiastici & Monastici reditus magna ex parte collati sunt, eleganter & erudite docet tum fidem & doctrinam Ecclesiæ de orando pro defunctis, de purgatorio, de vi suffragiorum, solidam & orthodoxam esse; tum etiam monasteriis sublatis, & Ecclesiæ bonis imminutis, Regis potentiam minuendam, pauperum numerum augendum: quod & postea experientia stultorum magistra clare docuit. Jam vero quum contra Dialogos præallegatos Tindallus, infamis hæreticus, qui postea Wilfordiæ in Brabantia justas impietatis suæ pœnas tulit, responsionem scripsisset, eam Morus, etiam supremus tunc Regni Cancellarius, longa scriptione refutavit. Sed quum illa refutatio novem libros complectatur, tres priores scripsit Cancellarius regni, sex posteriores eo munere abdicato. Scripsit præterea eodem anno, qui depositum Cancellariatum & vincula ejus unicus intercessit, contra Johannem Frith, Sacramentarium, de veritate corporis & sanguinis Domini librum unum, deinde Apologiam, mox Apologiæ suæ defensionem, sub titulo *debellationis Solymorum & Byzantii.*

Ac postremo contra Anonymi hæretici librum de cœna Domini libros quinque. Postremo in carcere constitutus scripsit de consolatione in adversis libros tres, Opus elegantissimum, multa pietate & eruditione plenum, denique cui vix ullum in eo argumenti genere par invenias. Scripsit etiam in carcere expositionem (ut vocat) historicam Passionis Dominicæ, juxta quatuor Evangelistas, incipiens ab eo loco: *Appropinquavit autem dies festus azymorum:* quam produxit usque ad illa verba: *injecerunt manus in Jesum.* Tunc enim sic per arctam custodiam injectæ illi manus sunt in carcere, ut amplius scribendi facultas non daretur. Est hic tractatus & prolixus atque accuratus, & multum spiritualis ac pius. In his autem omnibus vernacula lingua conscriptis, & regnante Maria in uno magno volumine excusis, quæ ante triginta annos magna ex parte perlegi, deprehendi THOMAM MORUM in scripturis diligentissime, in Patribus, adeoque in ipsa scholastica doctrina, non indiligenter versatum fuisse. Citat, etsi non adeo frequenter, apposite tamen & ubi opus est, Augustinum, Hieronymum, Chrysostomum, Cyrillum, Hilarium, Bernardum, Gersonem. Certe ipsemet ad sui purgationem quum postea suspectus Regi haberetur, affirmat, se per totos septem annos Patribus legendis operam dedisse, ut, quæ esset illorum de Primatu Romani Pontificis sententia, intelligeret. De quo lectionis fructu suo loco plura. Hinc interim constat, quantum in Patribus proficere vir tanti ingenii & tam divinæ memoriæ potuerit. Etsi enim unum tunc legendo quærebat, quis tamen dubitat, quin multa obiter contra præsentes hæreses annotaverit? Ego certe animadverti, multa nuper loca percurrendo, eum in dogmatica Theologia perdiscenda bonam operam posuisse, & quum de gratia, de libero arbitrio, de meritis operum, de fidei & charitatis aliarumque virtutum natura & officiis, de peccato originali, de ipsa prædestinatione loquitur, ita calamum temperare suum, ita ad veræ Theologiæ normam loqui, ut accuratius & aptius professione Theologus loqui vix possit. Certe quod D. Thomam studiose legerit, illud argumento esse potest, quod de eo narravit Johannes Harrisius, Secretarius ejus. Allatus est forte ad Morum libellus hæretici noviter excusus, quum jam in viam se per flumen daret, è domo sua Londinum versus: (potuit enim à pago Chelsey per aquas Londinum proficisci) ubi aliquantulum legisset, loca quædam digito notata Harrisio suo ostendens: *Hæc*, inquit, *hujus nebulonis argumenta sunt D. Thomæ Objectiones in II. quæstione 2. & articulo tali: sed boni Doctoris solutiones nequam dissimulat.* Sed & disputationem ejus quandam vidi cum P. Alphonso Minorita Confessario Catharinæ, Reginæ, Henrici Regis conjugis primæ, ubi de attritione & contritione sustinet sententiam Scoti, ut tutiorem magisque probabilem, contra sententiam Occam: ut merito cuilibet mirum videri posset, hominem civilibus & aulicis negotiis tota fere vita occupatum, in profana literatura excellenter versatum, Theologica tamen adeoque scholastica ipsa non attigisse tantum, sed & tenuisse. Hæc autem Opera ejus de rebus controversis vernacule conscripta, non solum eo tempore, quo scripsit, magnum fructum fecerunt, plurimis viris doctis & gravissimis ea ter quaterve relegentibus, sibique ad juvandam memoriam indiculos colligentibus (ut ipsemet per occasionem scripsit) sed & diu post regnante serenissima Regina Maria, Catholica principe, iterum in lucem edita restauratæ tunc religioni Catholicæ maximo adjumento fuerunt. Nec quicquam fere toto illo lucido intervallo (quod singulari Dei beneficio inter duo schismatis tempora nobis datum fuit) causam Catholicam magis promovit, illustravit, confirmavit, quam alia permulta Mori opera Anglice edita, opera & labore in-

genti

genti D. Gulielmi Rastelli, de quo in præfatione diximus. Porro alia permulta Mori scripta tam Latina quam Anglica, ob acerbam persecutionem, quæ toti familiæ Mori eo sublato incubuit, (de qua suo loco plura) interciderunt; & ista quæ habemus quasi è flammis erepta magna quadam suorum industria servata sunt. Statim enim post mortem ejus, ut reliquam supellectilem, ita maxime Bibliothecam Mori universam & instructissimam, Thomas Cromvvellus, Regii Sigilli custos, homo ad Ministerium tyrannidis natus, diripuit. Sed & illud infatigabile hominis studium demonstrat, quod quæcunque vel Latine vel Anglice per totam vitam in lucem emittenda composuit, sua propria manu omnia scripsit, nullius alterius hac in re industriæ fidens. Fuit autem in prima sua & florenti ætate bonarum literarum, seu politioris literaturæ, non devotus tantum, sed & superstitiosus pæne amator. Propter bonas literas Erasmum sic deamavit, ut nemo magis: vicissim illum ac merito Erasmus. Fuit tamen amicitia Mori cum Erasmo ipsi Erasmo magis honorifica quam Moro utilis. Sed & crescente hac hæresi, cujus ova tam multa & mala Erasmus posuit, decrevit ac refrixit Mori erga Erasmum amor. Objiciente quodam in loco Tindallo (quem Morus reprehenderat, quod vocem *Ecclesiæ* in *congregationem*, & *Presbyteri* in *seniorem* verterat) dulcissimum ejus Desiderium Erasmum non aliter vertere, ideoque non aliter reprehensione dignum esse, respondet: Morus: *Si dulcissimus meus Desiderius prava illa intentione sic vertisset, qua vertit Tindallus, dulcissimus meus Desiderius ne quidem dulcis mihi amplius esset.* Amice videlicet, quum factum non potest, intentionem excusat. Denique Morus ubi sub finem vitæ suæ multa in scriptis Erasmi deprehendit necessario emendanda, monuit eum per literas diligenter, ut Augustini exemplum secutus, omnia sua recognosceret, & retractationes ederet, quod etiam & Joannes Episcopus Roffensis fecit, ut patet ex epistola Erasmi ad eum. Sed Erasmus, qui ab humilitate Augustiniana tam multum abfuit quam à doctrina; nec id facere voluit, nec has Mori literas superesse passus est, ut Farragini cum cæteris insereretur. Propter bonarum literarum impensum studium factus est in Anglia cum suo Richardo Pacæo, viro nobili, docto, prudente (qui pro Rege Henrico nobilissimas legationes obivit) bonarum literarum patronus & advocatus. Sic ad Academiam Oxoniensem luculentam orationem ex Aula scripsit, ut imprudentes quosdam Concionatores reprimeret, qui Græcæ & Latinæ linguæ studium pro suggestu traducebant. Sic quum coram ipso Rege quidam Concionator hoc tentaret, finita concione, instante Moro, veniam petere, & suam temeritatem agnoscere concionator coactus est. Sic ad Martinum Dorpium, bonarum ac Græcarum maxime literarum ad tempus hostem, prolixam & eruditissimam scripsit epistolam de necessaria linguæ Græcæ cognitione; quæ Basileæ excusa est per Episcopium, anno sexagesimo tertio. Sic denique cum illis arctissima necessitudine conjunctus est, qui eo tempore, sive in Anglia sive extra, eloquentiæ & eruditionis laude floruerunt, ut proximo mox capite apparebit. Et in oratione quidem illa ad Academiam Oxoniensem scripta sic inter cætera loquitur: *Quanquam nemo negat, salvum esse quenquam sine literis non illis modo, sed vel ullis posse; doctrina tamen, eaque secularis, ut ille vocat (Concionator scilicet quidam audacior quam doctior) animam ad virtutem præparat. Neque quisquam est qui dubitet, doctrinam hanc unam prope atque unicam esse propter quam frequentatur Oxonium. Quandoquidem rudem illam atque illiteratam virtutem quævis bona mulier liberos suos ipsa docere non pessime posset domi. Præterea non, quisvis ad vos venit, protinus ad perdiscendam Theologiam venit. Oportet ut sint qui leges calleant. Noscenda est & rerum humanarum prudentia res adeo non inutilis Theologo, ut sine hac sibi fortassis intus non insuaviter possit canere, at certe ad populum inepte sit cantaturus: quæ peritia haud scio an alicunde uberius, quam è Poëtis, Oratoribus atque Historicis hauriatur. Quin sunt nonnulli, qui cognitionem rerum naturalium velut viam sibi, qua transcendant in supernarum contemplationem, præstruunt: & per Philosophiam & liberales artes (quas iste omnes secularis literaturæ nomine damnat) iter faciunt ad Theologiam: spoliatis videlicet Ægypti mulieribus in Reginæ cultum. Ad quam Theologiam (quoniam hanc solam videtur admittere, si vel hanc admittit) non video tamen quo pacto queat attingere, citra linguæ peritiam vel Hebrææ, vel Græcæ, vel Latinæ. Nisi forte persuasit sibi homo suavis satis, id librorum scriptum esse Britannicè: aut totam prorsus Theologiam putat intra septum illarum claudi quæstionũ, de quibus assidue disputant. In quas noscendas pars exigua fateor linguæ Latinæ suffecerit. Verum enim vero intra has angustias, augustam illam cœli reginam Theologiam sic coërceri, ut non sacras præterea incolat atque inhabitet Scripturas, indeq; per omnes antiquissimorum ac sanctissimorum Patrum cellas peregrinetur; Augustini dico, Hieronymi, Ambrosii, Cypriani, Chrysostomi, Cyrilli, Gregorii, atque id genus aliorum, per quos Theologiæ studium stetit à Christo passo plus annis mille, priusquam istæ nascerentur quæstiunculæ, foret periniquum, addo etiam impium. Quorum opera Patrum quisquis à se jactat intelligi, sine cujusque eorum linguæ non vulgari peritia, diu id jactabit imperitus priusquam ei periti credant.* Hæc ibi Morus. Quæ ex multis pauca ideo protuli, ut quantus bonarum literarum defensor ac patronus extiterit, lector ex parte intelligat. Cæterum prolixa admodum ejus epistola ad Martinum Dorpium, de necessaria linguæ Græcæ cognitione (cui male Typographus titulum dedit, *Apologia pro Moria Erasmi*, quum id tantum obiter tractet) Basileæ per Episcopium excusa anno 1563. luculentissime docet, quam in omni non profana tantum, sed & sacra literatura versatus, quantus utriusque advocatus contra ejus temporis barbariem

fuerit. Atque hæc de ejus varia & multiplici eruditione ac laboribus literariis, quantum ad meam notitiam pervenire potuit hactenus.

CAP. V.

De doctis & claris viris, quos multiplex Thomæ Mori eruditio familiares sibi fecit.

QUod de varia ac multiplici Thomæ Mori eruditione dicere voluimus, magis lectori innotescet, si doctos ejus ætatis viros domi forisque quanti ipse fecerit, quam charos sibi habuerit, paucis recenseamus. Est enim propria doctrinæ virtus, ut qui in ea excellit, & facile inclarescat, & multos etiam, quos non vidit, benevolos sentiat: maxime doctos ipsos & claros viros, quos studiorum societas in omni ætate ac conditione reddit familiares. Nec mediocre eruditionis argumentum est, viris eruditissimis placuisse, aut parva felicitatis pars, viris claris amicitia conjunctum fuisse. Alexander Macedo Achillis statuam cernens in Ilio quam Patroclus amicus ejus erexerat, *ô felicem te*, inquit, *cui vivo talis amicus contigit.* Certe si similitudo morum amicitiam conciliat, & pares cum paribus facile congregantur, tot viri docti & celebres Moro familiares & amici, virum illum fuisse doctissimum manifeste docebunt. Primum igitur à domesticis incipiam: postea externos proferam. Certe nullus in Anglia vivente Moro alicujus nominis doctus fuit (fuerunt autem in illa quasi bonarum literarum herba & renascente lanugine quam plurimi) qui Thomæ Moro familiaris inprimis non extiterit. Ac in prima quidem ejus ætate familiares ei fuerunt, ut supra ostensum est, Joannes Cleotus, Joannes Grocinus, & Thomas Linacer, viri omnes excellentis & exquisitæ eruditionis, quos præceptorum loco habuit. Socios quasi studiorum habuit Gulielmum Lilium, (de quo supra) Gulielmum Montioium, virum illustrem, ad quem variæ sunt Erasmi epistolæ in Farragine, & Gulielmum Latimerum (non Hugonem Latimerum hæreticum illum sub Edovardo Rege, sed alium Catholicum) qui ad Erasmum de Moro sic scribit: *Morum ipse nosti, quam acutus sit, quam vehementi ingenio, quantis etiam, si cœperit, viribus incumbat: in summa, quam sit tui similis.* Alios in politiori literatura amicos & socios habuit Morus Thomam Lupsetum, ad quem variæ extant Erasmi epistolæ, in quibus, quanta fuerit ejus & egregia eruditio, & intima cum Moro amicitia, evidenter apparet. De quo etiam in epistola ad Erasmum scribit: *Lupsetus noster magno auditorio summa cum laude sua, nec minore Scholasticorum fruge bonas literas in utraque lingua profitetur Oxoniæ. Successit enim Joanni Clementi.* Thomam Eliottum, Scriptorem inter Anglos clarum, cujus etiam uxor in schola Mori (de qua postea) operam literis dedit, atque Joannem Crocum, qui & Lipsiæ Græcas literas primus docuit, & ipsi Regi Henrico elementa Græca tradidit. Ad hunc Crocum extat manu scripta una Mori epistola, cujus hîc bonam partem subjicio.

Quisquis is, mi Croce fuit, qui persuasit tibi mei in te amoris aliquid ob intermissionem tuarum ad me literarum imminutum esse, aut ipse falsus est, aut te prudens fefellit. Ego certe, quanquam ex tuis literis eximiam voluptatem capio, tamen neque tam superbus sum, ut mihi tantum in te juris vendicem, tanquam servitutem debeas quotidianæ salutationis, neque tam querulus aut Morosus, ut ob neglectum paulisper officium (etiam si quid deberetur) offenderer. Quin iniquus mihi viderer, si alienarum literarum acerbus exactor sim, quando mihi sum conscius in hoc officii genere, quantus sim ipse cessator. Quamobrem quod ad hanc rem attinet, securus esto. Neque enim meus in te sic refrixit animus, ut assiduo literarũ flatu accendi oporteat atque foveri. Pergratum feceris, si, quum erit commodum, tum scripseris. Nam ut tantisper interrumpas meliora, quibus in tuum ac Scholasticorum commodum tam continenter incumbis, dum tempus impartiendum lectionibus, in salutandis per epistolas amicis consumas, hoc certe nequaquam suaserim. Alteram excusationis tuæ partem non accipio. Non est, mi Croce, quod meum nasum velut elephantis promuscidem reformides. Nam nec tuæ literæ sunt ejusmodi, quæ non quemvis intrepide possint adire, nec ipse tam valde nasutus, ut unquam formidolosus aut esse debeam, aut haberi velim. De loco tibi procurando, quem postulas, & Dominus Pacæus amantissimus tui, & ipse apud Regem pariter tentavimus: &c. Hæc Morus: in quibus non solum amicitiam erga Crocum, sed candidum ac benevolum viri pectus erga literatos & amicos suos facile perspicere licet. Fuit præterea inter amicos Mori Reginaldus Polus, tunc juvenis, postea Cardinalis amplissimus, qui de ejus ac Roffensis amicitia & familiaritate his verbis exultat: *Quod si putas eo me dolori tantum indulsisse, quia mihi amici fuerunt, qui morte sunt affecti; ego vero agnosco & prædico libenter, eos mihi amicos omnium charissimos fuisse. Nam qui hoc possum dissimulare, de quo ita mihi gratulor, ut si Regum & Principum omnium, qui hodie vivunt, familiaritas mihi contigisset?* Hæc ille. Hujus familiaritatis inter Morum & Polum (etsi in ætate utriusque magnum esset discrimen) certa argumenta ex quibusdam Thomæ Mori epistolis, propria manu conscriptis, deprehendi. Unæ sunt ad Reginaldum Polum & Joannem Clementem communes literæ, Oxonium (ubi tunc literis operam dabant) ex Aula missæ, in quibus sic scribit: *Tibi, mi Clemens, habeo gratiam, quod te tam valde video de mea meorumque salute sollicitum, ut curæ habeas etiam absens admonere, quosdam cibos nobis esse vitandos. Tibi vero, mi Pole, bis ago gratias; nempe quod & tanti medici consilium dignatus es perscribere, & nihilo tamen minus à matre tua, fœminarum optima atque nobilissima* (erat illa Sarisberiæ Comitissa, regio sanguine prognata) *planeque tali digna filio rem impetrasti nobis & curasti confectam, ne viderere consilium quam rem libentius impartiri. Operam igitur atque fidem utriusque vestrum probo*

bo

bo atque amplector unice. Hæc ibi. Aliæ literæ, in quibus Poli sui mentionem facit Morus, ad Margaretham filiam suam sunt, ubi sic scribit; *Explicare calamo non possum, vix etiam cogitatione complecti, quanta me voluptate perfuderunt elegantissimæ literæ tuæ, Margaretha charissima. Aderat legenti juvenis ut nobilissimus, ita in omni literarum genere doctissimus, nec virtute minus quam eruditione conspicuus Reginaldus Polus. Huic miraculi vice fuerunt, etiam priusquam intellexit, quanta temporis angustia coarctabaris, quibus adversæ valetudinis avocamentis distinebaris interea, dum tam longam scribebas epistolam. Vix etiam sibi persuaserat, præceptoris tibi non corrogatam operam, quoad bona fide didicit, neque præceptorem quemquam esse domi nostræ, neque prorsus hominem quemquam, qui non in scribendis literis tua magis opera egeat, quam sua quicquam tibi possit commodare.* Hæc ibi. Ex his duabus epistolis satis constat, non vulgarem Thomæ Moro cum Reginaldo Polo, illustri Martyri cum Confessore nobilissimo, amicitiam intercessisse. Neque vero Edoardum Læum, virum egregie doctum, & postea Archiepiscopum Eboracensem, inter doctos Mori amicos prætermittam. Etsi enim hic Læus gravis esset Erasmi Antagonista, scripsitque erudite & acriter & solide contra Annotationes Erasmi super Novum Testamentum (quod Moro, pacis & Erasmi amatori, viribusque Læi diffidenti, displicuit) tamen firmam cum eo amicitiam tenere non destitit. Sic enim ad eum scribit: *Quod vero, mi Lae, rogas, ne quid amoris erga te mei imminuam, confide, mi Lae, mihi, etiamsi in hac causa æquior in eam partem sum, quæ oppugnatur; at sic ut optem ab urbe salvas abduci copias, te tamen amabo semper: & amorem abs te meum tanti fieri gaudeo. Nec in tuam rem, sicubi causa postulet, incumbam segnius, quam in hanc inclino. Usque adeo ut si certe quid edideris aliquando tuum (nam editurum te multa non dubito) si vel Erasmus in alienum opus curiosos injecerit oculos, ac totum opposito conetur opusculo demoliri (quanquam aliquanto meliore loco videretur, quod nisi retaliaret injuriam) ipse tamen tecum, quantumvis infirmis viribus, firmissima voluntate præstabo. Vale mi Lae charissime.* Fuerunt alii duo viri doctissimi, & præclara Angliæ lumina, intimi Moro amici, Joannes Fischerus, Roffensis Episcopus, & Cuthbertus Tonstallus, primum Londinensis postea Dunelmensis Episcopus. Et priorem quidem ut in martyrio collegam, sic multis antea annis familiarem inprimis habuit. Moro in Aulam & Consilium Regis assumpto, commendat suos Cantabrigienses Roffensis in quadam ad eum epistola his verbis: *Sit per te, quæso, nobis Cantabrigiensibus apud Regem florentissimum aliqua spes, ut nostra juventus itidem beneficiis tanti Principis ad bonas literas excitetur. Paucos in Aula fautores habemus, qui rem nostram & velint & possint Regiæ celsitudini commendare: inter quos & te præcipuum numeramus; qui semper antehac (& quum inferioris ordinis esses) nobis favisti plurimum. Nunc ergo in Equestrem sublimatus dignitatem, & Regi tam intimus effectus (de quo sane & tibi vehementer gratulamur, & nobis exultamus) ostendas quantum faveas. Juva juvenem istum, qui & Theologiæ Studiosus est, & assiduus apud populum declamator. Sperat enim & te tanta apud illustrissimum Regem authoritate pollere, ut possis, & meam tibi commendationem adeo acceptam ut velis.* Hæc ad Morum Roffensis, cui sic respondet Morus, ut vere amicissimum rescribere intelligas: *Sacerdos hic Reverendus Pater, quem proximum esse scripsisti consequendo Sacerdotio, si apud Majestatem Regiam strennuum quenquam precatorem esset nactus, effeci credo, ne stet per Principem, quo minus consequatur.* Et in fine Epistolæ: *Apud Regem si quid possum, (certe perparum possum) sed tamen si quid, id tuæ paternitati, scholasticisque tuis omnibus (quorum ego tam egregiis in me affectibus, quam ipsorum ad me testantur literæ, perpetuam debeo gratiam) non minus profecto libere quam sua cuique domus patebit. Vale Præsul optime atque humanissime, meque, ut soles, complectere.*

Rursum in alia quadam epistola ad eundem: *Gaudeo profecto, quantum non queo scribere, quum tua causa, tum etiam patriæ, eum esse paternitatis tuæ stylum, qui possit Erasmicus videri. Certe causam sic præterea tractasti, ut ne decem quidem Erasmi potuerint absolutius:* Et in fine epistolæ: *Bene vale Præsul omnium doctrinæ & virtutis gratia maxime observande.* Sed omnium conjunctissima & arctissima erat inter Morum & Tonstallum amicitia, quem nunquam satis laudare, cujus præsentia nunquam satiari potuit, cujus literis, ingenio, judicio, virtute, pietate, supra quam dici potest delectatus videtur. De Tonstallo in suo epitaphio dicit: *Quo viro vix habet orbis hodie quicquam eruditius, prudentius, melius.* Et in Utopiæ suæ exordio sic loquitur: *Oratorem me legavit Rex in Flandriam, comitem & collegam viri incomparabilis Cuthberti Tonstalli, quem sacris scriniis nuper ingenti omnium gratulatione præfecit. De cujus sane laudibus nihil à me dicetur: non quod verear, ne parum sinceræ fidei testis habenda sit amicitia, sed quod virtus ejus ac doctrina major est, quam ut à me prædicari possit: tum notior ubique atque illustrior, quam ut debeat: nisi videri velim Solem lucerna (quod ajunt) ostendere.* Rursum in quadam ad Erasmum epistola: *In illa mea legatione quædam me impendio delectarunt; Primum tam longum ac perpetuum Tonstalli contubernium, quo ut nemo est omnibus bonis literis instructior, nemo vita moribusq; severior, ita nemo est usquam in convictu jucundior.* Hæc ibi. Vidi ego varias Mori ad Tonstallum epistolas manuscriptas, mutuæ amicitiæ maximique de eo viro judicii luculenta indicia: ex quibus pauca subjiciam. Sic in una scribit: *Quanquam omnes literæ, vir dignissime, mihi sint jucundæ, quæ perferuntur abs te, tamen quas scripsisti proxime, fuerunt longe jucundissimæ: propterea quod præter communes illas reliquarum commendationes, ab elegantia atque amicitia, (quibus tuarum nulla non scatutit) hæ peculiarem quandam gratiam afferebant secum*

elogii tui, de Republica mea, utinam tam veri quam candidi Rogaveram Erasmum nostrum, ut tibi inter confabulandum rem exponeret; ne legendam vero ingereret, vetui. Non quod legi abs te nollem (quo nihil magis cupiebam) sed memor sapientissimi consilii tui, quo decreveras non ante novorum quicquam in manus sumere, quam veterum authorum te lectione expleveras: quam rem si profectu metiare, jam dudum ætatem complevisti, sin adfectu, nunquam perficies. Verebar itaque, quem egregia aliorum multorum opera devocare ad se non potuere, ne nunquam fieret, ut libenter ad meas nugas descenderes. Nec fecisses certe, nisi te amor magis impulisset, quam traxisset res. Quamobrem quod tam diligenter perlegisti Utopiam, hoc est, quod amicitiæ nostræ tantum laboris impendisti, maximas ago gratias: quod vero placuit opus, non minores. Nam hoc quoque non minus amicitiæ tribuo, quam te habuisse in consilium loco censoriæ virgæ video. Quanquam utcunque res habet, dici profecto non potest, quanto hoc tuo tam candido suffragio gaudeam. Nam sentire te quæ dicis, propemodum mihi persuadeo, quum & te sciam ab omni fuco alienissimum & memet videam humiliorem, quam cui sit abs te palpandum, amantiorem tui, quam cui sit illudendum. Quamobrem sive incorruptus vidisti verum, lætor vehementer tuo judicio; sive legenti tibi mei studium imposuit, non minus amore delector: quem necesse est esse vehementem, qui judicium suum Tonstallo possit abripere. Hæc ad Tonstallum Morus, non minus (ut omnia) eleganter ac ingeniose, quam etiam (ut solet) humiliter & candide. In alia quadam epistola ad eundem Tonstallum sic scribit: *Quod in literis tuis tam accurate mihi agis gratias de meis officiis in causis tuorum tuendis, facis tu quidem perhumaniter, qui meum factum per se exiguum tua bonitate amplificas, sed pro nostra amicitia timidiuscule, si quicquam à me perfectum tanquam debiturus accipias, ac non velut tuum potius ac tibi debitum officium tuo tibi jure desumas.* Et post multa: *Succinum quod ad me misisti, pretiosum muscarum sepulchrũ, multis nominibus mihi fuit gratissimum. Nam & materia ea est, quæ colore & luce nullam gemmam non provocet, & forma multo præstantior, quæ cordis figura quasi symbolum quoddam amoris in me tui repræsentat; quem neque avolaturum unquam, & semper incorruptum fore, ex eo te intelligi velle interpretor, quod muscam animal neque minus volatile quam est Veneris filius, neque magis durabile; sic tamen inclusam atque implicatam succini visco video, ut non possit effugere, sic aromaticis conditam succis, ut non possit interire. Quod non habeo, quo te redonem, non valde moveor. Scio enim, te vicissitudinem non expectare munerum, & ego tibi etiam libens debeo. Sed hoc me angit aliquantulum, quod, quæ mea facultatulæ tenuitas est, nunquam gerere me tam officiose possim, ut non indignus tamen hac tanta amicitiæ tuæ significatione videar. Quamobrem cum aliis approbare me non possim, necesse est mea conscientia tuaque contentus sim.* Hæc ibi. Extat hujus Tonstalli *de veritate corporis & sanguinis Domini in Eucharistia*, liber doctissimus.

Etsi vero in prima illa concussione religionis in Anglia cessit hic Tonstallus tempori, Regiæque voluntati morem gessit, sicut cæteri Episcopi tunc omnes, solo Roffensi excepto; tamen tum in omnibus aliis orthodoxam atque Catholicam fidem semper tenuit, & docuit, tum ad Elisabethæ usque tempora nunc regnantis pertingens, quum illam videret hæreses denuo in Angliam invehere velle, venit sponte Dunelmo Londinum, via longissima, vir senex & plus quam nonagenarius; Elisabetham, quam è sacro Fonte susceperat, graviter & fortiter de non immutanda religione admonuit, quod si facere præsumeret, nec divina (inquit) benedictione gaudebis nec mea. Ac denique non auditus, sed in custodiam datus, nobilem fidei suæ in extremis confessionem fecit, & contractam prius nefarii schismatis maculam utcunque eluit. Atque hi quidem Mori in Anglia literarum & eruditionis ergo amici fuere. Extra Angliam præter Erasmum, quem ex singulari animi sui candore, & propter bonas literas, de quibus vir ille tunc optime meritus fuerat, supra meritum Morus dilexit, amicos habuit literatissimos & doctissimos non paucos. Budæum inprimis, ad quem sic in quadam epistola Morus scribit: *Nescio, mi Budæe, quæ valde cordi charaque sunt, an præstet unquam possidere, nisi possis retinere. Nam ego me putavi plane felicem fore, si Budæum contingeret (cujus effigiem pucherrimam lectio mihi delinearat) coram aliquando cernere: & postquam voti sum factus compos, visus sum mihi ipsa felicitate felicior. Verum quum neque per utriusque negotia licuerit tam sæpe congredi, ut meum illud desiderium colloquendi tecum posset expleri, & intra paucos dies (avocantibus reges ditionum negotiis) nostra illa consuetudo vix jam cœpta simul abrupta sit; nosque (quos necesse erat suum quemque Principem comitari) in diversa distracti sumus, haud scio, an unquam revisuri mutuo; quanto lætior occursus fuerit, tanto nimirum mihi ex hoc digressu major est obortus mœror. Quem ita demum nonnihil potes levare, si te digneris interim literis præsentem reddere, quas tamen, nisi vehementior me cupiditas urgeret, non auderem petere.* Hæc ibi. Rursum in alia ad eundem epistola: *Cum omnia tuorum nihil obiter legam, sed inter solida & primaria collocem studia, Assem vero tuum sic attente perdisco, quomodo non quemlibet Veterum. Nam ne transeunter intelligi possit, ipse delectis verbis, exquisitis sententiis, elaborata sermonis gravitate, postremo pondere & difficultate rerum tam alte petitarum pæneque jam evanidarum vetustate providisti: quibus tamen si quis intendat oculos, contineatque atque infigat pressius, eam adfudisti lucem, sic propemodum deleta refecisti, ut tua verba dum versat, omnibus interea præteritis seculis interversari videatur, & omnium regum, tyrannorum gentium collustrare, numerare, velutque manu contrectare divitias: quod fere majus est, quam ut quibuslibet avaris contingat in suis. Vix profecto numerare possum, quam multis te nominibus, mi Budæe, complectar, vel quod mihi tam impense*

pensè faves, vel quod nemo mihi valde diligitur, quin bona sit fortuna factum, idem quoque ut vehementer ametur abs te; vel quod tam multas, tam egregias tibi virtutes inesse conspicio, vel quod animum tuum auguror prorsus haud abhorrentem à meo, vel quod hic tam utilis labor in literis, omnes tibi mortales obstringit, vel quod tam incomparabilis eruditio, quæ peculiaris olim cleri gloria fuerat, tibi feliciter obtigit uxorato. Nam λαϊκὸν appellare non sustineo, tam multis, tam egregiis dotibus, tam alte subvectum supra λαόν. Hæc ad Budæum Morus. Ipsius autem Budæi de Moro judicium in epistola superius citata patet: ubi sic scribit: *Utopiam Mori mihi donasti, hominis inprimis acris, ingenioque amœno, & in rerum humanarum æstimatione veteratoris.* Sed & Martinum Dorpium, virum excellentis eruditionis cum singulari pietate conjunctæ, plurimum dilexit Morus, ab eo vicissim dilectus. De eo sic ad Erasmum scribit: *Martinum Dorpium insalutatum præterire non potui, qui mihi mirum in modum cum ob eximiam eruditionem, cum multis etiam aliis nominibus placet, nec ideo in postremis, quod taxata Moria scribendæ tibi Apologiæ præbuit occasionem.* Ad hunc Dorpium scripsit Morus prolixam & eruditissimam epistolam de necessaria linguæ Græcæ cognitione, quæ Basileæ excusa fuit anno 1563. per Episcopium una cum reliquis Mori opusculis. Quæ sane epistola quum Dorpio persuasisset, isque sententia mutata (erat enim ingenio non minus candido quam acuto, nec minus pietate quam eruditione celebris) Græcarum studium literarum, quod prius improbaverat, publice defenderet & approbaret; scribit ad eum secundo Morus factum mirifice laudans.

Est quidem Epistola longiuscula, nec hactenus excusa; sed quæ ad propriam Dorpii laudem eleganter à Moro illustratam pertinent, hic subjiciam: *Prædivinabam facile, aliter aliquando sensurum te, quam sentiebas. Verum enim vero ut non resipisceres modo, sed edita quoque in id ornatissima oratione mutatum esse temet testareris, idque tam ingenue, tam citra fucum ullum, tam nullis prorsus ambagibus, hoc vero quum expectationem meam, tum omnem omnium spem ac ferme vota superavit: adeo res videbatur & incredibilis esse probitatis & absolutæ modestiæ. Nam ut nihil est tritius quam uti eisdem de rebus aliis aliter sententiis, ita nihil est usquam rarius, quam ubi sententiam semel declaraveris, deinde asseveratione firmaris, postremo contentione defenderis; tum vela rursus, agnita veritate, vertere, atque in portum, unde solvisti, velut frustra navigasses, remigrare denuò. Crede, mi Dorpi, mihi, quod tu modestissime fecisti, id ab istis frustra, quos hodie mundus pro modestissimis habet, exegisses. Ita sunt plerique omnes præpostero quodam pudore stupidi, ut esse potius sese stultos indicent, quam fuisse unquam olim, fateantur. Quanto tu, mi Dorpi, sanctius, cui quum illud acumen ingenii fuerit, ea doctrinæ copia, ea dicendi vis, ut si quid tueri liberet tibi, quod vel parum probabile videretur, vel omnino paradoxon, potens esses tamen approbare lectoribus; maluisti, certe, veritatis quam fuci cupidior, omnibus declarare mortalibus, falsum aliquando fuisse te potius, quam perpetuo falleres. Quid quod eximiam hanc modestiam alia rursus modestia superasti, qui, quod ingenii tui felicitate contigit, ut verum quod esse, tipse perspiceres, id aliorum tribuas admonitionibus atque etiam meis. Ita quum primus tibi sapientiæ gradus & debeatur, & omnium deferatur calculis, ipse temet solus in secundum detrudis; eruditorum certe vel cubitis retrudendus in primum. Etenim quum meam illam epistolam verbis magis quam rebus uberem cum oratione tua tam eloquente, tam densis, tam efficacibus argumentis referta comparo; satis, mi Dorpi, satis meo cum rubore video, quam nihil illa momenti ad te mutandum attulerit, cui nunc vel civilitatis causa vel modestiæ, tuam laudem cedis: sed quæ te rursum, quo magis fugitur, magis haud dubie sequitur. Itaque, mi charissime Dorpi, hoc tuum factum quo rarioris exempli est, eo plus tibi cogites veræ peperisse gloriæ, nec ullo unquam seculo intermorituræ.* Hæc ad Dorpium Morus. Ex quibus apparet, Morum jam antea ad Dorpium, tunc Græcarum literarum hostem, sic accurate scripsisse, & Græcarum literarum cognitionem cuivis docto, maxime Theologo & Philosopho, necessariam firmis & solidis argumentis sic ostendisse, ut (quod Erasmus, petulanter nimis in hunc Dorpium excurrens, non graviter disserens, efficere nunquam potuit) Dorpio plane persuaserit: etsi in his literis hanc à se laudem, à Dorpio agnitam, studiose amoliatur, & sancta quadam humilitate cum eo contendat. Ex quibus manifestum fuit, quantum bonas literas, linguæ Græcæ & eloquentiæ studium Thomas Morus non domi tantum, sed & foris promovere studuerit. Unde & in eadem epistola, quia Dorpium Lovanii profitentem, propter hanc animi sui mutationem, Lovanienses professione spoliasse audiverat, sic de eis scribit: *Certe si qua cœperunt gnaviter intendant via, bonas ut literas opprimant atq; extrudant è scholis, miram expecto mutationem brevi: nempe ut ubilibet potius emergant eruditi: tum, ut qui versantur in Gymnasiis publicis, quemadmodum actus esse indifferentes decernunt, sic ipsi tandē decernantur inter doctos & indoctos medii. Piget me, mi Dorpi, de rebus istis illorum quadam miseratione cogitare, qui paucorum factione pertinacium, in partem invidiæ nihil merentes veniunt. De tua vero laude quam illorum opprobrio multo magis libenter cogito.* Hæc ibi. Sed alios nunc doctissimos viros Mori amicos proferamus Joannem Lascarim & Philippum Beroaldum in literis ad Budæum his verbis salutat: *Lascari viro optimo atque doctissimo plurimam ex me salutem dicito. Nam Beroaldum etiam non monitus opinor ex me salutasses; quem scis ita mihi charum esse, quam debet is, quo vel eruditiorem virum, vel amicum jucundiorem vix usquam quen-*

quenquam reperi. De Hieronymo Buslidio, qui Collegium trilingue Lovanii erexit, cujus est ad Morum elegans & gravis epistola, Utopiæ in Operum editione præfixa, sic in epistola quadam ad Erasmum Morus loquitur: *Cæterum in illa mea legatione quædam me impendio delectarunt: primum Tonstalli contubernium,* &c. ut supra, *deinde quod cum Buslidio mihi intercessit amicitia, qui me & pro egregia fortuna sua, magnifice* (erat tunc Legatus, & Consiliarius Cæsaris, & Præpositus Ariensis) *& pro animi bonitate comiter recepit: domum tam singulari artificio excultam, tam eximia supellectile instructam ostendit: ad hæc tot vetustatis monimenta, quorum me scis esse percupidum: postremo tam egregie refertam bibliothecam, & ipsius pectus quavis etiam bibliotheca refertius, ut me plane obstupefecerit.* Mox etiam de altero singulari ejus amico & viro doctissimo, Petro Ægidio, Antverpiensi & cive & Pensionario sic ibidem scribit: *Sed in tota peregrinatione mea nihil mihi contigit optatius, quam Petri Ægidii Antverpiensis consuetudo, hominis tam docti, faceti, modesti, ac vere amici, ut peream nisi ejus unius convictum libenter mihi velim bona mearum fortunarum parte redimere.* De hoc Petro Ægidio sic in principio Utopiæ suæ scribit: *Antverpiæ dum versor, sæpe me inter alios, sed quo non alius gratior, invisit Petrus Ægidius, Antverpiæ natus, magna fide, & loco apud suos honesto, dignus honestissimo: quippe juvenis haud scio doctiorne an moratior. Est enim & optimus & literatissimus: ad hæc animo in omnes candido, in amicos vero tam propenso pectore, amore, fide, affectu tam sincero; ut vix unum aut alterum usquam invenias, quem illi sentias omnibus amicitiæ numeris esse conferendum. Rara illi modestia; nemini longius abest fucus: nulli simplicitas inest prudentior. Porro sermone tam lepidus, & tam innoxie facetus, ut patriæ desiderium, ac laris domestici, uxoris & liberorum, quorum studio revisendorum nimis quam anxie tenebar, magna ex parte mihi dulcissima consuetudine sua & mellitissima confabulatione levaverit.* Talibus amicis Morus sui simillimis conjunctus fuit. Habuit etiam Morus amicum beatum Rhenanum, virum doctissimum, cujus ad Bilibaldum Pirckheimerum literæ Mori laudatoriæ in Operibus Latinis Mori extant, ejus epigrammatibus præfixæ. De quo etiam in epistola quadam ad Erasmum, quæ in Farragine non extat, sic scribit: *Rhenanum mire deamo, & honestissimæ præfationis gratia multum debo: cui jam olim per literas egissem gratias, nisi me ineluctabilis illa pigritia chiragra tenuisset.* His adjungendus est Joannes Cochlæus, insignis ille Lutheromastix, qui frequenter ex Germania ad Morum scripsit, & ad ipsum Morus. Inter cætera sic scribit: *Dici non potest, vir ornatissime, quantum tibi me debere sentiam, qui me dignaris toties eorum, quæ isthic occurrunt, certiorem reddere. Quæ nunc neque minus assidua & multo magis monstrosa parit nobis Germania, quam olim solebat Africa. Nam quid monstrosius Anabaptistis, & quantum ejusmodi pestium aliquot annis jam continuis exortum est? Ego profecto, mi Cochlæe, quum hæc in hunc modum video quotidie in pejus ruere, expecto propediem fore ut existat aliquis, qui Christum prorsus prædicet abnegandum. Nec potest exoriri tam absurdus nebulo, ut (qui nunc populi furor est) careat sectatoribus.* Hæc ille. Quam non vana fuerit conjectura, docuit paulo post exortus David Georgius Hollandus, qui se Christum prædicavit, & sectarios habuit Basileæ: docent Trinitarii, novi Ariani, novi Sabelliani in Polonia & Transilvania. Rursum ad eundem Cochlæum in alia epistola: *Hoc mihi velim credas pro amore nostro mutuo, charissime Cochlæe, multis annis nullas venisse amicorum literas iis gratiores, quas à te proxime accepi: quum propter multa, tum ex duabus nominatim causis. Priore, quod in eis ingens mei studium perspexi, haud incognitum antehac mihi, sed multis partibus solito auctius. Quod est eximiæ cujusdam felicitatis instar. Ut enim merita tua seponam, quis non vel favorem solum tanti amici plurimi faciat? Posteriore, quod iisdem literis de Principum actis fecisti me certiorem:* &c. Hæ epistolæ, vel potius harum & aliarum epistolarum Mori ad Cochlæum fragmenta, per ipsum Cochlæum in lucem emissa fuere Lipsiæ anno 1536. Fuit porro inter Mori doctos & claros amicos, vir clarissimus & doctissimus, Franciscus Craneveldius, Græce & Latine doctissimus, cujus extat Procopii de ædificiis Justiniani versio ex Græco in Latinum elegantissima, & quædam S. Basilii similiter versa. Atqui propter egregiam legum peritiam, prudentiam & virtutem fuerat primum quidem Pensionarius Brugensis, postea Cæsareæ Majestati à Consiliis. Hunc virum in Mori notitiam ac familiaritatem adduxerat Erasmus, quo nomine maximas Erasmo gratias Craneveldius egit per epistolam, quæ in Farragine epistolarum Erasmi extat, ubi sic scribit: *Non possum non agere tibi gratias, vir undecunque doctissime, quanquam ineptioribus meis literis, pro tuo illo nuper in me collato beneficio, cujus erit apud nos sane memoria sempiterna: quod ego tanti æstimo, ut ne Crœsi quidem opibus redimi patiar. Quod inquis, beneficium? Quod me ad suavissimum illum Morum tuum, imo nunc nostrum, deduxeris; apud quem post tuam abitionem frequens fui, vocante quidem illo: cujus ego non tanti facio* τὰς τραπέζας ὑπὲρ τὰς ἐν Σικελίᾳ, *quanti eruditionem, humanitatem, liberalitatem. Proinde plurimum tibi me debere profiteor, cupioque tibi grati animi signa demonstrare.* Et paulo post: *Morus absens* δακτύλιον χρυσοῦν, *donavit uxori meæ, in quo verbis Britannicis* γέγραπται. *Bona voluntate censeri omnia. Mihi vero vetusta numismata dedit, aureum argenteumque: in altero est Tiberii effigies, in altero Augusti. Quæ te scire volui, quia pro his etiam tibi me debere gratiam semper confitebor.* Hæc ad Erasmum Craneveldius de inita

inita cum Moro amicitia, ejusque varia humanitate: cui in hæc verba respondet Erasmus: *Nimirum hoc est quod vulgo dici solet; unica filiola mihi duos conciliavi generos. Agis mihi gratias, cujus opera tibi contigerit Morus tam candidus amicus. At ille mihi vicissim gratias agit, per quem contigerit nosse Craneveldium. Sciebam illico, quæ morum & ingeniorum est similitudo, nasciturам inter vos amicitiam, si modo uterque alteri innotuisset. Talium amicorum ut est cumprimis pretiosa, ita rarissima possessio.* Hæc ille. De hac quoque Craneveldii cum Moro amicitia jam penitus coalita & intima, in quadam ad Morum ipsum epistola scribit Erasmus, ubi novum illi amicum Conradum Goclenium commendat: *Majorem, inquit, in modum probo laudoque mentem istam tuam, Moro charissime, qui nulla re magis gaudeas ditescere quam fidis ac sinceris amicis; nec alibi præcipuam hujus vitæ delectationem ponendam esse ducas. Aliis cautio summa est, ne gemmis adulterinis deludantur. Tu talium opum contemtor abunde locuples tibi videris, si tuis possessionibus accesserit amicus neutiquam fucatus. Nec ulli suavior est alea, latrunculi, venatio, Musica, quam tibi cum amico docto ingenuoque libera confabulatio. Hoc opum genere cum vehementer abundes, tamen quoniam sciebam homini avaro nihil esse satis, & mihi tibique jam sæpe successit feliciter, unum etiam tibi traditurus sum in manum quem tu totum totus, totoque pectore potes amare. Is est Conradus Goclenius, gente Westphalus, qui in Collegio Trilingui Lovanii, nuper (ut scis) instituto, Latinas literas maxima cum laude, summo totius Academiæ fructu profitetur.* Moxque in fine epistolæ: *Jam spero futurum, ut simul atque Goclenium propius cognoris, ab utroque mihi gratiæ agantur; quod nuper accidit in Francisco Craneveldio, qui unum sic te totum possidet, ut propemodum invideam.* Hæc ad Morum Erasmus. Subjiciam itaque hoc loco unas aut alteras ad hunc Craneveldium Thomæ Mori literas, mutuæ inter eos amicitiæ testes locupletes, quas ejusdem filius vir humanissimus, U. J. Licentiatus, adhuc Lovanii vivens, mihi perbenigne communicavit, ipsius Mori propria manu scriptas: duobus id mihi procurantibus amicis, Joanne Camerino U. J. Doctore, & Collegii Donatiani Lovanii Præside, viro gravissimo; atque Maximiliano Vignacurtio, nobili Atrebate, adolescente docto & moribus incorrupto. In unis ita scribit: *Quantum tibi debeam, mi Craneveldi, video & agnosco. Ita nunquam intermittis id facere, quod est animo meo rerum omnium jucundissimum, id est, de tuis rebus & amicorum ad me scribere. Quid enim Thomæ Moro aut debet aut potest esse vel in adversis gratius, vel in lætis jucundius, quam Craneveldii τοῦ φιλτάτου ἀνδρῶν ἁπάντων epistolas accipere? nisi quis ipsius hominis colloquium præstare mihi possit. Quanquam quoties tua scripta lego, ita ab illis afficior, ut coram tecum interim colloqui ipse mihi videar. Quamobrem nihil ita diserte doleo, quam tuas literas non esse longiores: quamvis & huic quoque malo qualecunque remedium inveni. Eas enim, quas accipio, perlege sæpius; idque lente facio, ut ne citata lectio nimium cito voluptatem auferat. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Quod de Vive nostro scribis, καὶ περὶ γυναικῶν διαλεγόμενος τῶν κακῶν dico, adeo tuæ sententiæ accedo, ut ne cum optima quidem sine omni incommodo vivi posse putem. καὶ γὰρ ἐὰν τιν' οὖν ἔχῃς γάμον οὐκ ἀμέριμνος ἔσεαι, vereque Metellus Numidicus mea opinione de uxoribus dixit. Verum id tum magis dicerem, si non nostrapte culpa pravæ magis redderentur pleræque. Veruntamen Vives eo ingenio, eaque prudentia est, talemque est conjugem nactus, ut non solum omnem conjugii molestiam, quoad ejus fieri potest, vitare queat, quin magnam quoque oblectationem ibidem percipiat. Porro jam omnium animi sic publica cura tenentur occupati, dum belli furor ad hunc modum ubique ardescit, ut nemini vacet ad privatas sollicitudines respicere. Quocirca si quem domestica negotia ante gravarunt, ea communi malo obscurata sunt. Sed de his satis. Ad te redeo, cujus humanitas & amicitia erga me quoties subit mihi (subit autem sæpissime) omnem mihi tristitiam excutit. De libello, quem ad me misisti, habeo gratiam: & gratulor tibi vehementer nova prole aucto: Neque sane tua magis quam Reipublicæ causa; cui refert plurimum, qui parentes numerosissima procreatione ipsam adaugeant. Ex te nisi optimum nasci non potest. Vale, & uxorem tuam optimam ex me diligentissime atque officiosissime saluta; cui faustam ac felicem valetudinem ex animo precor. Uxor mea & liberi salutem tibi comprecantur; quibus nostra prædicatione non minus notus & charus es, quam mihi ipsi. Iterum vale. Londini, quarto Idus Augusti, anno 1524.* Diuturnam porro hanc amicitiam & non interruptam fuisse, ex aliis literis quadriennio post datis, quas hic subjiciam, constare poterit. Sic enim scribit: *Pudefacit me, ita me Deus amet, mi Craneveldi, tua ista tam ingens humanitas erga me, qui me tam sæpe, tam amanter, tam accurate salutas, tam raro resalutantem: præsertim quum tibi liceat non pauciores occupationes tuas prætendere, imo vere non pauciores allegare, quam licet mihi. Sed is est animi tui candor, ea constantia, ut, quum in amicis excuses omnia, ipse tam perpetuo perstes, & pergas in instituto tuo, ut nihil cesses, quod tibi possit ignosci. Sed hoc tibi, mi charissime Craneveldi, persuadeas, si quid incidat, in quo amici partes serio sint ostendendæ, ibi me nunquam esse cessaturum. Dominam meam, conjugem tuam (nam ordinem non audeo rursus intervertere) quæso ut ex me salutes cum tota familia tua, quam mea toto salutat pectore. Vale. Ex rusculo meo, decimo Junii, anno 1528.*

Prætermittere hoc loco non possum inter amicos Thomæ Mori virum optimum & magnæ prudentiæ, Antonium Bonvisium, Italum; qui certe se amicum præstans eo maxime tempore, quo probari amicus solet, maximum se & integerrimum Mori amicum ostendit: cum in carcere multis ac variis modis fo-

dis fovens, necessariaque subministrans. Ad hunc extat elegantissima Mori epistola Latina paulo ante mortem carbone scripta; qua sincerissimo amico & plurimas gratias agit, & suavissime valedicit. Inseritur hæc epistola in fronte Operum Thomæ Mori Latinorum Lovanii 1566. evulgatorum, alioqui hîc inserenda. Denique sic ad doctorum ac bonorum virorum amicitiam propensus erat Morus, ut, quum ad Germani Brixii amicitiam, qui *Anti morum* contra quædam Mori epigrammata scripserat, Erasmus eum hortaretur, in hæc verba elegantissime & cordatissime responderit: *Jam quod ais eum esse Brixium, quem si per nossem intimius, eum sentirem talem, quo nemo sit amore meo dignior; equidem, mi Erasme, non me pro tanto viro gero, ut tam tenui quenquam conditione videam, quem indignum censeam amore meo, modo ne sit improbus, qui non amari debeat à quoquam: eoque Brixium facile assentior non indignum esse, qui majorum sit amore virorum dignus quam ipse sum. Nam omnino videtur aliquanto plus habere, non dico superbiæ, sed plane generosi cujusdam spiritus, & magnificentiæ, quam ut ad pusillam hanc atque humilem indolem meam possit usquequaque congruere; nisi in amicitia tam male copulari vellem, quam male inæquales veniunt ad aratra juvenci. Nec tamen eam mi Erasme, te consulente recusem.* Et paulo post: *Etsi nulla de causa sic egit in me Brixius, ut plane declaraverit, nihil ad meam perniciem præter vires defuisse sibi; tamen, quando tu, mi Erasme, plus es mihi quam dimidium mei, plus apud me valebit in Brixio, quod sit amicus tuus, quam quod sit inimicus meus.* Hæc Morus. Atque hos quidem viros doctos & amicos familiares habuit Morus, ipse doctissimus. His domi forisque, virtutis & eruditionis ergo, arcta necessitudine conjunctus est. Sed quod in viro tam religiose Catholico, & Catholicæ fidei assertore tam strenuo mireris, literatos viros sic coluit Morus, bonis literis ita unice favit, ut etiam ipsis hæreticis, literarum tamen nomine, favere & gratificari non recusaverit. Venit in Angliam Simon Grynæus, notus Lutheranus, eo tempore, quo regni Cancellarius Morus erat, & ad Morum venit ab Erasmo, ut vir doctus, Græce peritus, in politiori literatura egregie versatus, per literas commendatus. Qua illum fronte Morus exceperit, ipse Grynæus loquetur. Opera Platonis Græce, cum certis Procli Commentariis Græcis, dicaverat Joanni Moro, Thomæ Mori filio. In Epistola dedicatoria sic scribit: *Non solum amplissimus vir pater tuus, ac tum quidem conditione, per cætera vero, rebus omnibus egregiis facile toto regno princeps privatum hominem ignotumque me, literarum tantum ergo, ad colloquium inter tot publica privataque negotia admisit, mensæ suæ sceptra regni gerens apposuit; in Aulam abiens, rediens, secum traxit, laterique adjunxit suo; sed omnem meam de religione sententiam locis non paucis diversam esse ab ipsius non difficulter præsentiens, placide benigneque cognovit: ac quum ab illa non parum tunc quidem discreparet, opera consilioque sic juvit nos tamen, ut omne mihi negotium sumtibus etiam suis confecerit. Nam & itineri comitem Joannem Harrisium juvenem doctum addidit, & Oxoniensis Gymnasii Proceribus sic literis insinuavit, ut ad earum conspectum omnes nobis collegiorum omnium non solum bibliothecæ, sed Studiosorum etiam animi, velut Mercuriali quadam virgula tacti patefierent. Itaque bibliothecas, quas circiter viginti schola insignis vetustissimis libris refertas habet, omnes evolvi, ac commentationum Procli libros non paucos, quantum intra annum unum alterumve excudi posse videretur, ipsis annuentibus avexi. De quibus veluti thesauro invento gratulantem, pater tuus donatum liberaliter, ac beneficiis suis plane cumulatum in patriam remisit.* Hæc in illa præfatione Simon Grynæus. Hæc fuit Thomæ Mori erga Literatos humanitas: tanti ille bonas literas faciebat: sic eruditioni favit, consuluit, prospexit. Procli Commentarios Græcos, & ipsum emendatum Platonem huic Mori φιλοφροσύνῃ debent Studiosi. Erat quippe ut μάλα πολυμαθὴς, sic omnino δεινῶς φιλομαθής. Alioqui quam parum hujus Grynæi erroribus favit, maxime tunc regni Cancellarius, in quo munere hæreticis se ex professo molestum præbuit, & ex officio debuit, luculenter ostendit longa quædam cum eodem Grynæo Mori disceptatio domi suæ habita, posteaque per literas continuata, quam Anglice à Moro ipso descriptam, etsi imperfectam, vidi: in qua à fœdis illis hæresibus eum abducere conabatur; ac præterea assidua hominis, quum in Anglia esset, sub civilitatis & honoris specie custodia & observatio. Nunquam enim vel à latere Mori, vel à comitis ei assignati Joannis Harrisii, quàmdiu in Anglia versabatur, discessit; cavitque diligentissime Morus (de quo & eum diserte monuit) ne de rebus religionis vel verbum apud quenquam faceret. Subjiciam hoc loco (ut hunc concludam locum) quæ de suavissima & amicabili Mori indole scribit Erasmus, in epistola ad Huldricum Huttenum: *Ad amicitiam* (inquit) *natus factusque videtur Morus: cujus & sincerissimus est cultor, & longe tenacissimus. Nec ille metuit πολυφιλίαν ab Hesiodo parum laudatam. Nulli non patet ad necessitudinis fœdus. Nequaquam morosus in deligendo, commodissimus in alendo, constantissimus in retinendo. Si fors incidit in quempiam, cujus vitiis mederi non possit, hunc per occasionem dimittit, dissuens amicitiam, non abrumpens. Quos sinceros reperit, & ad ingenium suum appositos, horum consuetudine fabulisque sic delectatur, ut in his rebus præcipuam vitæ voluptatem ponere videatur. Porro ut propriarum rerum est negligentior, ita nemo diligentior in curandis amicorum negotiis. Quid multis? Si quis absolutum veræ amicitiæ requirat exemplar, à nemine rectius petierit quam à Moro. In convictu tam rara comitas ac morum suavitas, ut nemo tam tristi sit ingenio, quem non exhilaret; nulla res tam atrox, cujus tædium non excutiat.* Hæc Erasmus.

CAP. VI.

De pietate morum ac sanctitate Vitæ.

THomam Morum hactenus ut bonum civem, & virum doctum descripsimus. Sed sic Cato aliquis, aut Cicero describi potuisset. Nunc vero ut lector intelligat, omnia in Thoma Moro summa extitisse, nec minus vera pietate, quam vel eruditione, vel rerum gerendarum peritia illustrem eum fuisse, de veris ejus & solidis virtutibus, de Dei cultu, de charitate, de humilitate, de vitæ parsimonia, aliisque Christiano propriis ea dicemus, quæ ad nostram notitiam hactenus pervenerunt, quæque ejus domestici & familiares in eo advertere potuerunt. Nam præter eas virtutes, quarum actio, quum in aperto sit, dissimulari non potest, non sine magna difficultate animadverti cætera potuerant. Erat enim ut in doctrinæ suæ sic & in virtutum dissimulatione magnus artifex. Quam singulari techna, quam artificiose, quam probabili fuco, & qui bene nasutis imponat, Utopiam suam, quasi rei auditæ narrationem, non inventæ descriptionem composuerit, ipsa ejus introductio, Petrique Ægidii præfatio, (qui etiam simulationi Mori consentiens & fabulæ subserviens, suas partes satis agit veteratorie) manifeste nec sine joco lectori ostendit, & ut loquitur Paulus Jovius, commento perjucundo. Eadem felicitate Rosseum introducit in Italia Luthero respondentem, hospite instigante, posteaque, illo inscio, responsum publicante. Ita sane ut, vivente Moro, nemo suspicatus aliud fuerit, quam nescio quem Rosseum illius operis authorem fuisse. Quod & Lutherum non modice torsit; quum & misere se flagellatum videret, nec quem repercuteret, sciret. Non minori artificio scripsit in carcere de Consolatione in adversis libros tres, quasi Opus in Hungaria conscriptum, primum quidem Hungarice, postea ex Hungarico in Latinum traductum, ac nunc demum ex Latino in Anglicum. Quo in libro quicquid ad Henrici Regis crudelitatem, ad præsentem in Anglia rerum perturbationem, ad grassaturæ in Anglia hæresis metum & expectationem, ad bonorum contra hujusmodi vel impendentia mala, vel præsentia consolationem pertinet, ita recte, probabiliter, artificiose in persona hominis Hungari ad Turcarum Imperatoris acerbitatem, ad præsentes in Hungaria motus, ac futurorum malorum metus transfert, ut jures propemodum, rem seriam narrari, & de sua Hungaria Hungarum, non de rebus Britannicis Morum loqui. Sed ut in hujusmodi technis merus erat artifex & vere πανοῦργος sic virtutes suas omnes, quas potuit, mira solertia dissimulabat. Homo enim in communi vita semper positus, variis in Republica honoribus atque officiis functus, ut videri, quod erat, foris non potuit, ita etiam suos domesticos magna ex parte latuit. Quæ tamen vel per se manifesta erant, vel domestici in eo & familiares advertere potuerunt, quemadmodum ex eorum fideli relatione accepimus, fideliter hic referemus.

Primum itaque quod ad Dei cultum attinet, religiosam pæne vitam ducebat. Singulis diebus ante alia negotia quæcunque (studiis interdum valde matutinis exceptis) sacrum audiebat. Quod quidem quotidianum pensum ita defixum habebat, stricteque observabat, ut à Rege ipso forte accersitus, quum sacro audiendo intenderet, ad Regem iterum & tertio vocatus venire noluerit, donec totum absolutum fuisset; vocantibus & urgentibus eum, ut, relicto sacro, Regem accederet, respondens: se meliori Domino obsequium præstare & perficere prius oportere. Quod ejus memorabile factum dum recolo, sancti Ludgeri, primi Episcopi Monasteriensis, viri sanctissimi, similem pietatem nec oblivisci possum, nec prætereundam censeo. Evocatus hic Episcopus à Carolo Magno Imperatore ad Aulam quum sub vesperam venisset, postridie primo mane, misso ad eum cubiculario, ab Imperatore accersitur. Ea ipse hora persolvendis ex more horis Canonicis cum suis insistebat. Cumque his expletis se venturum nuntio respondisset, & hoc Regi ille renuntiasset, secunda quoque & tertia vice ad eum accersendum misit. Sed ille divinum officium cunctis aliis rebus anteponendum esse non ignorans, omnino venire distulit, donec cœptam psalmodiam consummaret. Qua finita in conspectum Regis quum venisset, eum *cur ad imperium suum venire contemserit?* Rex interrogavit. Cui ille vultu intrepido, mente constantiore; *Ego*, inquit, *Imperator, tuum semper præceptum ita in omnibus semper exequendum putavi, ut tamen Deum tibi ubique præferendum esse non dubitarem. Ideo non propter Regiæ Majestatis contemtum, sed propter tuam salutem, quæ Deo debebam, exsolvere curavi.* Hac responsione delectatus Imperator, *gratias*, inquit, *tibi habeo, Episcope, quia qualem te esse credidi semper, talem te nunc esse expertus sum.* Neque hæc etiam Mori pietas, in homine laico magis spectabilis & rara, Regi Henrico, tunc pio & Deum timenti, quicquam displicuit. Sed ad cætera pergamus. Recitabat quotidie preces matutinas ac vespertinas, quibus septem psalmos pœnitentiales & Litanias adjungebat. Addebat frequenter cantica graduum, & psalmum, *Beati immaculati.* Habebat etiam quasdam privatas preces, quæ in Farragine Operum ejus Anglice scriptorum habentur, partim Latinæ, partim vernaculæ. Fecit sibi etiam ex selectis psalmis (S. Hieronymum & alios imitatus) parvum quasi Psalterium, seu psalmorum compendium, quod etiam extat cum cæteris jam dictis, quo frequenter utebatur. Ex hoc impenso orationis studio non solum domi suæ in remotiori parte ædium, domunculam sibi secretiorem extruxerat, in qua vacabat studiis, orationi, meditationi, & in quam ex Aula regressus statim se contulit, ut excusso quasi rerum aulicarum pulvere, sese totum recolligeret; sed etiam in Ecclesia sua parochiali, in villa

Chelsey sacellum construxit, & rebus omnibus ad Dei cultum necessariis, vel alioqui ad ornatum & decorem domus Dei pertinentibus, copiose instruxit. Erat quippe in hoc genere pietatis valde liberalis; multaque vasa aurea & argentea Ecclesiæ suæ contulit, dicere solitus: *Boni dant, mali auferunt*. Sed & in ipsa sua Ecclesia Sacerdoti canenti indutus superpellicium concinebat. Quod quum etiam Regni Cancellarius faceret, monitus à Duce Nortfolciæ, qui, aliquando superveniens, eum sic cum superpellicio in choro canentem deprehenderat, hunc ejus agendi morem Regi haud dubie displiciturum, ut nimis humilem, ac dignitati, qua fungeretur, minus congruum, respondit: *Domino meo Regi displicere non potest, quod ipsius Regis Domino obsequium impendo*. Jam vero Sacerdoti sacrificanti (supplens locum idiotæ) ad altare ministrabat: & interdum in supplicationibus de more publicis, sed parochiæ suæ, Crucem Sacerdoti præferebat, vulgaris clerici vel æditui officium facere nihil recusans, nihil detrectans, nihil erubescens, imo vehementer gaudens, quasique cum David tripudians ante arcam Domini, & dicens: *Vilior fiam plus quam factus sum, & ero humilis in oculis meis*. Fecit hoc assidue, nisi quum Regni Cancellarius esset. Quo tamen tempore quum prolixæ illæ supplicationes fierent in hebdomada Rogationum, in quibus procul sæpe itur, multumque ambulandum est, monitus à suis, ut propter dignitatem equo vehi vellet, recusavit dicens: *Nolo Dominum meum peditem eques subsequi*: quod propter Crucifixi imaginem, in qua Dominum venerabatur, dixit. Porro Ecclesiam ingressus, etsi aliquot annis esset occupatissimus, nunquam tamen eo in loco ullum prorsus admittebat cujusquam colloquium aut negotium. Quoties vero novus aliquis magistratus ineundus, aut negotium aliquod arduum aggrediendum fuit, sacra se Synaxi præmuniebat. Peregrinabatur etiam nonnunquam ad sancta loca, quæ septem circiter milliaribus domo aberant; idque pedes semper: quod in Anglia vix plebei faciunt. Ad hanc pietatem in Deum spectat impensus ille, quo flagrabat Morus, Catholicæ fidei contra hæreticos tuendæ & scriptis asserendæ zelus. Qua una in re plus solus laboravit, quam universus tunc Angliæ clerus, homo non tantum Laicus, sed & Reipublicæ negotiis impeditissimus, quo minus vacaret: in summis honoribus constitutus, quo minus liberet. Quot & quanta pro fide scripserit, idque erudite, acute, facunde (eo certe facundius in lingua Anglicana vix alius unquam scripsit) supra commemoratum est. Hæc quum viderent hæretici, objecerunt illi ignavi adversarii, eum à clero amplis mercedibus ad hoc conductum esse. Quibus quid responderit, mox suo loco dicetur. Hunc suum zelum in epistola quadam ad Joannem Cochlæum ex abundantia cordis loquitur. *Utinam*, inquit, *mi Cochlæe, ea mihi foret sacrarum literarum & theologicæ rei peritia, ut contra pestes ejusmodi possem non frustra scribere*. De hoc Mori zelo sic in quadam epistola Erasmus: *Odit ille seditiosa dogmata, quibus nunc misere concutitur orbis. Hoc ille non dissimulat, sic addictus pietati, ut si in alterutram partem aliquantulum inclinet momentum, superstitioni quam impietati vicinior esse videatur*. Hæc ille. Ex hac denique pietate in Deum maxima fuit ejus orationum vis. Plurimum apud Deum sanctæ ejus preces valuerunt. Multum enim valet deprecatio justi assidua, & multum exercita, & operosa, ἐνεργουμένη. Quod aliquot nunc exemplis in Moro ostendemus. Gener Mori Gulielmus Roperus, qui Margaretham filiam Mori natu maximam in uxorem duxerat, inciderat aliquando in hæresin; à qua ut illum revocaret, multum & sæpe cum eo disserebat Morus. Quum autem nihil se proficere disserendo videret, *deinceps*, ait, *tecum non disputabo; sed pro te Deum orabo*. Paucis post diebus Roperus absque ulla disputatione sua sponte Moro significat, se nunc à suis, quas sustinebat, hæresibus abhorrere, & veritatis orthodoxæ lucem per Dei gratiam videre ac credere. Hic in celebrem & optimum postea evasit virum; & usque ad decrepitam ætatem constantissime Catholicus, magnusque & liberalis Catholicorum tam domi captivorum quam foris exulum Mœcenas, ante hos paucos annos, feliciter in Domino obdormivit. Margaretha Mori filia sudore Britannico vehementissime laborabat. Negligentia autem, seu sua seu suorum, factum est, ut sudor ille (cujus copiosus fluxus sola salus est) se remitteret penitusque cessaret: ex quo illa, universo jam malo intus recepto, mente alienari quasique phrenesi corripi cœpit. Vehementer indolescens pater (illam enim supra cæteros liberos omnes diligebat) consulto Medico, an clysterium prodesset, & accepto responso, parvam admodum in eo remedio spem esse, nihil tamen nocere, si tentetur, tentata res est; &, Moro se confestim orationi dante, operatur clysterium, ad mentem redit, novus sudor copiose profluxit, maculæque toto corpore, quas ronchas vocant, apparuerunt; quæ in aliis quidem vel mortis indicia certa, vel mortem subsequi solitæ; sed in illa salutis signa erant; precum magis paternarum, quam artis medicæ vi, ipso attestante Medico. Altera Mori filia Elisabetha, Dancæo nupta, gravi morbo laborans, quo & sublata est, deliquium animæ aliquanto ante ipsam mortem passa est, satis diuturnum. Ad se rediens cum lacrymis & ejulatu profitetur, se gravissimas pœnas in eo excessu luisse; & nisi patris sui preces ei gratiam impetrassent, (hoc autem post Mori martyrium contigit) in illis se fuisse perpetuo mansuram. Sed illustre est istud & insigne admodum divinæ gratiæ, Mori pectus inhabitantis, precumque ejus Deo gratissimarum argumentum. Civis quidam Vintoniensis, gravissima desperationis tentatione longo tempore ita afflictus & agitatus fuit, nullis ut consiliis precibusve aut suis aut suorum eam excutere potue-

potuerit. Deducitur tandem per amicum in colloquium Thomæ Mori etsi tunc in summa dignitate constituti. Qui casum hominis acerbum miseratus, primum bonis & sanis consiliis egit; quæ quum non proficerent, precibus apud Deum impetravit, ut à dira illa tentatione liberaretur. Mansit civis ille ab omni hujusmodi perturbatione immunis, quamdiu, Moro libere agente, liber ad eum accessus patuit; ubi vero in carcerem conjectus Morus fuit, tentatio ad hominem rediit, eaque solito vehementior. Miser ille civis, quamdiu Morus in vinculis tenebatur, extra omnem remedii spem tristes agebat dies; ubi autem intellexerat, mortis sententiam contra Morum latam, Londinum accurrit, ut ad supplicium prodeuntem quocunque tandem suo periculo alloquatur. E carcere igitur ad patibuli locum Moro exeunti occurrit hic civis, per satellites irrumpens, & alta voce exclamans: *An me*, inquit, *Domine More, recognoscis? adjuva me quæso: nam tentatio illa ad me recurrit, nec ea carere possum.* Cui statim Morus: *Optime te*, inquit, *recognosco. Sed vade & ora pro me: atque ego pro te sedulo orabo.* Abiit homo ille, nec in tota vita amplius tentationem hujusmodi expertus fuit. Tanta vis fuit orationis & precum hujus sancti viri. Certe hoc in more habebat Morus, ut quoties vel domi suæ vel in toto pago suo aliqua in puerperio laboraret, statim se orationi daret. Nec prius orare destitit, quam de felici partu nuntium accepisset. Postremo Festa Ecclesiæ ea religione colebat, ut, quum in carcere solitarius degeret, pulchriores vestes in singulis festis afferri curaret, quas indueret. Mirantibus quibusdam, cur id ibi solus faceret, respondit: *se non ad conspectum populi, sed ad Dei honorem festa colere, & honeste vestiri.* Atque hac de ejus erga Deum pietate, vere Christiana, quantum de ea nobis constare potuit.

Charitatem Mori erga proximos frequentes ejus & liberales eleemosynæ loquuntur. Solebat ipse circuire obscuras plateas, & lustrare familias pauperum, easque liberaliter fovere, datis, non more communi obolis aut drachmis, sed aureis duobus, tribus aut quatuor, prout indigentis necessitas acquirebat. Quum vero ipse propter dignitatem hoc obire non posset, mittebat suos, qui fideliter dispensarent egenis familiis, maxime aut morbo vexatis, aut senio confectis. Hoc munus sæpe præstitit Margaretha Gyge, Joannis Clementis uxor, quam inter filias suas educavit Morus. Sed circa festa anni præcipua potissimum mittebatur. Quin & pauperes vicinos frequentissime mensæ suæ adhibuit, familiariter ac jucunde eos excipiens; divites raro; nobiles ac magnates rarissime. Porro in parochia sua Chelsey conduxit domum, in qua collegit multos debiles, & pauperes, & senes, quos suis sumtibus aluit. Horum curam absente patre gerebat Margaretha Ropera (hoc enim cognomen à marito suo more gentis nostræ acceperat) filia ejus natu maxima. Denique quandam viduam pauperculam, Paulam nomine, quum omnes facultates suas expendisset in lite, in familiam recepit suam, & sustentavit. Omnibus postremo viduis & pupillis, quum causas in foro ageret, gratuitam operam præstabat. Ne autem ullum omnino proximum odio haberet, sed pura charitate omnes & singulos diligeret (juxta certissimam illam hominis vere Christiani notam, de qua Christus dixit: *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem ad invicem habueritis*) speculationem quandam insignem sibi composuerat, ipsa quasi viva ac certa ratione nitentem: quam ex operibus ejus Anglicis ad communem utilitatem huc transferam. Ille quidem carbone eam in carcere conscripserat: ego vero, ut aureis literis scribatur, dignam censeo. *Neminem*, inquit, *mortalium oderis. Aut enim bonus est aut malus. Si bonus est, tu malus es, qui bonum odisti. Si malus est, aut se emendabit, & pie moriens salvabitur, aut malus perseverans damnabitur. Quod si salvabitur, meminerim tunc fore, ut me intime ac sempiterne diligat, egoque eum vicissim æterno amore complectar. Si tamen & ego (quod quidem spero) salvus fiam. Cur ergo nunc ad tempus eum odio prosequar, qui me in æternum dilecturus est? Cur ab eo nunc ad momentum odio divellar, cui æterna dilectione postea conjungar? Quod si damnabitur, tantos illic miser cruciatus feret, tam graves pœnas luet, ut immanis plane sim, si non magis miseriis ejus compatiar, quam personam odio prosequar. Quod si hic quispiam dicat, posse nos tuta ac salva conscientia homini malo mala optare, ne bonis noceat; nolim quidem de ea re serio nunc disputare; (habet enim hæc quæstio plures articulos, quasi radix palmites, bona & longa consideratione dignos, quam ut à me commode describi queant, maxime quum non alio calamo quam carbone utar) verum hoc dicam, hoc bono cuique & pio consilium dederim (nisi forte hujusmodi sit, ut improbos punire ex officio ei incumbat) malos ac improbos ut* DEO *ac publicæ justitiæ relinquat, aliisve ita pura charitate ac firma Deo conjunctis, ut nullus malevolentiæ stimulus sub zeli ac justitiæ prætextu eis clanculum irrepere aut illudere & imponere valeat. Nos autem privati & infirmi pro malis atque improbis sedulo oremus, quo videlicet subsidio & nos ipsos vel maxime indigere, nostra nobis dictat conscientia.* Hæc Morus non minus pie ac sancte, quam prudenter, & (qualis semper erat) submisse atque humiliter. Et talis quidem erga Deum & proximum Mori charitas fuit.

Nunc quam corporis sui curam habuerit, paucis dicemus. Uno tantum cibi genere in mensa vescebatur, quod ut plurimum caro bovina erat, qua delectabatur: etsi ratione officii, loci, & familiæ cibaria multa apponerentur. In quodcunque autem cibi genus primum

mum inciderat, ex eo se solo reficiebat. Juvenis multo tempore à vino abstinebat, & senex non nisi dilutum bibebat; quod & in epistola ad Uldrichum Huttenum notavit Erasmus. Vestitus minimam curam habuit. Dum gereret publicos Magistratus, ratione officii sericis utebatur. Alioqui simplicem amictum gestabat; cujus adeo nullam fere curam gerebat, ut eisdem perpetuo uteretur, nisi admoneretur à famulo. Habuit autem inter famulos unum, quem tutorem suum vocabat. Hic caligas illi, calceos, cæteraque necessaria emebat. Accidit aliquando, ut calceis valde attritis prodiret. Monitus ea de re ab Harrisio suo, *roga*, inquit, *tutorem meum, ut alios mihi emat.* Denique in his, quæ ad corporis curam attinebant, voluit vir plane sanctus, religiosorum more, sub aliorum regimine esse, & alterius imperio parere: sive ut ad res tam minutas excelsus ejus animus non devocaretur; sive (quod magis crediderim) ut primariam Christiani hominis virtutem, humilitatem, exerceret. Hac etiam de causa, quum esset ipse prudentissimus, in quibusdam suis negotiis & studiis consilium à suo Harrisio (quo Secretario & amanuensi utebatur) petebat: & ab eo, si quid erratum videret, moneri voluit. Erat enim Harrisius vir gravis, cordatus, Achate fidelior, & boni judicii. Istud vero non jam boni tantum Christiani, sed & viri religiosissimi erat, quod per totam vitam certis diebus ac temporibus cilicium gerebat, & severe seipsum flagellabat: nempe singulis feriis sextis, præter Sanctorum vigilias, & quatuor temporum. Sedebat aliquando pro tribunali regni Cancellarius cilicio indutus. Pridie mortis, seu passionis magis, misit ad Margaretham filiam suam, cilicium suum & flagellum cum parvo epistolio, carbone scripto, quod postea huic Operi inseremus. Nempe finito certamine arma deposuit: tela remisit. In illa autem domuncula, quam sibi soli extruxit, de qua supra diximus, hanc disciplinam faciebat: diu quidem ita occulte, ut nemo resciret, ne uxor quidem, postea tamen ex pia suorum curiositate res (sed domesticis tantum paucissimis) innotuit. Cilicium beati viri mihi ostendit Margaretha D. Clementis uxor ante annos plus quam viginti, quum Bergis prope Antverpiam patrem meum piæ memoriæ, ipsum Doctorem Clementem, aliosque nobiles Anglos, qui ibi tunc domicilia sua posuerant, familiasque alebant, inviserem. Fuit cilicium per modum reticuli valde nodosum, magis sane, quam vulgaria Religiosorum cilicia esse solent. Flagellum quorundam negligentia intercidit. Hæc ejus erga Deum pietas, erga proximum charitas, erga seipsum temperantia, frugalitas, mortificatio fuit. Sic sobrie, juste, & pie in hoc seculo vivebat. Sic mortificabat membra sua, quæ sunt super terram, circumferens in corpore suo mortificationem JESU CHRISTI. Sed ista magis adhuc elucescent, ubi de certis ejus virtutibus particularius aliquid dicetur; ubi etiam qualis pater & paterfamilias fuerit, explicabitur.



CAP. VII.

Quantus honorum & laudis propriæ contemtor fuerit.

UT Thomæ Mori quam vera pietas, quam solida virtus, quam purus & vere excelsus animus fuerit, magis adhuc intelligatur, considerabimus, quomodo erga illa affectus fuerit, quæ hic mundus maxime admiratur; à quibus ille ut in stultam admirationem traheretur, & quorum cupiditate insana ut abunde frueretur, maximas illi opportunitates & occasiones mundus subministravit. Aulicam vitam multis annis gessit. Variis honoribus perfunctus est. Multa & varia literatura præditus fuit. Multa scripsit, multa perfecit, in multis negotiis amplam laudem reportavit. Divitias si non collegit multas, certe potuit collegisse. Ingenio acutissimo, memoria felicissima fuit. Naturæ dotes & fortunæ bona, vocationum munera, sic in eo singula excellebant, ut difficile sit judicare, plusne naturæ debeat; an fortuna contulerit; an ars & industria perfecerit. Hæc hujusmodi sunt, ut animum è suo statu dejicere, ad vana pellicere, aliqua labe inficere, non tam facile possint quam frequenter soleant. Attamen, ut ex sequentibus apparebit, fortem ejus animum & in divina gratia solidatum nihil horum emollire aut inflectere potuit, ut vel tantillum à vera DEI & sui ipsius cognitione deflecteret: hoc est, ut DEI in se munera unquam non agnosceret, ut sibi ipsi propter hæc omnia vel hilo aut major aut melior videretur; sed in altissima humilitate suique contemtu, quæ vere est Christiana Philosophia, & disciplina propria Christianorum, perpetuo consisteret, nec vel honorum vel divitiarum ulla cupiditate tangeretur, ideoque eorum accessione nihil à pristina pietate, quam puer imbiberat, adolescens tenuerat, immutaretur. Ex mediocri fortuna in Aulam assumtus & Regi à secretis consiliis factus est, idque talis Consiliarius, ut Serenissima Regina Catharina, prima Henrici Regis uxor, prudentissima & piissima fœmina, *inter tot Regis & Consiliarios*

rios unum Morum Consiliarii rem & nomen obtinere, eoque loco dignum esse, ipsi Regi aliquoties libere dixerit. Vide tamen ut huic se vitæ generi ineptissimum existimaverit, ut ab aulica vita (quam tot malesani homines avidissime appetunt) totus abhorruerit. Gratulatus est ei aliquando Episcopus Roffensis, vir gravissimus, hunc in Aula statum, fidemque & authoritatem, qua apud Regem pollebat, quæ sane fuit maxima, ut aucti perpetuo honores per se loquantur. Ad hæc respondet his verbis: *In Aulam (quod nemo nescit, & Princeps ipse, mihi ludens interdum libenter exprobrat) invitissimus veni. In qua adhuc non minus male hæreo, quam quisquam equitandi insolens hæret in sella. Sed Princeps (à cujus intimo favore longe absum) tam comis est ac benignus universis, ut quivis (cui paululum insit plusculæ spei) inveniat, unde possit ei semet interpretari charissimum: more matronarum Londinensium, quibus persuasum est, Deiparæ Virginis imaginem, quæ prope arcem visitur, ubi pressius intuentes eam apprecatæ sunt, arridere. Sed ego neque tam felix sum, ut tam beata signa conspiciam, & abjectioris animi, quam ut ipse mihi confingam. Cæterum tanta est virtus & doctrina Regis, & in utroque quotidie velut de integro invalescens industria, ut quo magis ac magis ejus Majestatem video bonis vereque regiis artibus increscere, eo minus minusque sentiam aulicam hanc vitam mihi ingravescere.* Hæc ille ibi. Fuit videlicet vita aulica ut per se Moro ingratissima, ita tantisper & eatenus grata, quamdiu virtutis & honestatis schola erat, qualis certe primis viginti annis, quibus regnavit, Henrici Regis Aula fuit. Qua de re sic Erasmus in epistola ad Henricum Guilfordum scribit lib. XIII. epistolarum pag. 427. *Fragrantia honestissimæ famæ, quæ nusquam non divulgat Aulam Britannicam, præter Regem, omnibus absoluti Principis dotibus egregie cumulatam, & huic simillimam Reginam, tot insuper integris, eruditis, gravibus, cordatisque viris abundare, Principem Bergensem excitavit, ut Antonium filium non alteri scholæ tradendum judicaret, &c.* Talis vero quum esse destitit, & virtus profligari, libido dominari cœpit, Aulæ atque honori in regno maximo renuntiavit Morus. Quum enim Regni Cancellarius per annos duos cum dimidio fuisset, (ut nostri annales testantur) Aulæ tunc vitæque aulicæ pertæsus, quam ut antea nunquam dilexerat, ita tunc odio habere cœperat, munus illud amplissimum ut resignaret, & à tota servitute aulica manumitteretur, multis magnisque precibus à Rege impetravit: impetratum maximi & incomparabilis beneficii loco duxit.

Et quidem quod precibus hoc à Rege impetràverit, gestumque Magistratum cum summa laude dimiserit, in præcedentibus dictum est. Nunc hanc resignationem quanti beneficii loco duxerit, quo fine fecerit, quantæ virtutis testimonium subsequutum fuerit, hoc loco dicetur. De primo & secundo sic ad Erasmum scribit: *Quam rem ad hunc usque diem à puero pæne semper optavi, Desideri dulcissime, ut publicarum rerum negotiis liberatus aliquid olim temporis vivere DEO duntaxat ac mihimet ipsi possem, id nunc tandem DEI optimi maximi benignitate ac Principis indulgentissimi beneficio consequutus sum.* Et post pauca, quæ de pectoris afflicta valetudine interseruit, ait: *Hæc ergo mecum versans animo, quum aut deponendum mihi Magistratum viderem, aut operam meam in eo gerendo claudicaturam, quando negotia, quæ res poscebat, obiri per me non possent, nisi mortem ipse obire periclitarer, qua si defungerer, vel sic omnino cum vita simul reliquendum officium fuit, decrevi mecum tandem, altero potius quam utroque carere. Quamobrem ut & publicis rebus pariter & meæ saluti consulerem, à clarissimi Principis & optimi benignitate supplex impetravi, ut Magistratu isto, quo me (quod tu scis) regni totius amplissimo, incredibilis ejus in me favor tam longe supra meritum, quam supra spem ac votum omne meum, honoraverat, nunc sub ejus pondere fatiscentem dignaretur ejus pietas exonerare. Superos igitur universos precor, ut & istos indulgentissimos in me clarissimi Regis affectus DEUS, qui solus potest, digna rependat gratia, & mihi quicquid temporis reliquum daturus est, ne per iners atque ignavum transigatur otium, non eam modo mentem donet, ut bonas horas bene collocare velim, sed eam etiam corporis addat firmitatem, qua possim.* Hæc ad Erasmum. Nec dissimiliter ad Joannem Cochlæum eodem tempore: *Valetudine aliquot superioribus mensibus, non tam in speciem gravi me intuentibus, quam sentienti mihi formidolosa, usus sum. Quam ne nunc quidem post impetratam omnium munerum vacationem satis possum excutere. Ita fiebat, ut Cancellarii obire officium haud satis possem, nisi valetudinis malum sinerem indies magis magisque crescere. Movit ergo animum meum recuperandæ cura sanitatis. Sed multo magis publicæ utilitatis respectus: quam multis modis remoraturus videbar, si homo valetudinis impeditæ, negotia publica simul cogerer impedire. Otium, quod illustrissimi Principis in me prona benignitas precibus meis annuere dignata est, posthac studiis & Deo constitui dedicare.* Hæc ibi. In epitaphio quoque suo, quod post resignationem hanc in Ecclesia parochiali sua extrui fecerat, sic loquitur: *Mortalium harum rerum satur, quam rem à puero pæne semper optaverat, ut ultimos aliquot vitæ suæ annos obtineret liberos, quibus hujus vitæ negotiis paulatim se subducens futuræ posset immortalitati meditari (si cœptis annuat DEUS) indulgentissimi Principis incomparabili beneficio resignatis honoribus impetravit.*

Hæc de se ipso Morus. Quæ quanquam haud dubie verissima sunt, tamen nec solæ nec præcipuæ hæ causæ fuerunt; ut illi attestantur, qui Moro tunc intimi fuerunt; cur honores omnes resignaverit, & ab aula dimissionem petiverit. Rex jam ducta in uxorem Anna Bolenia, non solum contra consensum Mori, (ut infra suo loco latius explicabimus) sed etiam Sede Apostolica repugnante, in alium virum totus mutari cœpit. Perfractis enim semel pudoris & honestatis repagulis, in omnem se postea cupiditatem ac libidinem præcipitem dedit. Postquam contra sedis Apostolicæ supremum judicium, suam voluntatem facere, suæque libidini servire Rex præsumserat, facile vidit Morus, suam in cæteris rebus omnibus voluntatem aut cupiditatem potius Regem deinceps sequuturum; quicquid in diversum Consiliarii totusve Senatus sentiat. Videbat itaque vir prudentissimus, se amplius Regi placere non posse, nisi DEO suo displiceret. Videbat, sede Apostolica contemta, causam fidei & Ecclesiæ authoritatem necessario concutiendam, cui sub tali Principe Cancellarius etiam mederi non posset. Videbat postremo, cum Regis voluntate suam (id est sanam) conscientiam convenire amplius non posse. Maluit ergo dignitatis suæ quam honestatis jacturam facere; maluit honorem quam conscientiam suam periclitari. Postremo magno desiderio tenebatur soli DEO, sibique ac studiis vacandi, maxime contra hæreticos toto impetu & plenis velis excurrendi, contra quos jam antea aliquandiu in certamen descenderat. Has veras quoque ac præcipuas causas amicis suis aperiebat. Nam quod ad valetudinem attinet, non ea sic afflicta fuit, quin toto sequenti anno, qui resignatos honores sequebatur (nam anno exacto in carcerem conjicitur) varia & prolixa contra hæreticos opera evulgaverit, quæ superius sigillatim recensuimus. Nec erat tanta ætas, quæ ferendis laboribus par non esset. Neque enim tunc annum quinquagesimum Morus excesserat. Passus enim biennio post pauloque amplius, annos quinquaginta & duos non expleverat. Sed voluit vir admirabilis & suarum virtutum occultator maximus, quod virtutis erat necessitati tribuere. Voluit sic aulam deserere, ut nec Regem offenderet, nec hominum laudem captaret. Nam quod ea potissimum ex causa aulam deserere & honoribus abdicatis DEO deinceps ac sibi vivere instituerit, quia futuram Reipublicæ calamitatem, cui ipse mederi non posset, seu ut vir prudens, seu ut Deo charus ac familiaris præviderет, variæ ejus hac de re prædictiones argumento sunt. Adhuc Cancellarius regni quum esset, genero ejus Ropero, quo præ cæteris familiarius utebatur, rerum tunc in Anglia statum plurimum collaudante, eo quod & florentissima tunc esset Respublica, ipseque Rex Henricus domi suis omnibus, foris maximis principibus charus foret, Morus, præsenti rerum facie nihil captus, respondit: *Utcunque belle nunc omnia procedere; sed orandum DEUM, ne Rex derepente in alium virum mutetur, & Consiliarios parum fortes inveniat.* Et quidem quod ad pietatis studium attinebat, quum idem Roperus quasi in Domino exultans gratularetur multum religionis orthodoxæ integritati, ipsiusque Regis in ea asserenda magnanimitati, addens vix usquam tanto in pretio divini Numinis in cultum, orationis assiduitatem, vitæ puritatem haberi, quanto tunc in Anglia habebatur, respondit Morus, cum eo tunc forte juxta Tamesim inambulans: *Est quidem nunc ita ut dicis, mi fili: sed veniet brevi tempus, quo totum hoc pietatis studium, nosque & alios ejus cultores passim contemni & despici videbis, nec pluris fieri, quam miseras istas formicas nos facimus*; colliculum formicis scatentem, qui forte in via occurrebat, pede protinus calcans. Idem alias, quum ex aula domum rediens filias suas ac neptes orationi intentas invenisset: *Orate nunc*, inquit, *filiolæ, diligenter, dum hoc vobis studium adhuc gratum est; brevi enim fiet, ut (nisi magna animi fortitudine restiatis) hoc studio orandi nihil despicabilius esse existimaturæ sitis.* Quod quidem à multis retro annis in Anglia accidisse, nemo Anglus ignorat. Abdicato vero jam Cancellarii munere, & privatam vitam quum ageret, nuptiæque Annæ Boleniæ (quas integerrimus Senator nunquam approbare voluit) jam peractæ essent, referente ei quodam, Annam Boleniam in aula incessanter tripudiare, die ac nocte choreas ducere, nihilque esse nunc aulica vita jucundius, respondit Morus: *Hæc Annæ Boleniæ tripudia alium longe ludum secum adferunt; nostris enim capitibus quasi pila pedaria hæc ejus tripudia ludunt: sed & ipsius quoque caput eundem ludum subibit.* Quod totum verissime paulo post ita factum est. Nam & instigante hac Anna (quæ suis saltationibus hunc novum Herodem, Henricum VIII. prorsus incantaverat) multis magnis & bonis viris capita sublata sunt, inter cæteros Joanni Roffensi Episcopo, & Thomæ Moro; & ipsa Anna Bolenia eodem supplicii genere, sed ex causis longe aliis, interemta est; ut postea suo loco latius dicetur. Resignavit igitur amplissimos in Republica honores Morus, tum ne Regis in omnem jam impietatem propendentis libidini serviret, tum ut sanctis studiis atque otio honestissimo liberius vacaret. Unde manifeste liquet, nihil illum honoribus illis inflatum, nulla vana dominandi cupiditate infectum fuisse. Verum esse ostendit, quod, quum adhuc

huc in honore illo esset, ad filium ejus Joannem Morum Erasmus scribit: *Quin & illud debet Philosophiæ pater tuus, quod nec tanta dignitas tantillum illi addidit supercilii, nec negotiorum undique circumstrepentium unde quicquam de pristina comitate diminuerint.* Hæc ille. Cui enim honor supercilium obducit, cui cristas erigit, quem inani gloriola titillat, næ ille totius potius virtutis naufragium facere quam honore excidere mallet: honore se abdicare nunquam in animum inducet. Impetravit ergo, quod à suo Principe Cassiodorus, hoc ab Henrico Morus, ut honorum titulis renunciatis, solidæ pietati ac studiis fructuosis vacaret. Sed heroicum hoc Mori factum verbis idoneis laudare solus Morus, ut vir prudentissimus, doctissimus, ita eloquentissimus, potest. Ipsa ergo ejus verba in medium proferemus: non quibus hoc suum factum commendat, (quid enim vanius?) sed quibus alterius Cancellarii similem resignationem egregie tunc laudavit, sed magis egregie postmodum imitatus est, & priores laudes verbo factas, postea in seipso re & facto bis laudandus confirmavit. Non ante multos annos Gulielmus Waramus, Archiepiscopus Cantuariensis, regni Cancellarius (cui successit Wolsæus, Archiepiscopus Eboracensis, Wolsæo Morus) Cancellarii munus deposuerat, dimissione à Rege impetrata. De hoc ejus facto sic ad eum scribit Morus: *Semper quidem felicem paternitatis tuæ sortem judicavi; & dum Cancellariæ munere præclare fungereris, & nunc feliciorem, postquam eodem defunctus, in otium optatissimum, quo tibi possis ac Deo vivere, secessisti. Otium, inquam, non jucundius tantum quam erant illa negotia, sed omnibus etiam honoribus, mea quidem sententia, magis honorificum. Nam genere Magistratus id quidem plurimis contingit, & interdum pessimis. At quum habebas maximum, & qui, quantum authoritatis habet ac licentiæ, dum geritur, tantum depositus calumniis obnoxius est; eum sua sponte deponere (quod tua paternitas magno labore vix impetravit, ut liceret facere) nisi modesto non libet, nisi innocens non audet. Quamobrem hujus animi tui nescio modestiorisne, qui munus tam amplum ac magnificum voluisti relinquere, an sublimioris, qui potuisti contemnere, an innocentioris, qui non metuisti deponere, certe optimi ac prudentissimi, multos quidem sed inprimis me suffragatorem & admiratorem habes: qui dici non potest huic tam raræ felicitati tuæ quam impense gratuler, mihique tuo nomine gaudeam; quum tuam paternitatem videam procul ab secularibus negotiis, procul ab forensium tumultu rerum secedentem, & gesti Magistratus & positi honorifica fama, rarissima gloria frui, ac reliquum vitæ tempus anteactæ conscientia lætum, clementer ac placide in literis ac Philosophia traducere. Cujus tuæ conditionis dulcedinem indies magis ac magis illustrem, mihi mea reddit miseria, qui, quanquam nihil habeam negotii, quod quidem memoratu dignum sit,* (erat nihilominus, quam hæc scriberet, Consiliarius regius, & regni Proquæstor, & frequenti legatione occupatus) *tamen ut imbecillæ vires facile premuntur parvis rebus, ita distringor assidue, ut ne tantillum temporis habeam liberum, quo tuam Paternitatem vel invisam aliquando, vel prætermissum officium per epistolam excusem: adeo ut vix licuerit has parare literas, quibus haud satis lepidum hunc libellum tuæ Dominationi commendarem* (Utopiam suam dicit) *quem quum Antverpiensis quidam amicus meus* (Petrus Ægidius) *elapsum potius quam elaboratum, amori indulgens suo, editione dignum putavit, atque insciente me curavit excudendum, quanquam ipse indignum vel hac dignitate tua, vel rerum usu, vel eruditione tua censeam, tamen sum ausus mittere; fretus videlicet tum benignitate tua, qua semper soles omnium ingeniis candide favere, tum experto tuo in me favore confisus: quo spero fore, ut si opus parum per se arrideat, author tamen aliquid concilietgratiæ. Vale Præsul amplissime.* Et sic quidem Morus eo tempore sapientissimi illius Archiepiscopi nobile factum laudavit. Sed ut erat alienæ virtutis candidus admirator & sedulus laudator, sic ejusdem erat felix imitator. Omnes igitur laudes Archiepiscopo isti vere attributæ ipsi Moro verissime competunt. Illud fecit, quod nisi modesto non libet, nisi innocens non audet. Animum ostendit nescio modestioremne, qui munus tam amplum atque magnificum voluit relinquere, an sublimiorem, qui potuit contemnere, an innocentiorem, qui non metuit deponere; certe optimum & præstantissimum. Denique gesti Magistratus & positi honorifica fama, ac rarissima gloria fruitur. Sed nunc ad alia.

Legationes multas obiit & quidem honorificas; in Galliam sæpe de fœdere componendo, & de rebus repetundis. Regem quoque Henricum in Franciam comitatus est, quum ille Rex & Franciæ Rex Franciscus Primus sese mutuo Ardææ inviserent, ubi & amicum suum Budæum suavissime complexus est, sicuti ex epistolæ ejus ad Budæum extracto, superius posito, patet. In Flandriam quoque duabus splendidis legationibus interfuit, junctus comes & socius Cuthberto Tonstallo. Sed hæ legationes, quarum alii splendore oblectantur, modesto & humili Mori ingenio vehementer displicuerunt. Si ad Erasmum in quadam epistola scribit: *In negotiis istis Principum haud credas quam invitus verser: neque potest esse quicquam odiosius, quam est ista legatio.* Et in alia epistola ad eundem: *Mihi nunquam admodum legati munus arrisit.* Rursum in epistola quadam manuscripta ad Tonstallum: *In legationibus versari, quanquam liberali atq; in me propenso Principe, tamen mihi non modo non ambienti, sed abhorrenti quoque ab auctoramentis aulicis quid potest esse lucri?* Utopiam Mori quantopere omnes docti viri laudent, quanta laude sit dignus liber, in superioribus ostensum est. Hunc tamen librum nec in lucem emitti voluit, nec nisi paucis amicis, quasi lepidum commentum, communicari; nec postea excusum suo unquam calculo comprobare. De eo quid & quomodo ad Tonstallum suum scripserit, supra commemoravi.

Amori

Amori tantum Tonstalli sui imputat, quod nugas suas (sic Utopiam vocat) legere, & lectas approbare voluerit. In alia epistola sua manuscripta ad Antonium quendam virum doctissimum, (neque enim cognomen apponitur, & ego divinare nolim, etsi fortasse possem) qui Utopiam ejus laudaverat, sic scribit: *De me quod tale quicquam existimes, ex affectu potius quam judicio profectum suspicor. Offundit enim plerumque amor, ubi altius insederit, hominum cogitationibus tenebras; quod tibi video contigisse: maxime quum Utopia nostra tam impense placuerit: quem ego librum plane dignum censeo, qui in sua semper insula delitesceret.* Hæc ibi. Sed & in alia quadam epistola ad primarium aliquem Aulæ regiæ virum (neque enim nomen cujusquam apponitur) sic de sua Utopia scribit: *Ego Utopiam meam uni Cardinali Wolsæo (si non eam ante meus Petrus, me, ut scis, insciente, mulctasset primum virginitatis florem) animo desponderam; si modo cuiquam, ac non cælibem perpetuo apud me servarem, aut Vestæ forsan consecrarem, sacrisque ejus initiarem ignibus.* Tam ille exiliter, tam demisse de sua Utopia (quam totus admiratur orbis) sensit. Jam vero qui vel illam Utopiam, vel Mori declamationes aut versiones è Luciano, aut Richardi Regis historiam, aut variarum epistolarum fragmenta à nobis hic prolata, magisque adhuc proferenda, legit; negare certe non potest, Morum eloquentia & dicendi vi atque elegantia singulariter excelluisse. Tamen, pro innata sibi modestia, suam semper infantiam deprecatur. In epistola ad Petrum Ægidium Utopiæ suæ præfixa sic scribit: *Quod si exigeretur, ut diserte etiam res, non tantum vere scriberetur; id vero à me præstari nullo tempore, nullo studio potuisset.* Hæc ille, qui tamen rem illam omnem ut prudenter adinvenit, sic disertissime explicuit. In epistola quadam ad Budæum sic scribit: *Literas tuas, quibus hanc absentiam tuam faceres mihi minus gravem, nisi vehementer me cupiditas urgeret, non auderem petere: quando vereor, neq; tibi nunc in Christianissimi Regis negotia pertracto multum superfuturum otii; & mihi conscius sim in hoc officii genere meæ pigritiæ, quoties rescribendum sit ad quenquam. Ad te vero, mi Budæe, ne scribam, infantiæ meæ non nescius, eruditionis tuæ admiratione distineor usque adeo, ut ne has quidem literas extorquere potuerim à pudore meo, nisi eas alius extorsisset pudor. Nempe ne meæ literæ, quas nunc habes in manibus, cum tuis evulgentur una; quæ si incomitatæ exirent, satis superq; conspicua deformitate viderentur, ut non tuarum splendor admotus mearum pudendæ formæ velut facem quandam claram præferat. Nam memini dum colloquebamur, incidisse mentionem de epistolis meis olim scriptis ad te, quas videbaris editurus, si id te putares mea voluntate facturum. Qua in re, quoniam obiter tractata est, quid tum respondi, nescio. Nunc vero, quando rem recogito mecum, video tutius esse, ut tantisper premas, quoad recognoscam saltem: non tantum ne quid insit forte parum Latine dictum; verum etiam quia de pace, de bello, de moribus, de conjugatis, de Sacerdotibus, de populo, &c. quædam vereor ne non sint tam caute ac circumspecte scripta, ut expediat objici calumniatoribus.* Hæc ibi Morus. Vides ut suam scriptionem infra Budæi stylum longe dejiciat, ut suas epistolas in publicum emitti nisi recognitas nolit, denique ut ab ipsa literarum suarum Latinitate (quib9 tamen nihil est latinius) sibi metuat. Hæc animi moderatio & modestia singularis si in Erasmo, si in Georgio Cassandro, si in aliis sciolis fuisset, non esset opus illa scopa bibliothecaria, quam Indicem expurgatorium vocamus, Pontificia ac Regia Majestate edita; nec tot in Ecclesia libelli vel inutiles & nugaces, vel scandalis & offensione pleni extarent. Jam vero, quamvis esset omnium judicio non minus Poëta elegans quam Orator facundus, tamen sua ipsi poëmata nunquam ita placuerunt, ut in omnium ea conspectum prodire cuperet. Sic in epistola quadam ad Erasmum scribit: *Mea epigrammata nunquam admodum animo placuerunt meo: id quod & ipse mihi, Erasme, conscius es: cui & quibusdam aliis nisi liber ille arrisisset amplius, quam adblanditus est mihi, nusquam fortassis extaret hodie.* Sic ille ut honores publicos ita laudem literariam non solum non venatus ambitiose unquam, sed & aspernatus est studio semper: etsi in utroque genere summa se laude dignum præbuerit. Ita videlicet per summa honorum vastigia quasi per tectorum culmina illæsus ambulavit, nullo vanitatis præcipitio dejectus; quod fortis & cordati pectoris, atque in Dei amore bene firmati erat.

CAP. VIII.

Quam fortis pecuniæ ac divitiarum contemtor extiterit.

NUnc, ut divitias contemserit, alterum in seculo præcipitium, explicabimus. Illis muneribus in Republica functus est, tam variis, tam amplis, tam compendiosis, tanto tempore; tantum apud Regem Henricum gratia & authoritate valebat, ut, si Moro libuisset, aut illis viis ac rationibus institisset, non dico quibus hodie insistunt aulici, præsertim in Anglia in hoc corruptissimo rerum statu (ubi brevissimo tempore amplissimas sibi opes, prædia, fundos conquirunt) sed quibus in illa tunc mediocritate ipsi etiam boni ac moderati aulici insistebant, facile illi fuerit ita censum augere, ut inter opulentissimos Angliæ Nobiles numeraretur. Honesto loco natus, unicus patris filius, legum Britannicarum peritissimus, actor causarum, orator populi, Syndicus civitatis Londinensis, Consiliarius Regius in supremo Senatu, Legatus frequenter, Proquæstor regni, Ducatus Lancastriæ Cancellarius, ac demum Regni totius Cancellarius, Regi gratissimus, vir prudentia, ingenio, eruditione clarissimus, moribus jucundissimus; à prima ætate usque ad annum vitæ quinquagesimum in Republica versatus, quas quæso & quam amplas opes, in tam opulento regno, congerere potuisset, si possi-

possidere voluisset? At in tota vita sua non auxit censum ultra sexaginta aureos annuos aut paulo amplius. Et vivit jam in Anglia fœdæ libidinis minister, qui talibus officiis intra annorum spacium censum ad sexaginta millia aureorum acquisivit.

Porro (quæ satis justa causa augendi census videri posset) aluit apud se domi suæ quatuor suas proles, filium unum & filias tres, cum uxore & maritis ac prolibus singulorum; quæ quidem proles, antequam in carcerem duceretur, undecim erant, ut ex epitaphio ejus constat. Annuam pensionem & honorificam & amplam sibi à Rege oblatam, quum ex legatione quadam, re bene gesta, rediret, penitus recusavit, ne honestam tunc in civitate sua Syndicatus conditionem minus compendiosam, sed magis Reipublicæ utilem, aut deserere cogeretur, aut parum sincere tractare videretur; ut est supra explicatum. Denique objicientibus ei hæreticis, quod ab universo clero magnis mercedibus conductus adversum eos tam multa scriberet, (neque enim gravius aliquid ignavi adversarii objicere potuerunt) respondet eis hunc in modum, verbis Anglicis, quæ huc transfero: *Omnes mei in Anglia reditus & pensiones omnes (exceptis illis reditibus & pensionibus, quæ regia liberalitas mihi concessit) non attingunt quinquaginta libras annuas, hoc est, centum & quinquaginta aureos: quod totum vel ex patrimonio, vel ex uxore, vel à meipso acquisitum provenit. Ex quo perspicuum est, quam mihi nihil clerus contulerit. Deinde bigamus sum, ne me existiment ad ecclesiasticam aliquam dignitatem defuncta conjuge aspirare. Sed & quicquid mihi Regia Majestas donavit, sua sola liberalitate ac voluntate concessit, non ad ecclesiastici alicujus viri preces aut commendationem. Denique à quo primum tempore contra hæreticos cœpi scribere, nullus mihi reditus, nulla pensio accessit. Attamen adhuc mihi objiciunt hi boni fratres, quod ab ipso clero in parata pecunia magnam pecuniæ vim mercedis loco acceperim. Equidem non diffitebor quod res est, quosdam è clero & viros bonos & honoratos, pecunia me donare voluisse ampliori, quam vel meruerim vel mereri possim, quasi hujus meæ in hac causa propensionis ac laboris mercede. Sed Deum atque ipsos testes invoco, nunquam mihi hactenus vel unum teruncium obtrudere potuerunt. Quin illis aperte dixi, me potius pecuniam illam totam in Tamesin fluvium* (alluit ille domum Mori) *projecturum, quam ab illis denarium accepturum. Quamvis enim & boni & honorati ex clero essent, qui mihi hoc obtulerunt, tamen merces mea Deus est, qui illos longe superat, & in cujus gratiam non illorum, qualemcunque hunc laborem assumsi. Quod si qui tamen ex his bonis fratribus suis hac in re bonis patribus (à quibus ista accipiunt) magis quam mihi credunt, existimantque nihilominus, me non ita sanctulum esse, ut oblatas pecunias respuam; nolo quidem hac in re multum cum illis contendere. Credant illi quod volent. Istud tamen confidenter ad meam defensionem dicam, etsi me propterea & Pharisæum jactabundum, & Pelagianum operarium vocitent; me, quicquid de me judicent, non ita prorsus improbum esse, quin ex quadam inclinatione naturæ, absque speciali ad hoc divinæ gratiæ adjutorio, & superbior sim atque etiam ignavior, quam qui velim ad eorum laborum inediam partem pecunia conduci, quos in scribendo contra hæreticos sumsi.* Hæc ille non minus pie quam festive. Hæc autem magnanimi Mori verba dum lego, videor mihi magnum illum Abraham ab internecione quatuor Regum redeuntem, & spolia sibi oblata recusantem audire dicentem: *Levo manum meum ad Dominum Deum excelsum, possessorem cœli & terræ, quod à filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt; ne dicas: Ego ditavi Abraham.* Videor mihi magnum illum Spiridonem Constantio Imperatori, propter sanitatem per manus ejus impositionem ab eo acceptam, innumerabilem auri vim offerenti respondentem audire: *Non sic oportebat, Imperator, odio remunerare amicitiam. Ego enim longum & asperum iter confeci, ut tibi parerem; & tu mihi aurum reddis, quod est omnis mali causa.* Denique videor mihi Ephestionem illum eremitam Ægyptium videre, pecuniam iterum in fluvium projicientem, quam nobilis matrona Melana in ejus domuncula eo inscio posuerat, & ab Ephestione reddere volente recipere recusarat. Hic erat in Moro pecuniæ contemtus, sic ille ditescere, quum facile potuerit, nullo modo voluit. Huc etiam pertinet, quod in tot muneribus atque officiis peractis ab omni prorsus munerum corruptela immunis fuerit: de qua instituta semel contra eum accusatione in risum res versa est, ut supra commemorabimus. Sed & quam nihil fuerit ad divitias congerendas attentus, quam earum jacturam fortiter tulerit, copiam contempserit, non solum ipsa honorum omnium abdicatio, & nobilis postea sequuta confessio, ob quam non opes tantum, sed & libertatem ac vitam præsentem perdidit; verum etiam casus quidam & infortunium (quod in Mori familia ad patientiam & fortitudinem viri probandam DEUS fieri permisit) egregie demonstravit. Quum ex legatione quadam transmarina rediens apud Regem domo procul absens ageret, mense Augusto, culpa vicini cujusdam sui pars quædam domus ejus & omnia horrea ejus, atque ea occasione vicinorum quædam proxime adjacentia, jam novo frumento plena, repentino incendio conflagrarunt. Hujus calamitatis nova quum mœsta uxor per generi sui literas ei significasset, in hunc modum uxori suæ verbis Anglicis respondit, quæ nos hic Latina damus: *Domina Alicia, salutem plurimam. Quum ex genero meo Heron intelligam, horrea nostra & quorundam vicinorum cum universo frumento incendio periisse, tametsi (salva Dei voluntate) dolendum sit, tantam boni frumenti jacturam accidisse, tamen postquam ita visum est DEO, debemus omnino non solum patienter, sed & libenter hanc Dei manum super nos ferre. Quicquid amisimus, Dominus dedit. Postquam hoc casu ea nobis eripuit, voluntas ejus fiat. Nunquam super hac re murmuremus, sed æqui bo-*

niq; consulamus, & DEO magnas gratias agamus, æque pro adversis atq; pro secundis. Forte enim majus est Dei beneficium, hæc jactura, quam fuisset lucrum. Quid enim nobis expediat, Deo magis quam nobis est perspectum. Sis ergo, precor, bono animo, & tota assumta familia ad ecclesiam perge, Deoq; gratias age tam de his, quæ nobis donavit, quam quæ nunc abstulit, quæque adhuc nobis reliquit: quæ quidem, quum ei visum fuerit facile augebit. Quod si etiam adhuc plura nobis auferre volet, sicut Domino placebit, ita fiat. Inquiratur, rogo, diligenter, quam & quantam jacturam vicini mei subierint; moneanturq;, ne de ea re contristentur. Non enim patiar, ut ex aliquo casu domestici infortunii vicini mei lædantur; etiamsi usq; ad unicum cochlear omnia mihi distrahenda forent. Sis obsecro læta in Domino cum liberis meis totaq; familia. Da operam ex consilio amicorum, qua demum melius ratione frumenti provisio fiat, quæ alendæ familiæ sufficiat, seminibusq; jaciendis in annum proximum, si forte expedire videatur, ut anno sequenti agros nostros ipsi colamus. Sive autem ita videatur, sive non, expedire non judico, ut statim ab agricultura cessetur, & operariis dimissis prædium elocetur, donec maturius adhuc de toto negotio dispiciatur. Quod si tamen plures jam domi sint operarii, quam quibus opus sit, & qui apud novos dominos commode collocari queant, poterunt tales dimitti. Nolim quenquam subito dimitti, exiturum in incertum. Rediens ad Regem ita omnia disponi video, ut verisimile sit, me apud suam Majestatem continuo hæsurum. Nunc autem propter istud infortunium veniam forsan impetrabo proxima hebdomada, ad vos redeundi: quo tempore communi consilio rem istam tractabimus. Vale. Ex Aula Wodstochii, 13. Septembris, Anno 1529.

Est hæc epistola hominis plane cordati, de bonis hujus mundi parum solliciti, boni patrisfamilias, optimi Christiani; qui & Dei voluntati se in omnibus conformat, & de proximorum damnis magis quam de suis sollicitus est. Et vide annon huic patientiæ sanctæ, rerumque terrenarum contemtui, ad modum alterius Job, duplicia Dominus cito non reddiderit. Quum enim de hac jactura mense Septembri nova accepisset, & eo modo quo jam vidimus, respondisset; proximo mense Octobri Cancellarius regni renuntiatur, & novam dignitatem accipit, non solum unde vetera horrea restaurentur, sed unde, si vellet, nova veteribus horrea adjungerentur.

CAPUT IX.

Qualis paterfamilias fuerit.

QUia Thomam Morum Virum conjugatum, Virum honoratum, Virum rei familiaris satis amplæ describimus, non est hæc pars œconomica prætermittenda; sed qualis in familiam qualis in liberos fuerit, illam quomodo rexerit, hos quomodo instituerit, diligenter dispiciendum. Sane ut hactenus civem egregium, Senatorem prudentem, Virum doctum & pium in Moro descripsimus, sic, nisi fallor, patremfamilias excellentem, patrem optimum describemus. Ac primum quod ad familiam attinet, eam in genere descripsit Erasmus, prout ipse suis oculis viderat, in Anglia satis longo tempore dum ageret, & Mori limina subinde frequentaret. Ejus hic verba subjiciam: *Extruxit Morus ad fluvium Tamesin, haud procul ab urbe Londino, prætorium nec sordidū, nec ad invidiam usq; magnificum, commodū tamen. Illic agit cum intimo sodalitio uxore, filio & nuru, tribus filiabus & totidem generis, una cum nepotibus jam undecim. Vix alius vivit liberorum amantior, neque ille nescit discrimen inter anum (* qualis tunc uxor erat *) & puellam. Sed ea est ingenii commoditas, imo, ut melius dicam, ea est pietas & prudentia, ut quicquid obvenerit, quod corrigi non possit, sic adamet, quasi nihil felicius potuisset obtingere. Dicas apud illum esse alteram Platonis Academiam. Sed contumeliam facio domui illius, quum eam Platonis Academiæ confero in qua disputabatur de numeris ac figuris geometricis, interdum de virtutibus moralibus. Hanc domum rectius dixeris scholam & gymnasium Christianæ religionis. Nullus ac nulla illic est non vacans liberalibus disciplinis frugiferæq; lectioni, tametsi præcipua primaq; pietatis cura est. Nulla illic rixa, nullum petulantius verbum auditur, nemo conspicitur otiosus. Ac tantam familiæ disciplinam vir ille non supercilio jurgiisve tuetur, sed comitate ac benevolentia. In officio sunt omnes: sed adest alacritas, nec deest sobria hilaritas.* Hæc Erasmus. Sed quædam nos particularia recensebimus, prout tum in epistola ad Huttenum ipse Erasmus commemorat, tum ab ejus domesticis accepimus. Uxorem quum admodum puellam duxisset, eam & literis instruendam curavit, & omni Musices genere doctam reddidit. Illa quatuor liberos enixa, ex hac vita sublata, non ita multo post viduus viduam duxit, magis curandæ familiæ, quam voluptati. Quam, etsi ad senium jam vergentem, ad hoc animi minime mollis, postremo ad rem attentissimam, induxit tamen, ut cithara, testudine, monochordo, tibiis canere disceret, & in hisce rebus quotidie præscriptum operæ pensum exigenti marito redderet. Consimili comitate totam familiam moderabatur. De liberorum educatione postea. Sed quod ad famulos ac ministros domesticos attinet, habebat in eo magnam curam, ne (quod in nobilium & honoratorum ædibus, ubi magna est, more gentis nostræ, stipatorum & famulantium copia, nimis frequenter contingit) vel otiose, vel ludos inhonestos exercendo, tempus aut perderent, aut male collocarent. Quosdam itaq; eorum, qui eum foris comitabantur, horto colendo præfecit: distributo quasi in regiones horto, ut erat amplus, suaque cuiq; regione assignata. Quosdam cantare, alios in organis ludere voluit: nullum ne quidem nobilem alea vel chartis ludere permittebat. Castitatis eam curam habebat, ut in diversis habitaculis ministri & ancillæ cubarent, & rarius conversarentur, nec nisi ob res necessarias fœminæ in eam partem domus prodirent, in qua agebant viri. In more habebat singulis noctibus, quum domi esset, familiæ

suæ

suæ bonam partem in aulam domus convocare, antequam cubitum iret, pariterque cum illis orare; & tres psalmos, omnibus genua flectentibus, recitare. Ut, *Miserere mei Deus*; *Ad te, Domine, levavi*; *DEUS misereatur nostri*. His adjunxit, *Salve Regina*, cum collecta: & in fine, *De profundis*, pro Defunctis. Hoc etiam Cancellarius regni facere non destitit. Non est passus quenquam suorum diebus festis à divino officio abesse; & quidem, ut principio interessent, fecit. Diebus magis solennibus, Natalis Domini, & Resurrectionis, de nocte omnes surgere, & toti officio adesse curavit. Quum aliquis suorum peccaret, ita objurgabat & cum tanta lenitate, ut post objurgationem magis amaretur. Narrare solebat Margaretha Gyge, uxor Doctoris Clementis, quæ (ut sæpe diximus) una cum filiabus Mori ab infantia pæne educata fuerat, quod aliquando ex industria Morum offenderit, ut amicissima & suavissima ejus correctione frui possit. Bis tantum in tota vita commotus fuisse videbatur. Curabat singulis annis in feria sexta Parasceve, convocata tota familia, in ea parte domus, quæ novum ædificium vocabatur, cæteris amplior, Passionem Dominicam totam per aliquem suorum (is ut plurimum fuit Joannes Harrisius) cunctis audientibus legi: ipso interdum per modum piæ adhortationis aliqua interponente. Cancellarii munere abdicato, quum omnes famulos, duobus duntaxat exceptis, dimitteret, singulos vel apud novos dominos bene collocavit, vel alioqui illis probe consuluit. *Quin hujus domus* (ut scribit Erasmus) *fatalis quædam videtur felicitas, in qua nemo vixit, qui non provectus sit ad meliorem fortunam: nullus unquam ullam famæ labem contraxit.* Hæc ille. Ad mensam ejus recitabatur aliquid de sacris literis, cum Commentariis Nicolai Lyrani, aut alterius cujusquam ex Veteribus. Legebat aliqua ex filiabus, idque (cum Scriptura legeretur) intonando, more prorsus ecclesiastico, vel potius monastico. Nam & subjiciebatur in fine, ut apud religiosos fit, *Tu autem, Domine, miserere nostri:* & legebatur, quousque daretur signum. Post lectionem quærebat ab aliquo suorum, quomodo hic vel ille locus intelligeretur? & fiebat amica quædam & familiaris collatio. Quod si aliquis vir eruditus mensæ adesset (quod frequenter fiebat) in commune conferebatur de lectione facta. Postea ipse prior excitabat leporem aliquem (in quo erat felicissimus) & omnes mire recreabat. Nam & tunc Henricus Pattensonus, Mori morio suas partes agebat: quem tamen quadriennio ante passionem suam, nempe ex quo factus est Cancellarius, à mensa sua amovit, & Patri dedit. Quatuor Mori liberi, filius & tres filiæ, una cum Margaretha Gyge, per vices legebant in mensa, donec ille uxorem, reliquæ maritos accepissent. Nam tunc sola Gyge legebat. Denique ea cum pietate ac gravitate familiam rexit, ut ad eum postea in carcere constitutum filia ejus Margaretha sic scribat: *Quid esse arbitraris, pater charissime, quod in hac absentia tua nos potissimum consolatur? Certe ipsa vitæ tuæ nobiscum anteactæ memoria, conversatio tua sancta, consilia salutaria, exempla virtutum; spes ac fiducia, fore ut hæc in te non perseverent modo, sed & augeantur magis, divina astipulante gratia.* Et talis quidem paterfamilias Morus fuit, sic illā rexit.

CAP. X.

Quomodo liberos ac nepotes suos educaverit.

NUnc qualis pater extiterit, quomodo liberos suos vir tantus ac talis instituerit, quantum scire potuimus, dicemus. Certe non aliter, quam virum literatissimum & sanctum decuit. Prima Mori, in liberis suis educandis, pietatis, proxima eruditionis cura fuit: ditandi aut in seculo evehendi vel nulla vel minima. *Fuit ejus domus*, ut Erasmus rectissime ait, *schola & gymnasium Christianæ religionis.* Quam primum igitur capaces literarum essent, vel ipse eos docuit, vel præceptorem domi suæ instituendis liberis locavit. Fuerunt in domo Mori liberorum & nepotum præceptores tres potissimum. Primus erat *Joannes Clemens*, postea Doctor Medicus celeberrimus, & Græcæ linguæ peritissimus, cujus mentionem facit in principio Utopiæ suæ ut supra recitavimus. Hic postea Oxonii magna cum laude Græcas literas professus est: de quo sic in epistola ad Erasmum non excusa scribit: *Clemens meus Oxonii profitetur auditorio tanto, quanto non ante quisquam. Mirum est, quam placeat ac deametur universis. Quibus bonæ literæ propemodum sunt invisæ, tamen illum charum habent, audiunt, ac paulatim mitescunt. Linacer, qui neminem, ut scis, temere probat, tamen illius epistolas sic effert, atque admiratur, ut ego quoque, qui unice homini faveo, propemodum tamen tam cumulatis laudibus ab illo viro congestis invideam.* Hæc ille. Hic Joannes Clemens varia Græcorum monimenta è Græco in Latinum verterat. Inter alia multas epistolas Gregorii Nazianzeni, quæ non extant, & Nicephori Callisti Συναξάριον, seu homilias super omnes Sanctos Græcorum, juxta illorum Calendarium. Quæ duo ab eo viro laboriosissime & eloquentissime translata vidi, & versionem una cum illo (sic enim ut facerem, me rogaverat) cum textu Græco contuli. In locis difficilioribus uxor ejus Margaretha, & quondam discipula ejus cum reliquis Mori filiabus; (quod quis vix credat) maritum juvit, ut Græcæ dictionis proprietatem assequeretur. Huic Clementi in schola Mori domestica præceptor successit *Gulielmus Gonellus*, vir doctissimus, & qui postea Cantabrigiæ diu vixit, docuit, præfuit. Gonello successit *Richardus Hirtius*, qui nepotes docuit, filiabus jam in matrimonio collocatis. Invenio etiam quendam *Druum*, & alium *Nicolaum*, liberorum aut nepotum Mori præceptores fuisse, ut ex epistolis Mori se-

quentibus patebit. Docebant isti non solum bonas literas, Latinas & Græcas, sed etiam Dialecticam & Philosophiam, (qua in re per disputationes se exercebant) Mathematica quoque; interdum etiam aliqua sanctorum Patrum Scripta, ut mox ex epistolis Mori docebo. Linguæ Latinæ exercitia erant pæne quotidiana. Anglicum in Latinum, Latina in Anglicum vertebant. Scripserat Thomas Morus ad Academiam Oxoniensem pro bonis literis quasi Apologiam quandam Latine, cujus fragmentum supra posuimus. Hanc per unam ex filiabus in alium Sermonem Latinum, per alteram in Anglicum conversam vidi.

Atqui ut Lector intelligat, & quanto studio in hujusmodi liberos suos Morus instituerit, & quare eos sic institui voluerit, epistolam quandam ipsius Mori integram, necdum excusam, ad Gulielmum Gonellum, unum ex Præceptoribus, ea de re scriptam, subjiciam; si prius Mori liberos, & liberorum proles, in domo Mori institutas, breviter enumeravero: ut quos discipulos schola Mori habuerit, non secus Lector intelligat, quam quos Præceptores habuerit, jam intellexit. Habuit Thomas Morus ex priore conjuge (nam ex secunda, quam viduam duxit, nullos suscepit liberos) filium unum, *Joannem Morum*, filias tres, *Margaretham, Elisabetham, Cæciliam:* Margaretha nupsit *Gulielmo Ropero*, qui ex ea suscepit duos filios, Thomam & Antonium: tres filias, Elisabetham, Mariam, Margaretham. Quarum Maria, matris indolem proxime sequuta, fœmina fuit doctissima, & Reginæ Mariæ pedisequa honoraria. Vertit illa ex Latino in Anglicum illam expositionis partem in passionem Domini, quam Thomas Morus Latine scripserat, ita puro ac eleganti stylo, ut difficulter ab avi stylo decernatur. Vertit eadem Eusebii historiam Ecclesiasticam, è Græco in Latinum, sed propter exactiorem Christophorsoni Episcopi versionem non prodiit in lucem. Elisabetham secundam Thomæ Mori filiam duxit in uxorem *Joannes Dansæus*, & ex ea habuit filios quinque, Joannem, Thomam, Bartholomæum, Gulielmum, Germanum: filias duas, Aliciam & Elisabetham. Cæciliam, tertiam Mori filiam, uxorem habuit *Ægidius Heron*, & ex ea filios duos, Joannem & Thomam; filiam unicam, Annam. Joannes Morus, unicus Thomæ Mori filius, *Annam Grysacriam* uxorem duxit, ex qua suscepit filios quinque; Thomam, Augustinum, Edovardum, Bartholomæum & alium Thomam: filiam unam Annam. Ex hac numerosa sobole (de qua non immerito illud psalmi dici potest: *Filii tui, sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ*) quatuor liberi proprii, & nepotes undecim scholam Mori, eo adhuc vivente in ea educati & instituti, continuarunt.

Reliqui decem, (nepotes enim viginti & unum habuit) passo Moro nati sunt. Una cum his liberis suis educavit Margaretham Gyge, postea uxorem Joannis Clementis. Nunc ad Epistolam Mori ad suum Gonellum veniamus. *Accepi, mi Gonelle, tuas literas, quales esse semper solent, hoc est, elegantissimas, amorisq; plenissimas. Affectum tuum in liberos meos ex tuis literis perspicio, diligentiam ex ipsorum: quorum nemo fuit, cujus epistola mihi non placuerit. Sed illud super omnia, quod Elisabetham sentio eam morum modestiam absente patre præstitisse, quam non quævis præsente solent. Eam rem fac intelligat gratiorem mihi quam omnes omnium literas esse mortalium. Nam ut doctrinam, quæ cum virtute conjuncta sit, universis regum thesauris antepono, ita si morum probitatem sejunxeris, quid aliud affert fama literarum, quam celebrem & insignem infamiam? præsertim in fœmina, cujus eruditionem, velut rem novam, & virilis ignaviæ redargutricem, plerique libenter invadent, & naturæ malitiam transferent in literas: rati, ex peritiorum vitiis inscitiam suam virtutis vice fore. Quod si contra quapiam (id quod meas omnes opto, & spero certe, te Præceptore, facturas) egregiis animi virtutibus vel mediocrem literarum peritiam adstruxerit, huic ego plus accessisse veri boni puto, quam si Crœsi divitias cum Helenes forma consequeretur. Non quod ea res gloriæ futura sit, quanquam ea quoque virtutem velut umbra corpus comitabitur, sed quod solidius est sapientiæ præmium, quam ut vel cum divitiis auferri, vel cum forma deperire queat: utpote quod à recti conscientia, non ab aliorum sermone pendeat, quo nihil est neque stultius neque pestilentius.*

Nam ut infamiam vitare viri est boni, sic ad famam se componere non superbi modo, verum etiam ridiculi miserique. Necesse est enim animus inquietus sit, qui lætitiam inter ac mœrorem ex aliena semper opinione fluctuet. At inter egregia illa beneficia, quæ doctrina confert hominibus, haud aliud hercle duco præstabilius, quam quod ex literis docemur, in perdiscendis literis non laudem spectare, sed usum.

Quam rem sane (quanquam nonnulli disciplinis, velut cæteris bonis, abusi sint in solum gloriolæ ac famæ popularis aucupium) doctissimi tamen quique tradiderunt, Philosophi præsertim, vitæ moderatores humanæ. Hæc ego, mi Gonelle, de non appetenda gloria perscripsi pluribus, propter ea verba, quibus in epistola tua censuisti, in Margaretha mea altam illam, & excelsam animi indolem non esse dejiciendam. Qua in sententia ipse quoque tecum, mi Gonelle, consentio. Sed is mihi, non dubito quin tibi quoque, dejicere videtur animi generosam indolem, quisquis assuescit vana atque inferna suspicere; erigere contra, quisquis in virtutem ac vera bona consurgit; quisquis umbras istas bonorum (quas omnes prope moniales, inscitia veri, pro bonis veris avide captant) sublimium contemplatione rerum superne despexerit. Ego igitur, quum hac via pergendum ducerem, non te modo, mi Gonelle charissime, quem pro eximio tuo in meos omnes affectu sciebam tuapte sponte facturum; non uxorem meam (quam satis impel-

lic

sit multis explorata modis mihi vere materna pietas) sed amicos prorsus omnes oravi sæpe, uti liberos meos subinde admonerent, vitalis ut fastus & superbiæ præcipitiis, per amœna modestiæ prata graderentur; ne ad auri conspectum obstupescerent; ne sibi deesse suspirent, quæ per errorem admirentur in aliis: ne pluris ducant sese, nitore cultus addito, neu quicquam minoris, ademto: formam, quæ natura insit, neglectu ne corrumpant, neque malis intendant artibus: virtutem primo, literas proximo bonorum loco ducant: ex his eas maxime, è quibus maxime possint pietatem in DEUM, charitatem in omnes, in se modestiam & Christianam humilitatem discere. Ita fiet, ut innocuæ vitæ præmium à DEO referant; cujus expectatione certa nec mortem horreant, & interim solido fruentes gaudio neque inanibus hominum laudibus insolescant, nec iniquo sermone frangantur. Hos ego veros ac genuinos doctrinæ fructus esse censeo: quos ut non omnibus fateor, literatis contingere, ita qui hoc proposito animum ad literas appellunt, emergere facile atque in consummatos evadere contenderim. Neq; referre arbitror ad messem, vir an fœmina sementem fecerit. Quorum utrique si hominis vocabulum conveniat, cujus naturam ratio distinguit à belluis, utrique, inquam, ex æquo convenit peritia literarum, qua ratio colitur, & velut arvum insertis bonorum Præceptorum seminibus progerminat. Quod si muliebre solum suapte sit natura malignum, & filicum quam frugum feracius, (quo dicto multi fœminas deterrent à literis) ego contra censeo, tanto diligentius esse muliebre ingenium literis ac disciplinis bonis excolendum, quo naturæ vitium corrigatur industria. Hæc censuere Veteres, viri prudentissimi iidemq; sanctissimi. E quibus, ut omittam reliquos, Hieronymus atque Augustinus optimas matronas, honestissimas Virgines non hortati modo sunt ad capessendas literas, verum etiam, quo facilius promoverent, abstrusos Scripturarum sensus eis diligenter exposuerunt, ac teneris virgunculis scripserunt tanta eruditione refertas epistolas, ut eas nunc viri senes, & sese doctores literarum sacrarum professi, vix bene legant, tantum abest, ut intelligant. Quæ sanctorum virorum opera, Gonelle doctissime, pro tua bonitate curabis, ut filiolæ meæ perdiscant. Unde potissimum cognoscent, quem doctrinæ suæ scopum debeant destinare, fructumq; omnem sui laboris in teste DEO & conscientia recti constituant.

Ita fiet, ut intus placidæ ac tranquillæ neque adulatorum laude moveantur, neque ridentium literas illiteratorum mordeantur ineptiis. Sed jam dudum audire videor occlamantem te, hæc præcepta etiamsi vera sint, esse tamen fortiora, quam tenera mearum capere possit ætatula: quando quotus est quisque virorum ætate grandium ac provectorum disciplinis, qui usque adeo certus animi atque obfirmatus sit, ut nullo gloriæ pruritu titilletur. Ego, mi Gonelle, quo difficilius video, superbiæ pestem excutere, eo magis enitendum censeo, ut id quisque statim meditetur ab infantia. Neque aliam causam puto, cur hoc malum tam ineluctabile pectoribus nostris inhæreat, quam quod prope simul ac nati sumus, mollibus animulis puerorum à nutricibus inseritur, fovetur à Magistris, alitur à Parentibus atque perficitur; dum nemo quicquam ne bonum quidem docet, à quo non laudem jubeat protinus expectare, velut hostimentum pretiumq; virtutis. Inde laudes diu sueti magnifacere, tandem eo venitur, ut dum pluribus, hoc est, pejoribus placere student, bonos esse pudescat. Quæ pestis quo longius arceatur à meis liberis, & tute, mi Gonelle, & mater, & cæteri amici omnes occinant, inculcent, obtundant, abjectam ac despuibilem esse gloriolam: nec esse quicquam sublimius, quam sit humilis illa toties à Christo prædicata modestia: quam prudens charitas sic præcipiet, ut virtutem doceat libentius quam exprobret vitia, & amorem bonæ monitioni quam odium conciliet. Neque ad eam rem quicquam est cautius, quam Veterum eis Patrum præcepta legere; quos neque iratos sibi intelligunt, & quum sanctimoniæ gratia venerentur, necesse est vehementer eorum authoritate moveantur. Cujusmodi quippiam si præter Salustianam lectionem Margarethæ meæ & Elisabethæ (nam hæ maturiores videntur quam Joannes & Cæcilia) prælegeris, & me simul, & illas, jam ante tibi multum addictos, multo adhuc magis obstrinxeris. Præterea liberos meos naturæ primum jure charos, ac deinde literis & virtute chariores, efficies eo doctrinæ ac bonorum incremento morum charissimos. Vale. In Aula. pridie Pentecostes.

Hæc est Thomæ Mori de institutione liberorum suorum epistola vere paterna, philosophica, christiana, denique Moro patre digna. Tales patres si multos Respublica haberet; aut ita suos liberos in fuga gloriolæ, in amore virtutis, in studio bonarum literarum erudirent, non sic regnarent vitia, non sic dominaretur maledicta superbia. Correxit hic pro sua sapientia Morus in liberis suis communem illum parentum errorem; de quo sic Augustinus in libro de disciplina Christiana, capite secundo: *Christiani parentes quum ad scholam filios suos mittunt, dicunt illis: Discite bonas literas. Quare? ut sis homo, id est, ut sis eminens inter homines. At nemo illis dicit: Ut habeatis, unde legere possitis codices Dominicos. Sed rem perituram, ut cum illa periremus, tanto labore didicimus.* Hæc ille. At non sic Morus, ut hæc una epistola manifeste declarat. Studium igitur Thomæ Mori fuit, quum frequenter domo procul abesset, Aulam & Regem semper sequutus, & ad suam scholam sæpe scribere, & à suis frequenter literas accipere; hisque reciprocis officiis suorum diligentiam acuere, ingenia exercere, profectum stimulare. Subjiciam exempli causa unam aut alteram ejus hac de re epistolam. *Thomas Morus toti scholæ suæ salutem. En quod compendium salutationis inveni, quo mihi temporis & chartæ dispendium redimerem, quod alioquin erat in singulorum nominibus recensendis in salutatione subeundum. Qua in re meus labor eo supervacaneus fuerit; quod quum mihi sitis alius*

alio nomine chari, quorum nullum in ambitiosa salutatione omitti conveniebat, haud ullo tamen fere quisquam charior, quam scholastico quisque. Adeo me doctrinæ studium vobis arctius propemodum quam ipsa sanguinis necessitudo constringit. Gaudeo itaque D. Druum rediisse sospitem, de cujus eram (ut scitis) incolumitate sollicitus. Nisi vos tam vehementer amarem, inviderem plane vobis tantam felicitatem, quibus tot & tanti præceptores obtigerunt. Sed D. Nicolaum nunc superesse vobis puto: ita quicquid habet astronomicarum rerum edidicistis. In quibus adeo vos provectos esse audio, ut non jam polarem tantum stellam, aut caninam, aut aliud quidvis è gregariis astris, verum etiam (quæ res peritum & absolutum Astrologum postulat) in præcipuis illis ac primariis sideribus, solem dignoscatis à luna. Macte igitur nova ista & admiranda peritia vestra, qua sic conscenditis astra. Quæ dum assidue suspicitis, cogitetis interim, sacrum hoc jejunii tempus admonere vos, atque auribus vestris occinere carmen illud optimum ac sanctissimum Boëtii, quo docemini mentem simul in cœlum ferre, ne animus belluarum vita pronus feratur in terram corpore celsius levato. Valete omnes charissimi. Ex Aula, die vigesimo tertio Martii. Ne vero istud scribendi studium (quo ille quidem vir tantus & negotiis gravissimis semper præpeditus non gravatur ad suorum nænias descendere, quasique illis colludere, terse interim & eleganter scribens; illi vero literis elaboratis industriæ suæ quisq; specimen exhibebat) rarius cuipiam & casu potius quam consilio factum videatur; alias ad scholam suam Mori literas in lucem (etsi pæne corrosas) proferam, quibus de toto hoc scribendi genere, de assiduitate, de inventione, de dispositione in literis tenenda, diligenter suos monet, hortatur, docet.

Thomas Morus charissimis liberis suis, ac Margarethæ Gyge, quam inter suos numerat liberos, S.P.D.

Literas vestras Bristoliensis ille mercator, postridie quam à vobis tulit, ad me pertulit, quibus vehementer sum delectatus. Nihil enim ab illa vestra proficisci potest officina, quantumvis rude sit, quantumvis illaboratum, quin mihi plus voluptatis afferat, quam quicquid scripserit alias accuratissimum. Ita meus in vos affectus vestra mihi scripta commendat. Quam & citra illam merito placere possint suis æstimata virtutibus, lepore videlicet ac pura Latinitate sermonis. Itaq; nulla fuit epistolarum vestrarum, quæ mihi non perplacuerit. Sed tamen ut ingenue dicam quod sentio, præcipue mihi arriserunt Joannis literæ. tum quod erant longiores reliquis, tum quod in eas plusculum laboris ac studii videtur impendisse. Nam non solum belle depinxit, & castigate satis est elocutus omnia, verum suaviter etiam & non inepte ludit mecum, meosq; jocos non inconcinne retaliat: nec id amœne solum, sed etiam temperanter: quo se declaret memorem esse, se cum Patre ludere, quem ita studeat oblectare, ut tamen vereatur offendere. Nunc expecto à singulis in singulos ferme dies epistolas. Nec excusationes has accipiam, si qua vestrum (nam Joannes nihil tale solet prætexere) vel temporis angustiam causabitur, vel præcipitem discessum tabellarii, vel argumenti inopiam. Nam vobis adeo nullus obstat scribentibus, ut etiam inhortentur omnes. Tabellarium vero ne quid remoremini, an non prævenire licet? biduoq; ante peraratas atq; obsignatas in promtu habere literas, quam offerat se vobis quisquam qui afferat? Materia porro quo pacto unquam deesse poterit, quam scribatis ad me? cui vel de studiis vestris, vel de ludis audire libet: cui vel tum placebitis maxime, si, quum nihil est quod scribatur, id ipsum scribatis effusissime: quo nihil est facilius vobis, præsertim fœminis, nempe natura loquaculis; & quibus assidue

Maxima de nihilo nascitur historia.

Verum hoc unum moneo, seu seria scripseritis, seu meracissimas nugas, omnia tamen diligenter & meditate scribi volo. Neque nocuerit, si primum Britannica lingua scribatis omnia, quæ postea multo commodius, multoq; minore labore transferetis in Latinam, dum animus ab inveniendi studio liber solo intendet eloquio. Quanquam ut illud arbitrii vestri facio, sic istud omnibus modis injungo, ut quicquid effeceritis, id priusquam exscribatis in mundum, diligenter examinetis; primumq; dato ordine considerate sententiam, deinde singulas partes excutiatis. Ita fiet, ut, si qui vobis exciderint solœcismi, facile deprehendatis: quibus expunctis, & tota epistola de integro exscripta, tamen rursus examinare ne pigeat. Nam solent interdum, dum rescribimus, vitia, quæ deleveramus, irrepere. Hac diligentia effeceritis brevi, ut vel nugæ vestræ seria videantur. Nam ut nihil est tam concinne salsum, quod non reddat insipidum futilis ac secura loquacitas, ita nihil suapte natura tam insulsum, quin meditando facile gratia & lepore condias. Valete liberi dulcissimi. Ex Aula, tertio Septembris.

Ostendit facile hæc Mori epistola, quam accurate & diligenter, quam sollicite & studiose suos liberos in bonis literis earumque assiduis exercitiis instituerit. Non verbis hortatur modo ut pater, sed docet ut præceptor, suis quoque elegantissimis epistolis facem illis præfert, ut exemplo exstimulet, & præstet ipse primus, quod suos præstare tam ardenter concupiscit. Enimvero sic hanc rem cordi habuit, sic suorum sanctæ & eruditæ institutioni advigilavit, ut quam paulo remissius, aut certe non ex animi sui voto, res illa procederet, statuerit Aulam ipsam negotiaque publica potius deserere, quam familiæ & liberorum suorum institutioni, qualem desiderabat, parum consultum esse. Sic enim scribit ad Margaretham filiam suam unice dilectam: *Jucundæ mihi fuerunt literæ tuæ, Margaretha charissima, quæ me de Shai statu reddidere certiorem: jucundiores futuræ, si mihi tua fratrisq; tui studia recensuissent. Quid quoq; die legitur inter vos, quam jucunde confertis, quæ componitis, & inter dulcissimos literarum fructus transigitis diem. Etenim quanquã nihil mihi jucun-*

jucundum esse non potest, quod scribis tu, tamen ista sunt mellitissima, quæ nisi à te fratreque tuo ad me perscribi non possunt. Et sub finem epistolæ: *Quæso te, Margaretha, fac de studiis vestris quid sit intelligam. Nam ego potius quam meos patiar inertia torpescere, profecto cum aliquo fortunarum mearum dispendio valedicens aliis curis ac negotiis, intendam liberis meis & familiæ. Quos inter nihil est mihi te, dulcissima filia, charius, Vale.* Talis ille ac tam sollicitus suorum pater ac paterfamilias erat. Nam ex suorum diligentia & industria quantam animo voluptatem ceperit, quam mire oblectatus fuerit, quantam in ea re sola felicitatis præsentis partem posuerit, quam effuse eos bene rem gerentes laudaverit, ex una adhuc alia epistola ad filias suas omnes conscripta apparebit: quam hic propterea integram subjicio.

Thomas Morus Margarethæ, Elisabethæ, Cæciliæ, dulcissimis natis, & Margarethæ Gyge, haud secus ac si nata esset, charæ S. P. D.

Satis explicare non possum, puellæ jucundissimæ, quam vehementer mihi placeant elegantes epistolæ vestræ: nec illud minus, quod video vos in itinere, quanquam subinde loca mutantes, nihil tamen omisisse consuetudinis vestræ, sive in dialecticis exercitationibus, sive in conficiendis declamationibus, sive componendis carminibus. Jam plane mihi persuadeo, vobis ut par est, charum esse me, quando absentis tantam rationem vos habere video, ut ea certatim agatis, quæ præsenti scitis voluptati fore. Quem ego animum erga me vestrum ut mihi jucundissimum esse sentio, sic efficiam reversus, ut eundem vobis sentiatis utilem. Nam hoc habete persuasissimum, nihil esse quicquam, quod me inter molesta negotia magis refecit, quam quum ea lego, quæ proficiscuntur à vobis. Quibus vera esse illa perspicio, quæ præceptor vester amantissimus vestri tam amanter scribit de vobis, ut nisi literæ vestræ studium erga literas egregium declararent, videri possit amori potius indulsisse quam veritati. Nunc ergo ex his, quæ scribitis, fidem illi conciliatis, ut ea credam esse vera, quæ propedum supra fidem jactat, quam pulchre & quam acute disseritis. Itaq; gestit animus domum recurrere, ut discipulum nostrum componamus, audiamusq; vobiscum: qui paulo segnior est hac in re, quod desperare non potest, quin vos inventurus sit citra præceptoris prædicationem subsistere. Quas ego spem concipio (ut novi pertinaces esse vos) præceptorem ipsum brevi si non differendo, certe litem non deserendo superaturas. Valete puellæ charissimæ.

Docet hæc Mori epistola, & quantum ejus schola profecerit, & quam præclara planeque Academica exercitia habuerit, & quam ille studiose hanc rem curaverit, deniq; quanta animi lætitia suorum studia ac profectus acceperit. In gratiam hujus scholæ Morianæ Erasmus, Ovidii nucem scholiis illustravit eique dedicavit. De hac schola honorificam mentionem facit Ludovicus Vives in sua institutione Principis ad Catharinam Castellæ Angliæ Reginam. Denique Joanni Moro, Thomæ Mori filio unico, tum Erasmus Aristotelem Græcum, tum Simon Grynæus Platonem Græcum, tanquam juveni Græce doctissimo & philosophicis præceptis imbuto, dedicavit. Ex eorum epistolis dedicatoriis quædam supra posuimus. Sed & quædam alia ad hunc locum magis proprie spectantia ex epistola Simonis Grynæi ad Joannem Morum adjiciam. *Ad te* (inquit) *quum jure paternarum virtutum, omnium beneficiorum fructus redeat, magna necessitas fuit, cur hos Procli libros miranda doctrina refertos nostra quidem opera, sed beneficio tuorum, in lucem prodeuntes, tibi potissimum dedicarem. Tum quod ipsis quidem ornamento te, hos contra maximo tibi usui futuros sperabam, quem perpetua tanti patris consuetudine, & sororum omni doctrinæ genere excultissimarum convictu, ad istas jam graviores disputationes satis instructum scirem. Quid autem cupidis natura pulcherrimarum rerum mentibus (tibi inquam & Musis istis sororibus, quas divinus animi calor, novo seculi nostri exemplo, tam procul, tam feliciter, in istud literarum pelagus egit, ut jam discendi philosophandiq; difficultatem nullam supra se esse videant) accommodus magis sit quam is author, quo nemo implicatas res melius producere, profundas penitius inspicere, amplas & copiosas facilius animo complecti potuit?* Hæc Grynæus in epistola dedicatoria Platoni Græco præfixa ad Joannem Morum, unicum Mori nostri filium. Adjungam postremo loco unam ad Margaretham suam epistolam amoris plenissimam; in qua indulgentissimum patris affectum mira suavitate expressit:

Nimium tu pudenter & timide, mea Margaretha, pecuniam petis & à patre, qui dare cupit, & quando tali nos epistola salutasti, cujus ego non singulos versus singulis Philippicis aureis (quod in Cherilo fecit Alexander) sed si facultas esset animo meo par, singulas syllabas unciis auri binis compensarem. Nunc vero quantum poposcisti mitto, plus additurus, nisi quemadmodum dare gestio, sic & rogari me, & blandiri mihi liberet à filia: abs te præsertim, quam virtus & literæ faciunt animo meo charissimam. Itaque hanc pecuniam quanto citius bene, quod soles, impenderis, quanto citius pro nova recurreris, tanto magis te scito gratificaturam patri. Vale charissima filia. Sed de hac Margaretha seorsim nobis aliquid & specialius dicendum est.

CAPUT XI.

De Margaretha Ropera, Thomæ Mori filia.

Quum Scriptura dicat: *Filius sapiens lætificat patrem*, antequam hanc partem abrumpam9, in qua, qualis pater Morus fuerit, describimus; de una ejus prole dicemus, quæ sapienti-

entissimum patrem ipsa sapiens quantum lætificaverit, quantum sub tali patre profecerit, ex nonnullis ipsius patris ad illam epistolis, & styli venustate (ut omnia Mori sunt) & rei novitate lectu jucundissimis, perspicuum faciemus. Ex illis enim perspiciemus, quantos in bonis literis aliisque disciplinis una ejus filia (quod in sexu illo vix credibile est) progressus fecerit. Unde etiam facile constabit, quæ fuerit cæterorum omnium & quam felix educatio. De cæteris enim non ideo nihil dicimus, quia nihil dicendum erat; sed quia ad notitiam nostram, quod diceretur, non pervenit. Sed de Margaretha filia ejus natu maxima, Gulielmo Ropero Viro graviss. nupta, quasdam Thomæ Mori literas reperi, ex quibus, qualis illa fuerit, obvium fuit cognoscere. Hæc Margaretha, liberorum natu maxima, præter omnes alias Mori proles, & statura corporis, & forma, & voce, & ingenio, & tota indole proxime ad patrem accedebat. Composuit Græce Latineque, soluta, & pedestri oratione elegantissime. Vidi ego duas ejus declamationes Latinas, exercitii causa scriptas, quæ ut stylo quidem ornatæ & facundæ erant, sic inventione non ita multum patri cedebant. Et altera quidem declamatio quum Anglice primum scripta esset, ab utroque Latine versa, à patre & filia, ea elegantia ab utroque vertitur, ut nescias, utra alteri sit præferenda. Certe quum Thomas Morus librum suum de quatuor novissimis scriberet, dedit idem argumentum Margarethæ tractandum; quod quum fecisset, affirmabat sancte, filiæ tractatum nulla ex parte suo esse inferiorem: ut profecto quod fuerat S. Augustino suus advocatus, cujus ingenium admirabile satis mirari non potuit, hoc fuerit Moro sua Margaretha. De hac Margaretha sic in suis ad Vincentium Lirinensem ejusque Comonitorii caput 9. Commentariis Vir doctiss. Joannes Costerius scribit: *Quum Clemens, Medicinæ Doctor, natione Anglus, Vir ornatissimus, ac Græcarum literarum peritissimus, mecum subinde pro sua humanitate de literis conferret, atq; harum occasione multa de Præclarissimi Viri Thomæ Mori, quo familiariter, dum viveret, usus erat, humanitate, pietate, prudentia, ac eruditione diceret; meminit quoque subinde Margarethæ, Mori filiæ, cujus ingenium atque doctrinam mirifice prædicabat. Ut autem cognoscas, inquit, vera esse, quæ dico, afferam tibi ex Cypriano locum depravatum admodum, quem illa, citra exemplaris subsidium, sola ingenii sui felicitate restituit.* Erat autem hæc sententia Lib. II. epist. 7. juxta Pamelianam editionem epist. 31. *Absit enim ab Ecclesia Romana vigorem suum tam prophana felicitate dimittere, & nisi vos severitatis, eversa fidei majestate dissolvere.* Hunc locum ita corruptum, ut nihil ex eo colligi queat, sic restituit Margaretha, ut diceret, pro eo quod ibi legimus, *nisi vos severitatis*, reponendum esse, *nervos severitatis*: quo posito integrum & apertum sensum sententia habet hoc modo: *Absit ab Ecclesia Romana vigorem suum tam prophana facilitate dimittere, & nervos severitatis, eversa fidei majestate dissolvere.* Hanc hujus loci restitutionem à Margaretha factam agnoscit Jacobus Pamelius in suis in Cyprianum annotationibus ad locum citatum. Ad hanc Margaretham extat una Erasmi epistola, in farragine epistolarum ejus libro vigesimo sexto, anno 1529. scripta, tanquam ad fœminam non moribus tantum lectissimam, sed & literis ac eruditione præstantem. Hæc sola ex liberis Margaretha patrem in carcere adeundi facultatem à Rege obtinuit, hoc videlicet astu; Scripserat ad patrem (ut erat ingeniosa) literas, quibus eum hortari videbatur, ad Regis voluntatem animum ut inflecteret atque conformaret suum, non quod ita sentiret (ut quæ sola omnium ejus consiliorum optime conscia erat) sed ut illis literis per custodem à Senatu inspectis (ut plerumque fiebat) liberam accedendi patrem à Senatu potestatem obtineret, quasi quæ eum ad Regis voluntati obsequendum inducere vellet. Hoc astu satis longo tempore libere accedebat. Hoc accessu negato, frequenter hæc ad patrem scribebat, & à patre literas frequentius accepit. Cæterum de hujus erga patrem officiis plura postea suo loco. Nunc (quod cœpimus) quos fructus in re literaria fecerit, ex patris literis ostendemus. Antea retulimus, quantum epistola ejus quædam Latina Reginaldo Polo placuerit, qui forte tunc Moro aderat, quum traderetur. Nunc in eadem epistola, quæ proxime sequuntur, adjungam. Quæ sane hujusmodi sunt, ut si nullum aliud Mori testimonium haberemus de hujus filiæ suæ excellenti eruditione, hoc unum abunde sufficeret. Sic in ea epistola post verba superius citata scribit: *Ego vero interea reputabam mecum, quam id nimium verum esse comperiebam, quod aliquando memini dixisse per jocum tibi, quum id in tua fortuna miserebar, quod ignoratio vero nonnihil esset de meritissima vigiliarum tuarum laude detractura, suspicantibus, qui tua lecturi forent, in labores tuos alienæ aliquid operæ inspersum atq; impensum esse: quum tu una omnium minime digna sis, de cujus laude debeat aliquid tali suspicione decedere: quæ ne tantilla quidem unquam sustinere potuisti, ut te alienis plumis ornares. Sed tu, Margaretha dulcissima, longe magis eo nomine laudanda es, quod quum solidam laboris tui laudem sperare non potes, nihilo tamen minus pergis cum egregia ista virtute tua cultiores literas, & bonarum artium studia conjungere; &, conscientiæ tuæ fructu & voluptate contenta, à populo famam pro tua modestia nec aucuperis, nec oblatam libenter velis amplecti: sed pro eximia pietate, qua nos prosequeris, satis amplum frequensq; legenti tibi theatrum simus, maritus tuus, & ego: qui vicissim tibi quam maximo possumus affectu comprecamur faustum istum ac facilem partum, quem tibi tam cito scribis instare: quo faxit Deus ac Diva Virgo, ut leniter ac feliciter enixa prole familiam augeas matri per omnia præter sexum simillima: quanquam vel fœmella certe; modo quæ sit ejusmodi, ut quod sexus ei conditione deteritur, id olim aliquando studeat maternæ virtutis & eruditionis æmulatione*

repen-

rependere. Nam ego certe puellam talem pueris tribus prætulerim. Vale dulcissima filia.

Ex hac sane epistola liquet, Margaretham non vulgariter eruditam aut mediocriter literatam fuisse, sed ea scribendo elaborasse, quæ in lucem emitti & omnibus communicari merebantur: etsi vel sexus pudor, vel animi modestia, vel ipsa rei vix credenda novitas (ut hic Morus insinuat) ut id aliquando fieret, non permiserit. Quod si vero quisquam patris tantum de filia judicium, cui amor forte imposuerit, hoc esse existimet, (quanquam in tali viro quis hoc suspicetur?) recolat, quæ superius de doctissimi tunc juvenis Reginaldi Poli, eadem aut etiam majora sentientis, judicio, ex alia occasione in hunc Commentarium intulimus. Cui etiam si minor forte fides habeatur, alias hic Mori literas proferemus, ex quibus, quale de Margarethæ literis, stylo, eruditione, judicium doctissimus quidam Angliæ Episcopus expresserit, quam sententiam tulerit, quantam admirationem habuerit, apparebit.

Thomas Morus Margarethæ filiæ suæ charissimæ S. P. D.

Epistola tua, dulcissima filia, qua me voluptate perfuderit, supersedebo dicere. Poteris opinor plenius æstimare, quam impense placuerit patri, quum intelliges, quos affectus excitarit alieno. Sedere mihi contigit hoc vespere cum R. Patre Joanne, Episcopo Exoniæ, viro & literatissimo & omnium confessione integerrimo; quum inter confabulandum, ut fit, schedulam quandam, quæ faciebat ad rem, è loculo meo depromerem, epistolam tuam extraxi casu. Delectatus manu cœpit inspicere: ubi ex salutatione deprehendit esse mulieris, legere cœpit avidius. Sic eum invitabat novitas. Sed quum legisset, & (quod nisi me affirmante non erat crediturus) tuam ipsius manum esse didicisset, epistolam, ut nihil dicam amplius talem, (quanquam cur non dicam, quod dixit ille?) tam Latinam, tam emendatam, tam eruditam, tam dulcibus refertam affectibus, vehementer admiratus est. Id quum sentirem, protuli declamationem. Eam vero legens & simul carmina, re tam insperata sic est affectus, ut ipse vultus hominis minime fucati facile planum faceret, animum ejus verba, quanquam in tuas laudes effusa, longe superare. Protinus exemit è loculo nummum aureum Portugalensem, quem his inclusum literis accipies. Eum quin me reciperem ad te missurum pro signo ac monimento animi erga te sui, nullo modo quivi declinare; quanquam id omnibus profecto modis conabar. Ea res impedimento fuit, ne cæterarum etiam literas ostenderem. Verebar enim, ne videri possem in id ostendisse, ut simili in cæteras quoque benignitate uteretur; quæ ego vel in te usum esse moleste ferebam. Sed est, ut dixi, talis, ut ei placuisse felicitas sit. Scribe ad eum gratias accurate, & literas quam potes elegantissimas. Gaudebis aliquando tali viro placuisse. Vale. Ex Aula. XI. die Septembris, fere media nocte. Debuit profecto singularis fuisse hujus Margarethæ eloquentia, eruditio, indoles, quam tantopere talis Episcopus non verbo tantum laudare, sed amplo munere cohonestare voluit. Et penes me declamatio quædam hujus Margarethæ eloquentissima & ingeniosa admodum, omnibusque veri Oratoris numeris absoluta, qua Quintilianum imitata vel æmulata potius respondet illi ejus orationi, quæ est *de pauperis apibus, in horto divitis veneno floribus asperso necatis.* Pauperis causam defendit Quintilianus; Divitis tuetur Margaretha. Quæ sane causa quanto ad defendendum difficilior, tanto ars & eloquentia Margarethæ excellentior videri debet. Nisi prolixitatis hic tædium aut nimiam à proposita Thomæ Mori vita digressionem metuerem, utramque declamationem Quintiliani & Margarethæ vel hoc loco, vel huic Operi subjecissem. Nunc ut alias Mori literas prætermittam, in quibus supra quam dici potest, Margaretham suam eruditionis nomine laudat, (quæ tamen conditione minor erat, quam cui adulari, ætate tunc major, quam cui abblandiri, charior, quam cui illudere, pater & talis pater voluerit) ut non illas proferam, in quibus de carminibus Margarethæ suæ ait, *se singulos ejus versus non singulis Philippicis aureis, quod in Cherilo fecit Alexander, sed, si facultas esset animo par, singulas syllabas unceis aureis binis compensaturum*; denique ut cæteras omnes, prolixitatis vitandæ causa, quæ supra opinionem meam excrevit, intactas relinquam, unicas amplius transcribam, sed certe tales, quæ & admirabile Margarethæ ingenium, & varium ac multiplex scholæ suæ exercitium magis adhuc & magis ob oculos Lectoris ponent.

Thomas Morus Margarethæ, filiæ dulcissimæ S. P. D.

Non erat causæ quicquam, dulcissima filia, cur unum diem scribere distulisses, quod tibi nimis diffisa, verereris, ne non ejus generis forent tuæ epistolæ, quæ citra nauseam nobis legerentur. Etenim si non emendatissimæ prodirent, tamen & sexus honor à quovis impetraret veniam, & patri solet in liberorum facie vel nævus videri formosus. Nunc vero istæ, mea Margaretha, tuæ tam elegantes, tam politæ, adeo nihil habebant, quamobrem formidare debebant parentis indulgentissimum judicium, ut Momi quoque censuram contemnere quantumvis irati, possent. Quod Nicolaus & amantissimus nostri, & astrologicarum rerum peritissimus, iterum vobis cœlestium corporum sphæram auspicatus est, & illi gratias ago, & vobis istam gratulor felicitatem; quibus intra unum mensem continget minimo labore pernoscere tot & tam sublimia Opificis æterni miracula, quæ tam multa, tam præclara, fereque supra mortalium sortem ingenia, tot sudoribus & studiis, imo tot algoribus & sub dio pervigilatis noctibus multarum ætatum decursu repererunt. Placet igitur illud vehementer mihi, quod te decrevisse tecum scribis, tam diligenter Philosophiæ nunc in-

cumbere; ut quod antehac per negligentiam periit tibi, imposterum diligentia resarcias. Ego certe, Margaretha charissima, quum nunquam te cessasse deprehenderim, imo progressam gnaviter eruditio ista tua minime vulgaris, sed ferme per omne literarum genus absoluta prædicet; velut eximiæ in te modestiæ specimen amplector, quod desidiam potius accusare falso maluisti, quam vere jactare diligentiam. Nisi tua fortassis isthuc spectet oratio, tam sedulo posthac incubituram te, ut præteriti temporis industria, quanquam & illa fuit egregia, tamen si cum futura comparetur, videri possit ignavia. Quod si ita, mea Margaretha, sentis, (id quod plane te sentire puto) nihil reor posse contingere aut animo meo jucundius, aut tibi, dulcissima nata, felicius. Etenim ut totam ferme vitam reliquam vehementer opto te in rem medicam & literas sacras impendere, quo nusquam tibi desint ad humanæ vitæ scopum adminicula, (nempe ut sit mens sana in corpore sano) quarum literarum & aliqua jam fundamenta jecisti, & nunquam deerit superstruendi facultas; ita primos aliquot annos efflorescentis adhuc ætatis existimem in humanis literis, & liberalibus, quas vocant, disciplinis, magno cum fructu collocari posse: quum quod hæc ætas commodissime potest, per eas difficultates eluctari; tum quod incertum est, an alias unquam futura sit Præceptoris tam seduli, tam amantis, tam eruditi copia: ut interim taceam, quod ab his literis vel paratur, vel certe juvatur judicium. Liberet, mea Margaretha, mihi diu tecum his de rebus colloqui: sed ecce subito nos interpellant avocantque hi, qui jamjam cœnam inferunt; mihi certe, nisi aliorum esset habenda ratio, multo minus suavem, quam hoc colloquium tecum. Vale, charissima filia, & conjugem tuum, filium mihi dulcissimum, meo nomine saluta: qui quod eadem jam tecum legit, dici non potest quam vehementer exulto. Jam qui semper tibi suadere soleo, ut omnibus in rebus marito cederes, contra potestatem facio, ut in pernoscenda sphæra maritum superare contendas. Iterum vale, & totum saluta sodalitium, sed præceptorem inprimis. Atque ex his hactenus facile perspicere lector poterit, qualis erga liberos suos pater fuerit, quanta sedulitate, quibus in studiis, quanto cum affectu, & perficiendi desiderio, eoque non plane vano (ut in una apparet Margaretha) eos instituerit Thomas Morus.



CAP. XII.


Apophthegmata, sapienter & pie dicta Thomæ Mori.

THomam Morum virum doctum, magni ingenii, pium ac religiosum inprimis fuisse, ex iis, quæ jam memoravimus, facile Lector deprehendet. Cæterum ut ejus ingenii, doctrinæ & pietatis, fructus aliquis in hac ejus vita describenda ad Latinum lectorem accedat, utque ea qualia in Moro fuerint, non communibus tantum argumentis, sed propriis & ad oculum demonstretur, quasique digito palpandum præbeatur, proferam hoc loco varia ejus apophthegmata, sapienter aut pie dicta, similia quoque ex Anglicis ejus Operibus à me obiter collecta: non sane omnia quæ majori forte studio colligi poterant, sed quæ mihi ea nuper percurrenti occurrere potuerunt. Existimavi enim istud non ad Mori tantum commendationem facere, sed (quod magis spectabam) ad Lectoris utilitatem, & ædificationem facere posse. Neque insolens in magnis aut sanctis viris describendis eorum præclare dicta & γνώμας recensere. Sermo enim indicat hominem, & ex abundantia cordis os loquitur. Illa igitur sine ulla connexione aut ordine (neque enim illud hic locus postulat) notatis tantum ex volumine Anglico locis subjungam. Ac primum ex libro de quatuor novissimis, pag. 73. *Ne existimes jucundum esse, quicquid insani homines ridentes faciunt. Nam & phreneticum videas, quum caput parieti strenue impingit, affatim ridere.* Hoc de vulgi judicio & opinione dicebat, à qua pendere stultissimum duxit. Pag. 74. *Peccator spiritualem voluptatem ideo gustare non potest, quia abjicienda prius carnalis est.* Rationem reddit, cur multi nullum in oratione & divino cultu gustum inveniunt. Cur mortem pauci recogitant neque formidant, hoc simili docuit pag. 79. *Ut qui eminus aliquid videt, confuse videt, nesciens homo ne an arbor sit; sic qui vitam sibi longam promittens, mortem quasi eminus & longissime adhuc à se distantem respicit, ille eam qualis sit, quam terribilis & acerba, & horrenda, quos angores, quæ pericula affert, non videt.* Ut in nulla ætate aliquis sibi longam vitam promitteret, hac hypothesi suasit pag. 82. *Sicut qui è carcere ad patibulum ducitur, quo duæ quidem viæ ducunt, una per circuitum longa, alia recta & brevis, sed utraque ad patibulum ducto ignoratur, donec ad exitum ventum sit; non habet exiens, unde longiorem sibi promittat propter alterius viæ incertam longitudinem; sic juvenis non potest longiorem sibi vitam promittere quam senex.* Nempe statuit (quod res est) omnem hominem propter peccatum originale nasci ad patibulum mortis damnatum: ad quod per circuitum senex, per diametrum juvenis tendit: sed neuter suam viam novit, donec mors veniat. Contra vanitatem honoris mundani dicebat pag. 84. *Sicut vanissimus ille facinorosus haberetur, qui è carcere ad patibulum ducendus in carceris vestibulo aut valvis nobilitatis suæ insignia collocaret; sic vani sunt omnes peccatores terræ, qui in hoc mundi carcere magno studio honoris & dignitatis monimenta relinquunt.* Ne quis in superfluorum jactura se lædi existimet, hoc Dilemmate utebatur pag. 91. *Qui rerum jacturam patitur, bona, quæ amisit, vel laudabiliter expendere voluit, & Deus voluntatem pro facto habet; vel nequiter absumere, & est quod gaudeat, materiam peccati sublutam esse.* Ut stulti-

ſtultitiam avari, maxime ſenis, ad vivum exprimeret, hunc apologum finxit pag. 92. *Latrunculus accepta in craſtinum mortis ſententia, præcedenti die furatur. Cauſam rogatus reſpondit, quia vel una nocte ejus pecuniæ dominum eſſe, magna ei voluptas fuit. Sic avarus ſenex etiam in decrepita ætate cumulum augere non deſinit.* Hæc in illo imperfecto opuſculo, cujus ſi, quod intercidit, inventum fuiſſet, multo haud dubie plura ſapientiæ ſuæ & ingenii documenta in illo pio Opere Morus reliquiſſet. Stultitiam atque adeo inſaniam eorum, qui theſauris pecuniæ reconditis oblectantur, hac comparatione egregie expreſſit. Scribit in perſona animarum defunctarum, & in purgatorio exiſtentium, in libello ſupplici earundem, de quo ſupra diximus: *Nos*, inquit, *hic in purgatorio conſtituti, quum auri & argenti ſacculos, quos olim in ſeculo recondidimus, recordamur, non ſecus ſtultitiam illam noſtram etiam cum ſtomacho ridemus atque damnamus, quam olim vivi riſimus ſacculos noſtros ceraſeis lapillis plenos, quos forte, dum pueri eſſemus, magno ſtudio in neſcio quo domus angulo repoſueramus, poſteaque viri facti caſu inveneramus. Sicut enim tunc puerilem ineptiam circa ceraſorum lapillos riſimus & damnavimus, ita nunc ineptiam virilem circa auri nummos reconditos ridemus & damnamus.* Nunc ex libris de conſolatione in adverſis conſimilia proferemus. Ne adverſis quis perturbaretur, hoc grave documentum quaſique paradoxon poſuit Lib. I. cap. 6. *Tam cæca eſt mortalium mens & futuri incerta, tam etiam in ſuis affectibus inconſtans & mutabilis, ut vix acerbius hominem Deus punire poſſet, quam ſi ei omnia ex animi voto & ſententia ſuccedere pateretur.* Præſentis tribulationis fructum hac erudita partitione demonſtravit cap. 11. *In inferno omnis pœna per modum juſtæ vindicationis tantum infertur, quia purgationis ille locus non eſt. In purgatorio omnis pœna purgat tantum, quia merendi locus ille non eſt. In hac vita omnis pœna & purgare poteſt peccatorem, & meritum afferre juſto, quia utriusque locus hac vita eſt.* Eorum vanitatem, qui hanc vitam otioſe aut vane tranſigunt, hoc ſimili expreſſit cap. 13. *Qui hoc peregrinationis tempore otio & voluptati indulgent, ſimiles ei ſunt, qui domum iter faciens, ubi omnibus rebus abundaret, in aliquo diverſorio in gratiam cauponis ſtabularius eſſe vellet, vitamque in ſtabulo finire. Nempe in regnum cœlorum tendimus; ſed interim ut congerrone aliquo aut amiculo fruamur, terrenis inhæremus.* Contra ignavos & molles animarum curatores hac egregia hypotheſi utebatur cap. 14. *Sicut aſtuta mater tenerum parvulum, qui nimium diu in lecto ſtertivit, & iturus ad ſcholam plorat, virgam metuens, blandis verbis & promiſſis emittit, omnia ei ſalva promittens, vel quia tam ſerum non eſt, vel quia Præceptor hac vice indulgebit; nec, quam pœnam in ſchola luat, penſi habet, modo hilari vultu cum ſuo butyraceo eum à ſe dimittat; ſic multi animarum curatores divitibus & voluptuoſis placentia loquuntur, ad mortem properantes & à pœnis infernalibus ſibi metuentes vana ſpe lactant, omniaque ſalva promittunt; vel quia non ita graviter Deum offenderunt, vel quia miſericors Deus facile indulgebit: nec quas poſtea in inferno pœnas luant, quicquam curant, modo eos in hac vita non contriſtent, ſed beneficos & liberales erga ſe ſentiant.* Volens declarare, utra fortuna magis ab orando Deum hominem avocet, adverſane an ſecunda, hoc diſcrimen ponit cap. 19. *Impium quidem hominem tam in proſperis voluptas, quam in adverſis afflictio ab oratione revocat. Hoc tamen diſcrimen eſt, quod afflictio etiam ab impiiſſimo aliquam interdum oratiunculam extorquet, voluptas autem etiam mediocriter bonum ab omni oratione avocat.* Contra impœnitentes & uſque ad vitæ finem emendationem procraſtinantes, hanc ſeu rem fictam ſeu rem geſtam narrat, Lib. II. cap. 5. *Impœnitens nequam, qui per totam vitam ſcelerate vivebat, jactitare ſolebat, ſe in ultimo articulo, tribus tantum verbis recitatis, ſalvum fore. Hic tandem necdum adeo ſenex, equo pontem diffractum tranſiens, titubante equo, quum illum erigere conaretur, nec poſſet, ſed neceſſario ſibi in aquas præcipitem cadendum videret, laxatis habenis cadens exclamat:* capiat omnia dæmon: *atque cum tribus ſuis verbis immerſus periit.* Inter veram & falſam viſionem hoc diſcrimen poſuit cap. 16. *Qui vera viſione perſuadetur, & qui falſa illuditur, ſic differunt ſicut vigilans à ſomniante.* Eorum, qui puſillanimes ſunt, vanam formidinem hac ſimilitudine appoſite demonſtravit: *Sicut qui pontem ſublimem paulo anguſtiorem tranſiens formidine nonnunquam ſic tangitur, ut ex ejus ſola apprehenſione cadat deorſum, qui alioqui; ſi nihil metueret, facillime tranſiret illæſus, forte & transcurreret: & ſicut tali formidine perculſo ſi aſtantes acclamant*, ecce cadis, ecce cadis, *certiſſime cadet, alioquin non caſurus, ſi hilari vultu eum aſtantes aſpicerent, nihilque eſſe periculi aſſererent; eodem plane modo qui natura meticuloſus, puſillanimis & ſuſpicax eſt, diabolo in aurem cordis acclamante*, damnaris, damnaris, *in barathrum deſperationis ſe præcipitem dat, non ſic facturus, ſed omnem illam tentationem facile ſuperaturus, ſi vel natura paulo fortior eſſet, vel ſanis & ſalubribus bonorum conſiliis ad meliorem ſpem erigeretur.* Res hujus vitæ ſecundæ quam fluxæ & caducæ eſſent, hac comparatione oſtendit: *Proſpera hujus mundi ſunt velut dies brumalis breviſſima, nosque in ea quaſi ſagitta alte ejaculata ad momentum attollimur, ubi quaſi aër calidior nobis aſpirat; ſed unde rurſum in momento in terram cadimus, ibique fixi hæremus, ſatis interdum vel ſordidi, & infamiæ luto conſpurcati, vel frigidi & plumis omnibus ſpoliati.* Divitias & honores peccandi quandam ſecum neceſſitatem afferre, his ſimilibus explicavit: *Sicut difficile eſt picem tangere, & non inquinari ab ea, ſtuppam igni apponi, & non comburi, colubrum in ſinu alere, & non morderi ab illo: ſic difficillimum eſt divitem & honoratum in ſeculo, ſuperbiæ & ambitionis jaculo non feriri.* Hominem in ſumma dignitate conſtitutum, ut in vanam ſui complacentiam non infletur, monet, ut exiſtimet quemlibet etiam mendicum parem ſibi ac ſocium eſſe. Ad

hoc persuadendum hac hypothesi utitur: *Sint duo mendici, qui simul diu mendicarunt; quorum alterum dives aliquis in domum suam recipiat, veste holoserica induat, multis pecuniis donet, ita tamen ut ei prædicat, intra breve tempus domo illi exeundum, omnique illa deponenda ac reddenda esse. Si is interea in socium mendicum incidat splendide vestitus ipse, an eum pro socio non agnoscet? an propter paucorum dierum fortunam meliorem se illo judicabit? Sic quippe omnes æque nudi in hunc mundum venimus, æque nudi hinc discedemus; sola Dei gratuita liberalitate plus interea minusve induti.* Avaritiam cap. 17. dicebat esse *igni similem, qui quanto plus lignorum depascit, tanto fit ferventior ad plura depascenda.* Dicebat domicellæ, quæ multo cum labore atque etiam dolore crines complicabat, ut frons lata esset, tunicamque constringebat, ut gracili corpore videretur: *Nisi Deus tibi pro hoc tuo tanto labore infernum reddat, magnam tibi profecto injuriam faciet.* Affirmabat serio persuasissimum sibi esse *quam plurimos in hac vita eo labore infernum mercari, cujus vel dimidio cœlum lucrati fuissent.* De grassatura hæresi in Anglia (quod nimis vere prævidit & prædixit) dicebat Lib. III. cap. 1. sub hypotyposi Mahometicæ blasphemiæ in Hungariam invehendæ: *Sicut adversus instantem procellam exæstuat mare, & ventis necdum spirantibus motus insolitos inquietum excitat; sic videre mihi videor complures ex nostris, qui à paucis annis hæretici, schismatici, Lutherani, aut Sacramentarii nomen audire non sustinebant, nunc id genus hominum æquo animo ferre: sed & nonnunquam aliquantulum laudare, ac paulatim (quantum permitti sibi posse putant) Ecclesiam, clerum, ceremonias, sacramenta, leges cupide reprehendere & libenter taxare.* Divitias vocari non debere, ut solent, bona, hoc argumento ostendit cap. 5. *Si fortitudinem qui habet, fortis est, qui calorem, calidus, qui sapientiam, sapiens, divitias autem qui habet, bonus illico non est, bona vocari divitiæ non debent.* De honoribus in Republica dicebat, virum honoratum, quo sit in Republica aliquis honoratior (quales omnes sunt, excepto Rege) frustra sibi de honore placere. *Viginti enim*, inquiebat cap. 11. *vel etiam centum aperto capite circumstantes non sic caput tuum à frigore defendant, sicut unicus tuus pileus, quem coram superiore exuere necesse habes.* Istud vero pie admodum ac sancte dicebat, salubriterque tota vita ruminabat: *Nulla animi pejor affectio, quam ea re delectari, quæ nisi peccando obtineri non potest.* cap. 14. Ad quod etiam confirmandum addebat: *Qui cum Dei offensa bona mundi vel acquirit vel conservat, certissime sibi persuadeat, illa bona nunquam ei bono futura. Nam vel cito DEUS male parta auferet, vel ad majus malum conservari permittet.* Contra tenaces & eleemosynas non facientes hoc simili absurditatem eorum ostendere cap. 15. voluit: *Sicut qui certo sciens fore ut brevi in exteram regionem compellatur, ubi natali solo relicto toto reliquo vitæ tempore agere debeat, ægre tamen ferret, bona sua in illam regionem exportare, & eis tantisper domi carere, usurus postmodum semper, merito insanire judicaretur; sic plane insaniunt, qui stulta cupiditate illecti, bona sua penes se quam possunt diutissime retinendi, aut vano timore futuræ indigentiæ negligunt ea per eleemosynas aliosque bonos usus in cœlum præmittere, ubi certissime sciunt perpetuo se cum omni affluentia & geminata mercede victuros.* Ut carceris sui incommodum levaret, dicebat, *totum mundum, in quem homines ex paradiso ejecti ob peccatum deturbantur, nihil esse aliud quam carcerem, unde omnes ad causam dicendam suis diebus singuli evocarentur.* Atque hæc ex libris ejus moralibus moralia decerpsi. Ex familiari ejus consuetudine quædam sapienter dicta animadversa sunt. Inter quæ illud celebre est, quod & frequenter in ore habuit: *Facile fieri potest, ut capite quis minuatur, nec quicquam tamen lædatur.* Nempe quum pro fide & justitia id fit. Illud etiam eleganter dicere solebat: *Bene ac laudabiliter facta pro merito compensare mundus hic nec ingratus solet, nec gratus potest.* De hæreticis dicebat: *Sustulerunt hypocrisin, sed impudentiam substituerunt; ut qui ante religionem simulabant, nunc in impietate glorientur.* Orare sic solebat: *Domine DEUS fac me in illis consequendis operam collocare, pro quibus obtinendis soleo ad te orare.* Quum domi suæ loco quo hospites excipere solebat, aliquem sermonem detractorium audiret contra honorem vel Dei, vel Principum, vel proximi, ut eum interrumperet, in more semper habebat dicere: *Dicant & sentiant cæteri ut volunt; mihi sane videtur, quod istud ambulacrum est egregie & valde commode extructum*, atque ita ad alia sermonem deflectebat. Dicebat in libro de vita Richardi Regis de ingratis: *Beneficia pulveri, si quid mali patimur, marmori insculpimus.* Nunc ex Operibus contra hæreticos elaboratis nonnulla proferemus. Quum hæretici rationis usum in rebus fidei prorsus rejicerent, importunam illam & superstitiosam ineptiam sic rejecit: *Ratio*, inquit Lib. I. Dialog. cap. 23. *non est censenda inimica fidei, nisi forte inimicum judices, quisquis te melior aut major est, qui tamen non noceat. Quo certe modo ex quinque sensibus tuis alter alteri inimicus fuerit, ut visus tactui, quia ad longissime dissita ille pertingit, hic nisi ad proxima.* Moxque quo tandem modo fiat, ut ratio fidei non adversetur, sed ad eam illustrandam multum valeat, hoc simili docet: *Sicut ancilla, si laxatis habenis audacula esse & procaciter agere permittatur, non dubitabit dominæ contradicere, & petulanter cum ea altercari; si vero in officio contineatur, morigeram se & obsequentem in omnibus præbebit, & utile obsequium faciet: Sic ratio humana, ubi semel audax & arrogans esse cœperit, non dubitat in multis fidei contradicere, & de his, quæ sunt fidei, arroganter contendere: Pia autem & humilis ratio facile se captivabit in obsequium fidei, adeoque fidei dictata & præcepta juvabit.* Erat certe Morus in similibus

militibus acute inveniendis & sapienter applicandis felicissimus. Hæreticorum dissentientes sententias nihil aliud esse quam improborum hominum conspirationem quandam, qua toti orbi illudatur, hac festiva comparatione in confutatione Tindalli, pag. 707. expressit. *Ab hæreticis hodie veritatem velle exquirere, non aliud esset quam eam fortunam subire, quæ alicui in deserto aberranti, & viam quærenti contingeret, si forte in nebulones quosdam incideret, qui, de via rogati, omnes se in circulum conjicerent, dorso ad dorsum contra posito; quorum unusquisque diversa & aversa facie respiciens quærenti diceret: hæc, quæ ante me jacet, tua via recta est, digito demonstrans quisque, quod illi obversatur via.* Ut enim istos nebulones certum est quærenti illudere, sic & hodie hæretici faciunt. Hæreticorum libros non esse ab indoctis legendos, hoc simili suadet, pag. 356. *Desiperet plane, qui sciens & prudens venenum prius exoptaret, ut postea antidotum præsens acciperet. Sapit qui veneno intacto, vel potius effuso, illis antidotum relinquit, qui illo opus habent.* De translatione Bibliorum hæretica Apolog. cap. 4. dicebat: *Sicut aque facile est telam de novo texere, quam telæ reticulatæ hiatus replere; sic non minor esset labor Biblia de novo vertere, quam corruptas hæreticorum versiones emendare.* De non legendis hæreticorum versionibus etiam correctis dicebat: *Nemo, qui quicquam sapit, pane illo vesceretur, quem sciret ab inimico venenatum, quomodocunque ab amico postea abrasum & emundatum cerneret: maxime quum ad manum panis alius sit nunquam infectus.* Hac felicitate ingenii usus varia hæreticorum argumenta rationibus à natura petitis sæpe refutavit. Arguentibus hæreticis sic: Deus pro sua bona voluntate salvat nos, & voluntarie genuit nos in verbo veritatis; & fides est donum Dei, non ex nobis: ergo nulla nostra voluntate hoc fecit, neq; prout nos voluimus, sed tantum, prout ipse voluit, respondit cap. 8. Morus: *Quum multis precibus magnoque labore & industria aliquid impetramus indebitum, non dubium, quin, qui beneficium confert, pro sua bona voluntate & voluntarie conferat. Quis tamen neget nostram quoque voluntatem cooperatam fuisse, quæ nisi adfuisset, nec precibus nec labore usa fuisset? Sic enim & pœnitentes veniam, & justi multa gratiæ beneficia à Deo impetrant.* Dicentibus hæreticis, jejunia non nisi ad edomandam carnem assumenda esse; respondit contra Tindall. pag. 368. *Hoc si ita est, nec conjugatos unquam facile jejunaturos, qui aliud remedium in promtu habent, nec virgines jejunare ausuras, ne impudici juvenes advertant à carnis illecebris eas titillari. Denique hoc nihil aliud esse quam ut suam quisque libidinem prodat.* Sed hujus generis in sequenti capite nonnulla proferemus. Dicebat, *eum demum ad videndum DEUM facile à DEO admitti, qui DEUM videndi ingenti desiderio tenetur; contra vero neminem ad videndum DEUM unquam admitti, qui, ut eo admitteretur, diu multumque non desideravit.* Sed non contenti his paucis sapienter & pie dictis, quasi verbi gratia prolatis, è quibus, quantum doctrina, quantum ingenio, quantum pietate Morus valebat, facile est deprehendere. Ad alia transeamus, unde ingenii non pietate tantum & eruditione clari sed etiam acuti, lepidi, atque innoxie faceti documenta proferentur: ut ita totam quasi naturam & indolem viri hujus admirabilis perspectam Lector habeat.



CAP. XIII.

Acute & facete dicta vel responsa.

THOMAS MORUS cui *pectus erat omni nive candidius* (ut scribit Erasmus familiaris ejus amicus in præfat. sui Ecclesiastæ) ut vir erat prudentia gravis, moribus severus, consilio altus; ita quoque erat in vitæ consuetudine mire suavis, lepidus ac facetus. Quam quidem suam gravitatem in supremis & variis Reipublicæ muneribus bene comprobatam, perpetua quadam suavitate & lepore ita condivit, ut nescias an fuerit Senator gravior, an amicus jucundior. Rebus etiam gravissimis facetias ita intermiscuit, vultus tamen totiusque corporis gravitate nihil prorsus immutata, ut nec unquam torvus, sed semper jucundus, nec unquam solutus aut levis, sed semper gravis ac sibi constans videretur: adeo sane, ut quum meros jocos diceret, etiam à familiarissimis serio loqui putaretur. Nam & quum fortiter adversario respondet, ipsa responsio sæpe numero jocus est. Nusquam tamen in ejus scriptis sarcasmos, scommata, vel acerbas ironias videas. Ludendo hæreticum confutat, accusationem diluit, objectioni respondet. Denique quum maxime premit vel premitur, aliquo lepore vel ferit, vel ictum avertit; idque tanto ingenio, tam acute, ut nescias, quid mirere magis, ingenii felicitatem, an morum facilitatem, acumen ne an elegantiam. Sed satius est nunc ut harum rerum omnium exempla proferamus. Id autem fiet partim ex scriptis ejus, partim ex iis, quæ certa relatione didicimus.

Sed primum quæ ex scriptis collegimus. Luthero postulante pro miraculo haberi, quod tantus Christianus populus tam brevi tempore in sectam ejus concesserit; respondet in epist. adversus Pomeranum, pag. 12. Morus: *Ad propositam vitæ libidinosæ licentiam populum ruere, id habet tantam miraculi speciem, quam saxa deorsum cadere.* Rursum paulo post pag. 25. *Monasticum vitæ genus si est, ut vos videri vultis, adversus Evangelium, oportet*

Evangelicam vitam huic esse contrariam: hoc est, esse talem, ut se curet molliter, bene comedat, bene bibat, bene dormiat, libidinetur & voluptate diffluat. Et justa & gravis, simulque acuta & faceta responsio. Talis etiam est ista pag. 29. *Si bona sunt opera quæ necessario producat fides* (hoc enim ajunt, ut aliquo honesto prætextu solam fidem retineant) *quid aliud facitis disputantes adversus opera bona, quam deblateratis adversus fructum fidei?* Rursum & ista. Quum hæretici tanquam mercenarios rejiciant qui bonorum operum mercedem statuunt; respondet pag. 39. Morus: *Isti boni viri tam generoso sunt animo, ut potius quam in vineam sese conduci sinant denario, extra vineam velint perire suspendio.* Denique & illa pag. 13. *Quum ego nomine soleatis insectari Theologiam scholasticam, quod illic cum periculo veritas trahatur in dubium; à vobis falsum pro indubio adversus verum asseritur.* Nunc ad Anglica scripta veniamus: nam cætera Latina in volumine Latino contenta omnium manibus teruntur. Quum hæreticorum libri ex brevitate commendarentur, pag. 848. respondit: *Scripta hæreticorum quum nihil concludant boni, utcunque brevia, hoc totum quod sunt, nimis sunt prolixa.* Rursum alio in loco pag. 931. elegantius: *Sicuti nemo breviorem cursum conficit, quam qui utroque pede caret, sic nemo brevius scribit, quam qui tum verbis aptis tum materia justa destituitur.* Dicente quodam hæretico, non debere Morum eos scripto arguere, qui schismata & dissensiones excitant, nisi ipsemet eisdem remedium posset afferre, pag. 935. respondet: *Hoc perinde dici, ac si nemini liceret incendiarios taxare, nisi qui incensas ædes restaurare queat.* Sed acutius istud magisque facetum. Scripsit per contumeliam hæreticus quidam: *Debet hæc nobis Morus probare expresso Scripturæ verbo, non autem somniis suis non scriptis.* Respondet pag. 1117. Morus: *Equidem somniis meis majorem authoritatem tribuit, quam ego vel somniare unquam ausus essem. Quum enim ea solum rejicit mea somnia, quæ scripta non sunt, ostendit se ad ea credenda paratum, quæ scripto mandare vellem.* Dicebat hæreticos argumenta sibi ipsis formare & fingere (tanquam Catholicorum) lubrica & debilia, quæ nullo negotio possent statim confutare; *Sicuti*, inquit pag. 1131. *parvuli ex tegularum fragmentis domunculas sibi exstruunt, quas mox cum magna voluptate subvertant.* De hæreticorum maledictis, quibus eum obruebant, p. 930. dicebat: *Non sum ita rationis expers, ut ab hominibus rationi adversis aliquid ratione dignum expectem.* Istas & alias Mori facetias quum hæretici ægrius ferrent, atque culparent, magis, ut opinor, ingenio ejus invidentes, quam quod læsos se sentirent, ipsas quoque facetias suas facete defendit: *Vix*, inquit Apolog. cap. I. *crediderim, me in scriptis meis nimis jucundum his bonis fratribus videri, quos hactenus non audivi in meis scriptis aliquid ipsis jucundum legisse.* De Theologis in scholastica tantum doctrina versatis, Patrum & Scripturæ lectione neglecta, solo contentis vel Petro Lombardo, vel Gratiano, locisque Patrum apud eos citatis, ut eorum magnum errorem & defectum ostenderet, in epistola ad Martinum Dorpium sic scripsit: *Qui sunt ex hac farragine, qui neque Veterum quenquam neque Scripturarum quicquam legunt, nisi in sententiis & earum commentariis, perinde mihi videntur facere, ac si quis authoribus omnibus, qui Latine scripserunt, omissis, Constructionum præceptis ab Alexandro petitis, reliquum ex Perotti Cornucopia, & Calepino conentur ediscere: quod persuasum habeant, in his omnia linguæ Latinæ vocabula sese reperturos: & profecto reperient plurima eademque selectissima. Nempe ut apud recentiores Theologos priorum dicta authoritatis loco leguntur inserta, ita hic quoque veteres Poëtæ atque Oratores, aliquot etiam, qui nunc nec extant quidem. Sed neque hæc unquam facient Latinum, neque illa Theologum, si sola sint.* Jam vero non in scriptione tantum, cui lepores tanquam condimenta quædam inserere se ajebat, sed multo magis in rebus ipsis sermoneque familiari mira quadam gratia lepores inspársit, sæpe etiam quod offendere graviter possit, adhibito lepore declinavit. Quum Cancellarius esset, effregerat carceres ejus domesticos hæreticus quidam, Constantinus dictus. Vocato igitur confestim janitore serio mandat, *ut carceres bene reficiat ac diligenter obseratos teneat, ne forte reversus, qui fugerat, denuo eos ingrediatur.* Quumque hæretici de hac sodalis sui evasione jactabundi passim dicerent: *Cancellarium hoc errore ita turbatum fuisse, ut vix triduo post præ ira comederet*; respondit: *Ego profecto ob hoc factum nequaquam eum reprehenderim. Nunquam enim ita morosus esse velim, ut ei irascar, qui, quum minus commode sedeat, surgit quum potest.* Quantum autem hæc animi perpetua serenitas (quæ haud dubie ex conscientia perpetuo innoxia ideoque læta processit) & conjuncta verborum suavitas ac lepor ingeniosus in causis gravissimis Morum juverit, & innocentiam ejus atque constantiam commode tutata fuerit, aliquot nunc exemplis docebo; ex quibus facetissimum hominis ingenium cum magna animi libertate & serenitate conjunctum luculenter apparebit. Quum Orator populi esset in pleno Senatu seu regni Comitiis, quæ *Parleamenta* vocamus, Cardinalis Wolsæi (qui unus omnia tunc apud Regem poterat) iniquas quasdam propositiones magna facundia, prudentia, constantia subvertit. Soluto conventu accersitur à Cardinali, Mori (ut putabat) audaciam sua authoritate repressuro, in palatium novum, quod idem Cardinalis magnificum sibi recenter extruxerat. Quum diu expectatus prodiret tandem Cardinalis, Moro in præsentia multorum dixit: *Utinam, Thoma More, quum Orator populi in his Comitiis declararis, ad portas urbis Romæ fuisses.* Cui extemplo Morus: *Illustrissime Domine, & ego certe illud quam maxime optassem. Vidissem enim profecto præclaram urbem, de qua multa audivi, nec hactenus vidi.* Neque plura adjecit. Hoc inopinato responso accepto, diu tacuit Cardinalis cum Thoma Moro inambulans. Tandem Morus silentii illius in tot & tantorum

virorum

virorum præsentia pudore quodam suffusus, indecorum putans, nihil ab alterutro dici, in hunc sermonem erupit: *Illustrissime Domine, Celsitudo Vestra magnificum hic certe & illustre palatium extruxit:* quædamque alia in eam sententiam. Cardinalis viri constantiam videns, (existimabat enim fore, ut veniam deprecaretur Morus, seque totum in potestate Cardinalis fore diceret) nullo dato responso confestim se & festinanter in cubiculum proripuit. Constanter hoc & libere. Quod autem sequitur, non libere tantum, sed & ingeniose acutissimeque responsum, ita quidem, ut acerbam contumeliam cordate rejiceret, nec offenderet tamen. Thoma Moro in Concilium regium recenter cooptato, Cardinalis idem Wolsæus Concilii Præses proposuerat in pleno Senatu expedire ut Conestabilis aliquis erigeretur supremus & Generalis in toto regno, qui Regis personam ubique repræsentaret, (qualem Magistratum raro videt Anglia) haud dubie, ut ipsemet ille Cardinalis declararetur: (ut erat homo ad patriæ suæ perniciem ambitiosus) quumque multa in eam sententiam dixisset, totus Senatus, qui tunc ex nobilissimis Ducibus, Comitibus, totiusque regni præcipua Nobilitate constabat, in Cardinalis sententiam pedibus ibat, nullo plane contradicente, aut ullum scrupum injiciente; donec ad Morum ventum est. Is cui postremo loco dicendum erat, aliter sensit, suamque sententiam ita multis & firmis argumentis probavit, ut reliquus jam Senatus nutare, novamque deliberationem expetere videretur. Iratus Cardinalis sic Morum alloquitur: *An te vero non pudet, More, quum sis omnium & loco & dignitate infimus, sic solum sapere, & à tot nobilissimis ac prudentissimis viris dissentire? Ostendis te plane ineptum & stultum esse Consiliarium.* Cui è vestigio Morus: *Enimvero magnæ Deo gratiæ agendæ sunt, quod Regia Majestas in hoc suo supremo Senatu unicum tantum stultum habeat.* Nec plura apposuit. Deliberatio in aliud tempus dilata; postulatum rejectum est. Hoc ejus responsum nescias majorisne fuerit prudentiæ an modestiæ: non sine sale tamen. Atque hæc quidem ejus acute responsa fuerunt.

Quod nunc referam, etiam in pleno consessu factum, non acutum modo, sed & valde lepidum fuit. Nam & in ipsis tribunalibus, adeoque (ut mox dicetur) in carcere, in patibulo à facetiis non abstinuit. Sedente pro tribunali Moro, latrunculi quidam ex illis, qui sacculos pecuniarios & crumenas mira facilitate resecant, producuntur, præsentibus & jacturas suas graviter deplorantibus illis, quorum fuerant resectæ crumenæ. Hic ex Assessoribus unus vir gravis & senex ipsos innocentes acerrime cœpit objurgare, quod sacculos suos accuratius non servarent, sed sua incuria & negligentia nebulonibus illis furti hujus exercendi ansam præberent. Morus audita hominis importuna oratione, qua eos objurgabat, quibus justitiam administrare debebat, rejecta in proximum conventum hujus rei cognitione, sequenti nocte unum ex latrunculis istis clam è custodia ad se adduci fecit. Agit cum eo, ut in proxima sessione senis illius, qui sic innocentes objurgarat, crumenam sedenti pro tribunali resecaret. Quod si faceret, gratiam ab eo hac vice expectaret. Recipit se facturum latrunculus, nec illibenter. Confidente igitur cum suis Assessoribus in proximo conventu Moro, evocatus inter primos latrunculus ille, ut objecto crimini responderet; ait habere se quidem, quo se facile purget, non tamen id facere posse, nisi secretum quoddam ad sui purgationem pertinens vel supremo Judici, vel ex Assessoribus alicui prius aperire permittatur. Rogat itaque ut ei liceat id facere. Jubetur deligere quem velit ex omnibus cui hoc aperiat. Deligit senem illum. Ad quem accedens ut ei in aurem secretum suum demurmuret, eadem opera crumenam illi ad latus pendentem bene onustam celerrime resecat; moxque finito sermone ad locum suum descendit. Morus accepto indicio rei bene gestæ, captata occasione alterius cujusdam miseri in discrimine capitis constituti aliqua præsenti eleemosyna juvandi, collectam publicam fieri permittit; capto à se & à suis initio.

Quum ad Senem primo fere ordine veniretur, eleemosynam daturus resectam sibi crumenam videt: moxque & ira & pudore plenus jurat sibi ad tribunal conscendenti crumenam adfuisse. Monens igitur eum Morus, non esse objurgandos, quibus id infortunii accidit, reddi à latrunculo crumenam facit: ridentibus qui aderant omnibus, Morique prudentiam & facetissimam gravitatem pleno ore collaudantibus. Hæc & hujusmodi in causa, opinor, fuere, quod in suo de se epitaphio posuerit Morus: *Neque nobilibus erat invisus, nec injucundus populo.* Morus enim quadam comitate & suavitate omnibus gratus fuit, omnium sibi benevolentiam conciliaverat. Porro sic fuit ingeniose facetus & innoxie acutus, ut hominum interdum vanitatem miro lepore, acutissime tamen, patefaceret. Quum Bruxellis legatione apud Carolum V. Imperatorem fungeretur, accidit, ut in tam celebri Aula nescio quis gloriosulus affixa ad valvas charta in omni cujuscunque juris quæstione, adeoque in humanæ literaturæ scientia, omnes ad certamen provocaret: paratum se dicens cuicunque quæstioni respondere, ac de quacunque disputare. Thomas Morus visa hominis Petulanti vanitate, hanc ex Jure Britannico quæstionem proposuit: *Utrum animalia capta in Withernamia sint irreplegibilia?* addens esse in familia Legati Anglici, qui de ea disputaret. Ad hanc quæstionem quum nihil ille gloriosulus respondere posset, ac ne terminos quidem intelligeret; & suam ipse vanitatem ita generaliter omnes provocantem agnoscere coactus

coactus eſt, & per totam celeberrimam illam Aulam non ſine riſu acceptus fuit. Jam vero ut in rebus maximis facetus & jucundus ſemper eſſe voluit, ita in mediis facetiis gravitatem ſic retinuit, ut non ſolum aliis affatim ridentibus ipſe non videret, ſed prætereà ne uxor quidem ipſa aut domeſticus ullus percipere ex vultu potuerit, ſerione an joco aliquid diceret: ſed ex rebus ipſis conjecturam capere illos oportebat. Diſputabat aliquando domi ſuæ inſtante hora prandii cum quodam hæretico: ubi, ex certa ſermonis habiti occaſione, ſtercoris canini mentio injecta eſt: quo verbo dicto ingreſſus miniſter monet omnia in menſa parata eſſe: cui Morus, *at*, inquit, *vide prius ut honeſtior cibus nobis apponatur.* Quod ille ſerio dictum accipiens, ad dominam accurrens, & alios cibos parari dominum velle nuntians, uxorem & familiam non modice turbavit, donec re intellecta in riſum omnes ſoluti ſunt. Sed minutulum iſtud. Gravius hoc, & quod viri non minus prudentiam ac moderationem egregiam, quam elegantiam oſtendit. Reſignato ampliſſimo Cancellarii munere, moxque domum ſuam Londino rediens, nemine rei geſtæ conſcio, Eccleſiam recta ingreſſus (erat enim officii veſpertini hora) finito officio ad uxoris ſuæ ſedem (quam ſeorſim & clauſam honoris cauſa in templo habuit) veniens dixit ei (quod unusquiſpiam ex miniſtris alias ei dicere ſolebat) *placetne egredi? Dominus enim Cancellarius abiit.* Quod quum eum ipſum loquentem videret, jocum putans; *Enimvero*, inquit, *Domine More ſic jocari te libet.* Cur ille: *Imo ſerio loquor, & quod res eſt dico. Dominus enim Cancellarius diſceſſit & non eſt hic.* Cui amplius miranti & ſtatim ſurgenti quum rem totam aperuiſſet, illa quidem fœminarum more de viri honore imminuto multum dolebat, Morus vero hac faceta rei ſignificatione, & ægrum uxoris animum delinire, & quantuli hunc ampliſſimum honorem fecerit, docere voluit. Quum duas uxores duxiſſet, & utramque ſtatura modicam; rogatus, cur ita feciſſet, *quia*, inquit, *ex duobus malis minus eligendum.* In vincula quum conjiceretur, carcerem ingreſſus, juſſus ut ſupremam veſtem cuſtodi de more tradat, pileum porrigit; *hæc enim*, inquit, *ſupremo plane loco conſiſtit*) quum togam cuſtos intelligeret ac conſuetudo flagitaret. In carcere quum ageret, & ad cuſtodis menſam pro ſua dignitate & ſtatu (ſicut moris ibi eſt) tractaretur, dicente aliquando civiliter cuſtode (qui vir nobilis & ex equeſtri ordine fuit, eſtque fere in caſtro Londinenſi ſemper) ac rogante, ut appoſitis contentus eſſe velit; *Si quis hic noſtrûm* (inquit Morus, erant autem præſentes omnes concaptivi) *his appoſitis contentus non ſit, hunc, meo judicio, domo abigito, & in malam rem abire jubeto.* Quum tandem in carcere arctius cuſtodiretur, ſublatique eſſent libri omnes & chartæ, cubiculi ſui feneſtras deinceps die ac nocte occluſit prorſus. Rogatus à cuſtode, cur ſic faceret? reſpondit: *Sublatis mercibus & inſtrumentis claudenda officina.* Theatrum ſupplicii locum conſcenſurus, manum ſibi à quodam, ut facilius conſcenderet, porrigi petens; *Juva me*, inquit, *ut conſcendam: in deſcenſu nemini moleſtus ero.* Denique petente veniam carnifice, ut moris eſt; *Ego vero*, inquit, *tui miſereor, qui in tam curta cervice præſcindenda vix te poteris honeſte expedire.* Propter has & ſimiles facetias, quales aliæ multæ circumferuntur (quas hoc loco omnes recenſere, nec opus eſt, nec incerta quarundam permittit relatio,) hæretici & æmuli ejus levitatem & ineptiam illi objiciebant, quod ſic in rebus graviſſimis ludere quaſique ineptire ſoleret. Inter quos eſt Edouardus Hallus, annalium noſtrorum Scriptor, qui Morum propterea vocat vel *ſtultum ſapientem*, vel *ſapientem ſtultum.* Cujus leviſſimi hominis inepto ſcommati & contumeliæ ſic reſpondit quidam ex noſtris:

Ἢ ἐμὲ μωρόσοφον μὲν ἂν εἴποις, ἢ σοφόμωρον,
Μῶρος γὰρ κόσμῳ εἰμὶ, σοφός τε Θεῷ.

Quæ ſic alius quidam Latina reddidit:

Halle, tibi Morus ſtultus ſapiensque videtur:
Stultus erat mundo nempe, Deo ſapiens.

Morus quippe non ex aliqua animi levitate aut ineptia, ſed certo judicio & ingenii facilitate has facetias rebus etiam graviſſimis inſperſit. Cujus rei cauſam ipſemet appoſita quadam ſimilitudine quodam in loco idoneam affert; Libro II. de conſolat. in adverſis, cap. 1. *Sicut*, inquit, *quidam ægroti non aliter medicamenta ſumunt, niſi admixto aliquo quod multum appetunt, utcunque aliquantulum noxio, idque permittit Medicus, quum aliter fieri non poſſit; ſic quia multi ſeria & gravia documenta non libenter audiunt, niſi aliquo joco aut fabella intermixta, adhiberi illa & ſeriis admiſceri recta ratio permittit.* Hanc ille cauſam affert, cur in graviſſimis diſputationibus ſuis apologos, jocos, facetias interponit; quod quidem ſatis frequenter facit. Cur autem etiam in communi ſermone hoc fecerit, aliam alibi in Operibus Anglicis pag. 1048. cauſam ſatis juſtam proponit. Dicebat enim *jocos & facetias condimenta quædam eſſe, quibus animi tædia & labores reficiuntur, ut majori cum alacritate poſtmodum reſumantur. Quemadmodum autem ineptum & abſurdum eſſet convivium, in quo cibi parum, condimentorum magna varietas & copia apponeretur; inſipidum vero & inſulſum, in quo nihil; ſic omnino peſſime profecto illa vita inſtituitur, quæ fructuoſi laboris parum aut nihil aſſumeret, jocis autem & inani otio tota vacaret; arida autem & ingrata, triſtis & moroſa illa vita eſt, cui nihil jucunditatis & leporis aſpergitur.* Quod quidem ut ſemper verum eſt, ita maxime in homine in communi vita poſito, conjugato, aulico, veriſſime locum habet. Atque hæc de ejus acute & facete dictis ac reſponſis hactenus ex multis pauca.

Quæ

Quæ sane omnia, totamque reliquam Thomæ Mori vitam hactenus descriptam dum considero; dum, quot in Republica munera & quam præclare gesserit, quantus in literis variaque eruditione, qualis Poëta, Orator, Philosophus, atque adeo Theologus extiterit, quam multa scripserit; quanta virtute ac pietate præditus, qualis paterfamilias, qualis liberorum pater, quantus divitiarum & honoris contemtor fuerit; quam multa sapienter, acute, facete dixerit; quanta vi ingenii, quam felici memoria, quam candidis moribus; quam comem, suavem, atque humilem in tantis donis, in tantis honoribus, in vita semper aulica sese præbuerit, apud me recolo atque recogito; videor mihi de Thoma Moro ea omnia adeoque verius & gravius dicere posse, quæ de M. Porcio Catone Censorio scribit Titus Livius: *In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut quocunque loco natus esset fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur. Nulla ars neque privatæ neque publicæ rei gerendæ ei defuit. Urbanas rusticasque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia juris, alios eloquentia, alios virtus provexit. Huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcunque ageret.*

In virtutis studio vir religiosus magis quam aulicus. Idem in literis Scriptor clarissimus. Si jus consuleres, peritissimus; si causa oranda esset, eloquentissimus. Nec is tantum cujus lingua vivo eo viguerit; in rostris, in tribunalibus, in plenis regni Comitiis Actor, Judex, Orator populi; monumentum eloquentiæ nullum extet. Vivit imo vigetque eloquentia ejus sacrata scriptis omnis generis, Latinis, Græcis, profanis, sacris. Legatio si obeunda, nemo dexterior, felicior nemo: in consiliis rerum maximarum nemo prudentior: in asserenda veritate nemo liberior: tam ab omni fuco & assentatione alienus, quam in sententia dicenda simplex, apertus, & semper tamen jucundus. Nam quod de Catone scribit Livius, *Asperi procul dubio animi, & linguæ acerbæ, & immodice liberæ fuit, sed invicti cupiditatibus animi, & rigidæ innocentiæ, contemtor gratiæ & divitiarum*; à Thoma Moro, cui pectus erat omni nive candidius, longissime aberat, discipulo videlicet Christi, non Zenonis Stoici, & à quo didicerat *mitis esse & humilis corde*; quia *non in spiritu grandi, non in commotione Dominus*; *sed sibilus auræ tenuis*: de quo etiam dicitur: *Non clamabit, non erit tristis neque turbulentus.* Illa igitur animi asperitate, linguæ acerbitate, & immodica libertate excepta, fuit etiam invicti cupiditatibus animi Morus, fuit rigidæ innocentiæ, contemtor gratiæ & divitiarum; ut præcedentia quidem hactenus declararunt; sed ex sequentibus declarabitur adhuc magis: quæ docebunt omnem Principis sui gratiam, amplas opes, summos honores contemsisse Morum, ut rigidus esset innocentiæ cultor, ut invictum cupiditatibus animum, ut illæsam, ut illibatam conscientiam servaret. Rursum Cato illa morum suorum asperitate *tot cum patriciis viris simultates exercuit, totque eum exercuerunt, ut non facile dixeris, utrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitaverit nobilitatem.* Contra vero Thomas Morus totus ad amicitiam & candorem natus, nec ullas unquam vel privatim vel publice simultates exercuit, nec quenquam inimicum habuit, sed ut est in ejus Epitaphio *in maximo officiorum & honorum cursu ita versatus est, ut neque, nobilibus esset invisus, neque populo injucundus: furibus autem, homicidis, hæreticisque molestus.* Gravitatem igitur, integritatem, innocentiam rigidam Catonis sic retinuit, vitiis infestus, improbis molestus; ut hæc tamen perpetua morum comitate, suavitate, mansuetudine temperaret; imo etiam lepore ac jucunditate morum reficeret, grataque redderet: Catone propterea ingenio, eloquentia, scientia, virtute & innocentia nihil inferior, morum autem suavitate & melior & felicior. Sed ad majora nunc & excelsiora Thomæ Mori dona transeamus.

CAP. XIV.

Origo persecutionis & offensionis regiæ contra Thomam Morum.

Venio nunc tandem, amice Lector, ad locum illum, propter quem præcipue totam hanc narrationem institui. Neque enim ut nobilem, ut doctum, ut ingeniosum virum, summisque honoribus perfunctum, non ut bonum patrem, prudentem patremfamilias, æquum judicem, sapientem, elegantem describerem; sed ut virum sanctum & gloriosum pro veritate ac justitia Martyrem literis commendarem, Thomæ Mori vitam explicandam suscepi. Cætera enim, quæ hactenus commemorata sunt, eo pertinent, ut quantus vir, quam Principi suo charus & gratiosus, quam prudens, justus, utilis Consiliarius, quantos in Republica honores, domi forisque amicitias consecutus, quanta eruditione, quantis ingenii viribus præditus, qualium liberorum pater, quam suis pignoribus charus, quam impensus eorum amator, omnibus his relictis atque abjectis, pro veritate occumbere voluerit, illudque caput securi subjicere, quod per multos annos in patria sua eminebat, honore, gratia, authoritate valebat, per annos etiam plurimos valere & eminere poterat, si vel latum unguem à veritatis confessione recedere voluisset. Est quidem causa martyrii tanta, tam gloriosa, tam illustris, tam Deo chara, ut in quovis etiam perditissimo & vilissimo, vere tamen & sincere ad Deum converso, mortemque pro veritate fortiter oppetente, sua justa laude non careat, ab Ecclesia Dei honoretur, à Deo ipso copiosa mercede remuneretur. Atqui ut in triumphante illa ecclesia *multæ mansiones sunt*, *stellaque à stella claritate differt*; sic & in hac militante ecclesia, ordo meritorum & discrimen honorum est: quantoque plures & majores tentationes superatæ, quanto confessio illustrior

fuit, tanto & meliorem spiravit odorem virtutis exemplo, & ampliorem consequitur laudem Ecclesiæ judicio. Nec absque causa notavit Apostolus, *non multos sapientes secundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles Christi crucem* suo tempore *amplexos esse*. Quam etiam ob causam etsi omnes Martyres honoret Ecclesia, tamen Litaniis illis publicis & quotidianis nobiles illos maxime conspicimus, Sebastianum, Ducem Diocletiano familiarem, Joannem & Paulum duos fratres nobilissimos, ideoque clanculum interfectos, Cosmam & Damianum medicinæ scientia claros, & Diocletiano ac Maximiniano Imperatoribus familiariter notos, Gervasium & Protasium viros nobiles, & in seculo opulentos, qui patrimonio pauperibus distributo & servis domesticis libertate donatis persecutorem prævenire volebant. Sic S. Paulinus, quia vir nobilis, quia opulentissimus, quia ordinis Senatorii, omnibus relictis humilis Ecclesiæ minister esse, operamque suam Ecclesiæ navare voluit, miris & magnificis laudibus ab Ambrosio, Augustino, Hieronymo, ejus contemporaneis celebratur. Tanto igitur hactenus diligentius Thomæ Mori in seculo honores, literarum gratiam, authoritatem, naturæ quoque dotes, & charissima pignora persequutus sum; ut quæ postea pro sola Dei gloria & conscientiæ suæ pace ac salute, acerba sustinuit, tanto, ut erant, illustriora appareant. Sed neque illa tantopere in Moro unquam prædicassem aut prædicanda putarem, nisi omnia veritati serviissent, nisi Dei voluntati ac vocationi omnia subjecisset: non solum quia finis coronat opus, & fructus boni operis perseverantia est; sed etiam quia ea demum hominis docti, literati, prudentis, honorati, boni civis, boni Senatoris, boni patrisfamilias, addo etiam boni Christiani, vera laus est, & solida gloria, si ut multa bona opera laudabiliter facere, sic multa adversa fortiter tolerare potest. Nos enim Christiani & veri Dei cultores *in patientia nostra possidemus animas nostras, secundum laborem nostrum mercedem accipiemus*, & *beatos* illos agnoscimus, *qui lugent, qui crucem suam post Christum ferunt, qui persecutionem pro justitia patiuntur*, maxime qui pro justitia sanguinem fundunt. *Majorem enim charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: quod si pro amicis, quidni pro Deo super omnia diligendo? Nunc ergo Martyrem Morum, gloriosum atque illustrem martyrem, describamus. Quia autem causa Martyrem facit, non mors, causam ipsam ante omnia diligenter exponemus: idque eo diligentius quo minus à Latinis & externis Scriptoribus hactenus intellecta fuit. Rem itaque ab ovo auspicabimur, omnemque accusationem vel potius accusationis speciem, totamque Mori innocentiam & integritatem, luce meridiana clariorem ob oculos Lectoris ponemus.

Quum circa annum Domini millesimum quingentesimum vigesimum octavum infausta illa quæstio de primis Henrici Regis nuptiis cum Catharina, Arthuri fratris relicta conjuge, moveri cœpisset, Thomas Morus, etsi tunc Regi à Consiliis, ad illius tamen causæ nec discussionem nec examen à Rege fuit à principio adhibitus; sed per solos Theologos & Canonistas examinata res erat. In cujus rei examine quum multa hincinde dicta ac disputata fuissent, ac primum quidem de Bulla dispensationis, quasi per defectum certarum clausularum insufficienter vel non satis juridice concepta, ad quem defectum supplendum alii breve quoddam Apostolicum protulerunt; postea vero de ipsa Pontificis (non in universum, sed) in hac materia potestate (quæ videbatur quibusdam propter jus divinum in Levitico contrarium non posse subsistere) disputatum esset, Thoma Moro tunc forte in Flandrica legatione absente, plane inscio & ignaro omnia fiebant. Illo vero ex dicta legatione reverso, & quæ acta fuissent referente, Rex ipse ei seorsim vocato aperuit hanc divortii causam, ipsisque Bibliis prolatis, & locis in Levitico & Deuteronomio designatis, quid ipsum aliosque multos doctos viros moveret, ostendit; simulque quid ei in ea causa videretur, rogavit. Morus sic à Rege rogatus, quid sibi de illo textu Scripturæ videretur, ingenue aperuit. Quæ ejus sententia quum Regi non placeret, clementer tamen (ut videbatur saltem) eam accipiens, jubet eum hac de re cum Nicolao Foxio, Doctore Theologo, postea Episcopo Vintoniensi, sed tunc Eleemosynario regio conferre, simulque librum quendam, qui de hac quæstione jam præ manibus erat, perlegere. Contulit, legit, iterumque & secundo eandem suam sententiam (in qua prius erat) Regi exposuit. Rex paulo post in palatio suo Hamptoniensi conventum Doctorum virorum satis numerosum celebrat; cui tamen Morus non interfuit. Nec fere in eo conventu aliud actum est, quam quod de modo & forma libri supradicti de hujus divortii causa conscribendi, aliquid tunc certi statuebant: qui quidem liber paulo post coram Cardinali Wolsæo, aliisque quibusdam Episcopis & viris doctis, perlectus est: quibus omnibus videbatur certas & justas causas continere, propter quas merito Rex scrupum aliquem de primis suis nuptiis concipere posset, ideoque rectissime facturum Regem, si hunc scrupum Ecclesiæ judicio eximendum curaret. Hoc facto processus fieri cœptus est, & Legati Apostolici considebant. Quo sane toto tempore Morus nunquam se negotio immiscuit. Neque (ut ipsemet scribit) idoneus erat, quum totus processus coram Theologis & Canonistis penderet. Quin & Legatis hac in causa considentibus (Campegio Italo, & Wolsæo Anglo) Morus iterum à Rege Legatus Cameracum mittitur ad pacem concludendam inter Carolum Imperatorem, Ferdinandum Regem Romanorum, Hen-

ricum

ricum Angliæ,& Franciscum Francorum Reges,quæ & tunc feliciter confecta fuit. Absente Moro,Legati ita rem & causam hanc ad aliquot menses protraxerunt, ut indignatus Wolsæo Rex,decimo octavo Octobris anni 1529. cum Cancellarii dignitate privarit, & ejusdem mensis die vigesimo sexto Morum, tunc à legatione Cameracensi re bene gesta recenter reversum, eadem dignitate ornarit. Cancellarium jam factum Morum iterum monet Rex, ut de hac sua causa matrimoniali rursum diligentius cogitaret, remque totam indifferenter examinaret; quo in examine si animadverteret posse se in divortium consentire, usurum se perlibenter ejus opera ea in re, cum aliis magnis viris, quibus hoc negotium mandaverat. Sperabat nimirum Rex fore ut hoc novo & amplissimo honore auctum Morum omnino in suas partes traheret. *Certe ipse rerum exitus* (ut Cardinalis Polus scribit) *satis declarat, illum hac de causa Cancellarium esse factum, quo hac quasi mercede corruptus, se eo trahi pateretur.* Addidit tamen tunc Rex, (sive quia adhuc indifferenter se in hac causa gerebat, quod non est adeo probabile, propter Wolsæum à dignitate dejectum, propterque alia quæ mox dicemus: sive quia cum Moro viro integerrimo aliter se agere non posse videbat) addidit, inquam, ut in toto rei examine nihil aliud diceret vel faceret Morus, quam quod ipsa ejus conscientia dictaret; utque Deum primo, postea Regem præ oculis haberet. Quibus verbis Morus mirifice, ut par erat, ad totam rem exactissime indagandam instigatus, vehementer à Rege petiit, ut præter id, quod proprio studio forte assequeretur, dignaretur sua Majestas aliquos ei designare, quibuscum conferre rem tantam posset. Designati à Rege sunt Cranmerus, paulo post Archiepiscopus Cantuariensis, & Læus paulo post Archiepiscopus Eboracensis, Richardus Foxius, & Nicolaus Italus, omnes vel Theologiæ vel Canonum Doctores. Morus igitur habita cum istis doctissimis viris diligenti collatione, legens ac perlegens quæcunque in eam rem scripta à quoquam fuerant, suo studio omnia quæ poterat perquirens, animo nulla ratione in alteram partem obfirmato, sed maxime indifferenter se gerens, & quantum ratio ferebat, aliorum se judicio conformans, (quod totum dictæ personæ honoratæ Regi testificatæ sunt) ubi post omnem operam navatam in priori tamen sua sententia persistens, eam Regi iterum aperuisset, protestatus se multo libentius Regiæ voluntati hac in re gratificari voluisse, quam honores ullos aut opes quantascunque (sive quas jam adeptus esset, sive quas adhuc adipisci poterat) à sua Majestate recipere; Rex, seu vero vultu seu composito, perbenigne Mori studium ac responsum accepit; eosque solos deinceps ad causæ hujus matrimonialis discussionem admisit, eorum tantummodo opera usus est, quorum conscientias videbat divortium istud sine ullo scrupo probare. Moro autem ipso, aliisque permultis, quorum conscientiæ hoc probare non poterant, Rex in aliis Reipublicæ negotiis utebatur; nullius adhuc conscientiam premens, nulli super hac re molestiam aut negotium facessens. Morus hoc officio peracto, in causa divortii ita se deinceps sincerum gessit, ut etsi libros pro divortio editos omnes avide legeret, tamen libros contra divortium editos nunquam postea inspiceret; etsi multi tum domi Anglice tum foris Latine contra divortium scripsissent. Sed & librum quendam Episcopi Bathoniensis, quem contra divortium ille scripserat, eo tempore, quo Legati Pontificii hanc causam cognoscebant, Morus inter suas chartas postea inventum Vulcano tradidit. Hæc omnia à me hoc loco recitata, Morus ipse post abdicatam Cancellarii dignitatem in literis suis ad Thomam Cromvvellum Consiliarium tunc regium scribit; & ego huc idcirco ex Anglico transtuli, ut intelligat Lector, quæ esse potuit prima causa offensionis regiæ contra Morum (quæ tamen hactenus non apparuit) quamque sincere, prudenter, cordate Morus hactenus se gesserit, ne vel Regem offenderet, vel conscientiam læderet, denique quantum Rex contenderit, ut Morum in suam sententiam pertraheret. Toto tempore, quo Morus Cancellarius erat, causa divortii pendebat indecisa. Rege autem voluntatem suam vel libidinem potius continuante, & eam omnibus modis explere volente, Morus turbarum, quæ sequutæ sunt, facile præscius, multis magnisque precibus à Rege impetravit, ut Cancellarii munere ac dignitate defungeretur, postquam duobus annis cum dimidio amplissimo illo munere integerrime fuisset functus. Renuntiatus enim die vigesimo sexto Octobris anni 1529. resignavit die decimo quinto Maji anni 1532.



CAP. XV.

De prima Mori vexatione & examinatione.

MOrus nunc igitur privatam domi vitam agens, soli Deo & studiis vacans, (quod ab ipsa ineunte ætate desideraverat, ut supra explicatum est) mox futurus nobilis veritatis Confessor, & virtutis & fortitudinis speculum, variis calumniis appetitur: sive id Rege ipso per suos clam procurante (cui hominis severa integritas jam fastidio esse cœpit) sive æmulis suis id agentibus, ut summum Regis odium innocentissimo viro conflarent. Primum, quum paucis post mensibus, (mense Augusto ejusdem anni) defuncto Gulielmo Waramo, Archiepiscopo Cantuariensi, & in ejus locum suffecto Thoma Cranmero, Annæ Boleniæ à sacris, homine ad voluntatem Regis facto, & toto ad adulandum composito; idem Cranmerus (ut

latius videre licet in libello *de origine schismatis Anglicani*) illud tantopere à Rege desideratum, tantoque innocentum sanguine fœdandum, tam horrendi futuri schismatis fundamentum, divortium pronuntiasset, tanquam videlicet Angliæ Primas & Metropolita; postquam Sedem Apostolicam potius abnegare Regi in animo erat, quam concupitis suis nuptiis diutius fraudari: statim post divortium factum, libellus prodiit authoritate Senatus Regii editus, qui hujus divortii causas redderet: ubi inter cætera dicitur, Regem ideo Sedis Apostolicæ judicium non morari, quia ab eo ad generale Concilium appellaret. Rumor statim percrebuit, Morum huic libello respondisse, eumque refutasse. De hac calumnia purgat se diligenter Morus per epistolam ad Thomam Cromvvellum, Regi à consiliis & magnæ tunc authoritatis virum, affirmans se neque aliquid contra illum librum scripsisse, nec unquam scribere voluisse, quod multis ibi argumentis etiam plane improbabile esse demonstrat. Hac labe abstersa alia inspergitur. Non ita multo post monialis quædam Anna Bertona, spiritu, ut videbatur, divino afflata, Regi & regno male ominabatur. In suspicionem itaque læsæ Majestatis vocata, post diuturna vincula, extremo tandem supplicio cum quibusdam aliis religiosis personis, afficitur. Hujus rei invidia in Thomam Morum, qui illam jussu Regis examinaverat, devolvitur, quod præter examinationis tempora secreto cum ipsa contulerit, quodque literas ad illam miserit, ab eaque acceperit. Jamque adeo in plenis regni Comitiis accusatur hoc nomine Morus, ipso Procuratore regio sese per libellum porrectum inscribente. Cæterum totam hanc odiosam & confictam calumniam Thomas Morus scriptis iterum ad eundem Cromvvellum, prætereaque ad Regem ipsum literis, à se excussit, efficitque, ut ab illa intentata in Morum calumnia in Comitiis desisteretur. Hac duplici calumnia utcunque depulsa, etsi hæc posterior animo Regis altius insederat, cujus suspicionem improbatum semper à Moro divortium magis auxerat, Morus hactenus in judicium non vocatur. Interea divortio, ut dictum est, pronuntiato, & per libellum illum Senatorium publicato, desideratis nuptiis potitur Rex. Mense siquidem Octobri anni 1532. Rex Annam Boleniam clanculum in uxorem ducit, paucis consciis. Neque usque ad Pascha proximum solenniter celebratæ hæ infaustæ nuptiæ fuere. Anno igitur 1533. duodecimo Aprilis, Anna Regina per edictum pronuntiatur, & quinto Julii, anni ejusdem Regina Catharina, Arthuri Principis vidua, per edictum etiam declaratur. Sub initium vero anni 1534. mense Aprili, Anna jam ante octo menses prolem suam enixa, mali corvi malum ovum, voluit Rex, ad majorem divortii sui confirmationem, ut exhæredata Maria Principe Catharinæ filia, omnes in verba Elisabethæ, quam peperit Anna, jurarent, velut quæ sola proles jam Regis legitima esset, & regni hæres; simulque Romani Pontificis authoritatem in regno Angliæ abjurarent. Hoc geminum Juramentum quum Londini proponi cœptum esset, totusque clerus ad certum diem coram Cranmero, Cantuariensi Archiepiscopo, totoque fere Senatu regio vocaretur, solus ex Laicis Thomas Morus vocatur, primusque sententiam rogatur. Qua in re quid responderit, & quomodo se gesserit, malo ipsius verbis ex Operibus Anglicanis p. 1428. & seqq. huc translatis quam meis dicere. Sic ergo jam in carcere Castri Londinensis constitutus ad filiam suam Margaretham scribit: *Quum Lambethum pervenissem, ubi domini Commissarii consederant, causa mihi explicata, ob quam eo citatus essem (etsi plurimum mirabar, me solum ex laicis eo vocatum fuisse) petii inspectionem Juramenti, quam mihi sub sigillo regio majori exhibuerunt. Mox etiam Statutum de nova successione ut ostenderent, rogavi; quod mihi typis excusum communicarunt. Utroque secreto apud meipsum perlecto & considerato, respondi, me quidem nec Statutum ipsum aut Statuti authores, nec Juramentum ipsum, vel qui in id jurassent, culpare velle, nec cujusquam alterius conscientiam reprobare. Quod ad me vero pertinebat, dixi bona fide juxta meam ipsius conscientiam, etsi non recusarem in successionem ipsam jurare, tamen Juramentum illud mihi tunc exhibitum me præstare non posse, nisi animam meam æternæ damnationis periculo objicere velim. Quod si dubitarent me ex solo conscientiæ scrupulo Juramentum hoc recusare, paratum me dixi hoc ipsum jurejurando affirmare: cui si fidem non adhiberent, quomodo essent de mea voluntate certi, etiam oblato mihi ab illis Juramento præstito? At vero si crederent, me hac in re vera juraturum, sperare me tanta eos benignitate erga me usuros, ut altero illo Juramento me non premerent, quod, nisi perjurus esse vellem, præstare non possem. Quum hæc dixissem, dominus Cancellarius regni mihi respondit; magnopere præsentes omnes dolere, me talia dixisse, ipsumque Juramentum his verbis recusasse. Addebant etiam omnes fidem suam contestantes, me esse omnium Anglorum primum, qui hoc Juramentum recusaverit: quæ una res Regiæ Majestatis gravem contra me indignationem, & pravam de me suspicionem provocaret. Moxque catalogum mihi ostenderunt totius Nobilitatis & populi, qui omnes Juramento suscepto nomina etiam sua subscripserant. Quo non obstante quia me sic videbant hoc Juramentum recusare, ut alios tamen, qui jurassent, non culparem, jusserunt me in hortum tantisper recedere. Interea vero totus Clerus Londinensis, Pastores, Doctores, Presbyteri omnes, & nonnulli Episcopi (inter quos Roffensis) ad præstandum hoc Juramentum vocati sunt, omnesque ad unum (excepto Domino Roffensi & Doctore Theologo Wilsono) sine ulla difficultate aut mora jurarunt & subscripserunt. Hac scena peracta, denuo vocor. Ingresso mihi ostensum est, quot, quam multi, & quanti viri interea temporis tam brevi inter-*

intervallo sine ulla hæsitatione jurassent & subscripsissent. Quo ego viso neminem tamen reprehendere volui, sed eo modo respondi, ut prius. Iam vero quum & hoc tempore & prius quoque pertinaciam & obstinationem animi mihi sæpius objecissent, quod nec Juramentum admittere, nec causas aliquas recusationis meæ explicare volui; quod posterius ideo me non facturum dixi, quia sola Juramenti recusatio satis magnam Majestatis suæ erga me indignationem provocaret; causas vero ipsas si aperirem, suam Majestatem gravius adhuc adversus me concitarem, quod nullo modo facere vellem, neque Regem plus quam necessitas ipsa me cogebat, offendere; quum, inquam, hac mea satisfactione accepta, urgerent nihilominus ac identidem repeterent, me animo tantum obstinato & pertinaci causas explicare nolle; ego hactenus illis acquievi, ut potius quam obstinatus videri vellem, dicerem; casu quo sua Majestas id mihi facere permittat, aut (quod malim) jubeat, data mihi interim cautione idonea, hanc ipsam explicationem mihi præjudicio non futuram, neque causam meam inde deteriorem fore; me paratum esse causas ipsas scripto explicare, simulque Juramento affirmare, quod Juramentum istud principale mihi oblatum ex toto animo suscipiam, si causis illis ita à quoquam satisfieret, ut conscientiam meam quietam & contentam redderet. Huic meo responso replicatum est, etiamsi Rex literis etiam patentibus talem mihi potestatem faceret, hoc tamen sufficere mihi ad indemnitatem non posse contra Statuti vim, aut decretum Parleamentale. Cui ego rursum respondi, si literas Regias obtinerem, me illis contentum fore, & de reliquo Majestatis suæ honori ac fidei rem totam me meo periculo commissurum. Interim illud mihi, inquiebam, ex his verbis vestris perspicuum sit, quod si absque tanto periculo, ut dicitis, causas explicare nequeo, profecto causarum explicationem detrectare, obstinati animi non est. Hoc autem in loco Archiepiscopus Cantuariensis (Cranmerus) memor ejus, quod dixeram, me eorum conscientias, qui jurarunt, nec damnare, nec reprehendere, sic adversum me inferebat: satis inde apparere, quod hanc Juramenti recusationem, nec dum ut rem certam, constitutam, & exploratam haberem; sed potius ut rem dubiam, incertam, controversam; Nunc autem, inquit certum & exploratum tenes oportere te Regiæ Majestati obtemperare. Debes igitur, & omnino teneris id, quod incertum est, dimittere, quod autem certum est, amplecti: Juramenti recusationem, ut rem tibi adhuc incertam, abjicere; obedientiam erga Regem, ut rem certissimam, exequi & præstare. Hoc certe argumentum etsi non mihi videbatur prorsus concludere quod intendit, tamen ita mihi derepente subtile visum est, maxime à viro tantæ authoritatis prolatum, ut profecto nihil aliud ex tempore respondere potuerim, quam mihi adhuc videri me reluctante conscientia facere hoc non posse, quia ipsa mihi conscientia dictabat, causam præsentem ejusmodi esse, in qua Regi non sit obediendum: quia videlicet, quicquid alii in hac causa sibi persuadeant, (quorum ego vel conscientias vel eruditionem aut damnare aut judicare præsumere nolim) ego certe mihi persuadeo, ab altera parte veritatem stare. Quam etiam in re meam conscientiam nec leviter nec subito informavi, sed longa prius atque diligenti inquisitione facta, (sicuti videlicet ex alia ejus epistola superius declaratum est, *Et profecto si illud D. Cantuariensis argumentum validum ac bonum est, via nobis expedita & clara monstratur, qua omnes quascunque magnas de religione quæstiones concludere liceat. De quacunque enim re inter Doctores controvertatur, Regis in alteram partem assertio omnem controversiam dirimit. Hic vero Reverendus Dominus Abbas Westmonasteriensis me aggreditur dicens, mihi merito metuendum esse, ne mea hic conscientia erronea esset, quum videam universum totius regni Senatum diversum non sentire tantum, sed & decernere, ideoque reformandam hanc meam conscientiam esse: cui respondi, si ego solus hoc sentirem, nec quisquam alius à meis staret partibus, toto regni Senatu ab alia parte stante, merito multum metuerem meæ singulari sententiæ inniti à tam multis reprobatæ. Nunc vero si contra in certis causis, ob quas hoc Juramentum suscipere detrecto, habeo mihi consentientem (ut mihi sane persuadeo) æque magnum adeoque majorem Senatum, non tunc teneor conscientiam meam reformare, nec unius regni Concilio contra generale totius orbis Christiani Concilium eam conformare. Hic quum dominus Secretarius, qui mihi unice favet, gravissime se dolere diceret, multisq; verbis dolorem suum exprimeret, regiamque adversus me indignationem urgeret, respondi: quicquid mihi hac in causa triste accideret, à me corrigi non posse, absq; evidenti animæ meæ periculo. His dictis Dominus Cancellarius repetit Secretario quasi jam ad Regem ituro recusationem meam prædictam. Quam quum repeteret, adjecit expresse, quod ad decretum de successione attinebat, me non recusare, quo minus in id jurarem. Quod ego quidem statim me facturum repetii ea conditione, ut Juramentum illud eo verborum tenore & forma conciperetur, in quam salva conscientia jurare possem. Quo dicto adjecit Cancellarius: Vide igitur, Domine Secretarie, & adverte, quod nec in ipsam successionem jurare vult, nisi sub certa verborum forma. Omnino, Domine Cancellarie, inquiebam ego; nisi prius Juramentum ita conceptum videro, ut ipsemet clare videam me sic juraturum, quo nec perjurus fiam, nec adversus conscientiam jurem.* Hæc hactenus ad filiam suam Margaretham Morus. Hæc fuit prima ejus examinatio; hoc persecutionis exordium; hic primus actus funestæ istius quoad Regem tragœdiæ, felicis quoad Morum Comœdiæ. Videt hic Lector, quam sapienter, cordate, modeste ad singula responderit; quam pie conscientiam non lædat; quam studiose Regem non offendat; quam apposite singulis (quasi cervum canibus allatrantibus) satisfaciat; denique quam pie & Christiane se gerat. Mira res, inter tot laicos literis claros, prudentia conspicuos, authoritate magnos, nobilitate illustres, solum Thomam Morum, & quidem ante clerum ipsum, examinari, rogari, tentari. Antea apparuit, quantum tentaverit Rex, ut hunc unum hominem in suam sententiam pelliceret. Nunc videmus totum Regis Senatum, Cancellarium, Archiepiscopum, Abbatem, Secretarium, & communiter & sigillatim in uno Moro pertrahendo frustra contendere. Ostendunt ista & maximæ autho-

ritatis ac fidei Morum apud Regem, Senatum, ac populum fuisse, & virum tamen in causa Dei fortissimum, in veritate tuenda integerrimum.

Hic vero operæ pretium est, quo studio, qua pietate ad hoc se certamen athleta Christi fortissimus præparaverit, Lectori ostendere. Cancellarii amplissimo munere abdicato, domum suam se recipiens, ab aulicis videlicet & publicis negotiis quasi manumissus, ac rude donatus, non solum fidem Catholicam contra exorientes tunc in Anglia hæreses perpetua & doctissima scriptione defendit; sed etiam pietati, precibus, corporis sui mortificationi solito arctius & severius incubuit. Morionem à mensa & conspectu suo removit. Familiam magna ex parte imminuit, famulis tamen optime apud diversos collocatis. Supellectilem omnem auream & argenteam, quam usque ad quadringentos aureos & amplius habebat, divendidit; ne (quod postea accidit) fisco regio præda esset. Liberos suos omnes jam conjugatos cum prolibus in singulas familias, alios alibi dispartiit, sola Margaretha cum suo conjuge, etsi non in eadem domo, attamen in eodem pago domicilium habente. Sæpe admodum (ut in quadam ad Margaretham Roperam ex carcere epistola quæ p. 1442. Operum Anglicorum legitur, scribit) etiam in lecto ad uxoris latus cubitans, eique dormire visus, totas fere noctes insomnis duxit, omnia, sibi quæ accidere poterant difficillima, etiam mortem ipsam, præmeditando: multisq; lachrymis & precibus carnis suæ (quam ita fragilem ac teneram alicubi (pag. 1448.) esse scribit, ut nec talitrum libenter sustineret) victoriam obtinuit. Singulare est illud, quod, abdicato Cancellarii munere, apparitorem Regium seu ostiarium subornarit, qui hora prandii, quando cum suis omnibus se recreabat, pulsatis repente foribus, & intromissus, eum nomine Regio citaret, coram Commissariis Regiis die proximo compariturum. Quo repentino nuntio suos perculsos, & quosdam quidem gemitum & ploratum edentes, alios rem fortiter ferentes, hos studiose collaudabat, illos acri oratione objurgabat; hacque ratione & se & suos ad futuram calamitatem prudentissime armabat. Quod ejus insigne strategema dum recolo, Joannem illum Eleemosynarium Alexandrinum Patriarcham videre mihi videor, simili quodam strategemate ad mortem ipsam sese præparantem. Jusserat sibi extrui monimentum, ei autem finem non imponi, sed sic imperfectum relinqui: deinde eos, qui præfecti erant operi, quum esset festum aliquod insigne, accedentes in conspectu omnium, qui considebant, aperte dicere: ***monimentum tuum in hodiernum usque diem imperfectum est, Domine: jube ergo ut id finem accipiat: incerta est enim mortis hora.*** Quam autem tota hæc præmeditatio & præparatio etiam in viro tanto fuerit necessaria, ipse rei exitus & adveniens tentatio comprobavit. Erat forte Morus Londini ipsa Dominica Palmarum cum genere suo Ropero, ut Concionem ad D. Paulum audiret. Ea finita, quum ad domum Joannis Clementis divertisset, accedit ad eum Ostiarius Regius, qui in proximum mane eum citat, ut coram Regiis Commissariis in Lambetho, Palatio Archiepiscopali (ut jam dictum est) compareret. Mox igitur domum rediens ea nocte omnibus suis penitus valedicens, proximo mane, sumta prius veneranda Eucharistia, quum domo abeuntem uxor & liberi flentes comitari vellent usque ad aquas, clauso ostio eos inclusit, soloque genero suo prædicto eum comitante Londinum navigio venit, totus meditabundus, & tristis, quasique cum Christo in horto pavens ac dicens: ***Tristis est anima mea usque ad mortem.*** Tandem tamen hilari & exporrecto vultu ad generum dixit: ***Vicimus fili, bene se res habet.*** Nempe in via ad accusationem suam tendens, unde passionem consequi posse prævidebat, fuit & Morus in agonia, ac prolixius orabat; sed Christi fretus auxilio, & propter verbum Christi: ***Confidite, ego vici mundum:*** vicit quoque ille mundum. Nisi enim Christus prius vicisset, quomodo membra ejus vincere potuissent? Imo ***nec vicisset ille mundum, si ejus membra vinceret mundus,*** ait S. Augustinus. Eo quippe vincente nos vicimus, quia per illum vicimus. Hæc ergo prima persecutio, prima examinatio, prima ad passionem futuram tentatio, prima victoria fuit.

CAP. XVI.

De ejus incarceratione, variaque illic tentatione.

Rejecto & recusato, ut in præcedentibus dictum est, utroque Juramento, tam de primatu Regis quam de nova successione, Morus primum Abbati Westmonasteriensi ad aliquot dies in custodiam datur; sed mox in carcerem turris Londinensis conjicitur, ad perpetuos carceres damnatus. Bonis quoque ac fortunis omnibus spoliatur. Quam primum vero in carcerem turris Londinensis conjectus esset, & in arctissima custodia positus, scripsit carbone parvum epistolium ad filiam suam Margaretham, quod hic propterea subjiciam, depromtum ex Oper. Angl. p. 1430. ut intelligat Lector, quanta animi alacritate primum illum carceris horrorem & squalorem sustinuerit: *Charissima filia, ego, laus Deo, recte valeo, corpore sanus, animo tranquillus, rerumque mundanarum non plus appeto quam habeo. Deum precor, ut vos omnes lætificet in spe vitæ æternæ. Quæque ego jam dudum de bonis æternis vobiscum omnibus communicare statueram, multumque desideraveram, ea Deus divino suo Spiritu mentibus vestris ut instillet precor: quod eum facturum spero, idque multo vivacius quam ullus sermo meus auribus instillare potuisset; qui & vobis benedicat, vosque omnes conservet. Scriptum carbone per amantissimum vestri patrem, qui in suis precibus quibuscunque tandem illis nullius vestrum obliviscitur, neque liberorum vestrorum, neq; nutricum, neque maritorum vestrorum, neque improbarum, quas habent, uxorum, neque etiam improbæ uxoris patris vestri, neque cæterorum amicorum. Atque ita deficiente charta, valete.*

Post-

Postscriptum. *Det mihi Deus animum perpetuo fidelem, simplicem ac apertum, nec, si alio sim animo superesse me diutius permittat. Nam quod ad vitam diuturnam attinet, neque expecto neque desidero, (quod tibi sæpius, mea Margaretha, me dixisse memini) sed eam abrumpere paratus sum etiam crastino die, si ita Domino videatur. Neque quenquam mortalium novi (Deo sit laus) cui velim mea causa vel talitrum inferri. De quo quidem animo magis mihi gaudeo, quam si universum mundum possiderem. Commenda me improbo tuo Gulielmo, & aliis liberis meis, Joanni quoque Harrisio, amico meo, & cæteris quos ipsa bene nosti, sed præ cæteris omnibus improbæ uxori meæ, & Deus vos omnes conservet, & servos suos vos faciat atque custodiat.* Hæc ille in primo carceris ingressu, nec suorum oblitus, nec ita in suos affectus, ut eorum præsentia magis quam Dei obsequio delectaretur. Mox vero non ita multo post ut varia tentatione affligitur, (Rege omnibus modis id satagente, ut hominem ad suam flecteret voluntatem) ita omnem illam divino astipulante numine fortis Christi athleta feliciter superavit. Primum Margaretha Ropera, filia ejus unice dilecta, & quam supra cæteros omnes amavit, (ut ex præcedentibus satis apparet) illum jam in carcere positum hortatur seu vero vultu, seu ex composito, (certe ab illo vero vultu res accepta est) ut Juramentum illud præstare non gravaretur, quod tam multi per totam Angliam magni & docti & pii viri præstitissent. Hæc illi tentatio tam gravis erat, ut his plane verbis quæ extant Oper. Anglic. p. 1451. ei rescriberet: *Nisi jam dudum à satis longo tempore animus meus in hac causa (divina opitulante gratia) plane firmus ac stabilis constitisset, tua profecto lachrymabilis epistola, filia dulcissima, non mediocriter eum labefactasset; certe vehementius eum concussisset, quam cætera omnia, qualia non pauca, eademque terrore & horrore plena, hoc in loco subinde audio. Sed nihil eorum ita me perculit, nec eum mihi dolorem attulit, sicut illa tua epistola, in qua videbam charissimam mihi prolem, verbis valde flebilibus, id mihi persuadere velle, quod à me fieri nullo modo posse, ipsa salutis meæ necessitate sic cogente, toties & tam diserte alias respondi. Tuæ ergo epistolæ argumentis non est quod respondeam. Non enim dubito quin memineris, quam sæpe tibi dixerim, causas & rationes hujus facti mei (sine quibus explicatis tuis literis respondere nequeo) me nulli mortalium unquam explicaturum. Hac igitur in re, mea Margaretha, nihil aliud possum, quam ut, sicuti me multum rogas, ut tui animi sententiam sequar, sic te vicissim plurimum rogem atque obsecrem, ne id amplius me roges; sed iis, quæ prius tibi hac in re sæpenumero respondi, contenta esse velis. Incredibilis mihi dolor est, multoque ipso mortis nuntio gravior, (mortis enim timorem, Deo sit laus, timor gehennæ, spes æterni gaudii, & Christi passio magis ac magis quotidie imminuunt) quum intelligo generum meum, teque filiam meam charissimam, atque uxorem meam dulcissimam, aliosque liberos meos, & amicos meos innoxios, magnum propter me in discrimen vocari, magno imminentium malorum metu concuti. Quæ sane à vobis removere quum penes me non sit, nihil aliud possum, quam ut soli Deo rem universam committam. Nam in manu Dei cor Regis est, & sicut divisiones aquarum, quocunque voluerit, impellit illud.* Hæc ille. Quæ facile ostendunt, quam gravem tentationem querula illa filiæ suæ dulcissimæ epistola fortissimo Confessori attulit, maxime tali patri, tam suorum amanti, tam tenere diligenti; ut ex superius dictis manifeste constat; quanta etiam spiritus fortitudine illam à se rejecerit planeque devicerit. Alia Mori in carcere tentatio fuit, ejusdem filiæ Margarethæ sermo cum eo habitus. In quo sermone prudens fœmina quasi in persona aliorum omnia in medium affert, quæ contra hanc solius fere Thomæ Mori recusationem à magnis & parvis dicebantur. Non erit abs re ea hic breviter commemorare, quæque singulis Morus pie ac prudenter responderit, huc transcribere. Sic enim tum factum ipsum Mori, per se manifeste pium ac sanctum, contra cavillationes tamen & judicia mundi defendetur, tum etiam contra similes casus, qui non raro in Republica contingunt, Lector instruetur. Capita igitur objectionum hæc sunt, omnia à Margaretha proposita. *Primum*, vir tantopere Regi devinctus, tot honoribus ab eo donatus, &c. Regiæ voluntati, si quis alius, maxime obtemperare tenetur, nisi ubi clare & perspicue divino mandato contradiceretur. At hac in causa (quod *secundo* objiciebatur) ita generalis est totius regni consensus, tot & tantorum virorum, ut vix videatur credibile, illos omnes Deo repugnare velle. *Tertio* videat iterum atque iterum, ne unius Roffensis Episcopi judicium sequatur, aut unius ejus voluntati se obstringat. *Quarto*, qui hoc Juramentum præstiterunt, tales ac tanti viri sunt, Episcopi, Doctores, Pastores, Religiosi, Nobiles & illustres ac prudentissimi viri, ut non solum non temere vel absque periculo salutis, eorum judicio homo laicus & non nobilissimus accommodare se possit, verum etiam debeat. *Quinto* & postremo, quum in plenis regni Comitiis publico omnium ordinum consensu & authoritate sancita res sit, existimant omnes, ad ejus decreti publici confessionem & approbationem etiam in conscientia eum teneri.

Propter has ergo causas alii temere & inconsulte, alii periculose, alii denique improbe & pertinaciter Morum agere clamitabant, qui pæne solus hoc Juramentum præstare detrectaverit. Ad hæc singula hoc fere modo respondit Morus. Ad primum, neminem certe in universo regno Anglicano Juramentum hoc libentius præstitisse, quam ille præstiturus

turus erat, idque quia Regiæ Majestati se multis nominibus devinctissimum agnoscit, si id faciens Deum graviter non offenderet. *Neque*, inquit, *leviter aut perfunctorie rem hanc expendi, sed per totos annos septem, à quo tempore Rex ipse contra Lutherum scripsit, (cujus in libro primum omnium adverti primatum Romani Pontificis de jure divino esse) in hanc rem incubui, patres omnes tam Græcos quam Latinos, quos habere potui, lectitando; qui omnes à D. Ignatio Joannis Evangelistæ discipulo usque ad modernos Doctores, ita in hoc primatu tanquam à Deo ordinato consentiunt; resque ipsa per Concilia generalia sic confirmatur, ut in contrariam partem nihil unquam tale legere potuerim, unde conscientiæ meæ tuto consultum putarem, sed potius unde in certissimo damnationis periculo versari cernerem, si primato esse de jure divino negarem. Quod tamen si negari posset, non video unde illud nobis quicquam commodaret. Illud enim certissimum est, primatum hunc ut minimum totius orbis Christiani consensu stabilitum esse, & ad schisma vitandum introductum, continuaque annorum fere mille, ut minimum, successione roboratum. A tempore enim D. Gregorii Magni anni jam pæne mille effluxerunt. Quum autem totus orbis Christianus unum sit corpus, non video, qua ratione unum aliquod membrum sine totius corporis consensu, à communi capite possit recedere. Quod autem ad Regis in hoc articulo offensionem attinet, est hæc mea sit semperque fuerit de Papæ primatu sententia, tamen in libris meis vernacule contra hæreticos scriptis Papæ potestatem haud ita multum defendo. Tametsi enim loquor interdum de Romano Pontifice tanquam de supremo Ecclesiæ capite, juxta communem omnium Christianorum loquendi morem, tamen id argumentum nusquam premo, nusquam studiose confirmo. Sed ab altera parte quum in confutatione mea contra Tindallum incidisset locus de primatu Romani Pontificis, eumque prolixe tractassem, & ad ejus confirmationem omnia quæcunque inveneram, collegissem, quum eo tempore de futura inter Romanum Pontificem ac Regem tali dissensione, qualis nunc exorta est, nihil divinarem; quum paulo post animadverterem res ad hujusmodi discordiam tendere, totum illud, quod de primatu scripseram, resecavi, ipsamque confutationem absque illa disputatione in lucem dedi. Ex quo satis liquet, quam noluerim in hac primatus quæstione Regem offendere, quomodocunque ille mihi persuasissimus esset. Nunc vero hoc mihi proposito Juramento in arctum me compingi video, ut aut Regem necessario offendam, aut Deum; aut maximis me hic in mundo periculis exponam, (quæ tamen omnia diu prævidi & præcogitavi) aut æternæ damnationi obnoxium me reddam.* Ad secundum respondit, se aliorum conscientias nullo modo scrutari aut judicare velle. *Multa*, inquit, *multos possunt ad hoc Juramentum pellicere. Alii vel ut placeant vel ne displiceant, & displicendo vel in fortunis vel in corpore luant, jurare possunt aliter sentientes, vel certe derepente novam sibi conscientiam formantes. Quod quidem absit à me longissime ut de quoquam existimem qui jurarunt. Melius de illis confido. Si enim talia quenquam moverent, nemo me citius moveretur;* (vide insignem viri sancti humilitatem) *ut qui neminem putem ita fragilem ac meticulosum, quam sum ipsemet. Alii fortasse hujusmodi sibi conscientiam formare poterunt, qua putent Deum illis hoc non imputaturum, quia metu id faciant, nox ex animo, & coacti, non sponte. Alii sperant fortasse, se hujus abnegationis pœnitentiam acturos, atque ita rebus suis salvis veniam à Deo consequuturos. Alii postremo hoc sibi forsan persuadent, Deum omnino non offendi, quicquid ore dicant, quando animus integer est, & ab omni errore vacuus. His ego me periculis exponere non audeo, neque tales cogitationes induere tutum existimo.* Ad tertiam illam objectionem respondit, *nihil habere probabile, tum quia Roffensi nec dum vocato aut audito ipse prior recusaverat, tum etiam, quia Dominus Roffensis paratus erat plusculum aliquid illius Juramenti admittere, & certo quodam modo, aliter quam ipse unquam voluerit jurare.* Denique, inquit, *etsi virum illum ita reverear, ut plane ei parem in toto hoc regno non esse existimem, seu prudentiam, seu eruditionem, seu spectatissimam pietatem spectes, tamen nec ad illius, nec ad alterius cujusquam particularis nutum conscientiam meam formare velim.* Quarto sic respondit: *Etsi omnes in hoc regno docti, prudentes, boni aliter sentiant; (quanquam facile fieri potest, ut multi ex illis non idem sentiant, quod jurando sentire videntur) tamen in aliis orbis Christiani partibus non pauciores sunt, qui idem mecum sentiant. Ex iis autem, qui ante nos vixerunt, aut omnes aut pæne omnes ejusdem sententiæ mecum fuere. Ut taceam de sanctis Ecclesiæ Doctoribus, ac* Patribus, *qui idem plane docuerunt atque senserunt: non omnes dico & singuli, sed certe tanto numero, ut vehementer optem meam animam eodem quo illi sunt loco ac statu esse.* Ad quintum atque postremum respondit: *Etsi leges civiles ac locales obligent subditos sub pœna temporaria atque interdum etiam sub æterna, tamen nemo tenetur Juramento asserere omnes tales leges legitime esse ac recte institutas. Nemo etiam legi illi civili aut regali obedire tenetur, quæ rationi aut pietati adversatur. Sed & in dogmatibus adhuc in Ecclesia dubiis & controversis, de quibus ipsi docti & sancti inter se dissentiunt, salva fidei compage, qui alterutram tenet sententiam, (verbi gratia circa conceptionem B. Virginis, eam non esse conceptam in peccato originali) nec contra illam, quam tenet, ulla lege jurare cogi potest, quia hoc esset contra conscientiam jurare; nec ut conscientiam suam mutet, & contrariam induat, ulla lege locali aut regionali cogi potest, quia talia determinate credenda præscribere solius est Concilii generalis, aut Legislatoris universalis. Jam vero in his, quæ plane sunt in alteram partem determinata per Concilia generalia aut Ecclesiæ consensum unanimem, contra illa sentire, loqui, conscientiam sibi formare nulla cogente lege potest, qui Christianus est, & salvus esse vult: utcunque multi & docti id faciant, ex suo exemplo alios ad se pertrahere conentur.*

Sic

Sic ad singula objecta variaque tunc hominum de ejus facto judicia Thomas Morus respondit, quæ ab ejus ore accepta Margaretha filia ad sororem suam D. Alingtonii, viri equestris, uxorem scribit: nosque ex Margarethæ epistola, aliisque ex locis Operum Anglicorum in hunc locum transtulimus & congessimus.

Jam vero quum Margaretha ista (ut in eadem adhuc epistola copiose refert) animum patris sui aliis quibusdam modis non tam ad malum tentasset, quam de constantia & fortitudine pertentasset; ad ea tam pie ac sapienter respondet Morus, ut veri Martyris animum, & ad quævis pro veritate subeunda promptissimum facile agnoscas. Ea hoc loco breviter commemorabo, ut Lector intelligat, quanta pietate, integritate, sapientia in tota hac causa Thomas Morus usus fuerit; quam nihil temere, vane, pertinaciter aut obstinate ab eo actum sit, non nisi re tota gravissime & exactissime perpensa, non ut solus saperet, non ut Regem offenderet, sed prorsus ne Deum offenderet. Margaretha quum omnia sua argumenta diluta cerneret; *Attamen*, ajebat, pag. 1441. Op. Angl. *vehementer metuo, ne hæc res in maximas te, mi pater, angustias, & in acerbissimos dolores conjiciat. Nam & dudum D. Secretarius, amicus vester integerrimus, vos monuit, Comitia Parleamentalia necdum esse finita.* Quibus verbis mortis periculum patri proponebat, ne videlicet in ipsis Comitiis Thomas Morus nominatim condemnaretur. Sic enim in Comitiis Anglicanis non raro fit. Ad hæc ille respondit, omnia etiam extrema à se esse præcogitata, nec quicquam illi tam grave posse accidere, ad quod ferendum animose & voluntate dudum non comparaverit. *Etsi*, inquit, *nec lex ulla in me ferri potest, quæ justa sit, injusta autem nocere non possit, nisi simul injuriam faciat; etsi profecto bene confidam, DEUM non permissurum, ut Rex ipse princeps ita bonus & prudens tam multa & tam diuturna fidelis sui ministri obsequia ita retaliet; tamen quia ista accidere possunt, omnino Christi consilium secutus sum, sedensq; sumptus omnes computavi, quos in hanc turrim conservandæ animæ meæ, expendere necesse habui: nihilque non præcogitatum reliqui, neque hactenus, quæcunque proposita mihi acerbitate, ab eo, quod dictat mihi conscientia, recedendum putavi.* Ad hæc iterum Margaretha: *At vero, mi pater, aliud est rem aliquam cogitando decernere, aliud rem ipsam de facto exequi: aliud animo futurum prævidere, aliud rem existentem cernere. Quod si vero quum ad rem ipsam ventum esset, (quod Deus avertat) aliter tunc forte faceres, quam nunc faciendum judicasti, metuo valde, ne eo tunc tempore nimis hoc serum foret. Serum,* ait Morus, *mea Margaretha? Precor DEUM, si aliter unquam faciam, ut illud mihi nimis sero contingat. Certissime enim scio, certam hoc mihi perniciem fore, si unquam hunc animum mutem, si, inquam, ex metu aut formidine malorū mutem. Itaq; Deum ex animo precor, ut talis mutatio nunquam mihi bene cedat. Quanto enim hic graviora patiar, tanto ut minimum in altera vita leviora feram. Quid? quod si nunc existimarem fore, ut postea deficerem, metuq; correptus jurarem, attamen malim interea ex hac recusatione aliquid durum & acerbū pati. Sic enim faciliorem mihi resurgendi à lapsu gratiam à Deo sperarem. Et quamvis, mea Margaretha, bene mihi conscius sum, eam fuisse vitæ meæ anteactæ pravitatem, ut plane merear à Deo deseri, tamen non desinam in ejus immensam bonitatem semper confidere, optimeq; sperare; quod quemadmodum hactenus sanctissima ejus gratia mihi vires subministravit, omnia animo contemnendi, opes, reditus, ac vitam ipsam, potius quam reluctante conscientia ut jurem; ipsiq; Regi eam benignam mentem suggessit, ut hactenus sola me libertate privarit, (qua certe una in re sua Majestas majus mihi beneficium contulit, propter spiritualem animæ meæ profectum, quem inde me consequi spero, quam in omnibus illis honoribus & bonis sic antea erga me accumulatis) sic eadem gratia vel Regis animum ita moderabitur, ut nihil in me gravius statuat, vel mihi eas perpetuo vires dabit, ut quantumcunq; gravia patienter (forte & libenter) feram. Quæ mea patientia cum meritis acerbissimæ passionis Dominicæ conjuncta (quæ quidem meam omnem tolerantiam infinitis parasangis, & merito & modo excellit) mitigabit debitas mihi in purgatorio pœnas, divina largiente bonitate, aliquantulum etiam mercedis in cœlo augmentum dabit. De DEI bonitate diffidere, mea Margaretha, nolo, utcunque me debilem ac fragilem persentiam. Imo si in eo me terrore & consternatione cernerem, ut jamjam lapsurus viderer, meminero tamen, D. Petrum unico venti flatu, ex modica fide, submergi cœpisse; faciamq; quod ille fecit. Christum compellabo: Domine salvum me fac. Spero enim, quod extendens manum suam apprehendet me, nec submergi patietur. Quod si vero Petri partes adhuc ulterius me agere permitteret, planeq; præcipitem cadere, jurare & abjurare, (quod pro sua misericordia DEUS longissime avertat, potiusq; damnum mihi quam commodum ex eo lapsu creet) spero nihilominus fore ut oculo misericordiæ pleno me respiciat, sicut Petrum respexit, meq; denuo erigat, ut de novo veritatem confitear, & conscientiam exonerem; pœnamq; & pudorem prioris abnegationis fortiter perferam. Deniq;, mea Margaretha, illud compertissimum habeo, quod absque mea culpa DEUS me non deseret. In omni itaque spe & fiducia me illi totum committam. Si propter peccata mea me sinat perire, saltem justitia ejus in me laudabitur. Spero tamen & certissime spero, quod clementissima ejus bonitas animam meam fideliter custodiet, facietq; ut misericordia ejus potius quam justitia in me commendetur. Sis ergo bono animo, mea filia, neque de me admodum sollicita, quicquid mihi in hoc mundo contingat. Nihil contingere potest, quod DEUS non velit. Quicquid autem ille vult, utcunque nobis malum videatur, est tamen revera optimum.* Hæc ad suam Margaretham in carcere Morus. Videas in his verbis & facile recognoscas, non solum virum ad omnia toleranda paratum, sed (quod multo amplius est, ipsiusque fortitudinis atque adeo aliarum

omnium virtutum fortissima custodia) virum humilem, de seipso humillime sentientem, divinæ sese voluntati in omnibus conformantem, virum justum, sanctum, virum simplicem, rectum & timentem Deum.

Has ergo (quas puto omnium difficillimas fuisse) circa persuasiones, scrupos, timores dulcissimæ filiæ suæ, tentationes quum superasset, successit altera non modica. Præter Episcopum Roffensem unicus ex inferiori clero, Nicolaus Wilson, Theologiæ Doctor, vir gravis, prudens, eruditus, & quo Rex plurimum utebatur, Moro etiam ipsi familiarissimus, & in examine divortii atque Primatus conjunctissimus, juramentum eo die recusaverat, quo, ut supra dictum est, à toto Clero illud exactum fuerat. Hic vir postea in carcere flexus, & mutatus, jamque juraturum se pollicitus, antequam id faceret, scribit ad Thomam Morum, an ille idem facturus esset, percontatus. Illi in hæc verba, quæ habentur Operum Anglicor. p.1443. respondet Morus: *Quod à me flagitas, an juramentum hoc tandem præstare velim, meminisse potes, quum uterq; foris libere ageremus, me nec animi tui sententiam unquam explorasse, nec ut mea à quoquam exploraretur, pati voluisse. Neque enim ego unquam alicui me factioni adjungam, nullius ego partes tuebor; sed suam unicuique conscientiam relinquens, meam solam curabo, ne qua in re offendat. Postquam tibi jam visum est, juramentum illud suscipere, faustum id tibi felixq; sit. Nemini unquam mortalium ne juraret dissuasi, nemini scrupum aliquem hac de re injeci.* Hæc ille. Doctore autem isto adhuc acrius responsum urgente, latissime denuo respondet Morus, ea fere omnia repetens, quæ vel in epistola ad Thomam Cromvvellum, vel in illo cum Margaretha sua sermone habito dixerat, nosque supra retulimus, ubi inter cætera ait pag.1445. *Ego nullo modo mihi id arrogare velim, aliorum ut conscientias discutiam, fidem & eruditionem discernam. Circa aliorum conscientias curiosus non sum. Meam solius diligenter curo. Et profecto in mea curanda, parcat mihi DEVS, satis superque quod agam, invenio. Videor mihi vitam jam diuturnam egisse: diu multum adhuc vivere nec spero nec opto. A quo tempore carcerem sum ingressus, semel atque iterum mortis in meipso sententiam acceperam: & profecto, ingenue dicam, ejus rei expectatio incredibili me perfudit gaudio. Nec tamen oblivisci possum, magnam à me & prolixam rationem reddendam. Sed in Domino confido, & in merito passionis filii ejus: precorque, ut eum mihi animum donare semper velit, quo cupiam dissolvi & esse cum illo. Non possum enim dubitare, quin gratus admodum ad eum veniet, qui, ut veniret, diu multumque concupivit. Sed & id quoq; mihi persuadeo: quicunque ad DEVM perventurus est, eum hoc enixe desideraturum priusquam eo possit pervenire.* Hæc ibi Morus divine admodum ac sapienter philosophatus, tantum abest, ut tanti viri exemplo & lapsu quicquam fuerit deterritus, aut è statu suo deturbatus, etsi profecto homini laico tanti Theologi exemplum non modico scandalo esse potuisset; si de vulgo laicorum Morus fuisset, ac non supra τὸν λαόν.

Multas adhuc in carcere alias tentationes sustinuit fortissimus Morus, partim Rege, partim amicis, partim etiam inimicis id satagentibus, ut vel ad ejus vitam conservandam, vel ad ipsorum desideria implenda, (quos pessime habebat, unum quasi hominem, & talem, hoc ab omnibus fere susceptum juramentum recusare) Morus cederet. Sparsus igitur non obscurus rumor est, & ad Mori aures studio perlatus, fore ut, si pertinax persisteret, cogatur Rex novam in eum legem, consentiente adhuc Senatu, ferre. De quo rumore, & nova tentatione seu terrore potius sic ad filiam suam Margaretham scribit Oper. Anglicor. p.1447. *Equidem impedire nequeo, quo minus talis lex feratur. Cæterum illud certissime compertum habeo, quod si vi hujusmodi legis morte afficerer, innocens coram Deo morerer. Ego vero quicquid talis lex inferre potest, jamdudum præcogitatum & præmeditatum habeo. In qua cogitatione mea etsi, dilecta filia, magnam vim sensualis partis, magnam carnis pugnam ac rebellionem sensi, (ignoscat mihi Deus) majoremq; doloris & mortis metum, quam qui Christianum in hujusmodi casu deceret; tamen, laus DEO, exitus hujus pugnæ fuit victoria spiritus, fide atque adeo rationis lumine spiritum adjuvante, atque dictante, ex morte innocenti lucrum non damnum reportari. Sed & ipsius mortis violentæ in tali causa susceptæ despectum iste carcer me magis ac magis quotidie docet. Etsi enim aliquid præsentis vitæ ex tali morte minuatur, at compensatio infinita est, quod tanto citius cœlesti gaudio perfruitur. Et quamvis doleat multum, quum sanus quis moritur, neminem tamen adhuc novi, qui ægrotans sine dolore moriatur. Sed & illud scio, quandocunque hora mortis naturalis adveniret, (quæ hora semper incerta est & forte crastina) pro magno beneficio tunc haberem, si violenta morte vi hujusmodi legis sublatus fuissem. Ipsa itaq; ratio me docet, ineptum esse, illam mortem horrere, qua defunctum me fuisse postea exoptarem. Postremo violenta mors multis aliis casibus accidere posset, æque acerba ac dura, ubi minor esset apud DEVM gratia, & majus animæ ac salutis periculum. Quas sane ob causas, etsi olim mortis memoria me valde terruerit, nunc certe non terret quicquam. Nec tamen meæ fragilitatis sum immemor, sed Petri lapsum intuitus, id unum quotidie DEVM supplex rogo, ut hunc in me animum perpetuum & constantem esse velit. Postremo, mea Margaretha, (ut intimum cordis mei arcanum tibi aperiam) ego me totum divinæ voluntati resignavi; ut ex quo in hunc locum veni, nunquam adhuc DEVM rogaverim, ut ex hoc me carcere eripiat, aut à morte conservet, sed id de me faciat, quod ejus divinæ voluntati prorsus videbitur: ut quæ melius videt, quid mihi expediat, quam ego videre possum. Sed nec optavi aliquando domi meæ esse,*

esse, ex quo huc veni, ex aliquo domus ipsius desiderio aut voluptate: sed id unum aliquoties optavi, ut amicos aliquando convenirem, maxime uxorem & vos, quorum cura mihi incumbit. Quod ipsum tamen, quia aliter DEUS disposuit, ejus omnino sanctæ voluntati committo, lætus interim & exultans in Domino, quod intelligam, vos domi meæ tam suaviter & tranquille agere, tanta cum charitate & tranquillitate simul vivere. Hæc ad illius legis rumorem Margarethæ filiæ scribit Morus, magis certe ne illa cum familia turbaretur, quam de seipso sollicitus. Ad has tentationes accessit alia vexatio & gravis objectio, qua ei dicitur, ideo non nisi obstinato & pertinaci animo hæc omnia eum facere, pluribus videri, ipsique adeo Regi, quia toto hoc tempore, quo carceri mancipatus fuit, nullas ad Regem literas scripserit, nihil ab eo gratiæ aut veniæ supplex petierit. Ad hanc objectionem respondit in literis ad pium quendam Sacerdotem: *Se hactenus id non fecisse, non ex ulla animi obstinati pervicacia, sed potius ex humilitate, & illa, quam Regi defert, animi submissione ac reverentia. Maxime quum non videat, quid in hac causa scribat absque majori suæ Majestatis offensione, cui videlicet persuaderi non potest, quod ex conscientia & DEI timore hactenus juramentum detrectet: sed qui contra sibi persuadet, solam obstinationem hujus recusationis causam esse. Quam ille opinionem nec per literas Regis animo eximere, nec ea manente aliquid apud Regem scribendo proficere se posse speravit.*

Venit porro ad Morum in carcere non ita diu ante mortis latam sententiam Richardus Riche, Sollicitator Regius Generalis, Vir Nobilis, specie quidem amicitiæ, sed, ut rei exitus comprobavit, animo accusandi. Totus enim sermo inter eos habitus libello Actoris Regii contra Morum ad verbum insertus fuit. Quum igitur multis verbis cum Moro ageret, ut regni legibus subscriberet; inter alia sic Morum premebat. *Quid si*, inquit, *in plenis regni Comitiis ego Richardus Riche, communi decreto, & ab omnibus approbato Rex Angliæ declararer, simulque proditor Patriæ, & læsæ Majestatis decerneretur, qui Richardum Riche Regem esse negaret; nunquid consensus tuus, quum sis Angliæ civis, per hoc decretum non obligatur? nunquid non crimen esset Regem à Parleamento declaratum non agnoscere?* Ad hoc respondit Morus, *in tali casu consensum ejus obligari. Sed*, inquit, *hic tuus casus, quem ponis, levis est. Ego tibi graviorem proponam. Quid si in plenis regni Comitiis decerneretur, DEUM non esse DEUM? Nunquid tu, Richarde Riche, interrogatus, an DEUS esset DEUS, propter decretum Parleamenti negares?* Cui Richardus respondit: *Hoc nullo modo negarem, quia casus iste plane impossibilis est. At postquam casum ita sublimem mihi proponis, en tibi alium mediocrem. Non ignoras, Regem nostrum decreto Parleamentali declaratum esse supremum Ecclesiæ Anglicanæ in terris caput. Quare huic decreto non æque morem geris & consensum præbes, sicuti in casu à me proposito te morem gessurum dixeras?* Cui Morus: *Latum*, inquit, *& evidens discrimen est. Rex enim authoritate Parleamentali creari potest & privari potest, & omnes Angliæ subditi obedire tenentur. At nullo regni decreto Ecclesiæ Anglicanæ caput Rex declarari legitime potest; quum extra regnum Angliæ cæteri omnes Reges ac Principes ab hujus generis primatu abhorreant. Sed & huic Regis prærogativæ omnes aliæ Christiani orbis provinciæ contradicunt. Ecclesiæ quippe præesse, & causas Ecclesiasticas cognoscere, fidei ac religionis res est, non Regni ac Reipublicæ.*

Hæc ad illum Morus, saltem ut in libello Actoris refertur. Qui etiam si verus est, nihil in Moro aut morte aut reprehensione dignum continet; sed assertionem tantum liberam veræ & orthodoxæ sententiæ: quam quia nusquam antea fecisse legitur, non ita fortasse ex omni parte verum libellus dicit. Utcunque sit, ab isto Sollicitatore Regio egregie sollicitatum fuisse Thomam Morum, vano tamen & irrito labore, ex libello constat. Quum nihil horum omnium Morum frangere, perterrefacere, aut vel minimum commovere potuisset, mittitur in carcerem uxor, quæ viri animum pertentatura, verbisque blandis & illecebris fœmineis pectus fortissimum emolliat, aut ad aliquam suorum commiserationem inflectat. Venit, salutat, orat obnixe, ne illam, ne liberos, ne patriam & vitam, qua multis adhuc annis frui poterat, pro derelicto haberet. Cum hæc apud eum occineret, & de vitæ prolixitate sæpius inculcaret; *Et quamdiu, mea Aloysia*, (inquit Morus) *frui hac vita potero?* Tum illa. *Totis viginti annis, mi vir, si DEUS ita voluerit. Vis ergo*, ait Morus, *ut æternitatem viginti annis commutem? Næ tu imperita es mercatrix, uxor mea. Nam si annorum aliquot millia diceres, aliquid tu quidem diceres: sed tamen ad æternitatem quid essent?* Sic ille uxorculæ persuasiones non minus lepide quam graviter excussit. Istud vero omnino lepidum, & tamen animi in re gravissima ac aliis difficillima plane tranquilli & cordati. Quum multi magni viri ad illum in carcere ventitarent, seu sponte sua, seu (quod verisimilius est) à Rege submissi, (neque enim ita facilis ad turris Londinensis captivos patet accessus) inter alios usus, ad aliquid à Moro extorquendum magis vehemens quam prudens, quam sæpe & identidem moneret, rogaret, obsecraret, *ne sic propositi tenax esset, ut sententiam mutaret, ut animum flecteret*; nec tamen in tota oratione de causa vel divortii vel juramenti propositi verbum diceret; Morus seu jocari volens, seu ab hominis importunitate liberari cupiens, seu denique modum illum loquendi & agendi rudem & incivilem notans, ei graviter & serio respondit: *Equidem,*

dem,

dem, Domine mi, fatebor quod res est. Rebus meis omnibus bene perpensis & consideratis ego consilium mutavi meum, planeq; aliter facere institui, quam decreveram. Ille bonus Vir his auditis nec quicquam amplius aut interrogans aut expectans, ubi hoc se responso lætissimum ostendit, utque in eadem bona sententia firmus persisteret, monuit; festinus ad Regem accurrit, eique renuntiat, *Morum sententiam suam mutasse.* Rex ubi id audivit, facile credens, quod libenter optabat, certior tamen optati fieri cupiens, *redi*, inquit, *ad Morum: & me plurimum gaudere dicito, quod tandem aliquando ad animi nostri sententiam suam deflexerit: verum hoc unum me amplius velle, ut animi ac propositi sui mutationem scripto complectatur atque confirmet; ut qui ex hac ejus reluctatione scandalum passi sunt, ex ejus nunc retractatione ædificentur.* Rediens igitur in carcerem ad Morum, qui hoc beatum nuntium ad Regem imprudens detulerat, verba ac voluntatem Regis Moro renuntiat. Quibus ille auditis magnopere attonitus; *apud Regem ergo* (inquit) *fuisti? & mea verba inter nos duos hic habita Regiæ Majestati retulisti?* Quidni (respondit alter) referrem, quæ sciebam suæ Majestati fore gratissima? *At*, ait Morus, *mea verba melius debueras intelligere, priusquam ea cuiquam alteri, nedum Regi referres.* Quasi vero (replicat alter) non clare, quid dixeris, intellexerim, te videlicet rebus omnibus bene perpensis sententiam tuam mutasse. *Plane*, (inquit Morus) *rem ridiculam fecisti. Ego enim sententiam & mutavi, & me mutasse tibi familiariter dixeram, dicturus cætera, si sermonis finem exspectasses; sed de gravissima hac causa juramenti mihi oblati nec sententiam mutavi, nec tu mihi es loquutus, nec ego intellexi.* Qua ergo demum in re alia (subjunxit alter) sententiam mutasti tuam? *Dicam tibi sincere*, respondit Morus. *Scis me tota hactenus vita, ex quo in Aula versatus sum, barbam perpetuo rasisse, more cæterorum, qui vel Regi à consiliis sunt, vel alioqui jus in Republica dicunt. Atqui quum hæc mihi (ut vides) plurimum in carcere excreverit, decreveram plane satis diu ad supplicium iturus barbam radere, ne alio quasi vultu apud notos apparerem, quam solitus essem. Nunc autem mutavi plane consilium, voloq; ut barba idem discrimen subeat quod caput.* Confusus alter, ubi Regi, quod res erat, (urgebat enim mandatum Regis) renuntiasset, commotus Rex: *Enimvero*, ait, *sic suis nos dicteriis hic ludit semper.* Ac sic quidem in carcere varie ac multum tentatus ac pertentatus Morus fuit: hilaris nihilominus semper ac jucundus: quam ob causam quotidie fere in carcere Psalmos solus canebat, maximam & perpetuam animi sui tranquillitatem ea in re declarans, juxta illud Jacobi: *Æquo animo quis est? psallat.* Denique filiæ suæ Margarethæ fide sancte interposita affirmavit, nullum se unquam à Rege majus beneficium accepisse, quam ubi carceri ab eo mancipatus fuerit, propter incredibilem spiritualem profectũ, quem in eo se percipere sperabat. Sed & in carcere lusit quosdam rythmos Anglicos, qui leguntur Op. Anglic. pag. 1432. 1433. de ludibrio fortunæ, quos hic Latinos damus;

Infortunæ ludibrium.

Blanda quid arrides? Nostris fortuna ruinis
Cur nova promittis fœdera, spesq; novas?
Non tua fucato frons exporrecta nitore
Nos iterum fallet; sat potuisse semel.
His ego jactatus cœlestem adnavigo portum,
Succedit lætis dira procella tuis.

Aliud:

Te fortuna diu, rebus mihi læta secundis,
Ut dominam colui; tu mihi Numen eras.
At nunc averso postquam rapis omnia vultu,
Non pleno fraudes execrer ore tuas?
Est tamen hoc unum, cur te, fortuna, bearim;
Quod facis ista meis otia carminibus.

CAP. XVII.

De duplici ejus examinatione in carcere facta.

Quum unus in Anglia Morus esset, qui & authoritate præcipuus, & gratia apud Regem maximus, & integritate vitæ optimus, & eruditione summus, & à rebus in Republica gestis celeberrimus haberetur; simulque ex ordine laicorum solus, qui divortium & primatum Regis probare nollet; ut idcirco in unum Morum omnium tunc oculi conjicerentur; dici non potest, quantopere contenderit Rex, illum hominem quovis tandem modo in suam sententiam pertrahere. Quæ & quanta aliquot præcedentibus annis Rex cum eo in hunc finem molitus fuerit, quanta tentaverit, quot viis & modis hominis animum sollicitarit, ex iis, quæ jam in superioribus dicta sunt, facile Lector animadvertit. Attamen quum illorum nihil ex voto succederet, bis ad eum in carcerem misit delectos ex supremo Senatu viros, qui eum rursum hac de re convenirent, ejusdemque consensum, si qua fieri posset, extorquerent. Quid in gemina illa missione egerint, quo modo se, quam prudenter, pie, fortiter Morus gesserit; hoc nunc loco commemorabimus. Morus enim, quæcunque in carcere cum eo gesta erant, dilectissimæ filiæ suæ Margarethæ semper per literas communicabat, partim ad ejus totiusque familiæ consolationem, partim etiam ad veram rerum gestarum instructionem, propter falsos, qui de eo passim tunc spargebantur, rumores. Quum ergo circa medium Aprilis, An. 1534. in carcerem primo conjectus Morus fuisset, non præstito quod ei delatum fuit juramento, jamque toto anno integro, nec carceris tædio, nec amicorum precibus, nec tam varia & frequenti tentatione vinci posset, tandem mens. Maji die septimo, A. 1535. venerunt ad eum in carcerem à Rege destinati, quinq; ex Senatoribus Regiis, Secretarius, Advocatus, Sollicitator, & duo Doctores

Juris;

Juris; quibus considentibus, & vocato ad se Moro, qui etiam sedere jussus stetit tamen, Secretarius dux verbi sic eum affatur: *Quum nuper in Comitiis regni seu Parleamento decretū quoddam emanarit; in quo decernitur, Regiam Majestatem ejusque hæredes esse, semperque de jure fuisse, & esse in perpetuum oportere, supremum Ecclesiæ Anglicanæ post Christum in terris caput; voluit nunc sua Majestas, ut amplissimi viri, Senatores Regii præsentes, tuam de hoc decreto opinionem, sententiam ac judicium cognoscerent.* Cui sic respondit Morus: *Equidem sperabam suam Majestatem nunquam id mandaturam, ut hujusmodi quæstio à me peteretur, quum jam à principio motæ quæstionis hujus, ego subinde ac sæpe suæ Majestati meam hac de re sententiam aperte & ingenue declaraverim; sicuti etiam tuæ dominationi, domine Secretarie, & verbo & scripto plenissime feci*; nempe in epistola ad hunc Secretarium Thomam Cromvvellum, ut ex ea paulo superius prolixe recitavimus) *Nunc autem ego certe omnes hujusmodi cogitationes deposui, nec de Regum aut Pontificum titulis disputare amplius velim. Regiæ autem Majestatis fidelis subditus sum, & semper ero; ejusque memoriam in meis orationibus quotidie habeo, suorumque omnium, & vestrarum Amplitudinum, qui ei à consiliis estis, adeoque totius regni. Nec me aliter rebus immiscere volo.* Ad hæc Secretarius: *Regia* (inquit) *Majestas hoc tuo responso minime videtur fore contenta, sed explicatius aliquid & plenius à te responderi volet.* Addebat quoque, *Regiam Majestatem clementem esse principem, non immitem; qui, etsi aliquam interdum in subdito suo pertinaciam videret, ea tamen emendata & submissione facta, ad ignoscendum promtissimus sit. Quod at te autem attinet, (domine More) gestit inprimis sua Majestas, ut libertati tuæ redditus inter homines, ut prius, in mundo converseris.* Quibus verbis ad emolliendum animum factis sic breviter & fortiter respondit Morus: *Quod ad mundum attinet, non me amplius ei immiscere vellem, etiamsi totus mihi daretur mundus.* Ad rem ipsam autem respondit ut prius, *se rebus & curiis seculi nuntium remisisse, deinceps vero de passione Christi* (quam propterea in carcere divine exposuit) *& vita futura meditari velle.* His dictis recedere ad tempus jubetur. Moxque denuo vocato in hunc modum loquitur Secretarius: *Etsi ad perpetuos carceres damnatus hic agas, domine More, non tamen desinis esse Regi subditus, nec ab obedientia Regi debita propterea liberaris. Dic igitur nobis, quid tibi videatur. An existimas, Regem non posse à te exigere, quæ decreta parleamentalia statuerunt, idque sub eisdem pœnis, quæ in eis decernuntur?* Respondit Morus, *se id negare non velle.* Infert Secretarius: *Sicuti ergo sua Majestas clementem se erga eos ostendet, quos obsequentes videt; sic è diverso legum rigorem in eos adhibebit, quos pertinaces sentit. Sed & hic tuus agendi modus aliis animum addere videtur, qui se in hac causa pertinaces præbent.* His verbis jam minacibus, quia blanda prius non commoverant, respondet Morus; *se nemini occasionem præbere hanc vel illam sententiam sustinendi, se nemini unquam super hac re consilium dedisse, nemini quicquam in alterutram partem persuasisse. Denique, quæcunque* (inquit) *me pœna maneat, aliud facere nequeo. Regiæ Majestatis fidelis subditus & precator assiduus sum. Pro sua Majestate, suisque omnibus, & pro toto regno quotidie preces ad Deum fundo. Nemini male volo, nihil mali dico, nihil mali cogito, sed omnibus bene precor. Hæc mihi si ad vitam conservandam non sufficiunt, equidem diutius vivere non exopto. Sed & jam morior: atque ex quo in hunc locum veni, ita proximus morti aliquoties fui, ut infra unam horam me migraturum existimarem. Neque propterea (Deo sit laus) contristatus unquam fui, sed contra ubi spem mortis elapsam vidi, multum indolui. Quare miserum meum corpusculum ad mandatum Regis est. Utinam mea mors illi proficiat.* His dictis Secretarius intulit, vir Mori, secundum carnem, (ut videbatur certe) amicissimus. *Recte igitur: In illo decreto nihil est quod reprehendas. Estne in aliis decretis aliquid quod displicet?* Voluit nempe hic amicus ejus, ut saltem non improbare videretur, etsi probare nollet: Utque silentium ejus tacita quædam approbatio judicaretur aut certe simularetur: quale benevolentiam circa senem Eleazarum quidam principis Antiochi ministri exercere voluerant. Cæterum Morus ingenue & aperte sic respondit: *Mi domine, quicquid sive in hoc sive in aliis statutis atque decretis mihi non probandum videretur, non velim ea ullo verbo reprehendere, nec omnino aliquid dicere.* Quibus auditis benigne Moro respondit Secretarius, *quicquid coram illis Morus dixisset, nullum ex eo præjudicium ei futurum. Regi tantum ejus responsum referrent, ut, quid suæ Majestati videretur, diceret.* Atque hic fuit primæ in carcere examinationis exitus. Sic Senatores re infecta redierunt. Morus de animi sui constantia ac fortitudine nihil remisit. Veritatis confessionem nec ad punctum deserere voluit. Mensis Junii proxime sequentis die tertio alius ad audiendum in carcere Morum denuoque pertentandum amplissimorum virorum consessus fit. Mittuntur à Rege ad Morum Archiepisc. Cantuar. Cancellario regni, Dux Suffolciæ, Comes Viltoniæ, & Cromvvellus Secret. Illis considentibus, Secretarius dux verbi refert, & quidem fidelissime, quid in priori conventu cum Moro actum fuerit, quid ille responderit, quid Regi retulerint, *Regia autem* (inquit) *Majestas hoc responso tuo, domine More, minime contenta fuit: quin plane existimat, hunc modum agendi vestrum magnam in hoc regno offensionem gignere,*

multum detrimenti afferre: sed & animo te esse obstinato ac in Regem malevolo; denique debere te, ex officio erga eum tuo, tanquam subditum suæ Majestati, perspicue & determinate ei respondere, videaturne tibi hoc decretum recte constitutum an secus; eamque ob causam, ut hoc à te officium exigerent, nomineque Majestatis Regiæ ad respondendum te cogerent, amplissimos & summos hos viros huc venire voluit. Quare aut agnoscere debes, Regem recte atque legitime supremum esse Ecclesiæ Anglicanæ in terris caput, aut tuam animi malevolentiam plane predere. Cui sic respondit Morus: *Ego nullam in me video animi malevolentiam; ideoque nullam possum prodere. Quod ad rem autem ipsam attinet, aliam responsionem dare nequeo, quam quæ à me prius data est, quamque Dominus Secretarius jam retulit. Magno certe animi dolore afficior, quod hujusmodi de me opinionem malam sua Majestas conceperit. Cæterum si quis forte me apud Regem falso detulisset, cui ad momentum Rex fidem haberet, dolerem profecto vel uno tantum die Regem de me male sentire. Verum si certo mihi constaret fore, ut die crastino alius quispiam, tota veritate Regi explicata, meam illi innocentiam probaret, ejus sane crastini expectatione me interea solarer. Ad eundem plane modum etsi nunc vehementer doleam, suam Majestatem ita male de me interim existimare, tamen aliud huic malo remedium afferre nequeo, quam ut hac me certa spe interea consoler, diem aliquando venturum, in quo animi mei innocentiam & integritatem divina justitia Regi totique mundo patefaciet. Quamvis autem frigida hæc & parva consolatio cuipiam forte videatur, eo quod interea nocere mihi graviter possit hæc Regis indignatio, tamen Deo gratias ago, eam esse conscientiæ meæ integritatem & innocentiam in hac causa, ut pœnam quidem aliquam mihi Rex inferre valeat, nocere tamen nequeat. Certo enim cognovi, me nulla erga Regem prava affectione esse; sed à principio hujus controversiæ, sincerissime semper cum Rege egi: primum quidem & ante omnia Deum præ oculis habens, postea Regem; idque juxta Regis ipsius præceptum mihi à sua Majestate diserte datum, quum primum ad suum me servitium vocavit.* Hæc Mori responsione audita, Dominus Cancellarius pariterque Dominus Secretarius illud iterum urgebant, posse Regem vi legum eum cogere, ut certi aliquid responsi det, quo prædictum decretum vel approbet, vel improbet. Cui eorum allegationi sic respondit Morus: *De Regiæ Majestatis authoritate ac potentia in re disputare nolo; quidve in præsenti casu legitime facere possit vel non facere, nihil nunc definiam. Attamen, salvo meliori judicio, talis coactio mihi paulo iniquior videretur. Casu enim quo illi decreto mea conscientia reluctaretur, (quanquam reluctetur ne an non reluctetur, nihil nunc dicendum arbitror) dum interea contra id decretum nec dico nec facio quicquam; iniqua res mihi videtur ut cogar nihilominus, vel contra conscientiam illud diserte approbare, cum animæ meæ detrimento, vel improbare juxta conscientiam cum certo corporis detrimento. Si ergo in utroque est periculum, & si ista lex per modum gladii versatilis, qui utrinque porrectus secat, se habet, dura mihi conditio videtur, ut illa mihi nihil vel verbo vel facto contradicenti porrigatur.* Contra hanc responsionem sic instabat Secretarius: *Cum Cancellarius esses, hæreticos, fures, & alios malefactores magna cum prudentia, industria, diligentia examinasti. In illo autem examine, ab hæreticis (nisi fallor) illud diligenter quærebas (saltem ita quærere & interrogare solent Episcopi) an crederent, Papam esse caput Ecclesiæ? & huic interrogato diserte respondere cogebantur. Cur ergo non liceat Regi & interrogare, & ad respondendum cogere, de ipsius primatu, postquam lege publica primatus ille stabilitus nunc est?* Ad hoc respondit Morus (protestando, se nolle in contentionem aliquam descendere, aut suas partes contentiose defendere) *inter hæc duo discrimen quoddam esse: Illo enim* (inquit) *tempore, quo hæreticis talis interrogatio proponebatur, non in hoc tantum regno, sed & in toto orbe Christiano, Romani Pontificis primatus pro re certa & indubitata agnoscebatur. Quod autem nunc in hoc regno decretum est, in aliis orbis Christiani partibus pro falso habetur.* Cui distinctioni objecit Secretarius, *æque hodie capitis pœnam luere qui huic decreto obsistunt, atque tunc igne consumti sunt, qui alterum negarunt. Ad utrumque igitur ut respondeatur, æque compelli posse.* Ad quod iterum respondit Morus: *Postquam (ut in causa præsenti) nemo sic unius regni lege in conscientia tenetur, ubi totius orbis Christiani lex in materia fidei contrarium dictat, quemadmodum lege totius Christianitatis obligatur, etiamsi in certo aliquo regno lex aliqua localis in contrarium feratur; ratio obligandi vel non obligandi ad respondendum in hujusmodi, non pendet ex differentia pœnæ capitis & pœnæ ignis temporalis, sed ex differentia pœnæ capitis & ignis æterni.* Hæc Mori responsio magnam inter Senatores & ipsum altercationem peperit, & modo hic modo ille multa, sed parum ad rem, contra objectabat: quæ idcirco Morus in epistola ad filiam sese prætermittere ajebat. Tandem aliud illi juramentum exhibent, quo juret se ad omnia interrogata veraciter responsurum, quæ Regis nomine, & personam Regis concernentia ei proponerentur. Ad quod respondit Morus, *se plane decrevisse, nunquam in vita amplius juridicum aliquod juramentum præstare.* Hic fere omnes una voce responderunt, in hoc demum illum vere obstinatũ sese ostendere. *Omnes enim* (inquiunt) *in Camera judiciali aliisq; per Angliam tribunalibus hoc juramentum sine ulla difficultate præstant.* Quib⁹ ille respondit; *hoc sane ita sese habere. Cæterum,* inquit, *non sum ita rerum ignarus, quin facile conjiciam, qualia mihi ex parte interrogata proponentur. Perinde igitur duco ea ab initio rejicere & recusare, quam postea.*

Ad

Ad quam Mori responsionem, *non male conjecisti*, ait Cancellarius. *Nam & illa qualia sunt, videbis.* Duo ergo tantum erant interrogata. Prius, utrum decretum Parleamentale de Regis primatu aliquando vidisset. Posterius, utrũ illud decretum legitime & recte factum ei videretur, an non. Sic igitur juramentum istud penitus recusavit. Atq; hic fuit secundæ in carcere adeoque postremæ examinationis exitus. Ex his facile perspicere Lector potest, tum quanto studio Rex, ut unum Morum suæ impietati suffragari cogeret, incubuerit, quam multa & varia tentaverit, quam nulli arti aut labori pepercerit; tum ab altera parte quanta constantia, prudentia, moderatione, pietate pro veritate non prodenda Morus dimicaverit. Regis studium, quanti ille Morum fecerit, ostendit. Mori virtus, quanti merito faciendus erat, docet. Sed & quanta & quam clara atque perspicua Mori innocentia fuerit, tota hæc tam diligens, tam accurata, ita repetita examinatio demonstrat. Quia nullum morte dignum crimen viro sancto inhæsit; diu multumque examinando, aliquam criminis notam ei impingere, alicujus criminis reum peragere student. Quia sola recusatio juramenti nec dum ulla lege stabiliti, sed sola voluntate Regis exacti, satis justa mortis causa non videbatur, nec contra legem Morus in carcere deliquerat, aliquam saltem reprehensionem legis extorquere conantur. Ut videlicet tanquam hostem & adversarium legum publicarum puniant, quem approbatorem habere non poterant, & tacere non permitterent. Quanquam sic extorta reprehensio, quam non in vulgus sparsit, non sponte effutivit, non acerbe protulit, non arguens asseruit, sed judice urgente, Rege postulante, extorta fuisset, quam quæso criminis notam aut suspicionem habere potuit? Morus tamen pro sua prudentia, ut suam innocentiam clarius tueretur, ut Regem quam minime offenderet; nec improbare legem vult, Regem reveritus; nec approbare, DEUM timens. Hæc fuit viri pietas, prudentia, fortitudo. His tamen omnibus ita constitutis, quia Regis ira placari non potuit, cui contradicere capitale fuit, ad mortem vir innocens per fas nefasque postulatur. Id quo tandem modo, quo fuco, quo prætextu à parte Regis; qua pietate, qua fortitudine ex parte Mori factum fuerit, nunc explicabitur: si illud unum Lectori prius indicavero, hoc finito examine, Morum arctissime statim conclusum fuisse, ut hominem videlicet damnationi proximum. Sic inclusus, facile prospiciens quod futurum erat, scribit carbone ad integerrimum suum amicum Antonium Bonvisium, mercatorem Italum, familiarem epistolam perelegantem, de fideli amicitia in rebus adversis præstita magnas gratias agens: quam sane hoc loco inseruissem, si in Operibus Mori Latinis jam excusa non extaret.

CAPUT XVIII.

De accusatione & condemnatione Thomæ Mori.

POstquam in carcere Morus per quindecim fere menses arctissimo in loco, & in quo gravissimorum criminum rei asservari solent, amicorum & familiarium suorum accessu plerumque & multo majori temporis parte, negato, egisset; nec tam varie, tam diu, tam potenter tentatus, semel atque iterum examinatus, ut conscientiæ suæ integritatem violaret, impium regni decretum approbaret, ipsam denique veritatem orthodoxam vel minima dissimulatione proderet, induci unquam potuisset; tandem Calendis Julii, anni 1535. è carcere ad tribunal regium toto regno celeberrimum in Palatio Westmonasteriensi educitur, per Advocatum regium juridice accusandus. Citabatur ad causam capitis in eo loco dicendam Morus, in quo paulo ante Judex summa cum potestate & incredibili totius regni gratulatione sederat. Ibat baculo innixus tam longam viam, non tam ætate quam gravi ægritudine in carcere debilitatus, nihil tamen perturbationis vultu præ se ferens. Recitabatur contra eum longa & perplexa accusatio, tam longis verborum & sententiarum ambagibus contexta, ut Morus ipse, quo nemo memoria magis valuit, palam testaretur, se vix tertiam partem eorum, quæ sibi objicerentur, memoria comprehendere potuisse.

Quæcunque enim contra sceleratissimum hominem dici poterant, quæcunque in proditorem patriæ, & legum omnium eversorem; conferebantur in unum; ut videlicet, quum ad omnia, quæ proponebantur, respondere non posset, apud astantes quidem & præsentes suspicio saltem aliqua gravis de Moro injiceretur, ipse autem Morus ad rem quod responderet, vel multitudine verborum obrutus, vel rerum objectarum magnitudine attonitus, vel tota orationis perplexitate turbatus, omnino non haberet. Sed tota Advocati regii oratio id unum contendebat, hoc unum agebat, ut probaret, *novum Senatus decretum de Rege, supremo Ecclesiæ Anglicanæ capite, à Thoma Moro procaciter & proditorie rejici.* Ad hoc probandum recitatur duplex illa in carcere per Senatores regis facta examinatio, quam utramque supra posuimus. Proferebatur colloquium cum Richardo Riche habitum, quod etiam totum jam superioribus inseruimus. Addebatur, quod in carcere constitutus ad Roffensem literas scripserit, in quibus assereret, hoc novum decretum instar esse gladii ancipitis, qui ab utraque parte ferit. Si enim decretum approbas, animam, si improbas, corpus

pus in discrimen vocas. Veterem quoque querelam de secundis nuptiis Regis odiose replicabat. Ex his concludebat, *Morum decreto regni hostiliter adversari, Regis potestatem abnegare, læsæ Majestatis reum esse.* Accusatione peracta, priusquam responderet, Cancellarius, qui Moro successerat, & Northfolciæ Dux hunc in modum reum compellarunt: *En vides, Domine More, ex his, quæ prolata sunt, quæq; inficias ire non potes, te graviter in Regiam Majestatem deliquisse. Attamen si resipiscere velis, hancque animi tui pertinaciam deponere, & sententiam mutare, veniam à Regis clementia te consequuturum speramus.* Hic rursum videlicet adblandiebatur serpens antiquus, cum illo suo: *Nequaquam moriemini.* Sed ad hæc Morus Vir fortis in bello, & sciens pugnare cum antiquo serpente: *Amplissimi Viri, magnas quidem ex animo huic humanitati vestræ gratias ago; DEUM tamen omnipotentem enixius oro, ut in hac orthodoxa qua sum sententia ita me confirmet, ut usque ad mortem in ea perseverem.* Vides, quam præsenti animo nec civilitatis officium prætermittit, & Deum sollicite invocat, & causam principalem fortiter tenet. Tribus quasi verbis tria facit officia, humanitatis, pietatis, fortitudinis; honesti civis, pii fidelis, & nobilis confessoris. Hæc paucis præfatus ad defensionem suam descendit: *Cæterum,* inquit, *recolenti mihi accusationis factæ prolixitatem, & objectorum gravitatem, metus subit, ne nunc ingenium mihi suppetat, nec memoria, nec ulla orationis vis, qua singulis respondeam, ita gravem ex ægritudine in carcere contracta (qua necdum liberatus sum) corporis debilitatem sentio.* Tum jussu Judicum allata est sella, in qua sederet. Ubi consedisset, institutum sermonem hunc in modum prosequitur: *Quatuor, nisi fallor, sunt totius accusationis capita. Singulis ordine respondebo. Quod primo loco objicitur, me animo malevolo secundis istis nuptiis Regis nostri semper adversatum fuisse; ingenue fateor, me has nuptias semper apud suam Majestatem improbasse. Nec est animus aliud hac de re dicere vel sentire, quam quæ hactenus dixi & sensi: ipsa mea conscientia idem mihi semper dictante. Quam profecto conscientiam meam Regiam Majestatem celare nec volui, nec debui rogatus. Neque hac in re ulla læsæ Majestatis suspicio hærere potest. Sed è diverso, si rem tantam à principe rogatus, unde & Principis honos & regni tranquillitas pendebat, ad gratiam magis quam ad veritatem loquutus fuissem, vere ejus, quod nunc objicitur, reus fuissem, malevolus, perfidus ac proditor. Sed & ob hoc delictum meum (si principi roganti veritatem dicere delictum est) gravissimas jam dedi pœnas, omnium hominum proscriptionem passus, & perpetuo carceri addictus, in quo menses jam prope quindecim exegi. Alterum est accusationis caput & præsenti negotio proprium, me violati decreti Parleamentalis pœnæ obnoxium esse, eo quod jam in carcere detentus animo malevolo, perdito, ac proditorio Regiæ Majestati debitum honorem subtraxerim, qui in eo decreto Regi decernitur: novum videlicet titulum, quo Ecclesiæ Anglicanæ supremum in terris caput declaratur. Subtraxisse autem & negasse hanc novam prærogativam dicor, eo quod à Domino Secretario aliisque suæ Majestatis Consiliariis bis in carcere rogatus, quæ mea esset de hoc decreto sententia? nihil aliud responsi dare voluerim, quam ad me hanc legem, sive justa sive injusta sit, nihil pertinere; quem & occidisse civiliter jura dicunt, nec jam respondere de legibus deberem, quibus ipse amplius non uterer. Deinde ut maxime ad me pertineret, me tamen nec facto ullo nec dicto commisisse, ut illam improbare viderer; ideoque jure condemnari ea lege non posse, contra quam nihil à me factum dictumve objici posset. Me igitur inposterum de Christi Salvatoris acerba passione, deq; mea ex hac vita migratione (aliis curis rejectis) cogitare velle. Hanc certe meam tunc responsionem agnosco. Sed ajo hac mea responsione legem hanc seu decretum minime violari, aut crimen aliquod capitale committi. Neque enim hæc lex vestra aut totius mundi leges in solum silentium animadvertunt, sed dictum aliquod factumve vindicant. De occultis enim solus judicat DEUS.* Hic sermonem Mori (premere enim videbatur) Advocatus Regius interpellat. *Verum,* inquit, *si nullum neque dictum neque factum habemus, quod tibi objiciamus, at silentium certe habemus, & illud quidem malæ tuæ mentis signum, malitiæq; certum argumentum. Nemo enim toto regno subditus bene erga Regem affectus, de hoc decreto interrogatus, suam sententiam cathegorice dicere recusabit.* Ad hæc Morus: *Meum silentium nec ullæ malæ mentis signum est, quod ex aliis argumentis multis deprehendere sua Majestas potuit, nec legis vestræ aliqua improbatio convincitur. Judicium magis assentientis est potius legi, quam adversantis animi, idque pervulgato Jurisperitorum verbo confirmatur, quo dici solet: Qui tacet, consentire videtur. Quod autem de boni subditi officio infertur exemplo omnium in Anglia subditorum, plane judico boni subditi officium esse (nisi sic velit esse bonus subditus, ut sit malus Christianus) magis obedire DEO quam hominibus, majorem conscientiæ & animæ suæ servandæ curam habere, quam cujuscunque alterius rei. Maxime quum hujusmodi sit conscientia, (qualis certe mea est) quæ nihil offendiculi, scandali & seditionis nihil principi suo pariat. Sancte enim affirmo, me nemini unquam mortalium conscientiam hanc meam aperuisse. Venio nunc ad tertium accusationis caput, quo arguor contra Constitutionem hanc ad legem Parleamentalem impegisse, malitiose molitum esse, proditoria machinasse, & perfide practicasse (sic enim accusatio loquitur) eo quod ad D. Roffensem Episcopum octo paria epistolarum in carcere scripserim, quibus adversus hanc legem eum hortatus fuerim, & ad illud improbandum animum ei addiderim. Equidem vehementer optarim eas epistolas hic proferri ac recitari, quæ me vel convincerent vel liberarent. Cæterum quando illæ, quemadmodum prædicatis, per Episcopum exustæ sunt, non gravabor ego earum veram sententiam commemorare. In earum quibusdam de privatis nostris negotiis agebatur, pro vetere nostra amicitia ac familiaritate. In una quadam*

continebatur responsum meum ad Episcopi literas, quibus scire cupiebat, quid & quo pacto de hac nova constitutione Senatoribus regiis in carcere responderam. Ad quod ego nihil aliud rescripsi, nisi me jam meam composuisse conscientiam; componeret ipse suam. Ita me DEUS amet, & hanc animam meam servet; ut ego nihil aliud in illis literis scripsi: Deo teste sic & non aliter se rem habere affirmo. Non est igitur ex hac parte aliquid contra legem vestram morte dignum à me perpetratum. Quartum & postremum objectum mihi crimen est, quod quum de hac lege in carcere examinarer, dixerim, eam esse gladio ancipiti similem. cui contradicere capitis, cui assentiri animæ detrimentum esset. Cujus generis responsum quia & D. Roffensis dedit, arguitur hinc perspicuum esse, conspiratum inter nos fuisse. Ad hæc respondeo, me illa verba non nisi conditionaliter in carcere coram amplissimo Senatu protulisse. Hoc videlicet modo. Si in utroque est periculum, sive probem sive improbem hanc legem, ideoque gladii ancipitis ad instar est, qui utrinque porrectus secat, dura mihi conditio videtur, ut illa mihi, nihil vel facto vel verbo contradicenti, porrigatur. Hæc mea tunc fuit oratio. Quid & quo modo responderit Episcopus, nescio. Si illius ratio cum mea congruebat, id nequaquam accidit ex ulla inter nos conspiratione, sed potius ex ingeniorum ac doctrinæ similitudine. In summa pro certo habetote, me nunquam cuiquam mortalium adversus hanc constitutionem fuisse loquutum: etsi fortasse ad benignam Regis clementiam aliquid de me falso fuerit delatum. Hæc fuit Thomæ Mori contra prolixam accusationem, verbis odiosam & gravem, re inanem, veritate vacuam, perspicua & brevis responsio, justa & sancta defensio. Qua peracta, quum nihil contra tantam veritatis & innocentiæ lucem quod replicaret, Advocatus Regius haberet, solo *Malitiæ* verbo per totum tribunal perstrepente, cujus malitiæ argumentum non factum dictumve aliquod, sed silentium ponebatur, advocantur duodecim viri, quorum est ex gentis nostræ more de capite omnium cognoscere & interloqui. Jubentur isti super accusatione facta, quæ illis in scripto datur, simul consultare: posteaque de eo pronunciare, an Constitutioni Parleamentali prædictæ Thomas Morus malitiose non obstiterit. Hi quum per horæ quartam partem recessissent, cito reversi (neque enim magna deliberatione opus fuit, ubi non ex causæ æquitate, sed ex Principis voluntate interloquendum fuit) pronunciant, *Gilty:* hoc est, reum mortis. Neque enim isti duodecim viri ullam suæ interlocutionis causam aut rationem afferunt, sed uno vocabulo, vitam vel necem pronuntiant. Illud enim, *Non liquet*, hic locum non habet. Fuerunt autem isti duodecim viri Nobiles, sicuti ipse Morus; Duo equestris ordinis, duo armigeri, reliqui octo generosi seu simpliciter Nobiles. Cujus enim ordinis reus est, ejusdem deliguntur à Judice duodecim viri. Nomina singulorum & cognomina possem hic apponere; sed propter tam infame judicium, satius duco prætermittere, & honestissimarum familiarum nominibus parcere. Accepto duodecim virorum verbo, Judex, qui Cancellarius erat, mortis sententiam in hæc verba pronuntiat: *Visum est nobis, Thomam Morum, opera & ministerio Gulielmi Bingston Shyrevi, ab hoc loco in carcerem turris Londinensis reduci, & ab eo loco per medium civitatis directe usque ad furcas de Tybourne trahi, super illas furcas ibidem suspendi, adhuc spirantem in terram ex furcis demitti, ibi eviscerari, viscera ipso vivente comburi, inde caput amputari, corpus in quatuor partes secari, caput cum partibus eis locis poni, quæ Rex postea designaverit.* Hæc est illa præclara sententia contra Thomam Morum prælata. Hæc est solius silentii pœna. Hæc hominis de Rege & Republica optime meriti, hoc solo nomine, quod conscientiæ suæ prospectum voluit, condemnatio. Hæc est fidelissimi Consiliarii, quia fideliter Regi serviit, quia nefariam libidinem approbare noluit, quia turpiter adulari recusavit, egregia remuneratio. Non male Paulus Jovius Henricum Regem hoc uno facinore *Phalaridis æmulum* vocat. Nam quod hæc teterrima sententia, non nisi in maxime facinorosos ferri solita, in aliam postea mitiorem mutata est, ut sola capitis truncatione occumberet, de more potius & consuetudine Regum Angliæ, qui viros aut genere aut dignitate illustres non nisi eo modo tollunt, quam de aliqua Regis clementia profectum fuit. Neque hoc beneficium ulli videri potest, nisi forte quale latronum est, qui vitam illis dedisse se ajunt, quibus non ademerint. Quare & ipse Morus, quum ad eum allatum esset, Regem pro sua clementia benigne cum eo agere velle, quia non nisi capite truncaretur, *hanc*, inquit, *regiam benignitatem ab amicis meis omnibus DEUS avertat.* Sed de hac re plura postea. Nunc sententia mortis prolata quid Morus vel dixerit vel egerit, explicandum est. Ubi sententiam Judex pronuntiasset, Morus vocationis suæ ad martyrium jam certior (hactenus enim dubitans, an hac eum vocatione & gratia Deus donaturus esset, aperte, quod sentiebat, dicere recusavit) vultu constanti & intrepido sic orsus est: *Age, quando sum condemnatus, quo jure, novit Deus, ad exonerandam conscientiam meam, de vestra jam constitutione libere eloquar quod sentio. Ego quum viderem, statum hujus regni eo ferri, ut necessario investigandum esset, qua ex origine Pontificis Romani potestas dimanaret, fateor me toto septennio animum studiumque meum in hanc causam intendisse; nec in ullo hactenus Doctorum, quos Ecclesia probat, scriptum reperire potui, hominem laicum status Ecclesiastici caput aut fuisse aliquando, aut esse ullo modo posse.* Hic Cancellarius Mori sermonem interrumpens eit: *Ita scilicet tu unus, Domine More, omnibus aliis vis haberi sapientior, aut conscientia magis integra, omnibus, inquam, Episcopis, tota nobilitate, atq; universo regno.* Ad quæ Morus: *Domine Cancellarie, ego contra unũ Episcopum, quẽ pro vestra parte profertis, proferã centũ*

Sanctos & orthodoxos, qui meæ sententiæ subscribunt: & contra unũ Senatũ vestrũ, qui qualis fuerit, Deus novit, habeo mihi suffragantia omnia totius orbis Christiani Concilia ab annis plus mille celebrata: & contra unum Angliæ regnum stant ex parte mea omnia totius orbis Christiani regna. Hæc gravissima Mori verba, quibus ridiculam & levissimam Cancellarii interpellationem justo authoritatis pondere subverterat, non ferens Nortfolciæ Dux, qui sic nobilitate ut alter dignitate primus omnium post Regem erat, sic Morum alloquitur: *Nunc vero, More, perspicuam nobis facis tuam animi malevolentiam.* Cui statim Morus: *Inclyte Domine, ut hæc loquar, non ulla incitat malevolentia, sed justa me cogit necessitas, qua conscientiam meam in loco judicii exonerare debeo. Testis est DEUS, qui solus scrutatur corda & renes, non alio me animo hæc esse proloquutum. Porro, quod ad rem ipsam attinet, hoc etiam adjicio: Circa constitutionem hanc vestram in hoc graviter peccatum esse, quod quum vos, amplissimi viri, Regni proceres, diserte professi sitis, & jurejurando vosmet abstrinxeritis, nihil vos unquam contra sanctam Ecclesiam molituros, hanc nihilominus legem tulistis vos in hoc regno soli, citra consensum reliquæ Christianitatis, quæ totius Ecclesiæ unitatem, pacem, & concordiam dissolvit; quum nemo nesciat, Ecclesiam universam unicum, integrum & individuum corpus esse; ideoque in iis, quæ ad religionem spectant, sine communi & generali consensu nihil statui debere. Atqui non sum nescius, quæ sit potissima condemnationis meæ causa. Illa sane, quod novas has nuptias nunquam approbare voluerim. Verum enim vero hoc nunc tempus discordiarum, hic locus dissentientium opinionum est. Confido autem, divina bonitate ac misericordia fretus, fore ut quemadmodum Paulus Stephanum persequutus est usque ad mortem, & tamen iidem nunc unanimes agunt in cœlo, sic plane nos, qui nunc discordes sumus in hoc mundo, & de eisdem rebus aliter sentimus, in futuro seculo concordes, & cum charitate perfecta unanimes futuri simus. Hac spe fretus enixe Deum precor, ut vos omnes conservet, ipsumque inprimis Dominum Regem, eique bonos semper Consultores dare dignetur.* Hæc ultima fuerunt ad illud tribunal celeberrimum Mori verba, ab his, qui astiterunt, excepta, & olim Lutetiæ, recenti rei memoria, typis excusa. Verba certe nobilissimo Christi Martyre digna; quia & veritatem fortiter confitetur, & latam sententiam nulla indignatione prosequitur, & (quod caput est) dum Stephani meminit, Stephanum imitatur, orans pro persequutoribus suis. Nec orans tantum, sed & caput totius mali digito demonstrans, dum Regi bonos Consultores exoptat. Fundi enim nostri vel totius terræ potius calamitas hæc erat, quod malis consiliis Rex aurem præbuit. Regi de novis tunc nuptiis nihil plane cogitanti Wolsæus Cardinalis per interpositam personam primus mortalium suggessit. Homo ambitiosus videns se Papatu, quem ambiebat, excidisse, Caroli Imperatoris commendatione (quam certo sibi promittebat) frustratus, tum ut de Carolo se vindicaret, tum ut cum Rege Galliarum novas amicitias faceret, curat de primis nuptiis jam per annos viginti sine scrupo continuatis scrupum injici: ut illis solutis, cum sorore Regis Francisci, Galli, & Henrico Rege novas fabricaret. Sed malum consilium Consultori pessimum. Novæ nuptiæ non jam cum Galla, sed cum Bolenia, Wolsæi primum, posteaque totius status ecclesiastici & religionis in Anglia interitus fuit. Quod si eo tempore, sicut Thomas Morus sic cæteri Consiliarii Regii, si sicut Joannes Roffensis Episcopus sic cæteri Episcopi, ex fide & conscientia rem tractassent; si, quod vere sentiebant, Regi respondissent; si non ad gratiam, sed pro eo quod veritas postulabat & conscientia cujusque dictabat loquuti fuissent; nec illæ infaustissimæ nuptiæ tam horrendas clades ac strages in Anglia dedissent, nec novus ille & antichristianus Regis titulus universam in Anglia religionem pessundedisset. Concludit igitur Thomas Morus suam pro tribunali defensionem, non solum ut nobilissimus veritatis orthodoxæ confessor, & propugnator disertus, sed etiam ut prudentissimus Regis Consiliarius.

CAPUT XIX.

De iis, quæ condemnationem & beatam viri mortem intercesserunt.

SErmone finito, vel potius per Judices interrupto, (neque enim viri gravissimi & disertissimi sapientiam ac libertatem magis sustinere poterant, quam S. Stephani orationem liberrimam obdurati Judæi) abducitur è judicii loco, & ad carcerem reducitur Morus, securi de more prolata, condemnationis indicio. Hic vero miserandum plane & ipsa condemnatione miserabilius accidit spectaculum. Joannes quidem Morus, unicus Mori filius, patri è judicio redeunti ad pedes provolvitur, benedictionem paternam flexis genibus nec sine lacrymis petens. Verum illud ut genti nostræ usitatissimum minus movit: etsi pater per literas postea (quas suo loco inseremus) hoc filii sui officio eo tunc tempore ac loco plurimum oblectatum fuisse scribat. Cæterum quum paulo extra Judicii locum progressus Morus esset, ecce tibi filia ejus Margaretha Ropera (sic unice patri chara; ut vel ad ejus solum adspectum, si nihil in Moro supra hominem fuisset, vehementer commoveretur, ut ex præcedentibus satis liquet) non turbæ tantum se immiscet, patrem visura aut ei valedictura, sed pectore plus quam virili, & acerrimis amoris stimulis incitata, per mediam populi turbam, perque satellitum arma semet injecit, & ad parentem penetravit. Quum & mulier esset, & natura cumprimis verecunda, tamen & metum & pudorem excusserat vel impotens animi dolor, vel (quod magis credo) immensa dilectionis vis. Accedens enim in carissimi patris

collum

collum ruit, & arctissimo complexu aliquandiu tenuit, nihil aliud loquuta quam, *Ah mi pater!* Movit stipatores tametsi duros hoc spectaculum. Sed Morum ipsum talis filiæ in tali articulo tam expressa caritas, tam valida dilectio, tam fortis & imperterritus amor, quo tandem modo non solum commovere, sed etiam nonnihil è constantiæ statu dimovere potuisset, nisi divina quædam vis, qua mortis sententiam nihil exterritus excepit, (imo ea excepta & fortius loquebatur, & agebat constantius) nunc quoque mentem ejus occupasset, ne quid naturæ cederet, aut de constantiæ gradu vel minimum moveretur? Cum enim generosissima mulier, dignissima tali patre filia, secum omnes naturæ dotes afferens, omnia pietatis signa, omnia, quæ in liberis jucunda esse parentibus solent, eo in loco, quo vix ulli viro patere aditus videbatur, prius pæne in sinu patris hæsit, quam advenientem pater vidisset; quales doloris stimuli, quam acres patris animo esse poterant, talis præsertim patris, qui quum omnium suorum natura amantissimus esset, præcipuo tamen amore Margaretham dilexerat; Quas vero doloris faces ei admovisse par est, quum aliquandiu in ejus complexu nihil effari valens adhærescebat? quas, quum inde vix avellebatur? Quæ vero tormenta jam & cruciatus animi, cum semel avulsa iterum, eadem pietate percita, eodem cum impetu rediit, & vi majore ægre abstrahi potuit? Quanto hic robore animi opus erat, quanta consolatione illi, cui ipsa naturæ consolatio dolores omni morte graviores objiciebat? Atqui sic his omnibus restitit Morus, ut prorsus invictus dici possit. Ita voce, vultu, gestu ostendit, se omnes naturæ insultus superasse, & omnia, quæ infra cœlum dolorem facere hominibus soleant, vicisse. Nihil enim de oris constantia & gravitate remittens, filiæ respondit, *se quacunque pateretur, etsi innocens pateretur, DEI tamen voluntate pati; illum arcana pectoris sui nosse. Proinde suam ipsa pietatem ad DEI voluntatem accommodaret, & maximo tolerantiæ bono in patris casu uteretur.* Hæc ille in primo congressu. Nam quum secunda vice, postquam decem aut duodecim passus digressa, revertisset, colloque iterum inhæsisset, nihil quidem dixit, sed tacenti lacrymæ erumpebant, vultu tamen à constantia nihil dimoto. Id tantum abeunti mandavit, *ut Deum pro anima patris deprecaretur.* Fuit porro & altera ejus filia non natura, sed educatione, Margaretha Gyge, Doctoris Clementis postea uxor, quæ illum similiter eodem tempore amplexa & osculata fuit. Sed & filius quoque Joannes accepta patris benedictione osculum dedit & accepit. Hi omnes postea attestati sunt, ex ore Mori, quum illum oscularentur, miri odoris fragrantiam sese hausisse. Certe ad hunc suorum lamentabilem concursum, ad hos amplexus & oscula, non solum ex populari turba permulti, sed & ex ipsis satellitibus aliqui erant, qui à lacrymis sibi temperare non poterant. Id quod certe mirum non est, quum (ut Cardinalis Polus scribit) *Externi homines, qui Morum nunquam noverant, tantum dolorem ex ejus morte acceperunt tamen, ut quum, quæ de ea scripta circumferebantur, legissent, lacrymas tenere non potuerint, hominique externo non alia re quam fama sibi noto illacrymarint. Ac mihi plane tanto intervallo hæc de illius morte scribenti, qui non tam multas privatim amoris causas cum eo habui, sed virtutis potius & probitatis ergo, quodque patriæ utilissimum esse scirem, eum amavi & colui, sic tamen (testis est mihi DEUS) invito lacrymæ oboriebantur, ut scriptionem maxime impedirent, & ipsas sæpe literas delerent, ut vix ultra progredi possem.* Hæc de se ipso Cardinalis Polus in libro tertio de Unitate ecclesiastica. Reductus ad carcerem Morus, graviorem in via quam in Judicio tentationem expertus, & victoriam majorem adeptus; sciens quia hora ejus veniret, ut transeat de hoc mundo ad Deum, quarto post condemnationem die, qui fuit Julii quintus, & feria secunda, postremam suam epistolam carbone scribit, (neque enim calami copia fuit) ad suavissimam & charissimam filiam suam Margaretham Roperam: quam ex Anglico in Latinum versam (quia postremum est, quod Morus scripsit, virique sancti spiritum, humanitatis tamen non oblitum, redolet) hic subjiciam: *Benedicat tibi DEUS dilecta filia, & marito tuo, & puerulo tuo, & tuis omnibus, & meis liberis universis, & omnibus ex sacro Fonte susceptis, atque amicis omnibus. Commenda me, quum commodum fuerit, filiæ meæ Cæciliæ, quam ut Deus consoletur precor. Benedictionem illi meam impartio, omnibusque liberis ejus; & roga illam, ut pro me precetur. Mitto illi strophiolum. Sed & virum ejus, generum meum, ut Deus consolari velit, precor. Filia mea Dancæa habet imaginem illam in pergameno depictam, quam per te mihi dedit domina Coniers. Nomen ejus dorso inscribitur. Dic illi me multam rogare, ut illam imaginem tu remittas eidem dominæ in memoriam mei, ut pro me oret. Vehementer probo Dorotheam Coly:* (hæc postea uxor fuit Joannis Harrisii, Secretarii Thomæ Mori, estque adhuc hodie Duaci superstes) *Sis precor illi benevola & favens.* (Erat quippe Margarethæ Roperæ pedisequa & sæpius ad carcerem missa à domina sua intercurrebat deferens munuscula Moro) *Scire velim, utrum hæc illa sit, de qua ad me scripsisti. Sin minus, faveas, quantum potes, illi alteri afflictæ, atque etiam Joannæ Alanæ filiæ meæ.* (Hanc sic vocat, quia Margarethæ Roperæ altera pedisequa erat, & apud Morum educata.) *Benigne quæso ei respondeas: hodie enim apud me sollicitavit, ut tibi eam commendarem. Multum tibi sum, mea Margaretha, molestus. Sed male me haberet, si diutius, quam die crastino. Est enim vigilia sancti Thomæ Cantuariensis,*

 (cujus

(cujus videlicet Translatio septima Julii in Anglia Catholica, & alibi extra Angliam celebrari est solita) *& octava sancti Petri. Cras itaque vehementer gestio ad Deum migrare. Esset enim dies mihi valde conveniens. Nunquam mihi magis placuisti, quam quum postrema vice osculata me es. Multum enim delector, quum dilectio filialis & pura caritas hujus mundi ceremonias non expectat. Vale carissima filia, & ora pro me. Ego pro vobis & omnibus amicis vestris orabo, ut suaviter in cœlo nos mutuo conspiciamus. Ago gratias de liberalitate vestra. Mitto nunc filiæ meæ Clementi* (hæc erat Margaretha Gyge, uxor Joannis Clementis, Doctoris Medici) *lapidem ejus arithmeticum: simulque illi & filiolo meo è Fonte suscepto, omnibusque ejus, divinam benedictionem & meam impartio. Saluta quæso, meo nomine, quum opportunum fuerit, filium meum Joannem Morum. Placuit mihi vehementer bona ejus indoles.* (Nempe quia ex Judicio exeunte patre benedictionem ejus petierat) *Benedicat illi Deus, ejusque uxori optimæ, filiæ meæ; cui velim ut impense faveat, quod & merito facere debet. Quod si possessionum mearum hæres fiat, videat ne meam voluntatem in eo, quod sororem ejus Dancæam concernit, violet. Denique Augustino & Thomæ* (erant hi Joanni Moro filii jam nati) *& qui nascentur ab illis, benedicat Deus.* In hac Thomæ Mori postrema epistola facile agnoscas & spiritum plane divinum ac nisi cœlestia sapientem; & animum prorsus tranquillum, nullaque perturbatione agitatum; & denique hominem suorum non immemorem, sed qui ad ultimum usque spiritum non minus boni patris, quam fortissimi confessoris officium faciat. Spiritus ejus plane divinus, nihil nisi benedictiones loquitur. Omnibus suis & singulis bene precatur. Quasi alter Jacob filiis ac nepotibus suis, non è lecto, sed è carcere benedicit, & gratias spirituales impartit. Omnium quoque se precibus commendat ex spiritu humilitatis & timoris Dei, quem ad ultimum usque vitæ halitum, tanquam certissimum reliquarum omnium virtutum custodem, retinuit. Sed nunquid ille Spiritus Prophetiæ fuit, & quædam familiaritas cum Deo, quod diem mortis suæ in hac epistola prædicit? *Male*, inquit, *me haberet, si ultra diem crastinum molestus tibi essem.* Et certe in illo crastino passus est. Sed quare illum crastinum, magis quam perendie aut ex sequentibus diebus aliquem, Morus sibi ad mortem destinavit? nisi quod id quasi divinitus revelatum accepit? Quare in hunc quartum post condemnationem diem has postremas literas distulit? Nam post condemnationem Margaretha filia quotidie ad patrem suum Dorotheam mittebat; nec carceris custos, Mori amicus, accessum aliquando prohibuit: Sed non nisi quarto post die suis omnibus valedicit. Non nisi quintum diem passionis suæ diem fore prædicit. Certe illud constat, hunc diem Morum vehementer exoptasse, sive illum prænoverit; sive singulariter à DEO expetierit. *Esset*, inquit, *ille dies mihi conveniens.* Et quare? Quia dies ille Translatio erat sancti Thomæ Cantuariensis, qui si non publice festus, tamen in Ecclesia magnopere celebratus; erat quoque octava S. Petri, Apostolorum principis. Rectissime igitur hunc sibi diem Morus optavit; suavissime hunc suo Martyri diem Deus concessit; in quo & Patroni ejus, cujus nomen gerebat, & sancti Apostoli, pro cujus primatu sanguinem fundebat, celebris à fidelibus memoria fiebat. Illo enim die magis eos ad intercedendum pro se propitios optimus Catholicus Morus habiturum se non dubitabat, in quo die Catholici omnes eorum intercessionem communibus votis expetebant: edoctus videlicet celebritatem Sanctorum hunc finem & fructum habere, *ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: & illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam hic agimus in terris*, ceu habetur in *Liturgia.* Has Ecclesiæ voces optime tenuit Morus, vir vocatione laicus, sed vitæ totius sanctitate & innocentia Ecclesiasticus. Si enim ideo Sancti honorantur, ut pro nobis intercedant, non dubium, quin quo tempore magis ab Ecclesia honorantur, eo tempore majorem intercessionis fructum Ecclesia percipiat. Multum igitur desideravit Thomas Morus (& *desiderium cordis ejus tribuit ei Dominus* quod & de Martyribus canit Ecclesia) eo die dissolvi, & esse cum Christo, quo die, ut eo feliciter perveniret, à Sanctis, qui magis ei peculiares patroni erant, magis se adjuvandum & commendandum sperabat. Quis fidelis Orthodoxus in die patroni sui certius & fidelius auxilium à Deo non expectet? Quis nescit Hispanos in die S. Jacobi (qui patronus est gentis) & confidentius pugnare, & admirabiles victorias esse sæpe consequutos? Sic Angli & Galli, quum Catholica tota gens erat, in festis sanctorum Georgii & Dionysii magna sæpe & præclara facinora edebant. Non igitur immerito in translatione gloriosa S. Thomæ martyris, patroni sui, transferri quoque ex his tenebris ad lucem, & martyr fieri Thomas Morus voluit. Porro pro Christo moriturus quis non optaret ipso Natalis, aut passionis, aut Resurrectionis, aut Ascensionis Christi Servatoris die, mortem oppetere? Certe multos in martyrologiis legimus ipso Resurrectionis & passionis Dominicæ die à persequutoribus ethnicis trucidatos, & nobili martyrio perfunctos esse. Atqui S. Petrus ecclesiastici ordinis ac status primus ac princeps à Christo institutus est. Pro hujus in terris primatu (quem *totius orbis magistrum* vocat Chrysostomus Homil. 55. in Matth. *totius Ecclesiæ gubernacula suscepisse* scribit Damascenus in orat. de Transfigurat. Domini, uterque Græcus; quem Henricus in Anglia D. Petro eripere, sibique sacrilege vendicare ausus est) Thomas Morus capitis supplicium luiturus & nobilissimam confessionem facturus, quidni in octava S. Petri ut id fieret, merito exoptaret? Optavit

igitur

igitur *& voluntate labiorum ejus non fraudavit eum Dominus:* quod ut de omnibus Martyribus canit Ecclesia, ita singulariter de martyre Moro cantare poterit. Hunc spiritum seu prædictionis propheticæ, seu certe familiaritatis cujusdam divinæ, hæc postrema Mori epistola loquitur. Tranquillitatem animi omnia epistolæ verba loquuntur: in qua sic de rebus variis amanter disponit, ac si non in carcere damnatus & cras moriturus, sed domi suæ liber & aliquo profecturus disponeret. Postremo suorum immemor non est, ad exemplum Christi, qui in ipsa cruce matris suæ curam dilecto discipulo demandavit. Una cum hac epistola postrema misit ad filiam Margaretham cilicium suum cum flagello, panno utrumque obvolvens; quo in suum corpus disciplinam exercere solebat. Certus quippe de crastino martyrio (non à Rege aut judicibus aut custode monitus, neque enim hoc fieri solet nisi sub vesperam sequentis diei, sed ut jam dictum est) vel divinitus admonitus, vel bonitati divinæ confidens; certus de fine certaminis & gloriosa victoria, arma pugnæ spiritualis deposuit, & tela remisit; ne sane in aliorum, quam carissimorum suorum manus venirent; & ut illum suum occultissimum mortificandi modum externos omnes celaret; postremo ne in carcere relicta vel affectatæ sanctitatis & hypocrisis suspicionem, vel contumeliæ & irrisionis occasionem darent. Atque hæc de ipsa condemnatione Mori, deque iis, quæ eam sequuta sunt, hactenus.

CAPUT XX.

De beata morte & illustri martyrio Thomæ Mori.

THomas Morus accepta mortis sententia, & ad carcerem reductus Calendis Julii, anni 1535. se ad mortem proximam componit, nihil plane animo consternatus, nihil turbatus, sed totus non modo tranquillus (ut jam ostensum est) verum etiam plane hilaris more suo ac jucundus, ut mox ostendetur. Interim timorem DEI nunquam deponens (*beatus enim homo, qui semper est pavidus*) postremis illis diebus in carceris sui angustiis linteo totus obvolutus, ad instar cadaveris in terram deponendi, mirificeque seipsum flagellans obambulat. O sanctum virum, qui tanta tam innocenter, tam diu passus, sic tamen in seipsum severus est, ac si atrocissima flagitia per totam vitam delicate & luxuriose vivens perpetrasset! Væ nobis delicatulis, qui fastu turgidi, invidia lividi, avaritia sordidi, luxuria fœdi ac spurci, nihil tamen vel pro Christo vel pro nobis ipsis durum & asperum sustinere volumus! Sed *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quod optime sciens Thomas Morus usque ad ultimum vitæ diem severus in seipsum esse, & vim sibi ipsi facere voluit. Nempe optime sciebat, strenuos in agone cursores, quo propius metam attingunt, eo alacrius & celerius currere. Quum jam dies mortis, vel potiùs vitæ, Moro advenisset, educitur ex carcere in planitiem castri seu turris Londinensis, jam propter diuturni carceris squalorem, ut præter morem barbatus idque prolixe, ita facie pallida ac macilenta, crucem rubeam manu gestans, oculis in cœlum elatis, veste servili & vilissima indutus. Quum enim in honesta veste procedere voluisset, togamque de camelot induere, quam ei in carcere Bonvisius donaverat, tum in amici gratiam, tum ut eam togam carnifici daret; fecit custodis vel avaritia vel improbitas, ut servi sui togam, vilissimi panni, quem nos griseam vel friseam vocamus, indutus prodiret, vir tantus, tam celebris, tantis dignitatibus perfunctus. Sed fuit hæc vestis Thomæ Moro vere nuptialis vestis: vel quia Christo pauperi in ea assimilatus, vel quia ad nuptias Agni & calicem Christi bibendum in ea properavit. Thomæ Mori ad locum supplicii exeuntis vivam effigiem egregie fabrefactam ostendit olim mihi Margaretha Gyge, Joannis Clementis uxor, quæ morienti adfuit, & mortuum cum alia Margaretha sepelivit: & juxta illam, quam vidi, effigiem prodeuntis gestum ac vultum descripsi. Transeunti mulier quædam vinum obtulit, quod recusavit, dicens: *Christum in sua passione non vino sed felle potatum fuisse.* Alia quædam mulier magnis clamoribus eum interpellans de chartis quibusdam suis, quas, dum Cancellarius erat, apud eum deposuerat, hoc responsum accepit: *Bona mulier; quod ad chartas tuas attinet, habe quæso ad unius horulæ patientiam. Tunc enim à chartarum tuarum curis, reliquoque omni onere, Regia Majestas pro sua bonitate me penitus liberabit.* Denique ab alia adhuc muliercula interpellatus, quæ gravem sibi ab illo Cancellario injuriam factam exclamabat, (sive serio hæc diceret, sive subornata) graviter respondit: *Tuam causam optime memini, & si nunc mihi in illa causa ferenda sententia foret, non aliter prorsus pronunciarem.* Fuit eodem tempore qui consilii & orationis causa ad eum in media turba accurrit, de quo supra diximus, capite sexto. Ad patibuli locum quum ventum esset, theatrum conscensurus, manum cuidam porrigens, *juva me quæso* (inquit) *ad conscensum hunc: in descensu nemini molestus fuero.* Ubi conscendisset, verba ad populum facturus à prætore prohibetur. Unde brevissime dixit: *Ego, fratres, contestor, me & fidelem Regi, & servum Dei, & in fide Catholica moriturum.* Hæc quidem ille, sed qui unus erat toto regno Regi fidelissimus: unus servus Dei maximus & innocentissimus: unus non tantùm in fide, sed etiam pro fide Catholica moriturus. His dictis, utroque genu flexo, Psalmum quinquagesimum: *Miserere mei Deus*: clara voce recitavit, sicuti Roffensis canticum illud: *Te Deum laudamus.* Roffensis enim divina exultatione repletus totus lætus ac gaudens ad patibu-

tibulum festinavit, abjecto senectutis suæ baculo, & eodem die, quo pati debuit, in lecto securissime usque ad horam bene matutinam dormiens, & lac pro jentaculo petens. Morus spiritu humilitatis & timoris plenus, pœnitentiæ precem non laudis canticum recitare voluit. Uterque spiritus Deo placuit, & à Deo fuit. Nam & *fructus spiritus gaudium est*, teste Apostolo, Gal. 5. & *sacrificium Deo spiritus contribulatus*, teste Davide, Psalm. 50. Quanquam neque sancto timore vacuus erat Roffensis, neque sancta lætitia destitutus fuit Morus. Recitato enim Psalmo & finita prece alacriter surgens primum carnifici veniam de more petenti & osculum carissimum porrexit, & angelotum aureum dedit, & ei hæc verba dixit: *Tu mihi hodie majus beneficium præstabis, quam mortalium quisquam aut hactenus præstitit aut præstare poterit. Illud unum tua causa doleo, cervicem tibi tam curtam præscindendam, ut metuam, ne non te possis commode & cum honore tuo expedire.* Sed & antea rogaverat filiam & alios amicos, ut si qua in re possent carnifici suo gratificari, id omnino facerent. Denique quum velare eum carnifex vellet, *ego* (inquit) *meipsum velabo:* moxque linteo ipse suo, quod secum detulerat, faciem obvolvit, & lubens ac rectissime caput trunco imposuit; quo statim reciso, anima in cœlum evolavit; & qui conspectu hominum seipsum privavit, oculos sibi suos obvolvens, in conspectum Dei & Angelorum repente pervenit. O beatam animam unico capitis ictu ad cœlestia & sempiterna gaudia translatam! Jam tunc experiebaris, More, verissimum, quod sæpius antea dicere solebas: *Non difficulter fieri posse, ut capite toto quis minuatur, nihil tamen lædatur.* Capite minutus jaces: sed in quo læsus es, qui brevi dolore perfunctus temporalem vitam, quæ seni & valetudinario longa esse non potuit, cum sempiterna commutasti? Infami morte, hominum judicio, sublatus es. Sed quid tibi detrimenti accessit, qui non cœlesti tantum gloria, sed immortali apud homines virtutis tuæ fama perfrueris? A tuis carissimis ad momentum divelleris. Sed quomodo id tibi molestum esse potuit, qui certo confidis, eos propterea in perpetuum tibi felici societate jungendos? Honoribus & fortunis spoliatus moreris. Sed quid hoc tibi nocuit, copiosissima mercede jam in cœlo donato, nisi de eo quis ambigat, quod ipsa veritas de tui similibus dixit: *Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlo?* Et sic quidem Thomas Morus pro veritate primatus Pontificii, pro unius supremi Ecclesiæ capitis assertione, (à quo sane primatu & capite supremo pax, ordo & unitas totius Ecclesiæ dependet; quo capite sublato, omnibus hæresibus aperitur janua, & lupi libere in ovile grassantur: quod vel unius Angliæ exemplum cæteras gentes docere potest) carcerem primum & bonorum rapinam passus, post etiam mortem ipsam fortiter oppetiit. Sic ille omnibus suis laboribus defunctus beatus in cœlo regnat; in terris vero non à bonis tantum, sed ab ipsis etiam improbis celebrem laudem adeptus est: ejus mortem omnibus ut indignissimam deplorantibus; nemine prorsus (nisi forte qui impio Regi adularentur) factum probantibus. Nam & Rex ipse Henricus, quum ad eum perlatum esset, sumtum jam esse de Thoma Moro supplicium (forte autem tunc alea ludebat) totus attonitus, *estne*, inquit, *jam de eo actum?* Illis, qui nuntium perferebant, affirmantibus, Annam suam Boleniam, quæ juxta considebat, respiciens, *tu*, inquit, *hujus viri necis causa es.* Moxque è loco consurgens, & in cubiculum sese proripiens, amare flevit. Fuit certe Regi Henrico Thomas Morus à prima fere ætate carus. Inter ætatem utriusque non adeo magnum discrimen erat. Morus septem annis major natu. Quum Rex anno ætatis decimo octavo ad regnum pervenisset, Morus eo tempore pulchro carmine Regiæ inaugurationi gratulatus fuerat. Rex ut erat ipse bonis literis atque Philosophiæ impense deditus, & in illis plus quam mediocriter institutus, (neque enim primogenitus patris fuit, sed Arthuro fratri seniori superstes regnum obtinuit) ita doctos & literatos mire dilexit. Morus igitur quinto aut sexto regni anno, quum adhuc Londinensis esset Syndicus, ad legationes obeundas à Rege assumitur, nec ita multo post in Consilium Regium cooptatur. Viginti igitur & amplius annis (nam anno regni vigesimo septimo Morum è medio sustulit) Regi vixit ita carus, ita fidelis, ita per varios honorum gradus continuo evectus, ut nemo magis. Ejus igitur mors, ita violenta & fœda, & contra omnem justitiam illata, non potuit non in tam longa, tam fideli, tam officiosa amicitia, etiam ipsi tyranno non displicere. Sed vicit amor Boleniæ carnisque immensa cupido. Rex enim, ut multi asserunt, voluit Morum in perpetuo carcere vivum asservare. Sed Anna Bolenia conquiescere non potuit, donec, ut altera Herodias, Thomæ caput resectum videret. Quo tamen illa spectaculo non diu gavisa est. Nam ante unius anni circulum revolutum, eodem in loco, quo passus est Morus propter justitiam & innocentiam, decollata est illa propter adulterium & incestum.

Sed nunc priusquam ad alias de Thomæ Mori morte non nostras sed exterorum querelas veniamus, quid de capite & corpore sancti Martyris actum fuerit, commemorabitur. Caput jussu Regis ad pontem Londinensem palo affixum est, ubi per aliquot dies, fere per integrum mensem mansit, donec propter alia capita affigenda (Rex enim Henricus, ubi semel primos digitos cruentaverat, usque ad humeros alieno cruore se intinxit) quum illud deponendum & in flumen subjectum projiciendum erat, Margaretha Ropera ad omnem rei bene gerendæ occasionem intenta, diligenter ad hoc tempus invigilans, corrupto pecunia carnifice, cujus erat capita dejicere, patris sui caput, quod ipsa cum aliis diligentissime observaverat, recuperavit. Erant signa adeo certa capitis, ut nemo, qui eum cognovisset in vita, non

non cognoviſſet poſt mortem. Non tantum ex defectu unius dentis, quo vivus carebat, verum quia tanta pæne pulchritudine facies conſpicua erat atque dum viveret. In quo illud mirabantur ſui, quod pili barbæ, præ canicie prius albeſcentes, in abſciſſo capite velut rufi apparebant. Hoc caput à Margaretha Ropera, quamdiu viveret, diligentiſſime aſſervatum eſt, aromatibus curioſe conditum: & hodie adhuc apud aliquem ſuorum cuſtoditur. Corpus Defuncti à Margaretha Ropera cum altera Margaretha, Clementis conjuge, in ſacello D. Petri, quod in ipſo Caſtro Londinenſi eſt, ſepultum fuit, carceris cuſtode hoc permittente. Contigit autem circa ſancti corporis ſepulturam, quod merito miraculi ſpeciem habere poteſt. Margaretha Ropera ejus diei ſummo mane peragrabat ſanctiſſimas Eccleſias & eleemoſynas pauperibus plena manu diſtribuebat, jamque omnibus elargitis, cum poſt ſumtum de patre ſupplicium ad carcerem properaret, paternum corpus ſepulturæ mandatura, (quod ei cuſtos promiſerat ſub beneplacito regio, quod facile impetratum fuit) exhauſtis jam loculis, præ feſtinatione nec novas acceperat pecunias, nec ſyndonem, quo corpus involveretur, ſecum tulerat. Itaque mire triſtis ac ſollicita, quid faceret, monetur ab ancilla Dorothea, (Harriſii poſt uxore) ut de proximo linteum accipiat. Quomodo, inquit, id faciam, quum nihil pecuniæ reliqui habeam? Credent tibi, ait ancilla. Quanquam (inquit Margaretha) longe à domo abſim, nec his hominibus nota exiſtam, tu tamen vade, & periculum facito. Ancilla prudens & caſta ad vicinam tabernam deflectens poſtulat quantum ſufficere potuit: de pretio convenit. Mox velut quærendæ pecuniæ cauſa manum in peram miſit; eo animo, ut diceret, præter ſpem ſibi eveniſſe, quo minus adeſſent pecuniæ: ſed ſi crederetur ſibi, ſe quam primum id quod convenerat à domina ſua allaturam & reddituram. Ecce autem, quum certo ancillæ conſtaret, nihil ſe prorſus pecuniæ habere, tamen jam in pera juſtum ſyndonis pretium reperit, nec uno teruncio plus minusve, quam eo tempore ex pacto ſolvi oportebat. Hæc mihi Dorothea iſta adhuc ſuperſtes & hic Duaci agens ſæpius & conſtanter retulit. Accepto igitur non ſine miraculo ſyndone, duæ iſtæ Margarethæ cum ancilla alterius Dorothea, corpus ſepulturæ honeſtiſſime mandarunt. Camiſia, in qua paſſus eſt, ſanguine ejus tincta à Margaretha, Clementis uxore, aſſervata eſt, quæ mihi totam aliquando & integram oſtendit, & bonam ejus partem dono dedit; ſive illam à principio altera Margaretha conceſſerit, ſive quod (ea multo citius defuncta) poſt ejus obitum acceperit.

Atqui non ita multo poſt in totam Mori familiam ira Regis deſæviit. Alicia uxor de propriis ædibus expulſa, & penſione ſola viginti librarum annua illi aſsignata (reliquis omnibus ad Morum pertinentibus fiſco regio addictis) in ipſo pago Chelſey ſatis tenuem egit vitam. Margaretha Ropera coram Conſiliariis Regiis convenitur, accuſata quod caput patris quaſi reliquiæ loco aſſervaret, quodque libros & ſcripta ejus adhuc penes ſe retineret. Quæ reſpondit, ſe caput paternum recuperaſſe ſepeliendi ſtudio, ne piſcibus eſca foret; ſcripta & libros vix alia ſe habere quam quæ jam typis excuſa eſſent; exceptis perpaucis familiaribus epiſtolis, quas ad ſui conſolationem ut ſervare permitteretur, ſupplex rogavit. Opera amicorum dimiſſa fuit, quum ſola ex fœminis (quæ in familia Mori multæ erant) vexata fuiſſet. Viri ad unum omnes, Joannes Morus, Joannes Clemens, Gulielmus Roperus, Ægidius Heron, Joannes Dancæus ob jusjurandum rejectũ in carceres conjecti ſunt. Cæterum omnes tandem, alius alio ſerius aut citius, magnorum virorum ſtudio dimiſsi ſunt.

Sed nunc ad ipſum Morum redeamus. Hujus viri mors, quum ſolus ex laicis eſſet, & maximæ dignitatis atque exiſtimationis vir, qui Religionis tunc primum in Anglia labefactari cœptæ cauſam uſque ad ſanguinem tueretur, exemplo illo ſuo plus, quam credi poteſt, genti noſtræ profuit. Neque enim vel tot Carthuſianorum Patrum atq; aliorum Monachorum, neq; ipſius Roffenſis ſanctiſsimi & doctiſsimi licet Epiſcopi mors (etſi non minus haud dubie coram Deo pretioſa) ſic populum & omnes hominum ordines commovit, ſicut unius Mori. Cæteri omnes quum ex Clero eſſent, clericalem ſtatum aliquo humano affectu defendere potuiſſe, hominibus male ſuſpicacibus videri poterant. In Moro nihil tale ſuſpicari quisquam potuit. In cæteris ſola pietas & eruditio ſacra elucebat. In Moro præter notiſsimam pietatem & innocentiam, prudentia rerum gerendarum, legum Britannicarum peritia, plurimi & ampliſſimi geſti in republica magiſtratus eminebant: hominisque tanti in tali cauſa conſtantiam mirifice commendabant. Certe ejus viri fama, & illuſtris martyrii memoria quantam nobis pueris in Anglia celebritatem habuerit, quos ad Catholicam amplectendam & retinendam fidem ſtimulos addiderit, & ego optime recordor, & mecum innumeri teſtabuntur. Morus profecto, quum viveret, ſapientiæ laude ſic excelluit, ut oraculum Angliæ haberetur, non tantum in cauſis forenſibus, quando jus dicebat, ſed etiam in duabus iſtis cauſis graviſsimis, divortii regii, & primatus Pontificii. Nec id tantum quum libertate gauderet, honoribus in Republica floreret; ſed etiam vinctus & in carcere quum eſſet, omnes ab illo pendebant. Ad illum laici, ad illum presbyteri, ad illum Wilſonus Doctor, ad illum Joannes Epiſcopus Roffenſis per literas miſerunt, ut mentem ac judicium ejus his de rebus explorarent. Henricus Rex quanto ſtudio, quo conatu, qua contentione egerit, ut unum Morum in ſuam ſententiam pertraheret, præcedentia declararunt. Certe Germinius Gardinerus, vir nobilis & doctus ac laicus, quum octo annis poſt pro eodem primatu Pontificio martyrium ſubiret, in loco ſupplicii nullam aliam apud populum rationem

affer-

afferre voluit, cur ipse in illa causa mortem oppeteret, quam quia Carthusianorum pia simplicitas, Roffensis Episcopi incredibilis doctrina, Thomæ Mori singularis sapientia eum, ut hoc faceret, admonere videbatur. Innumeri exemplo Mori in fide & obedientia Romanæ Ecclesiæ perstiterunt, multi capitis discrimen adierunt. Certe Pastor ipse parochialis Thomæ Mori, D. Larke, ad ovis sui exemplum, nobili quoque martyrio perfunctus est, ut nostri annales testantur. Ac de Mori quidem vita, rebus gestis, ac beata morte hactenus. Corporis statura mediocris erat, bona ac justa. Complexio ad phlegmaticam accedebat. Colore albus & subpallidus fuit. Facies ei læta, aspectus hilaris ac delectabilis: vultus venustus ac generosus, Senatoriam gravitatem repræsentans. Oculi glauci, mediocres, non nimium micantes sed amicabiles. Frons lata. Capilli recti non crispi, colore subnigri & subflavi. Cervix ei brevis & crassa. Nutrivit comam more Senatorum & magnorum tunc temporis magistratuum. Hic habitus, hæc qualitas corporis fuit, ut, qui eum viderunt, nobis prodiderunt.

CAPUT XXI.

Clarorum & doctorum virorum de Thoma Mori nece judicia.

NOn abs re fore judicavi, si quid extra Angliæ fines viri docti & celebres de Thomæ Mori morte judicaverint, hunc in locum afferrem. Reginaldus Polus S. R. E. Cardinalis, Romæ tunc agens, quum hæc in Anglia ptima ferveret persecutio, in libris ad Henricum Regem pro Ecclesiasticæ unitatis defensione de exterorum querelis circa hanc Thomæ Mori iniquissimam mortem, sic per Apostrophen in libro tertio ad Angliam scribit: *Tuus, Anglia, pater, tuum decus, tuum columen, in conspectu tuo innocens ad supplicium ducebatur: tuus quidem natura filius, conditione civis, verum beneficiis pater; qui plura paterni in te animi signa ediderat, quam ullus unquam indulgentissimus pater in unicum & carissimum filium: sed nulla re magis tibi parentem ostendit quam ipso exitu, qui tua præcipue causa, ne salutem tuam proderet, vitam amiserit. Quare si, quod in historiis Græcorum de Socrate legitur, que miniquo apud Athenienses judicio circumventum, ut nunc apud te Morum, morte affectum esse constat; cum aliquanto post in theatro, quo populus ad spectacula convenerat, ex Tragœdia quadam recitaretur:* Interfecistis, interfecistis virum omnium Græcorum optimum: *statim ad illa verba, tam acerbam recordationem Socratis omnium animos subiisse, (quamvis Poëta, cum illa scriberet, nihil minus quam de Socrate cogitasset) ut totum theatrum gemitu & lachrymis impleretur: ex quo paulo post, populi jussu, fit in authores mortis quæsitum: &, qui inveniri potuerint, occisi sunt; reliqui exilio mulctati; statua etiam Socrati publice in foro proposita: si igitnr illi causam habuerunt, cur eodem tempore & justo odio in authores sceleris, & misericordia in hominem innocentissimum ac virtutibus clarissimum incenderentur, cum illa, quæ dixi, modo, verba in theatro recitarentur; quanto nunc justiore & odio & misericordia commoveri debes civitas Londinensis, quæ eadem illa verba non domi in theatro tuo semel ab aliquo histrione casu prolata, sed omnibus jam Christiani nominis locis à gravissimis viris, tum cum maxime serio loquuntur, tibi sæpius exprobrata excipere cogeris. Interfecistis, interfecistis hominem omnium Anglorum optimum.* Hæc Polus; qui propter generis nobilitatem (ex regio Anglorum stemmate natus) & propter vocationis suæ dignitatem, & propter excellentem eruditionem, ac denique propter virtutem & probitatem ac morum incredibilem gratiam ac suavitatem, summis in Europa viris notus & gratus quum esset, plurimorum & maximorum virorum de Mori morte judicia facile potuit cognoscere, nullo modo voluit fingere aut simulare. Quod etiam exempla subjecta perspicue confirmabunt. Erasmi verba primum proferemus, qui etsi tacito suo nomine hæc scripsit, (adhuc enim in Anglia amicos habebat, quos retinere cupiebat) tamen stylus & modus scribendi apertissime clamant authorem illum esse, maxime cum in epistolis eadem fere sed sparsim scripserit: *Illud satis constat, Morum & Roffensem nulla in Regem malevolentia peccasse, sed simplici sinceraque conscientia (si erraverunt) errasse. Hoc sibi penitus persuaserant, hoc medullitus infixum habebant, sanctum, pium, Regi honorificum, regno salutare esse, quod tuebantur. Silere cupiebant si licuisset: sed patienter ac placide mortem exceperunt, Regi regnoque bene precantes. At in atrocibus etiam criminibus magnam culpæ partem excusat simplex ac pura conscientia, animusque non lædendi sed bene merendi cupidus. Tum apud efferas etiam nationes frequenter eximia virtuti præstantique doctrinæ honor est habitus. Platoni apud Æginetas, juxta civitatis constitutionem capite plectendo, profuit Philosophi cognomen. Diogenes impune penetravit in castro Philippi Regis Macedonum, ad quem pro exploratore adductus libere exprobravit Regi insaniam, qui non contentus suo regno, semet conjiceret in periculum ne perderet omnia. Non impune tantum sed etiam cum munere dimissus est, non ob aliud nisi quod esset Philosophus. Quemadmodum Monarcharum in eruditos benignitas plurimum honesti nominis illis conciliat, ita durius tractati plurimum invidiæ conflant illis. Quis nunc non execratur Antonium, qui Ciceronem ferro peremit? Quis non detestatur Neronem, qui Senecam occiderit? Nec minimum gratiæ decessit Octavii Cæsaris nomini, qui Ovidium apud Getas relegavit. Quum Rex Galliarum Ludovicus XII. regnum adeptus pararet divortium cum Ludovici Regis XI. filia, res displicuit quibusdam bonis, ex quibus Joannes Standock, & hujus discipulus Thomas, in concione nihil aliud dixerant, nisi*

nisi Deum orandum esse, ut Regi inspiraret bonum consilium. Quæ apud populum dicuntur, ad seditionem spectant. Et hi deliquerant adversus Regis edictum. Rex tamen nihil aliud quam vertere solum jussit; nec quicquam ademit facultatum. At idem negotio, quod agebat, confecto eos revocabat. Hac moderatione Rex ille & suo consuluit instituto, & gravem invidiam evitavit: quod uterq; esset Theologus, uterque sanctitatis opinione commendatus. At Thomæ Mori mortem deplorant & ii, quorum instituto pro viribus adversabatur. Tantus erat hominis in omnes candor, tanta comitas, tantaque benignitas. Quem ille vel mediocriter eruditam ab se dimisit indonatum? Aut quis fuit tam alienus, de quo non studuerit bene mereri? Multi non favent nisi suis, Galli Gallis, Germani Germanis, Scoti Scotis. At ille in Hibernos, in Gallos, in Germanos, in Scotos amico fuit animo. Hæc naturæ benignitas sic Morum omnium animis penitus infixit, ut non secus ac parentem aut fratrem plorent extinctum. Ipse vidi multorum lacrymas, qui nec viderant Morum, nec ullo officio fuerant ab eo affecti. Ac mihi quoque, dum hæc scribo, nolenti ac repugnanti lacrymæ prosiliunt. Quot egregias animas vulneravit illa securis, quæ Mori caput amputavit? Hæc Erasmus. Nam paulo post oblitus fabulæ personam plane prodit his verbis. *Proinde mihi gratulantibus, quod talem haberem amicum in tanto rerum fastigio collocatum* (Morum videlicet Cancellarium regni Angliæ) *respondere soleo, non prius illi de dignitatis accessione me gratulaturum quam juberet ipse.* Hæc jam in sua persona Erasmus, ut non sit dubium, totum hoc scriptum Erasmicum fuisse. Nam de amicitia aliqua inter Morum & G. Courinum Nucerinum, vel P. Montanum nusquam aliquid reperi vel audivi. Joannes Cochlæus, Theologus in Germania doctissimus, statim post Roffensis ac Mori martyrium scripsit pro eis defensionē contra Richardum Sampsonem, Anglum, qui Regis causam tuebatur: contra quem etiam suos libros in defensionem unitatis Ecclesiasticæ Cardinalis Polus edidit. In eo libro Cochlæus inter alia plurima, quæ in Mori laudes effuse scribit, sic de morte habet, ad Proceres & Consiliarios Henrici Regis sermonem convertens, quibus, quam ipsi Regi, maluit Mori necem imputare. *Quod laudis aut favoris consequi potuistis ex ea crudelitate, quam in Thomam Morum exercuistis? vir erat humanitate, moribus, affabilitate, facilitate, facundia, prudentia, vitæ innocentia, ingenio, doctrina, cunctis tam notus & laudatus, tum amabilis & admirabilis, dignitate præterea supremus Regis Judex, & Regi proximus, conspicuus, in Republica maxima cum laude ab adolescentia usq; versatus, splendidis legationibus functus atq; in senectam jam vergens canescente capite venerandus. Qui honorifice impetrata à Rege missione privatim domi vixit cum uxore, filiisque & nepotibus nullius criminis reus unquam, ac ne suspectus quidem, nemini molestus, nemini gravis, omnibus præsto, mansuetus & comis. Hunc consuluistis rapi è domo sua, è dulcissimo recte pieque philosophantium contubernio, ob nullam aliam causam, nisi quod impietates vestras justificare nollet, obsistente sua conscientia, & timore Dei, animæque suæ salute. Creditisne illud facinus vestrum ulli ætati aut sexui placuisse, aut unquam placiturum esse? Non fiet. Vobis ipsis plus nocuistis, quam illi: vos ipsos enim fecistis homicidas, & reos sanguinis innoxii in perpetuum. Illum vero & Deo cunctisque cœlorum exercitibus, & hominibus acceptissimum, laudatissimumque effecistis martyrem; Deo sine fine vivit & regnat. Vos hanc reatus & infamiæ maculam nunquam delebitis. Scriptum est enim: Ipse novit & decipientem, & eum qui decipitur: adducit consiliarios in stultum finem, & judices in stuporem: baltheum Regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum.* Hæc hactenus Cochlæus. Huic adjungam Paulum Jovium, Episcopum Nucerinum, Scriptorem celebrem, qui in Elogiis doctorum virorum n. 89. de Thoma Moro ejusque iniquissima morte sic scribit; *Fortuna impotens, & suo more instabilis, infaustaque virtuti si unquam superbe & truculenter jocata est, sub Henrico nuper Octavo in Britannia immanissime desævit, prostrato ante oculos Thoma Moro, quem Rex paulo ante præclarus eximiæ virtutis admirator ad summos honores extulerat: Ut inde eum, fatali oborta insania mutatus in feram, crudeli mox impetu præcipitem daret, quod ipsius furentis tyranni nefariæ libidini vir omnibus religionis atque justitiæ numeris longe optimus atq; sanctissimus adulari noluisset. Dum enim ille uxorem repudiare, pellicem inducere, filiamque* (Mariam) *magno probro abdicare properaret, Morus scrinii Magister, pietatis ac innocentiæ suæ reus, causam ad tribunal dicere coactus; impio judicio ita damnatus est, uti latronum more teterrimo supplicii genere necaretur, nec fas esset dilacerata membra propinquorum pietate sepelire. Sed Henricus vel hoc uno facinore Phalaridis æmulis, eripere non potuit quin ad sempiternam inusitati sceleris memoriam Mori nomen in Utopia perenni constantiæ laude frueretur.* Hæc Paulus Jovius, qui etsi genus mortis aliud describit, quam quod Morus sustinuit, tamen non aliud refert, quam quod sententia lata complectebatur, ut supra ostensum est, ubi etiam, cur in mitiorem pœnam ea mutata sententia fuerit, diximus. Nunc Erasmo Belgæ, Cochlæo Germano, & Paulo Jovio Italo, Gulielmum Paradinum Gallum adjungemus, ut quasi ex omnibus Christiani orbis provinciis, de fœda & infami Thomæ Mori occisione, proferatur judicium. Scripsit ille afflictæ religionis Britannicæ exegema. In eo libro p. 20. sic scribit: *Jam in alterum annum Anglicæ turbæ ac simultates processerant, cum mense Julio Joannes Fischerus Roffensis Episcopus Londinum in vincula traducitur: quod divortium, quodque recens legem in Pontificatum latam damnare videretur. Ejus consilii particeps fuit Thomas Morus, Vice-Comes Londinensis, vir linguarum literarumque omnis generis supra Aulicorum captum peritia clarissimus, ac moribus inculpatissimus. Ii, quum Deo potius quam hominibus obsequendum putarent, atque in ea sententia obfirmassent animum, à qua nec precibus, nec præmiis, nec pollicitationibus multo minus propositis mortis terriculamentis diduci divellique unquam potuere, damnati sunt capitis: quod*

supplicium constanti animo uterque subiere. Hæc ille. Longum esset ex aliis authoribus, quæ in hanc sententiam scribuntur, in hunc locum afferre. Certe quotquot de rebus horum temporum scripserunt, Thomæ Mori iniquissimam mortem graviter deplorant: Roverus Pontanus, Germanus, in Indice suo rerum memorabilium: Laurentius Surius copiose ad annum 1535. Joannes Fontanus in historia nostri temporis Gallice conscripta libro sexto copiose quoque: Onuphrius Panvinus in Paulo Tertio: Nicolaus Cardinalis Capuanus in literis Principum Gallicis: Joannes Secundus Hagiensis næniam scripsit de morte Thomæ Mori, quæ ad manus meas non pervenit. Addam his omnibus Catholicis Scriptoribus (ut Carionem & Sleidanum taceam, qui etiam de Thoma Moro honorifice loquuntur) hominem alienæ & adversæ religionis, Joannem Rivium, Atthendoriensem, qui & de Regis crudeli facto, & de Thomæ Mori laudatissima pietate in hæc verba, lib. 2. de conscientia, p. 38. scribit: *Qui in Principis Aula versatur, eam, quæ in rem fore Principis persuasum habet, libera conscientia potius in medium afferre, si quando adhibitus in consilium fuerit, quam ad gratiam loqui atque auribus blandiri, neque aut laudanda vituperare, aut crimine digna laudare oportet, etiamsi magno ipse in metu sit, ne aut utilia suadentem, aut libere consulentem, non gratia modo non excipiat, sed maneat etiam pœna.* Et paulo post exemplo Papiniani, nobilissimi Jureconsulti, adducto, qui defendere parricidium Antonini Imperatoris jussus, mori satius esse duxerit, quam impium illud, reclamante conscientia, defendere facinus, subjungit: *Talis & nostra memoria nuper ille vir singulari & doctrina & sanctitate præstans, atque unicum patriæ suæ decus & ornamentum Thomas Morus: qui quoniam in novum matrimonium Regis Britannici, aliam, repudiata priore, ducere uxorem cupientis consentire, contraque animi sententiam comprobare noluit: primum in vincula conjectus, vir optime & de Rege ipso, & de tota Britannia meritus, post, quum quod rectum ipse & fas piumque ducebat, optimæ mentis suæ conscientia fretus, ad extremum pertinaciter tueri pergeret, ab impiissimo parricida, & teterrimo crudelissimoque tyranno est supplicio capitali affectus. O inauditam hoc seculo immanitatem, ô ingratitudinem atque impietatem Regis singularem, qui virum integerrimum & sanctissimum, & cum ejusdem ipsius tum gloriæ atque utilitatum patriæ studiosissimum, qui recta & honesta suaderet, dissuaderet contraria, tam diu squalore carceris macerare & conficere, ac nullius demum sceleris compertum ac devictum, nec innocentem modo, sed & prolixe de ipso meritum, & Consiliarium denique unum omnium fidelissimum (heu nefas) morte mulctare sustinuerit. Hæccine tandem præmia Rex, hanc gratiam fidei ac benevolentiæ ergâ te suæ? Hunc ex servitio fideli fructum vir optimus, hoc operæpretium refert? Te vero beatum & æternæ jam compotem felicitatis atque salutis, More, qui capitis prius subire periculum, quam aliquid contra conscientiam probare; ac pluris denique facere jus & æquum, fas & pium, quam vitam ipsam malueris. Sed dum hac mortali vita orbaris, ad veram & immortalem migras. Ex hominum consortio dum tolleris, in divorum numerum referris.* Hæc Joannes Rivius, homo plane Lutheranus, in hac tamen causa propter omnibus notissimam Thomæ Mori innocentiam, Regisque barbaram in eum crudelitatem, verissima narrans. Non est opus, ut ego his aliquid addam, aut vel Thomæ Mori laudibus, vel Regis Henrici justæ reprehensioni quicquam adjiciam. Nemo Anglus Catholicus, vel verius, vel acrius utrumque efferre potuit, quam fecit hic Germanus Lutheranus. Sed tanta veritatis vis, ea pietatis lux, & justitiæ claritas est, ut etiam ab alienis, adeoque adversariis, dissimulari aliquando nequeat. Illud postremo loco ponam, quod à fide dignis accepi, nobilissimum in hac causa & sempiterna memoria dignum testimonium.

Carolus V. Imperator, Princeps non minus judicio acer, quam bello fortis & felix, audita Roffensis & Mori nece, Thomæ Elioto, tunc Henrici apud eum Legato, hæc verba dixit: *Ego si in meis regnis duo hujusmodi lumina haberem, quamlibet munitissimam civitatem potius periclitari sinerem, quam me illis privari, nedum injuste tolli permitterem.* Hæc ille. Præstantissimi principis præclarum elogium fuit. Et vero res loquitur, causa mortis iniquissima, genus infame, Mori patientia admirabilis, pietas, eruditio, aliæque virtutes incomparabiles loquuntur, felicem tam nobili martyrio Morum, infamem tali judicio Henricum. Certe Henrici Regis crudele factum (seposita facti injustitia manifestatria) magnopere aggravant. Primum, quia ob eam legem Morum interficit, quam nec dicto nec facto læsit: quæ religionis causam, non Reipublicæ politiam concernebat: (in qua qui conscientiæ consulebat suæ, non in Regem rebellis, sed ut plurimum homo meticulosus judicari poterat) quam denique sic approbare recusat, ut tamen non improbet, vel cæteros qui eam approbant, damnet. Quo certe animo utcunque dissentiente nihil potuit esse innocentius, magis integrum & sincerum nihil. Secundo, qui talem virum, tantæ eruditionis, virtutis, integritatis, tanti ingenii, ea morum suavitate & lenitate præditum, omnibus carum, nemini noxium è medio sustulerit. Hoc etiam in fonte aliquam veniam merebatur: & perpetui carceris damnatio gravis fuisset pœna. Tertio, qui virum de se, de regno, de religione ea, quam Rex ipse colebat, optime meritum: qui tot & tanta Regi obsequia, maxima cum laude sua, maxima Regis voluptate præstitisset: tot annis consiliarium, toties legatum, tam variis muneribus functum, summo denique magistratu gesto, decollaverit. Rursum ab altera parte Mori sic sublati gloriam & immortale decus multa sunt quæ augent & amplificant. Primum, quod in causa divortii Regii utcunque contra Regem semper sensit, tamen aperte, ingenue, candide, integerrime ea

in re

in re cum Rege ipſo ſic egerit, ut nec ipſe Rex offenderetur, aut ſaltem offendi videretur. Secundo, quod jam ex una recuſatione ſpoliatus bonis omnibus, & ad perpetuos carceres damnatus, novoque juramento vexatus, nec dicit nec facit quicquam. Potuit certe dixiſſe & vere ac fortiter dixiſſe, legem hanc novam eſſe in Deum impiam, in ſedem Apoſtolicam rebellem, in totam Eccleſiam ſacrilegam, in populum violentam, in ſeipſa abſurdam. Nihil horum dicit, ſed nec improbat omnino. Solum tacet, ne conſcientiam lædat. Tertio, quod varia & graviſſima patiatur, amplæ fortunæ rapinam, honorum ampliſſimorum jacturam, familiæ dulciſſimæ contubernium, uxoris, liberorum, & undecim nepotum: libertate denique tota, ac vita ipſa privatus. Quarto quod, cur hæc patiatur, nulla alia fuit cauſa, quam purus Dei amor, & offenſæ divinæ timor. Qua mente nihil ſanctius eſſe potuit. Quinto, quod in cauſa nunquam antea controverſa & absque ullo fere exemplo, veritate tamen magno ſtudio explorata, & fide firmiter fundata, mori non recuſat. Sexto, quod ſolus ille ex Senatoribus Regiis Regi veritatem dicere, non ad gratiam loqui, non adulari, non ſuum Principem fallere, honores vero non ſolum non ambire, ſed nec collatos cum animæ ſuæ periculo retinere voluerit. Hæc omnia Thomæ Mori candorem animi ſingularem, modeſtiam longe maximam, innocentiam clariſſimam, fortitudinem heroicam, pietatem admirabilem, conſtantiam vere Chriſtianam, integritatem laudatiſſimam manifeſte loquuntur.

Habes, amice & candide Lector, quæ de Thomæ Mori, viri clariſſimi & præſtantiſſimi, vita, moribus, rebus geſtis, atque illuſtri martyrio, colligere potui & collecta deſcribere. Deus, Pater miſericordiarum, afflictiſſimæ genti noſtræ, in horrendo ſchiſmate & ſub hæretica tyrannide, triceſimum (uno minus) nunc laboranti annum, merito ſanguinis dilecti filii ſui, & tot in Anglia martyrum, atque inprimis Thomæ Mori, ſanctis precibus, clementer tandem propitiari dignetur; & ad communem Catholicæ Eccleſiæ gremium aberrantem reducere: cui ſit omnis honor & gloria in omnem æternitatem.
Amen.

FINIS.





EPITAPHIUM THOMÆ MORI, QUOD PAULO POST ABDICATUM CANCELLARII MUNUS

ipse sibi composuit, & sepulchro suo in parochiali sua Ecclesia affixit.

THomas Morus urbe Londinensi, familia non celebri, sed honesta natus, in literis utcunque versatus, quum & causas aliquot juvenis egisset in foro, & in urbe sua pro Shyrevo jus dixisset, ab invictissimo Rege Henrico VIII. (cui uni Regum omnium gloria prius inaudita contigit, ut *fidei Defensor*, qualem & gladio se & calamo vere præstitit, merito vocaretur) adscitus in Aulam est, delectusque in Consilium, & creatus Eques, Proquæstor primum, post Cancellarius Lancastriæ, tandem Angliæ miro Principis favore factus est. Sed interim in publico regni Senatu lectus est Orator populi; præterea Legatus Regis nonnunquam fuit, alias alibi, postremo vero Cameraci, Comes & collega junctus principi legationis Cuthberto Tonstallo, tam Londinensi, mox Dunelmensi Episcopo; quo viro vix habet orbis hodie quicquam eruditius, prudentius, melius. Ibi inter summos Christiani orbis Monarchas rursus refecta fœdera, redditamque mundo diu desideratam pacem, & lætissimus vidit, & legatus interfuit.

Quam Superi pacem firment, faxintque perennem.

In hoc officiorum vel honorum cursu quum ita versaretur, ut neque Princeps optimus operam ejus improbaret, neque Nobilibus esset invisus, neque injucundus populo; furibus autem, homicidis, hæreticisque molestus; pater ejus tandem Johannes Morus, Eques, & in eum Judicum ordinem à Principe cooptatus, qui Regius consessus vocatur, homo civilis, innocens, mitis, misericors, æquus & integer, annis quidem gravis, sed corpore plus quam pro ætate vivido, postquam eo productam sibi vidit vitam, ut filium videret Angliæ Cancellarium, satis in terra jam se moratum ratus, lubens migravit in cœlum. At filius defuncto patre, cui, quamdiu supererat, comparatus, & juvenis vocari consueverat, & ipse quoque sibi videbatur, amissum jam patrem requirens, & editos ex se liberos quatuor ac nepotes undecim respiciens, apud animum suum cœpit persenescere. Auxit hunc affectum animi subsequuta statim, velut appetentis senii signum, pectoris valetudo deterior. Itaque mortalium harum rerum satur; quam rem à puero pæne semper optaverat, ut ultimos aliquot vitæ suæ annos obtineret liberos, quibus hujus vitæ negotiis paulatim se subducens, futuram posset immortalitatem meditari, eam rem tandem (si cœptis annuat Deus) indulgentissimi Principis incomparabili beneficio resignatis honoribus impetravit: atque hoc sepulchrum sibi, quod mortis eum nunquam cessantis adrepere quotidie commonefaceret, translatis huc prioris uxoris ossibus, extruendum curavit. Quod ne superstes frustra sibi fecerit, neve ingruentem trepidus mortem horreat, sed desiderio Christi lubens oppetat, mortemque ut sibi non omnino mortem sed januam vitæ felicioris inveniat, precibus eum, Lector optime, spirantem, precor, defunctumque prosequere.

Eodem in loco Epitaphium priori suæ Conjugi, sibi, & posteriori Conjugi posuit:

CAra Thomæ jacet hic Joanna uxorcula Mori,
Qui tumulum Aliciæ hunc destino, quique mihi.
Una mihi dedit hoc conjuncta virentibus annis,
Me vocet ut puer & trina puella patrem.
Altera privignis (quæ gloria rara novercæ est)
Tam pia, quam gnatis vix fuit ulla suis.
Altera sic mecum vixit, sic altera vivit,
Carior incertum est hæc sit, an hæc fuerit.
O simul ô juncti poteramus vivere nos tres
Quam bene, si fatum relligioque sinant.
At societ tumulus, societ nos obsecro cœlum,
Sic mors, non potuit quod dare vita, dabit.

Sequuntur

Sequuntur

DOCTORUM VIRORUM VARIA
Epigrammata in laudem & mortem
THOMÆ MORI,
Variæ virtutes Thomæ Mori descriptæ per
THOMAM STAPLETONUM.

Est virtutis amans, cui nulla scientia cordi est:
Sunt literis clari, quos virtus non tamen ornat:
Est qui utrumque tenet, tractare at publica nescit
Munera; Sunt hæc qui feliciter omnia possunt,
Sed quibus infauste res tota domestica currit:
Invenias alium, cui sint hæc omnia, at idem est
Moribus insuavis, severus, durus, agrestis:
Hic sectatur opes, alius conquirit honores,
Et maculat multas hoc uno crimine laudes:
Et qui hæc cuncta tenet, vitio quoq; purus ab omni,
Sed moriens latet, atque obscura morte quiescit.
Unus erat Morus, nulli 1. *pietate secundus,*
Ingenio, 2. *literis clarus; qui* 3. *munera gessit*
Maxima: qui 4. *contemtor opum,* 5. *contemtor honorum,*
6. *Familiam & proles rara virtute gubernat.*
7. *Candidus & suavis, Regi populoque jucundus.*
8. *Martyrio illustri concludit cuncta beatus.*
Virtutum fuit hæc Encyclopædia Mori.

Varia ejus eruditio: per Eundem.

Vis scire in literis, quis, & quid esset
Thomas ille Morus, decus suorum?
Orator fuit elegans, disertus:
Festivus fuit & Poeta suavis.
Non Græcum secus ac Latina callens.
Nec callet modo; sed tuetur illa,
Linguarum haud secus Advocatus acer,
Quam legum fuerat Britannicarum.
Scribendæ historiæ artifex peritus.
Res gestæ satis hoc docent Richardi
Anglorum gravis & feri tyranni.
Quantus Philosophus, docere possunt
Leges Utopiæ recens repertæ.
In sacris literis, Patrumque libris
Quid Morus valuit, probant labores,
Quos contra hæreticos domi forisque
Scribendo tulit: hos libris Latinis
(Sunt testes Pomeranus & Lutherus)
Illos vernaculis pie refutans.
Ingens è quibus edidit volumen,
Anglis fructiferum; elegans volumen.
Nec vult dogmatibus vacare solis;
Sed per quos pietas, salusque mentis
Augmentum capiat, dedit libellos:
Angli quos avide legunt libellos,
Nec quicquam utilius legi fatentur.
Qui pro dogmatibus legenda scripsit,
Dat pro dogmatibus caput securi.
Hic major calamus, liberque major:
Hunc, hunc posteritas librum revolvat.

Nominis αἰτιολογία: per eundem.

More, nec es Maurus, quod vox sonat Anglica Mori;
Nec fatuus, quod vox Attica, μωρὸς, habet.
Scilicet infausti correxit nominis omen
Et vigor & candor maximus ingenii.

De Rege Henrico VIII. Roffensi & Moro: Ejusdem.

Cur bonus in prima florens, Henrice, juventa,
Impius in tenebris ultima fata trahis?
Nempe quia extinxti duo maxima lumina regni:
Roffensis Phœbus, Cynthia Morus erat.
Præfuit ille sacris; terrenis præfuit iste.
Extinctis pereunt sacra, profana simul.

JANI VITALIS, Itali.

Dum Morus immeritæ submittit colla securi,
Et flent occasum pignora cara suum;
Imo, ait, infandi vitam deflete Tyranni:
Non moritur, facinus qui grave morte fugit.

JOHANNIS SECUNDI, Hagiensis.

Quis jacet hic truncus? cujus caput ense recisum est
Quæ natat in tetro sanguine canicies?
Hic est ille Thomas Morus. Sic facta rependunt
Tristia multa bonis, & bona multa malis.
Quæ circumsistunt divæ lugubre cadaver?
Diva tenax veri: sancta Fides: Nemesis.
Quarum prima fuit causa & fuit altera mortis;
Ultrix injustæ tertia cædis erit.

Aliud, ejusdem.

State viri Forte hos cineres novisse juvabit.
Hunc tumulum Morus colla resectus habet.
Ille decus regni quondam & nunc dedecus Angli,
Quod tulerat talem, quod modo sustulerit.
Illi ut salva foret pietas, pridem Aula relicta est.
Salva ut perduret vita relicta modo est
Fide Thoma. Quantam nolles, vindicta paratur.
Regalesque tuis Manibus inferiæ.

Aliud, ejusdem.

Ad Styga cum Mori venisset flebilis umbra,
Pallidulum largo sparsa cruore caput;
Portitor ingemuit trux Cerberus ora repressit,
Persephone salsis immaduit lacrymis.
Et, quem Rex letho infami damnarat adulter,
Absolvit Stygii judicis urna reum.
Illum rex Erebi, pro constanti probitate,
Addidit infernis judicibus socium:
Cædis ut authorem; fuerit cum morte peremptus,
Addicat diris suppliciis meritum.
Virentem interea infestet torva umbra Tyrannum
Semper, & ante oculos sanguinolenta volet.
Et vos Eumenides, sparsis per colla colubris,
Illius ultrices tendite in ora faces.

EJUSDEM SECUNDI Nænia, in mortem Thomæ Mori.

Extinctum flemus crudeli funere Morum
Et Regem immanem, Veneremque cruore madentem,

Fortunæque vices, & læsæ pellicis iram.
Vos mihi Pierides feralia carmina Musæ
Dictate, & mecum Vatem lugete peremtum,
Insignem cythara; qui vos persæpe solebat
Vertice ab Aonio molli deducere versu.
Tuque adeo mihi, Calliope, quæ regia facta,
Et casus miserorum hominum cantare perita es,
Nec cædes exhorrescis memorare cruentas,
Dextera ades. Tu vero Erato, tu blanda Thalia,
Truncatum interea tumulo componite corpus,
Exequias celebrate, aspergite floribus urnam,
Et tumulo castos aspiret laurus odores,
Sacrum laurigeri Vatis complexa sepulchrum.
Te quoque deflerem Divûm venerande Sacerdos,
Roffensis Præsul populi, qui dura subîsti
Fata prior, sancta pro relligione tuenda:
Sed Vatem canimus Vates; tua maxima facta
Vulgabunt alii, & præclara volumina condent,
Attollentque tuum super aurea sidera nomen.
Tempus erat, mundi cum jam adventante ruina,
Occideret senio justum, & labefacta Deorum
Relligio caderet, tot sustentata per annos,
Mortalesque fidem tota de mente fugassent;
At dolus, & fastus, cumque impietate libido,
Ambitioque, & livor edax, fulvi & sitis auri,
Grassantes late, qua Sol sublimis utrumque
Aspicit Oceanum, geminas quaque aspicit Arctos,
Miscebantque profana sacris, & sacra profanis.
Tum Furiæ ex imis Erebi emersere tenebris,
Sanguineas capitum quatientes undique cristas,
Armatæ facibus, Phlegetonteoque veneno.
Nec mora, cœruleos subito petiere Britannos,
Fatorum gnaræ, tempus namque adfore norant,
Cum rex Henricus, despreto conjugis usu,
In vetitos rueret thalamos famosus adulter,
Atque alias tædas, alios celebrans Hymenæos,
Mentis inops, regni indotatam in parte locaret,
Vilem animam, & nullo majorum stemmate fultam:
At Regina prior, thalamis ejecta maritis,
Ingratum in lachrymis & luctu duceret ævum;
Illa quidem magni de sanguine Ferdinandi,
Primus qui Mauros regnis exegit avitis,
Quo nunquam Hesperia regnasset major in ora,
Ni sua progenies, majori numine, Cæsar,
Mundi sceptra tenens, titulos superasset avorum.
At postquam diræ subierunt regia tecta
Eumenides, tremuit tellus, sic conscius æther
Horruit, Oceanus pater, & circumflua Tethys
Imis delituere vadis. Rex ipse, maritus
Jam novus, inprimis & adhuc complexibus hærens,
Extimuit facti pœnas, iramque Deorum.
Illæ autem ut videre novos celebrari Hymenæos,
Gaudebant pariter Diræ, pariterque dolebant:
Crimine gaudebant, sed non authoribus ipsis.
Patratum doluere nefas, nimiumque potentem
Et Venerem, & volucris tela indignantur Amoris.
Ergo aliud meditantur opus, dirumque frementes,
Pellicis insinuant atrum in præcordia virus,
Et stolido Regi eripiunt mentemque animumque
Ille scelus firmare suum majoribus ausis
Enitens, sceleri scelus adjicit, & contemptis
Pontificis summi monitis, (quibus ille jubebat,
Ejiceret mœcham, thalamique in jura vocaret
Legitimam uxorem, solitoque ornaret honore)
Ipse sibi jus Pontificis, nomenque sacratum,
Quam late sua regna patent, usurpat, & omnem
Sacrilegus veterem convellit relligionem;
Et gravius peccat, ut non peccasse putetur.
Egregia interea Pellex quæ gaudia sentit?
In quorum jugulos miserum non armat amantem?
Præcipue, si quos probitas suspecta, & honesti
Prodit amor; More infelix, sic te tua virtus
Perdidit? ô ævi scelus atque infamia nostri.
Tu regni decus, & Regi carissimus idem
Consultor fueras, nec judex æquior alter
Jura dabat, qua pensant heu mercede laborem
Fata tibi? poteras illæsam ducere vitam,
Sed minus esse probus. Vitæ quam dura relicta
Conditio fuit insonti? si vera professus,
Fatalem exciperet cana cervice securim:
Sin vitam falsa vellet ratione tueri,
Applaudens stupris, infandæque ambitioni,
Pollueret moresque suos, vitamque priorem,
Offensamque hominis, mutaret Numinis ira.
Ille autem justique tenax, cultorque Deorum,
Sponte sua ferro caput obtulit, & procumbens
Purpureum sacro fudit de pectore rivum.
Fortunate Senex animi, tibi regia cæli
Tota patet, tibi rex Superûm victricia serta
Porrigit ipse manu, magno applaudente Senatu
Cælicolûm, & volucres recinunt pœana ministri,
Omnes intonisi, niveis in vestibus omnes;
Quales ad vitreum Mœandri flumen olores
Mille volant, plauduntque alis, & dulce canentes
Cæruleum nitidis prætexunt æthera pennis.
Quis tibi tum sensus, mœstissima Margarite,
Nata patris miseri? quanto tua lumina fletu
Undabant! quantos, eheu, de pectore anhelo
Ducebas gemitus, corpus cum flebile patris
Exanimum aspiceres indigna cæde peremti!
Nam te credibile est, quanquam patris inclyta facta
Æternam tibi conciliant famamque decusque,
Non potuisse oculos compescere tempore in illo,
Quin durum fleres casum, patrisque cruorem
Ablueres lacrymis, & circumfusa cadaver
Oscula pallidulo ferres moribunda parenti.
Tu tamen has aufer tenero de pectore curas,
Nec lacrymis corrumpe tuos, pulcherrima, vultus.
Sic te Phœbus amet, sic, ô doctissima virgo,
Adjiciat numero te Calliopeja Sororum.
Interea truncum jacet & sine nomine corpus,
Spectaclum populo dirum: at polluta cruore
Canicies, ne quid sceleris restaret inausum,
Neu tantos ætas nesciret sera furores,
Præfixa infami spectanda exponitur hasta:
Deformata tamen primum ferventibus undis,
Duceret informes donec cutis aspera rugas,
Labraque in horrendos traherentur lurida rictus:
Ne, quod Roffensi acciderat, suffasa rubore
Mortua vitalem præferrent ora calorem:
Turbarentque pium rursus miracula vulgus.
Hocne tuæ Veneri, Rex ô inceste, tropæum
Erigis? & mollem placari sanguine Divam
Posse putas? iras in te convertet acerbas
Ipsa Venus, vindexque tuos subvertet amores:
Atque aliis iterum, atque aliis tua pectora flammis
Uret, ut infamis veniant tibi tædia vitæ.
Tunc, memor indignæ cadis, tua noxia facta

Flebis,

Flebis, & invisa sumes de pellice pœnas.
Pellæus juvenis furiis agitatus, & ira
Incandens, multoque animum inflammatus Iaccho,
Dilectum ante alios inter convivia Clitum
Transfodit ferro, & respersit sanguine mensas:
At postquam furor ille animi discussus, & omnis
Consumptus vini vapor est, mentemque recepit,
Ipse manus inferre sibi, sociumque per umbras
Velle sequi, & miseros incassum fundere questus.
Tresque adeo mœstus soles, totidem quoque noctes
Exegit lacrymans, luctu confusus acerbo
Ne quicquam; neque enim luctu revocantur acerbo
Pallentes animæ, quas per vada languida vexit
Portitor, atque avido trajectos tradidit Orco.
Tu quoque dilectum frustra plorabis amicum,
Cum tibi discusso mens pura redibit amore.
Interea horrifica rumpet tua somnia forma
Umbra viri, multoque caput fœdata cruore,
Quo te cunque feres dira occursabit imago,
Supplicium sævis exposcens horrida factis.
Namque tuis donec regnis exutus, & exul,
Extremam implorabis opem rerum omnium egenus,
Morus inultus erit. Nulla est violentia longa:
O indictæque moram pœna graviore rependunt
Numina, justitiam quorum haud effugerit ullus.
At nos æternum tua tristia funera, More,
Insolabiliter deflebimus; ô bone Vates,
Tu mortem sancta pro relligione subîsti
Crudelem. Tibi divinos pro talibus ausis
Mortales debent cultus, tibi templa, tibi aras.
Æternum, venerande Senex, salveque, valeque,
Seu colis Elysium, seu cœli lucida templa;
Accipe & hunc nostrum non dura fronte laborem.

JACOBI EXERICHI, Hispani.

HEnricus Morum gladio jugulavit iniquo;
Tam dignum vita, quam fuit ipse nece.
Mortuus ille tamen vivet per secula cuncta,
Post mortem virtus vivere sola facit.

JACOBI LATOMI, Belgæ.

QUid tibi cum Moro, tali indignissima cive
Anglia? quid pergis dicere inepta tuum?
Tu ferro insontem, nec simplice morte, Catonem
Persequeris: tuto nec licet esse pium.
Proinde sile. Nam quo maculam tibi demeret istam,
Ipse sibi patriam condidit Utopiam.

GENTIANI HERVETI, Aurelianensis.

QUod capiti quondam Ciceronis rostra fuere,
Hoc est pons capiti, More diserte, tuo.
Ducentes Angli suspiria pectore dicunt:
Doctior & melior nullus in orbe fuit.

JO. VULTEI, Rhemensis.
ex Lib. II. Epigrammatum.

HIc situs est Thomas Morus, tuus, Anglia, Vates,
Turba Poetarum quem cecidisse gemit.
Dum Regum docte metuendos admonet enses,
Illum carnificis Rex jubet ense mori.
Illum amor & Charites deflent, deflentq; Camœnæ:
Nec damnum credit, qui sapit, esse leve.
Gallia quid possit, testisque Britannia; testis
Italia, & semper Græcia testis erit.

MAXIMILIANI WIGNACURTII,
Atrebatis.

QUæ fuit integritas, quæ vis, quæ copia fandi,
Quæ mens, More, tibi, sat tua scripta docent.
Quî Christi fuerit transfixum pectus amore,
Tradita testantur sat tua membra neci.
Scilicet ut miris vixisti dotibus auctus,
Te decuit miro pectore, More, mori.
Vita tibi fuerat felix; felicior at mors,
Æterno vitam munere quæ peperit.
Ordo tuus per te micat uno lumine: sed sunt
Instar multorum lumina multa virûm.

JOANNIS WHITE, Episc. Vintoniensis,
in Diacosio martyrion.

QUin etiam partes vulgato codice nostras
Propugnat Scriptor maximus Utopiæ.
Fessus ad Authoris melius te scripta remitto;
Rarus in orbe liber: nec tamen Utopiæ est.
Illius similes, imo multo meliores
Invenies libros, Lector; at Utopiæ.
Et Mori similes, imo multo meliores
Scriptores videas, Lector; at Utopiæ.

ALANI COPI, Londinensis.

QUis vivente velit Thoma non vivere Moro?
Quis Moro nolit sic moriente mori?

Aliud, ejusdem.

MOrtuus an Morus, qui sic in mortis agone
Vixerat, ut mors sit victa coacta mori?
Imo piis morum meritis nunc vivit & orbi,
Et pura mentis relligione Deo.

JOANNIS FOULERI, Bristoliensis,
in Mori effigiem.

EFfigiem quamcunque tui sic fingimus; at non
Tam facile est mores fingere, More, tuos.
Quam vellem pictor mihi tam perfectus adesset,
Pingere qui vere posset utramque simul.
Tum quoq; qui vitam totam moresque referret,
Ille magis multo doctus Appelle foret.

HENRICI HOLLANDI, Vigorniensis.

ERgo quid? ad nostros Siculi venere tyranni?
An terris nostris Africa monstra dedit?
Num furit hic Gotthus, dum Symmach⁹ atq; Joannes
Amittunt carum morte furente caput?
Dum jacet Albinus, dumque urbe Boëtius alma
Expulsus Ticini tristia fata gemit?
Sævit Alexander Magnus? Clitumque fidelem
Enecat? & vitam Parmenionis habet?
An Nero sanguineus nostris dominatur in oris,
Atque tibi vitam, Senneca docte, rapit?
Hoc facit Henricus, quod tunc Nero pessimus egit,
Dum te, More, necat, dum tua colla secat.
Senneca morte perit, quia vult Nero; tu quoq;, More,
Dum vult Henricus, spicula mortis habes.
Arbitrium pro lege fuit; quod Senneca luxit;
Arbitrium, quod te, More, perire facit.
Ut non est mirum, si sic Nero tollat amicum,
Qui matrem fato sustulit ante suam;
Sic non est mirum, si Rex te, More, necaret,
Qui ferus in matrem sæviit ante suam.
Non mirum est, aliis si vipera sæva noceret,
Cum propria matri vipera sæva nocet.
Henrici mater sancta est Ecclesia Christi,
Hanc prius afflixit, quam tibi, More, nocet.
Et quia communem nolles pessundare matrem,
Fata sub immiti Rege cruenta subis.
Quod genus hoc monstri? cur sic Rex barbare, frendis?
An, quia vult matri parcere, Morus obit?
Non licet ingenuis natis defendere matrem?
An scelus est veram non violare fidem?

Scilicet

Scilicet Henrico placuit proportio prava:
Non parcit membro, dum premit ille caput.
Qui graviora patrat, non ille minora timebit,
Et scelus audaces ad mala plura facit.
Culpa trahit culpam: comitatur abyssus abyssum:
Pœna est peccati pessima culpa sequens.
Cum Rex legitimæ fecit divortia sponsæ,
Venit & ad Thalamos Anna Bolena suos;
Cum Rex Volsæum rerum de cardine movit,
Fecit & afflicta sorte perire virum;
Cum Rex schisma novum deformi crimine fecit,
Sedis Apostolicæ debita jura negans;
Cum Rex Pontificem præscripsit, jusque Papale,
Non passus libros nomen habere Papæ;
Cum Rex in sacris voluit caput esse supremum,
Assumsitque sibi Pontificale decus;
Cum Rex lege nova sacratas diruit ædes,
Solvit & è claustris quos pia vota ligant;
Cum Rex divorum spolians opulenta sepulchra,
Lusit imaginibus, diva Maria, tuis;
Cum Rex damnavit clerum de crimine falso,
Presbyteros mulctans Pontificesque suos;
Cum Rex omne malum fecit; tunc, More, necaris:
Horrebas oculis tanta videre mala.
Virtus sic Moro placuit, quod vivere nollet,
Si non virtuti vivere posse detur.
Dum pietas floret, floret quoque Morus; at illa
Quam primum cœpit spreta jacere, jacet.
Rex pius in summis hunc pro pietate locavit,
Impius afflictum pro pietate necat.
Moro vita fides. Nam dum manet illa, manebat,
Stante fide stabat: qua pereunte perit.
Vita sibi pietas: pietate cadente cadebat,
Quam pius est Morus pro pietate cadens?
O Rex debueras insigni parcere Moro,
Rara avis est Morus sic super astra volans.
O Rex si multos homines tua sceptra regebant,
At multos Moros non tua sceptra regunt.
Millibus è multis vix Morus cernitur unus,
Tam doctus, prudens, tam bonus atque pius.
Quanta labe tuum regnum populumque notasti,
Quum ferit insontem barbara plaga Morum?
Quis tibi persuasit tam clarum tollere sidus,
Quæ mens, quæ ratio, consiliumque fuit?
Quæ tua relligio parili sic jure necare
Igne Lutheranos, Catholicosque cruce?
Hoc liber ille tuus promiserat ante Leoni?
Hoc titulus, regno quem dedit ille tuo?
Defendisne fidem veros tollendo fideles?
Custodem legum legibus ipse necas?
Justitiamne colis justos feriendo securi?
Judiciumne facis Judicis ora premens?
Consilium curas, & Consiliarius iste,
Maximus absque ullo crimine morte perit?
Incidis nervos, ut corpus fortius esset?
Extinguis lumen, clarius ut videas?
Ut sit perfectum, scindis de corpore membrum?
Evulsis oculis cernere fronte cupis?
Ecquis arare solet terram non usus aratro?
Aut sulcare ferum, sed sine nave, fretum?
Et tamen ista facis, dum Morum funere tollis,
Quem nullus sana tollere mente velit.
Sed frustra speras tenebras offundere Moro.
Morus ubique volat docta per ora virûm.
Fortior Henrico Stapletonus: penna securi:
Illa mori fecit; vivere penna facit.

Aliud, ejusdem.

Quæris, Aristides cur pulsus ab urbe fugatur?
Altera non causa est, quam quia justus erat.
Quæris, cur Socrates truculenta venena bibebat?
Id fuit in causa, vir fuit ille bonus.
Quæris, cur magnus fuit ille Boëtius exul?
Nempe quod ille bonus, veriloquusque fuit.
Quæris, cur Morus submittit colla securi?
In promtu ratio est: optimus ille fuit.

Aliud, ejusdem.

Quando tuam mortem recolo, celeberrime More,
Tunc venit in mentem Tullius ille meam.
Ille fori lumen, facundo clarus ab ore;
Tuque fori lumen, tuque disertus eras.
Ille pater patriæ, patrum decus atq; Senatus;
Tuque pater patriæ, tuq; corona patrum.
Dum furit Antonius, fatis occiditur ille;
Dum furit Henricus, tu quoque fata subis.
Dum cadit ille, sua cum lingua Fulvia ludit;
Dum cadis ipse, tua morte Bolena canit.
Dum perit ille, caput rostris affigitur illis,
In quibus hic casus dixerat ante suas;
Dum peris ipse, tui capitis damnaris in Aula,
In qua pro regno dicere jura soles.
In multis ambo similes, par laus manet ambos;
Dispar at in multis gloria, dispar honor.
Dicitur ut Cicero Romanos vincere scripto,
Morus sic Anglos puriloquente stylo.
Plurima scribebat Cicero, sic plurima Morus,
Plura tamen Mori quam Ciceronis erant.
In multis vicit Ciceronem Morus: in ipso
Vicit subjecto materiaq; libri.
Vicit in ingenio: quis par in acumine Moro?
Vicit doctrina, judicioque gravi.
Vicit honore loci: nam Cancellarius iste
Uno anni unius Consule major erat.
Vicit in ardenti veræ pietatis amore:
Vicit & in mortis nobilitate suæ.
Morus erat Vates festivo carmine ludens,
Insigniq; potens arte Poeta fuit.
Morus erat Jurisprudens, vix major in orbe:
Philosophus summus, si quis in orbe fuit.
Morus erat custos legum, princepsque Senatus,
Supremus Judex, Consiliique caput.
Nec latuit Morum divini pagina verbi,
Sic ferit hæreticos: sic tegit ille fidem.
Morus erat speculum vitæ, fideique patronus,
Insignis: Martyr denique Morus erat.
Tindallus, Tritbus, Barnesius atque Lutherus
A Mori calamo vulnera magna ferunt.
Non sat habet scriptis tales confundere pestes,
Sed pia confirmant sanguine scripta suo.
Plura quid hic dicam? vix hæc bene singula dixi,
Vincor ab ingenio, More diserte, tuo.
Londinense decus, decus Oxoniense fuisti:
Urbs fuit illa parens, ista magistra fuit.
Tu decus Angligenûm, regalis tu decus Aulæ,
Tu decus Europæ, tu decus orbis eras.
Tu monstrum ingenii: miracula sunt tua dicta,
Deliciæ juvenum, deliciæque senum:
Obruor ingenti magnarum pondere rerum:
Laus Mori nostro carmine major erit.
Qui minor est Moro, non novit pingere Morum:
Hoc si quis poterit, tu, Stapletone, facis.

HISTO-

HISTORIA RICHARDI REGIS ANGLIÆ, EJUS NOMINIS TERTII,

Per

THOMAM MORUM,
Londinensis Civitatis, jam tum Vice-Comitem conscripta,

Circiter
Annum M D XIII.



FRANCOFURTI AD MOENUM,
Ex Officina GENSCHIANA.

Anno M DC LXXXIX.

LECTORI S.



Istoriam hanc propriæ exercitationis gratia, nec ita magno studio conscriptam, neque absolutam, haud unquam postea emendavit Morus: ut minime mireris, si cum aliis ejus Latinis operibus, quoad sermonis elegantiam, huic libello non conveniat. Ante complures autem annos patrio sermone ab eodem auctore quam elegantissime conscripta prodierat, inque Operum ejus Anglicanorum, volumine, quod Londini Anno 1557. evulgatum est, legitur.



EDVARDUS Rex, ejus nominis Quartus, actis vitæ annis quinquaginta tribus, mensibus septem, diebus sex, qui annum ab regno cœpto secundum & vigesimum numeraret, concessit fatis, anno post Christum natum quadringentesimo & octuagesimo tertio supra millesimum, superstitibus masculi sexus liberis duobus, fœminei quatuor: Edvardo videlicet Rege designato, annorum circiter tredecim: Richardo Eboraci Duce, qui biennio minor erat: Elisabetha, quæ postea ducentibus fatis Henrici Septimi conjux fuit, & Octavi mater, regina forma atque indole egregia: Cæcilia, non perinde fortunata ac formosa: & Brigitta, virtutem ejus cujus nominis erat repræsentante, professa, & vitam religiosam ducente in monasterio monialium inclusarum apud Bertfordiam: Anna, postea honorifice nupta Thomæ, tunc temporis Domino Havvardo, & postea Comiti de Surre: & Catharina, quæ sortem subinde variam experta, interdum secundam, sæpius adversam, postremo, si hæc postrema est, (nam adhuc vivit) pietate, beneficentiaque nepotis Henrici Octavi prosperrimam, ac se plane digniam consecuta est.

Is, quem dico, Rex quum in palatio obiisset, quod est apud Benedictinorum cœnobium, ad Occidentem Solem circiter mille passus Londino distans, magnifico inde funere delatus est Vindesoram: ibique non sine summo totius populi dolore lachrymisque sepultus est. Quippe qui tam benignus ac facilis fuit, dum pax erat, (nam bello necesse erat partes mutuo esse infestas) ut neque alius quisquam in Anglia regnarit unquam patribus populoque charior: neque is ipse alia vitæ parte æque charius, atque ea quæ illi postrema fuit. At eam ipsam tamen charitatem desideriumque ejus invisus parricidæ sequentis principatus auctiorem fecit. Etenim quo tempore vita functus est, invidia omnis depositi Regis Henrici Sexti, quæ diu apud ejus fautores flagraverat, tandem consopita resedit, jam multis eorum, viginti illis plus minus annis, quibus imperitavit, defunctis: aliis interea in gratiam atque amicitiam receptis, in quam conciliandam obvius omnibus atque expositus ferebatur. Erat corpore procero, specie vere regia, multum illi animi, nec minus consilii inerat. Adversis rebus imperterritus, prosperis lætus magis quam elatus. Æquus in pace clemensque, in bello acer & ferox. In aggrediendis periculis promptus, nec ultra tamen quam posceret ratio, præceps. Cujus res bellicas quisquis recte æstimet, is profecto non minus prudentiam ejus admirabitur, sicubi cessit, quam laudabit audaciam, ubi vicit. Os & vultus erat, quem videre velles; corpus amplum, ac magno robore strictis artubus: quanquam liberiore victu corporisque indulgentia paulo tandem habitior est factus; nec tamen aspectu indecorus. Cæterum genio ac libidini ab ineunte statim ætate per omnem vitam (quatenus eum rerum gerendarum ratio non avocabat) admodum debebatur, more hominum fere omnium: nam valentibus ægre persuaseris modum in magna fortunæ licentia. Id vitium ejus non admodum fuit molestum populo, quod neque unius voluptas viri diffundere se tam late posset, ut omnibus fieret gravis; & ille vel precio quod libuit, emercari solebat, vel precibus eblandiri: nusquam grassatus violentia: flexu præterea ætatis evasit (ut fit) postremis diebus moderatior, in quibus regnum ejus quietissimum, & rerum status florentissimus fuit. Bellum neque aderat ullum, neque ullum imminebat, nisi quod nemo exspectabat: quippe externus metus omnis aberat. Domi vulgo quies, & inter purpuratos ab rege conciliata concordia. Regi ipsi omnes non vi, sed sua sponte obediebant, veriusque reverebantur eum quam metuebant. A pecuniis exigendis (quæ res una fere mentes Anglorum alienat à principe) jam pridem prorsus destiterat, neque moliebatur quicquam unde nasceretur occasio tributorum, vectigal è Gallia jam olim obtinuerat. Barauco annum ante mortem unum armis potitus fuerat. Hic Rex quanquam per omne tempus imperii tanta comitate fuit in quoslibet, ut nihil illum magis commendaret multitudini, eam tamen progressio temporis (quum plerosque principes diu confirmata potentia vertat in superbiam) multis partibus auctiorem fecit: nempe ea ætate, quæ illi postrema fuit, Vindesoræ versatus, Præfectum Londini, atque aliquot è Senatoribus accessit ad se, haud alia de causa, quam ut se apud eum venatione oblectarentur. Ibi eos non tam magnifico ac sumptuoso, quam amico & populari apparatu excepit, ferinamque carnem tam affluenter illinc transmisit in urbem, ut haud temere invenias aliud, quod ei aut plurimum aut majorem benevolentiam conciliaverit apud populum: apud quem res exigua facta comiter magnis beneficiis præponderat, ac pro majoris in se amoris argumento ducitur. Ita princeps iste tum obiit mortem, quum vita ejus maxime optata omnibus, ac jucunda foret. Cujus tam egregia apud suos gratia liberis ejus (in quibus etiam ipsis tam eximiæ naturæ dotes, & illustria regiarum virtutum signa conspiciebantur, quam capere eorum ætas poterat) mirum haud dubie firmamentum fuisset ad principatum, si non eos amicorum inter se divisio exarmasset, atque execrabilis imperandi sitis ad eorum perniciem incitasset illum, qui si aut natura valere quicquam aut fides potuisset, suum corpus hostibus pro

pro ipsorum salute objicere debuisset. Quippe Richardus Glocestriæ Dux, natura patruus, nomine tutor, beneficiis devinctus, obstrictus sacramento, ruptis omnibus humanæ societatis vinculis, contra jus ac fas hoc egit, ut nepotibus suis orphanis ac sibi creditis, auferre vitam, regnumque in se transferre posset. Cæterum quoniam hujus viri facta materiam fere præsentis operis implent, haud abs re fuerit mores ejus describere, quo fiat illustrius, cujusmodi vir ille fuerit, qui tantum animo scelus sustinuit concipere. Richardus ergo Eboraci Dux, nobilis, factiosus, potens, cum Rege de regno non armis hostiliter, sed civili more legibus in Senatu disceptavit. Tantum aut causa aut gratia valuit, quum Rex innocentior esset quam sapientior, ut ex Parlamenti Senatus Consulto, cujus apud Anglos summa atque absoluta potestas est, successor Henrico Regi, repudiata ipsius sobole, (quanquam egregio principe) designaretur, regnum sibi posterisque suis perpetuum protinus ab Henrici morte auspicaturus. Quam ille non moratus, dum civilium prætextu dissensionum conatur præstitutum regnandi tempus præoccupare, vivoque adhuc Henrico sceptrum sibi asserere, in Vacensi prælio cum multis una purpuratis occubuit, relinquens liberos tres: Edvardum, quem diximus, Georgium, ac Richardum hunc. Qui ut erant omnes illustri loco nati, sic animo etiam elato ac sublimi fuere, avidi gerendi principatus, neque superiorum neque parium satis patientes. Edvardus patris mortem ultus, Henricum bello victum regno exuit, ac locum ejus ipse occupavit. Georgius Clarentiæ Dux procerus eleganſque, undique fortunatus videri potuit, si non aut ipsum regnandi cupiditas in fratrem, aut inimicorum calumnia fratrem incitasset in illum. Nam sive ei Reginæ factio insidias fecerit, cui cum regis consanguineis acre odium intercessit, (ut mulieres non malitia quidem, sed natura invisos fere semper habent quicunque sunt maritis chari) sive etiam Dux suapte superbia viam affectabat ad regnum, certæ proditionis crimen objectum est; cujus sive sons insonsve esset, frequens eum Senatus acerbissimo supplicio adjudicavit. Sed Rex atrocitatem pœnæ sustulit, mortem tulit, qua ut levissima defungeretur, in vini Cretensis dolium immerso capite, respirare prohibitus, exspiravit. Cujus necem idem qui jussit ubi rescivit patratam, misere deploravit. Richardus hic, de quo præsens sermo instituitur, ingenio atque animi robore utrivis fratrum par: forma, probitateque utrique fuit inferior: habitu corporis exiguo, inæqualibus atque informibus membris, extanti dorso, alteroque humero erectior, os inamabile, torvum, ac plane ejusmodi quale bellicosum in purpuratis ac martium appellari, in aliis aliter, solet. Versipellis, iracundus, invidus, semperque, etiam ante partum, pravus. Quippe quem fama est haud aliter alvo materna eximi, quam obstetricante ferro potuisse, quin Agrippam etiam natum eum pedibusque prælatis exiisse ferunt. Præterea nec indentatum, sive aliquid astruxit vero, odio natus rumor, sine natura futuri præscia præpostere multa in ejus ortu ostendere voluit, qui multa foret in vita contra naturæ fas designaturus. Cæterum bello haud instrenuus Dux est habitus, cui, quam ad pacem, natura fuit accommodatior: sæpe victor evasit: subinde etiam victus, quam rem ne æmulorum quidem quisquam ipsius aut inscitiæ aut ignaviæ unquam tribuit: supra facultates profusus, quæ ne deficerent, ex aliis exhaurire cogebatur quod in alios effunderet. His artibus factum ut amicitiam instabilem stabile odium pareret. Consilia sua non aliis unquam credere, quam per quos exequi necesse fuit: at ne iis ipsis quidem aut ante aut amplius quam res urgebat. Personam quamlibet induere, gerereque, & tueri gnaviter. Hilarem, severam, gravem, remissam, prout sumere aut ponere suasit commodum. In vultu modestia, in animo fastus, impotens, immanis. Verbis adblandiens hiis, quos intus impense oderat: nec eorum abstinens complexibus quos destinabat occidere. Crudelis atque immitis, haud ob iram semper, sed ambitionis ergo sæpius, dum vel augendæ fortunæ suæ, vel firmandæ studeret. Quippe amici, inimicique æqua ratio fuit, comparati cum commodis, neque cujusquam morte abstinuit unquam, cujus vita videretur consiliis suis obstare. Constans fama est Henricum sextum, dum exutus regno in arce Londinensi captivus asservaretur, ab isto crudeliter adacto sub costas pugione, confossum ac trucidatum, idque nec jubente nec opinante rege, qui si maxime decrevisset de medio tollere, quem fortassis è commodo magis ducebat suo vivum in sua potestate habere, alium tamen haud dubie tam diræ carnificinæ fuerat præfecturus, quàm germanum fratrem. Sunt qui suspicentur istius etiam tecta & callide occultata consilia in fratris Clarentiæ Ducis perniciem non defuisse, quanquam resisteret, ac reniteretur aperte. Cæterum (ut rem æstimantibus visum est) aliquanto languidius quam is facturus putabatur, qui sibi serio statuisset ad salutem Germani fratris incumbendum. Quibus hoc verum videtur, hii nimirum persuasum habent Richardum jam olim vivente adhuc Edvardo, hoc apud se consilium de asserendo sibi aliquando regno agitasse, si forte, uti accidit, frater inhabilibus regno liberis decessisset. Cujus rei spem comessatio regis frequens, atque intemperantia victus fecit. Eam igitur ob causam Richardum putant Clarentiæ Ducis mortem appetisse, quum ipsius proposito illius vita non satis opportuna videbatur: quippe quem sive in fide nepotis manentem, sive aspirantem ad regnum hostem sibi vidit capitalem futurum. Sed hac de re nihil certe asserere possum, suspiciones duntaxat hominum, conjecturasque secutus, quibus vestigiis ut aliquando venitur ad verum,

rum, ita frequenter erratur. Quanquam hoc ipse jam olim fideli relatione comperi, Mistelbrocum quendam protinus Edvardo defuncto ad Potieri domum, qui Richardo familiaris erat, curriculo contendisse, pulsatoque violenter ostio, multo ante lucem, quum & violenta & intempestiva pulsatio magni ac subitarii negotii fidem faceret, propere intromissum regem eadem hora extinctum nunciasse. Ad quam vocem Botierus velut exultabundus: Non est ergo dubium (inquit) quin meus Dominus Glocestriæ Dux illico sit futurus Rex, sive consiliorum ejus conscius fuerit, sive aliquo signo rei eventum præsenserit, (nam temere dictum haud existimo) quem ego sermonem ab eo memini, qui colloquentes audiverat, jam tum patri meo renuntiatum, cum adhuc nulla proditionis ejus suspicio haberetur. Cæterum ut revertar ad historiam, seu Richardus olim secum animo regnum invaserat, seu consilium ex nepotum ætatis opportunitate ceperat, quæ res plerumque segnes etiam & quietos impellit ad facinus, certum est decrevisse eum, vita pueris adempta, regno velut sceleris pretio potiri. Gnarus itaque veterum factionum, quibus inter aulicos laborabatur (quas, quoad ejus erat, sedulo etiam aluerat) regis Edvardi cognatis reginæ sanguini & familiæ tantam authoritatem & tantas opes invidentibus, contraque non minus iisdem de rebus invisis, eam rem suis consiliis magno putavit adjumento fore, si partium prætextu, velut offensas veteres ulturus, suum occulte negotium ageret, itaque & ignoratione factionis alterius ad alterius perniciem abuteretur. Tum ex ea quæ superesset paulatim quos posset commodum in suam sententiam perductis, si quos parum opportunos offenderet, eos per insidias incautos, nec mali quicquam suspicantes opprimeret. Nam hoc illi constabat, si qua evasione consilium ejus efferri contingeret, confestim fore, ut inter dissidentes factiones suo ipsius sanguine fœdus sanciretur. Hæ dissensiones amicorum, quanquam nonnihil erant ipsi Edvardo molestæ, tamen dum erat incolumis, eo negligentius eas habuit, quod utramque partem cognovit frenare se, quum vellet, pro suo arbitratu posse. Cęterum ubi postrema ęgritudine decumbens, vires labascere sensit, & deploratam medicis salutem suam, ætatem liberorum animo reputans, quanquam nihil formidabat minus, quam id quod evenit, prospiciens tamen multa illis mala nasci ex amicorum dissensione posse, quando ætas eorum per se imbecilla atque improvida, consiliis amicorum (quibus fulciri solis poterat) nudaretur, qui dum se discessione ac discordia disjungerent, partibus & studiis intendi, minus verum quod esset, cernerent, aut curarent: sæpeque quo suam quisque factionem in principis gratiam promoveat, placitura magis omnes quam profutura consulerent. Hæc, atque hujusmodi secum revolvens, multos è purpuratis accersi jubet, nominatim Marchionem Dorsettum, reginæ ex priore marito filium, atque Richardum Hastyngum, virum nobilem, cubicularium suum, qui insignes inter se inimicitias exercuerant: Item alios utriusque factionis, qui tum aut in aula fuerunt, atque aliunde conquiri poterant. Hos ubi Rex adesse vidit, levatus paululum, & suffultus pulvinis, sic, uti fertur, allocutus est: Viri clarissimi, idem cognati mihi, affinesque charissimi, mea quo loco vita sit & vos videtis, & ego sentio: quæ res facit, uti quo minus diu futurum me vobiscum reputo, tanto impensior animum sollicitudo subeat, quanam animorum conjunctione affectos vos relinquam. Enimvero quales ego vos reliquero, tales liberi mei vos excipiant necesse est: qui si (quod superi prohibeant) discordantes invenerint, ipsi nimirum partibus accessuri, novasque ante lites inter se moturi videantur, quam ad eam prudentiam pervenerint, qua vos compositis rebus vestris reponant in concordiam. Teneram eorum ætatem conspicitis, cujus ego præsidium unicum censeo in vestra concordia situm: siquidem haud satis firma res est, vestra in illos charitas, si mutuis in vosmetipsis odiis feramini. Quod si viri essent, minus fortasse desideraretur fides. At vero pueritia autoritate regenda est, adolescentia fulcienda consiliis: quas res neque illi aliunde poterunt consequi, nisi vos dederitis: neq; vos concedere, si intestinas inter vos simultates alueritis. Etenim ubi mutuo infensi diversa sentiunt, & alter alterius consilium odio consulentis eludit, ibi necesse est bene consulta male cedant: quippe rata esse nisi consensu non possunt. Pręterea dum suam quisq; factionem studet commendare principi, fiat nimirum uti ad gratiam plura, quam ex vero atque utili suadeantur. Ita pravis adulationibus imbutus adolescentis animus, tener princeps in vitia fertur, ac regnum secum in perniciem trahit, nisi si quid DEUS inspiret melius. Quod si eveniat ut resipiscat princeps, atque ad frugem redeat, tum vero hii quorum primæ partes apud eum fuerant, longissime ab favore excident. Ita gratia male parta cito perit. Quæ vero bonis artibus acquisita est, ea demum stabilis, firmaque perdurat. Diu jam inter vos magna odia exarsere, haud magnis sæpe de causis. Rem enim plerumque, non male factam, aut male narrantis depravat oratio, aut per se exiguam durius interpretando audientis affectus exaggerat. Unum hoc scio, haudquaquam pares vobis irarum causas & amoris esse: nam quod homines sumus, quod in Christi verba juravimus, qui unum atque unicum charitatis symbolum suis militibus dedit, concionatoribus commemoranda prætereo. Quanquam haud scio, an cujusquam verba Concionatoris magis vos commovere debeant, quam mea, qui protinus hinc ad ea loca demigro, de quibus illi tam multa prædicant. At istud tantum à me rogabimini, uti vobiscum reputetis alteram harum factionum partem cognatos mihi, alteram affines esse, vosque ipsos invicem aut sanguinis vinculo aut

affinitatis conjungi: quæ necessitudo juncta sacramento conjugii, si Christi instituta tantum haberent ponderis, quantum apud Christianos habere deberent, atque utinam certe habeant non minus momenti ad conciliandos animos, quam ipsa sanguinis ratio contineret. Tantum prohibeant superi, ne idipsum discordiæ vobis causam præbeat, quod maxime ad concordiam incitare deberet. Equidem nescio quo malo fato fiat, ut inimicitia nusquam exerceatur infestius quam apud hos, quos potissimum aut natura aut leges debeant ab omni simultate deterrere. Adeo execrabilis belua est superbia, & præcellendi cupiditas: quæ quum semel generosis illustrium virorum pectoribus irrepserit, non ante desinit dissidiis cuncta turbare, quam cędibus omnia & sanguine permiscuerit, dum quisque primum summo proximus esse, moxque æquari, postremo præcellere contendit. Qui tam improbus ardor gloriæ hoc in regno proximis his annis quantum suscitaverit incendii, quantum stragis ediderit, utinam tam facile Deus oblivisci velit, quam nos reminiscimur. Cujus mala si privato mihi tam animo præcipere & præcogitare licuisset, quam re ipsa postea majore meo dolore, quam voluptate sum expertus, dispeream, si flexis poplitibus exhibitum honorem tam multis hominum capitibus redemissem. Sed quando facta quæ sunt, infecta esse non possunt, qua ex re ante tam multum damni acceptum novimus, ea ne porro accidat danda sedulo opera est. Omnia jam parata sunt, & spes est perfore prospera sub liberis meis, cognatis vestris, si neque illos vita destituat, neque vos concordia: quarum si prorsus alterutra sit carendum, profecto in illis minus jacturæ fuerit. Quibus si quis communis hominum sors attulerit, Anglia tamen facile inveniet reges, illis nulla fortassis parte deteriores. Verum si vos in pueri regno discordia occupet, multi nimirum viri boni atque egregii videntur ante perituri, ut pariter ipsi nec principe interim tuto, & vobis ipsis inprimis periculo obnoxiis, quam populus intestina semel seditione sæviens in pacem rursus ac concordiam redeat. Vos igitur ratione hac, quam hodie vobiscum postremam mihi videor habiturus, hortor, obtestorque per amorem illum, quem ego semper hactenus erga vos, quem vos vicissim erga me, quem Deus erga nos omnes habuit, ex hoc tempore condonetis, & remissis offensis omnibus vos amore mutuo complectamini: quod ego vos profecto facturos confido, si vos oratio ulla aut Dei aut principis, cognationis, patriæ, aut vestrę denique ipsorum salutis commoveat. Hæc ubi rex locutus est, haud diutius sustinens sese, in dexterum latus recubuit facie ad proceres versa quorum nemo erat qui à lachrymis temperare potuerit. Cæterum verbis eum quantum quisque poterat consolati, tum ad rem quæ placitura sentiebant respondentes, velut icto fœdere in morientis gratiam regis manus inter se junxerunt, quum uti paulo post apparuit animis longe disjungerentur. Defuncto rege, filius natu major Londinum, utpote regiam urbem, petere maturat, qui vivo patre, Ludloi vixit in Vallia: nam ea deinceps primogenitis regum, vivis adhuc parentibus propria ditio est, quæ quum ab rege prout sita esset, eo negligentius habita, in morem prope silvestrem, cœpta est efferari improbis hominibus, latrociniis, ac cæde licenter impuneque grassantibus. Edvardus filius eo cum imperio missus est, ut præsentis authoritate principis facinorosorum audacia frænaretur. Moderator pueritiæ datus est Antonius Vodevilus, cognomento Riverus, reginæ frater, vir haud facile discernas manune an consilio promptior. Tum adhibiti in consilium alii, ut quisque puero proximus materno genere fuit. Eam rem ab regina curatam, quæ suæ factionis opes ab teneris statim principis annis firmaret, frustratus tantam ejus spem. Richardus prætextum sibi ad eos evertendos, initiumque ad reliquum inceptum suum conficiendum fecit. Nam quorum in illos odium maxime implacatum novit animosque in se benevolos, eos partim coram alios per epistolam ac nuntios exploratæ fidei compellans, admonet rem neutiquam ferendam, principem amisso patre, juvenem ipsis cognatum in custodia & manibus esse agnatorum, ablegatis propemodum ipsis, qui neque minus certa in eum fide, & longe honoratior pars regii generis fuerant, quam sanguis ejus maternus, qui nisi libidini patris visum aliter esset, per quam erat indignus, qui cum ejus atque ipsorum sanguine misceretur: quos nunc non primos apud regem esse, neque illi honorifice, neque sibi tutum, ut quorum permagni referat, haudquaquam pati æmulorum suorum potentiam, gratia & favoribus adolescere apud principem puerum, natura facilem, ætatis vitio credulum, nec satis callentem delatorum calumnias. Meminisse vos, inquit, opinor, patrem ejus quanquam annis & rerum usu maturum tamen ejus factionis suasu impulsuque quovis circumactum, longe profecto magis, quam aut ex ipsius honore, aut ex usu cujusquam fuerit, præterquam illorum qui sua ne bona an mala nostra avidius appetierunt, in incerto est. Itaque si non quorundam nostrum gratia magis apud regem, quam ulla cognationis ratio valuisset, paulum certe abfuerat, quo minus aliquot nostrum circumventos insidiis oppressissent, tam hercle facile, quam oppresserunt eum qui regis sanguine haud minus prope aberat. Verum faventibus Superis eo periculo defuncti sumus, sic tamen ut vel majus impendeat, si principis affectus patimur quocunque nostris inimicis libebit impelli: quibus haud difficile sit vel ignorantis jussum ad perniciem nostram prætexere, nisi DEUS & vestra vigilantia malitiam eorum in ipsos avertat, qua in re non est quod quisquam nostrum negligentius se gerat ob male sartam paulo ante concordiam, quam tametsi simulate inierint, regis potius affectibus sunt obsecuti, quam suis. Neque quenquam nostrum tam vecordem arbitror,

tor, ut multum sibi putet ei confidendum, qui ex inimico veteri amicum recentem se profiteatur, nisi quis forte existimet una hora subito coactam pacem, ac ne toto quidem adhuc mense coalitam, altius eorum pectoribus insedisse, quam tot annis alte actam ac radicatam invidiam. His atque hujusmodi verbis, literisque homines ex se ardentes vehementius incendit, sed præcipue duos, Edvardum Bukyngamiæ Ducem, & Richardum Hastyngum, ambos fama atque opibus celebres: sed Dux natalibus illustrior, alteri, ex munere quod gerebat, multum authoritatis adcreverat, siquidem præfecerat eum rex cubiculo suo, quod est apud Anglos perquam honorificum. Hii qui non tam sibi mutuo bene vellent, quam reginæ, parentibus pariter cuperent male, hactenus facilè cum Richardo conspirarunt, ut suorum inimicorum prætextu maternos amicos principis amolirentur: ita rebus inter ipsos ad hunc modum compositis, quum illos intellexissent tanta manu regem deducturos, ut nihil in eos auderi tute queat ab inermibus, sin ipsi contra parent copias, ad manus rem venturam, cujus & semper dubius eventus est, & quum ab adversa parte princeps esset, suam, proditionis nomen ac speciem subituram ingenio eos exarmandos statuunt. Itaque curaverunt, uti per viros idoneos reginæ persuaderetur, multum esse periculi in eo consilio, quod depellendi periculi causa inibatur. Nam pacatis rebus, Proceribus reductis in concordiam, animisque omnium intentis ad excipiendum regem, ac diademate insigniendum, si amici reginæ cogant multitudinem, injecturos haud dubie metum hiis quibus aliquando simultas cum illis intercesserat, ne non tantummodo regis causa, cui nemo discrimen intentet, invadendi: sin congregetur, discordia. Atque hoc pacto fore, ut hii vicissim suas cogerent copias, deinde velut vim repellerent, illaturos quorum opes quod illa nosceret, plurimum pollerent: qua ex re totum regnum in armis ac tumultu futurum. Tunc ejus damnum omne, quod & immensum exspectabatur, & magna pars in eos fortasse casura, à quibus illa maxime vellet averti. Omnes ei uni atque amicis ejus acceptum relaturos, utpote quos causarentur privati odii causa conturbasse rempublicam, violata per injuriam concordia, cujus maritus ipsius moriens author sanciendæ fuisset. His rationibus adducta regina, sic apud Vodelinum fratrem, filiumque Richardum Grajum egit, qui cum in aula principis primas obtinebat, ut illi repudiato priore consilio, præsidio supersedentes, regem comitatu modico Londinum deducerent. Erat in itinere regis Hamptona quæ quanquam in umbilico prope regni sita, tamen alteri ejusdem nominis oppido, quòd objacet australi freto comparata, Borialis vocatur. Hanc eodem die, quo rex inde digressus est, Glocestriæ ac Bukyngamiæ Duces intrant: ac fortè accidit, ut Vodelinus reginæ frater, quem diximus, ibidem restiterit. Postero mane Stratfordiam iturus ad regem, ubi eam noctem traduxit. Ab Hamptona igitur Vodelinus officiose Ducibus occurrens, ac summa gratulatione vicissim exceptus: ubi quantum temporis visum est, sermone atque epulis produxere, dimittitur. Ita delinitus humanitate ducum, ut optima spe plenus, hilaris, atque animi securus iret cubitum. Sed illi qui longe diversum agitabant animo, quam vultu præ se tulerant, reliquis omnibus secedere jussis, Richardum Ruteliffum equitem, & alios qui talibus erant consiliis intimi, retinuerunt, ac discumbentes ad mensam de suis inceptis in adultam noctem deliberant. Post hanc deliberationem adsurgentes, mittunt qui multo tumultu comites suos admoneant, uti parent sese, nempe Duces tantum non in equis esse. Hoc nuncio excitatus ipsorum comitatus, præsto aderat, cum Vodelini adhuc ministri stertерent. Ad hæc effecerant, uti omnibus itineribus oppidi obsessis, nemo sineretur exire. Tum paulo ab oppido longius, qua parte Stratfordiam itur, disposuerant equites, qui si quos forte deprehenderent fefellisse custodiam, in Hamptonam rursus repellerent. Prætexerunt causam, quasi duces constituerint, videlicet officium suum approbaturi, ipsi eo die omnium primi salutare principem. At Vodelinus ubi accepit clausos undique exitus, facultatem vero abeundi neque suis neque sibi fieri, rem tam atrocem & non temere, & se inscio cœptam, facta eorum præsentia cum proximæ noctis vultu verbisque conferens, tam magnam paucarum horarum interventu fieri rerum mutationem magnopere admirabatur. Cæterum quum neque discedere liceret, & continendo se nihil assequeretur aliud quam ut latebras quæsivisse videretur (quod cur opus factu esset, nullius culpæ sibi conscius erat) adire duces statuit, & causas hujus consilii conscientia innocentiæ suæ fretus sciscitari. Qui ut primum in conspectum venerat, quæri illi ultro, atque accusare eum cœperunt, quod discordias inter Proceres sereret, animumque regis niteretur ab se alienare, perdereque per insidias moliretur: quas ipsi deprehensas merito sunt in authorem regesturi. Mirantem hanc orationem, ac sese purgare conantem, quum ratione causaque deficerentur, ad vim conversi comprehendunt, atque adservandum adhibitis custodibus relinquunt. Mox conscensis equis Stratfordiam contendunt, ac regem reperiunt parantem jam tum discedere, ideo uti fertur ut oppidum universis angustum, liberum illis relinqueret. Dimissis igitur equis, præeunte longa stipatorum serie, ubi ad regem propius ventum est, scindente se in partes comitatu, per medios ordines perrexerunt, ac se dimittentes in genua principem reverenter salutaverunt. Quos ille contra porrecta manu de terra levatos amabiliter complexus est, nihil etiam mali aut resciscens aut suspicans, quum illi nihil cunctati, aut ejus reveriti præsentiam, Richardo Grajo fratre ejus uterino movere litem occipiunt, calumniantes illum ac Germanum

num ejus Marchionem cum avunculo Vodelino conjurasse adversus suum sanguinem, decrevisseque circumventis atque sublatis fraude nobilibus, regis pariter ac regni sibi procurationem arrogare. Atque eam ob rem protinus ab defuncto rege Marchionem in arcem Londinensem irrupisse, atque expilato regis ærario stipendium in milites elargitum, quos in classem ad confirmandas illius factionis opes coegisset. Ita rem quam gnari erant communi consilio decretam, regisque plurimum reique publicæ retulisse ut fieret, illi per calumniam inverterant, ne nihil esset quod dicerent. At princeps Grajum parantem respondere præveniens: Quid fecerit, inquit, Marchio, quanquam nihil mali spero, tum quoniam nobiscum non fuit, certo non possum scire. Verum quod ad fratrem attinet, Grajum atque avunculum Vodelinum, innocentes hercle illos facilè præstare possum, ut qui non usquam à nostro latere jam diu sunt digressi. Non dubium est eos, inquit Glonceſtriæ Dux tam sceleratum propositum optime princeps, sedulò te celasse, nec plura locutus manus injecit in Grajum, ac Thomam Vanghanum equitem, reginæ cognatum. Grajus ut erat & animo generoso, & non improcero corpore, commotus præsente periculo, manum capulo admovit. Tum increpitus à quodam admonente serum esse hunc conatum, concidens animo manum retulit, & se capiendum dedit. Ergo regem retroagunt Hamptonam, ubi de integro consultant. Ibi quos volunt è ministris regis exauctorant, substituuntque quos ipsis magis quam illi lubebat. Quibus rebus graviter offensus quum prohibere non posset, quod solum potuit, flevit. In prandio Glonceſtriæ Dux è suis ferculis unum Vodelino misit, jusso dapifero, uti solaretur eum, juberetque Ducis nomine ut bono esset animo, neu dubitaret hujus tumultus facilem exitum fore. Ille gratiis actis orat ministrum idem ferculum ad nepotem ferret Grajum, eumque tali nuntio recrearet, quem ut fortunæ adversæ insuetum eoque paulo iniquius ferentem, magis egere consolationis arbitrabatur. Sibi vero sæpius utramque experto, adversam minus novam videri. Cæterum Glonceſtriæ Dux post tam officiosam consolationem, captivos omnes, alium aliò ablegavit in carcerem, atque inde haud multo post in quoddam oppidum, quod Pons fractus appellatur, ipsius jussu adducti capite plectebantur. Sed nocte quæ eum diem sequebatur, quo hæc Stratfordiæ gesta sunt, trepidus ad reginam nuntius venit ad Occidentale cœnobium, tristia omnia atque atrocia denuncians, captum à patruo principem, retroque vi abductum Vodelinum, reginæ fratrem, ac Richardum Grajum, tum alios amicos ejus comprehensos atque ablegatos, incertum quo: tractandos incertum quo modo. Mutatam rerum summam, eversa concidisse omnia: proinde occupandum ipsi tempus, ac sibi reliquisque suis fortunis, dum liceret, consulendum, ne propere accurrentes adversarii reliquias intercíperent. Hoc nuncio exanimata regina, calamitatem tam insignem, tantam, tam insperatam filiorum, amicorum, ac suam ipsius ingemiscens, ad hæc damnans ac detestans consilium suum, quæ principis dimittendum præsidium suaserat, pavida ac trepida è palatio suo se in cœnobium proripit: erat enim asylum illud ædibus palatinis contiguum. Ibi se ac minorem filium, & filias quatuor in Abbatis domum cum familia sua conjicit. Missus est eadem nocte minister ab Hastyngo cubiculario ad Eboracensem Archiepiscopum, qui & ipse haud longe ab Occidentali cœnobio habitabat, qui ministris Episcopi narravit sibi à Domino mandatum, ne quieti præsulis parceret, tanti esse momenti quod afferebat. Illi magnitudinem negotii ex festinatione æstimantes, soporem Domini haud cunctanter interrumpunt. Is intromisso ad pulvinar nuncio, quum aversum retro principem, & captivos ejus cognatos accepisset, immani tantæ rei atrocitate perculsus obstupuit. Tum nuncius: jubet te, inquit, Dominus meus Reverende Pater, animo bono esse, ac tibi pollicetur salva fore omnia. Abi, inquit ille, ac renuntia, quamvis bene futura sint, nunquam tamen tam bona fore quam fuerunt. Tum eo dimisso protinus excitat familiam, & stipatus suis, appenso ad collum sigillo (erat enim Cancellarius) recta contendit ad reginam, ibi plena reperit consternationis, luctus, pavoris, ac tumultus, omnia trepidari, festinari, convehi in asylum è palatio, scrinia, sarcinas: Otiosum neminem, imponentes alios, alios deponentes onera, alios depositis quæ pertulerant nova petere: Effringere alios medium parietem, qui solus ab asylo palatium dirimebat, uti viæ compendium fieret: nec deerant (ut accidere fere in tali tumultu solet) qui alio quædam quam quo destinabantur, efferrent. Reginam videt humi sedentem, solam, tristem, atque attonitam, complicatis digitis suam, suorumque fortunam complorantem. Solatur eam episcopus, hortatur ne præsentibus rebus dejiciat animum desperatione meliorum, sibi factam spem rem haud perinde atrociter cessuram, ac ipsi fingeret malignus rerum interpres timor. Addit quo magis eam confirmaret authorem esse spei suæ nuntio ad se misso cubicularium. Ach pereat, inquit illa, Is enim princeps est eorum, qui odio implacabili in sanguinis mei perniciem incumbit. Tum ille: Regina inquit, erige animum. In hanc rem fidem hic tibi astringo meam quo die alium quemquam illi in regem creaverint, quam filium illum tuum quem habent secum, nos postridie istum alterum quem hic tecum habes, hoc ipso in loco diademate insigniemus. Quod quo minus dubites, en hoc sigillum, quod meæ fidei princeps illustrissimus credidit, maritus tuus, tibi jam in manus trado, & simul hæc dicens, sigillum reginæ tradidit, & priusquam illuxit, abiit domum, quum jam è fenestra despiciens, unde illi prospectus erat in Thamesim, persultari totum fluvium cymbis videt, asylum videlicet obsidente

dente

dente Ducis Glocestriæ satellitio, ne quis eo per aquam transfugeret, aut inexcussus præter-veheretur. Jam continuo res dispargi, toti populo in ore esse, stupere omnes, ira, metu, ac mærore compleri, conglobari alii alibi in armis, turmatim volitare diversi, atque invicem minitantes, prout quosque partium studium aut periculi formido copulaverat. Ad hæc ut odio quisq; aut favore ferebatur, ita elevare alii verbis invidiam facti, alii aggravare oratione nitebatur. Tum ne quid Londinum detrimenti caperet, excubari à civibus cæptum, quum & Proceres jam quicunque aut in urbe erant, aut non longe aberant, diverse de his rumoribus ac tumultu multa divinabant. Sed Eboracensis Episcopus veritus, ne levis ac præcipitis consilii videretur injussu regis sigillum tradidisse reginæ, priusquam in consilium iret, quo factum tegeret, sigillum ab ea receperat. Ibi factum illud ducum plerisque incessentibus, atque odiose interpretantibus, tanquam privatæ simultates structis in principem insidiis prætexerentur, Hastyngus contra (quem nesciebatur hujus facti conscium esse) suam fidem, quam perspectissimam habuerunt omnes, pro ducibus interponere, nihil adversus regem cogitatum, positos ab hiis in custodiam eos, à quibus sua salus impetita credebatur, rectene an secus vestrum erit judicium, inquit, quorum examini reservan teos hi qui nihil merentes, se tamen læsos ab illis esse conqueruntur. Cæterum eam litem vos aut judicabitis vestro arbitratu, aut componetis, tantum ne quid re incognita statuatis, & privatas controversias in publicam seditionem atque intestina bella vertentes, eo rem deducatis, ut irritatis animis, interturbata coronatione principis, quem huc eadem causa comitantur, componi res & redintegrari non possit, in quo certamine si cætera paria essent, tamen jus & authoritas major in illis castris sit necesse est, in quibus princeps erit. Hæc oratio ob cognitam veri fidem magnam habuit vim ad commovendum, sed multo maxime tumultuantes animos compressit imminens adventus regis, quem comitatu magnifico duces admodum reverenter habitum Londinum versus producebant. Cæterum quacunque ibant, rumorem disseminandum curaverunt, molitos qui in vinculis erant, primum ipsos deinde alios è proceribus per vim opprimere, atque ita sibimet viam struere, qua regem pariter & regnum sibi subjicerent. Cujus commenti quo fides plebi fieret, aurigæ, atque alii ducum ministri, qui cum præsidio impedimenta sequebantur, ostentabant undique captam suppellectilem, dolia quędam armorum plena, quæ ipsis, quum transferreretur aula principis, necesse fuit aut auferre secum, aut abjicere. Quod quanquam satis scirent, tamen per malitiam dissimulantes, quum ea passim tanquam manifestarii criminis argumentum ostentarent, inclamaverunt: En arma ipsa, quæ proditores isti in dolia clam absdiderant, ut duces atque omnes nobiles per insidias obtruncarent. Hoc commentum, tametsi prudentibus rem suspectiorem reddidit, facile conjectantibus eos qui tale facinus animo destinassent, corporibus potius arma fuisse gesturos quam vincta atque impedita congesturos in dolia, simplici tamen ac rudi populo mirum quam satisfecerit, adeo conspectis armis, velut certa atque explorata proditione salus undique ducibus, suspendium captivis acclamatum est. Quum rex adventare propius nunciaretur, Senatus urbis cum magno civium numero progressi obviam quatuor ab urbe millibus occurrerunt. Ita princeps honorifice exceptus, procerum ac civium celebri pompa civitatem est invectus, quarto die Maji Anno regni sui primo, eodemque ultimo. Sed hac honoris magnifica specie, vultuque in observantiam principis composito Glocestriæ Dux è summa invidia ac suspicione, quibus paulo ante laborabat, in tantam subito charitatem omnium, tantamque integritatis opinionem venit, ut unus omnium Protector regis, regnique ejus, consensu procerum renunciaretur. Itaque sine id inscitia factum, sive fato, agnus certe consulto in lupi fidem creditus est. Mox Eboracensis Episcopus acriter increpitus, quod sigillum reginæ tradiderat, administratione privatus est. Eo munere inautoratus est Rusellus, Episcopus Lincolniensis, vir & usu rerum, & vitæ probitate singulari, tum in literis haud dubie sua tempestate primarius. Igitur ubi protector effectus est, quanquam singuli ei dies anno longiores viderentur, qui moræ impatientem cupiditatem ejus moraretur, avidumque quam primum re ipsa usurpandi regni, quod animo jam ante invaserat, tum haud temere quicquam censuit ante tentandum, quam reliquam prædæ partem in nassam pellexerat: haud ignarus fore, ut si alterum fratrem privaret imperio, in alterum protinus evehendum universorum studia incumberent, sive permaneret in asylo, sive, quod multo metuebat, magis extra Britanniam aliquo transmitteretur. Ergo in proximo conventu procerum graviter incusat reginam, odiose ab ea factum, quæ unicum & charissimum à principe fratrem distineret, tanquam utrique invideat dulcia illa mutuæ consuetudinis oblectamenta: in illum vel magis impia, cujus potissimum curam præ se fert: quippe quem libertati subductum, ab luce ac splendore clarissimæ fortunæ suæ detractum in asylum, misere velut in tenebras & squalorem abstrudat. Nec horum quicquam alia causa patratum, quam uti nobilibus qui regi à consilio sunt acris apud populum concitaretur invidia. Adeo ei odio esse eos, ut vel cum liberorum dispendio suorum, quod de Medæa ferunt fabulæ, ulcisci quos odit, ardeat. Alioquin enim quorsum in asylo puerum, inquit, nisi quod videri vult populo vos aut parum fideliter, aut non satis sapienter prospexisse principi, si periculum sit ejus mihi fratrem credere, cujus ipsum corpus mihi vos alendum tuendumque credidistis? Cujus inco-

incolumitas haud mihi certe fulciri satis ulla victus cura videtur, nisi ludi quoque voluptas accesserit: quæ mirum in modum pueriles spiritus reficit vegetatque, nec eam potest mollis puerorum ætas ab senibus capere. Blandus adhiberi collusor debet, qui neque annos ejus superet, neque multum ætate illi sit inferior, tum qui ad ejus nobilitatem accedat proxime. Ita simul ætatis habebitur, simul majestatis ratio. Quis igitur omnibus partibus accommodatior quam Germanus frater, quem nunc deterior noverca mater abstinet? Si quis hæc levicula sentiat, quod ego certe nemini visum iri puto, cui salus principis curæ fuerit, is sic habeto, maximas interdum machinas consistere, nisi minorum adminiculo non posse. Ad hæc quam istud nobis regni hujus Proceribus inhonestum, quam ipsi regi invidiosum omnium per ora, non in hoc regno tantum, sed apud exteras etiam gentes jactari (ut cito pervolat malus rumor) fratrem ejus eo necessitatis adactum, ut florentibus illius rebus ipse in asylo delitescat. Neque enim temere quisquam credetur in antrum sese abdere, cui citra periculum liceat in luce ac libertate vivere. Hanc persuasionem ubi semel animis insederit, haud facile evellas postea, manisque in malum crescet denique quam devinare facile quisquam possit. Huic igitur pesti quo propere eatur obviam virum aliquem ætate gravem, atque authoritate pollentem mittendum ad matrem censeo, eumque cui & regis honor & ordinis hujus fama curæ sit, tum cui apud eam sit & amoris nonnihil & fidei. Quibus omnibus de causis nemo circumspicienti mihi magis occurrit idoneus quam Reverendissimus iste Pater (aderat enim) Cardinalis, qui solus mihi sua prudentia videtur rem confecturus, modo ne laborem recuset: non recusaturum autem spero vel regis causa vel nostra, vel ipsius Ducis nepotis mei secundum principem ipsum charissimi: Quibus omnibus si id quod spero reginæ recta persuaserit, non facile dictu fuerit, quantum adimet molestiæ. Cæterum ea si incepto pravo, muliebri pertinacia sic institerit, ut ab libidine animi ad verum flecti nulla tanti patris neque authoritate neque consilio neque fide possit, ego certe author fuerim ex edicto regio è cœnobio eximendi ejus, ducendique in felicissimum regis contubernium apud quem adeo honorifice excipietur, ut omnes intelligant eam cum filium in asylum clauderet, vel malitiam à consilio, vel stultitiam habuisse. Hæc mea est hac de re sententia, nisi vestrum quisquam contra sentiat. Neque enim unquam usque adeo mea mihi ratio blandietur, ut non paratus sim cuivis vestrum recto ira consulenti parere. Huic orationi nobiles fere quotquot aderant, suffragabantur. Cardinalis, atque Episcopi reliqui, cætera assensi, tantum invita matre nihil audendum censebant, neque vim adhibendam si forte verbis minus obtemperetur. Rem enim videri superis, hominibusque invisam, tantæ vetustatis asylum tam religiosum temerari, quod Reges ac Pontifices tam boni instituerant, tam multi ratum sanctumque habuerant: atque ei loco inferri contumeliam, quem locum Petrus ipse, Princeps Apostolorum, magno superorum choro Comitatus, olim tam peculiariter Deo, sibique dedicaverat, ut per tot retro secula neque rex tam audax fuerit quisquam, qui non sit veritus violare neque tam religiosus Episcopus, qui sit ausus consecrare. Nullo ergo pacto me Autore, Cardinalis inquit, sancti loci imminuetur immunitas, qui tam multis misere alioqui perituris tam sæpe fuit præsidio. Sed neque necesse erit spero, verum quantumvis etiam necesse fuerit, non faciendum censeo. Equidem spes est reginam audientem rationi fore, quod si minus succedat è sententia, ipse tamen sedulo conabor, ut facilè omnes intelligant non meam industriam defuisse negotio, sed maternam indulgentiam, ac muliebrem potius metum obstetisse muliebrem metum, inquit Dux Bukyngamiæ, imo pervicaciam mulieris invictam. Nam hoc ego vel quovis pignore ausim certare, nihil illam prorsus vel filio timere vel sibi. Quis enim bellum sibi sumat cum fœmina? Quod si mares quoque sanguinis ejus aliquot fœminæ essent, melius profecto sese res haberent. Quanquam nec illis quidem reginæ cognatio fraudi est, sed ipsorum compositus ad seditionem animus. Cæterum ut maximè nobis ipsa, cognatioque ejus, invisa foret, non posset tamen charus non esse frater principis, nempe cui nos ipsi cognati sumus, cujus verè conservandi si tanto studio, quanto nobis incommodandi cupiditate duceretur, non minus libenter illum ex illis latebris educere, quam nunc abdere ac vincire studeret. Nam si quid saperet, haudquaquam sibi plus tribueret quam quibusdam nostrum, de quorum fide non dubitat. Sed vere persuasum habet filii sui salutem non minus nobis curæ esse, quam sibi: cui quo magis bene volumus, eo minus esse apud illam ferre debemus, si illi penitus constitutum fuerit in asylo continere, contraque nemini non placere arbitror principis curationem parenti committi, modo inducat animum ibi vivere, ubi versari neutri sit indecorum. Quamobrem si in reddendo filio eorum consilia aspernetur sequi, quorum neque ambigua prudentia est, neque incerta fides, quis non intelligat facile eam hucusque progressam odio nostri magis quam metus sui? Quod si adeo meticulosa sit, ut ex animo metuat quod nusquam est? Quis enim prohibere queat, quo minus vel umbram horreat suam? Certe quo ea magis filium nobis timet credere, eo nobis contra justius timendum est puerum illi relinquere. Etenim si tam vanos metus concipiat animo, ut filio periculum esse fingat, profectu ut est metuentium sollicitus animus ne asylo quidem satis fidet. Nam si id cogitet, adeo immanis quempiam animi esse, ut puero innocenti nocere studeat, aut tanta feritate, ut neque huic superum timor, neque hominum pudor à flagitio revocet, facile ei asyli nomen leve ac vanum esse

vide-

videbitur. Itaque falſa ſuſpicione periculi ſubigetur animus, munimentum aliquod firmius extra regnum quærere. Quin nunc quoque quanquam nihil tale metuentem haud dubito tamen hoc ipſum tam illam animo agitare, ut faciat, quam nos contra ne faciat. Quæ ſi tam improbum facinus muliebri temeritate patraverit (patrabit enim facile oſcitantibus nobis) omnes ubique mortales prædicabunt, dignos ſcilicet nos qui principi à Conſilio ſimus, cujus Germanum fratrem per vecordiam ſub oculis noſtris perire patiamur. Ego igitur Illuſtriſſimum Ducem, dum licet, vel invita matre, cenſeo eximendum potius, quam tantiſper ibi relinquendum quoad eum mulieris mala mens prætextu metus emittat in periculum, nec aſyli tamen immunitatem ullo pacto violari velim. Quæ quoniam vires ab vetuſtate cœperit, non ego is ſum qui ſuadeam infringendam. Contraque ſi integra res eſſet, non ſuaſerim inſtituendam. Neque tamen inficior benefactum ac misericorditer, ut quos naufragium, aut male expuncta nomina, aliave quæpiam fortunæ vis adverſa fecit inopes, his aliquis aperiatur portus, qui corpora ſaltem integra præſtet à creditorum ſævitia. Ad hæc ſi regni titulus, quod non ſemel accidit, in quæſtionem veniat, dum armis de jure decernitur , atque alteri alteros habent proditorum loco, non diſplicet aliquem locum eſſe ad quem utrique confugiant, ubi dubiis aut afflictis rebus, pendente adhuc victoria, ſint in tuto. Cæterum furibus ac latronibus, quibus ea loca plena ſunt, quique ſemel ejusmodi flagitiis imbuti nunquam reſipiſcunt poſtea, facinus eſt profecto aſylum ullum præſidio eſſe, multoque magis homicidis, quos ab aris ipſis avelli, mactarique juſſit DEUS, maximè ſi ad crimen acceſſerit. At niſi conſulto peccatum ſit, nec opus quidem apud nos aſylo eſt. Nam ſi quem in alterius necem aut neceſſitas armavit aut impulit caſus, ejus delicti aut veniam lex, aut princeps gratiam facit. Numeret aliquis nunc quam raros in aſylo comperiat, quos illic favorabilis aliqua neceſſitudo compulit; contra quanta illic affluit turba perditorum, quos alea, luxus, ac libido exhauſerit. Præterea latronum, ſicariorum, ſectorum homicidarum atque immanium proditorum, quam tetra atque horrenda colluvies in aſylum, velut in peſtilentiſſimam ſentinam confluxerit: idque potiſſimum in duo, è quibus alterum eſt urbi propinquum, alterum in ipſis urbis viſceribus collocatum. Auſim profecto confirmare, quiſquis aſylorum comoda compararit cum incommodis, eum pronunciaturum potius, quam tot incommoda perpetienda ſint, multo fore commodius ipſis etiam commodis caruiſſe. Atq; hoc affirmo ſic habere ſe, ut non accedant alia , in quibus ad perniciem bonorum homines flagitioſiſſimi indies magis ac magis abutuntur aſylorum licentia. Nam nunc juventus improba non alia cauſa liberius, quam horum fiducia locorum, profundit, perdit, abligurit: quin ditiores aliquot eo provolant cum tenuiorum bonis. Ibi ædificant, epulantur, oblectant ſeſe, creditoribus interim impunè illudentes. Illuc uxores fugiunt cum ſuppellectili maritorum duritiam eorum libidini ſuæ prætexentes. Illuc fures convehunt quæ furto ſuſtulere: ibique inde vivunt ac triumphant. Ibi nova latrocinia machinantur: inde quavis nocte prorepunt, furantur, occidunt, & commiſſo facinore revertuntur, tanquam loci reverentia non tueretur modo eorum vitam ad pœnitentiam ante actorum ſcelerum, ſed novā quoq; deſignandi licentiam indulgeret. Quanquam, ſi viri prudentes adniterentur, bona pars hujus mali facile tolli poſſet: Idque cum bona divi Petri gratia. Reliquum quum neſcio quis Pontifex ac Princeps miſericordes magis quam prudentes inſtituerunt, & cæteri deinceps religioſo metu pertulere, nos feramus cenſeo quatenus feret ratio, quæ non eo uſque ſuffragatur aſylo, ut nos prohibeat Illuſtriſſimum inde Ducem ipſius bono producere. Cujus loci privilegium nullum in eo locum habet: Ego certe hunc aſylorum verum ac nativum uſum eſſe ſemper ſum arbitratus, ut eorum corpora tuerentur, quos alioqui maneret malum tum magnum, tum inprimis meritum. Nam ut declinetur immeritum, non eſt cur implores peculiare cujuſque loci privilegium. Etenim ne cuiquam uſquam inferatur injuria, eam immunitatem, leges, mores, natura cuiq; loco ex æquo tribuunt: niſi quis aliquem novit locum, in quo maleficia fas eſt perpetrare. At ubi ab ipſa lege periculum eſt, ibi verò præſidium à privilegio petendum eſt: indeq; ego malum natura alterumque aſylorum uſum putem. A qua neceſſitate Illuſtriſſimus iſte Dux abeſt procul. Cujus fidem erga principem ſanguinis neceſſitudo probat, cujus erga reliquos omnes iñocentiam tenera declarat infantia, nè quis illi opus aſylo putet, in quod aſcribi nec poteſt quidem. Neq; enim ad aſylum ſic, quemadmodum ad baptiſma, confugitur, ut ſuſceptorum compatrumque vicaria voce beneficium impetretur, ſed cujus bono datur, ipſe ſupplex flagitet, ac precetur oportet. Idque adeo merito cum competit nemini, præterquam ei cujus mens facinoris conſcia indignum egentemq; talis auxilii facit: Quam ergo voluntatem habet ille puerulus, qua ſibi inutile munimentum ab aſylo poſtulet, qui ſi eo proveheretur ætatis ut uſum ejus loci poſſet intelligere, profecto non parum iraſceretur iis, qui illic manendum ei ſuaderent. Unde nunc eximere non repugnantem uſq; adeo nihil mihi videtur formidandum, ut in eos quoque quibus verè aſyli ope opus eſt, aliquanto tamen magis audendum quam ſolemus, cenſeam. Nam ſi quis eò ſubducat ſe cum alienis bonis, quidni regi liceret à fugitivo ablata Domino reddere, ſine ullo privilegii præjudicio? Ea verba ferè, qui è Clero aderant, ſive aſſentabantur Duci, ſive ita vere ſentiebant, confirmavere. Sic divino jure cautum, uti obæratorum bona in aſylum confluentium diſpartiantur Creditoribus, relicta tantum libertate

corporis, quorum labore victum quærirent. Credo vos,inquit ille, verum dicere. Quod si mulier eo transfugiat pertæsa mariti, sed tanquam perterrita, mihi certe videtur inoffenso divo Petro maritus è medio Petri templo conjugem injecta manu protracturus. Alioqui si nemo inde deduci potest,qui se dixerit ibi manere velle, certe puer quispiam qui à Præceptore fugerit ibi relinquendus est. Quod exemplum quanquam leve ut est videri possit, tamen hæc nostra causa est aliquanto levior. Nam illic quanquam puerilis metus est, est tamen aliquis: at hic omnino nullus est. Et profecto antehac sæpe viros asyli immunitate usos audivi,sed pueros nunc primum audio. Quamobrem ut aliquando finiam, quisquis id facinoris admiserit, ut opus ei asyli ope sit, is ibi maneto. Sed hic Illustrissimus Dux ibi dimittendus non est qui neque ætatem habet, qua possit istud petere, neque malitiam, propter quam possit promereri: cujus neque vita,neque libertas venire in discrimen ullo jure potest. Per injuriam vero prope minus potest,fratre rerum summa potient: ipse opibus potens, amicis etiam potentior,quippe patruo Clarissimo,nobisque omnibus in salutem atque incolumitatem ejus incumbentibus. Postremo qui ex asylo quempiam ipsius bono commodoque protraxerint, etiamsi vim fecerint, hos ego tamen asylo vim fecisse pernego. Huic ducis orationi cum laici quotquot aderant, tum verò Clericorum plerique nihil etiam mali suspicantes assensere, eoque discessum denique, ut inredderetur ultro, vi deducendus ex asylo videretur. Cæterum verbis ante visum est quam vi experiendum. Cardinalis ergo è consilio in asylum recta contendit, unaque aliquot è nobilibus, sive dignitatis ejus viri habita ratio est,sive Protector huc respexit, uti ex tot præsentia Procerum regina colligeret non ex unius esse hominis sententia, quod tum agebatur, sive ne ausus quidem est tantam rem uni credere. Quanquam suspicantur aliqui, si regina,quod expectabatur, filium obstinate pernegare pergeret, mandatum seorsim fuisse quibusdam è Comitibus illicet ut invitæ per vim eriperent, neu tempus alio amandandi darent. Cujus rei consilium post eum sermonem habitum agitatura videbatur,modo ad id suppeteret spatium. Igitur ubi mutuo in conspectum venere, Cardinalis exponit rem atrocem videri nobilibus, unicum regis fratrem ab eo sejunctum, ab illa velut in carcere adservari: quo ex facto ut nihil super ipsorum infamiam queratur, consequi tamen & conflari apud exteras omnes gentes invidiam,ipsi nimirum principi,cujus Germanus unicus narretur in asylo delitescere,ne patria quidem interim exempta calumniæ, tanquam populum tam immanem gignat & efferum, ut fratri etiam à fratre immineat periculum. Proin se ad eam ab rege, Proceribusque missum,uti pro sua in eam fide atq; amore recta & salutaria consuleret. Ejus generis inprimis esse, ut ducem emissum ex illis latebrarum angustiis augustissimæ principis aulæ, jucundissimo fratris contubernio redderet: Id si ita fecisset, & regni rebus publicè: & amicorum comuniter,& privatim suis recte consulturam. Sed regi inprimis atq; etiam duci perquam rem gratam facturam, quibus maxime commodum sit jucunde simul vivere. Ad hæc regina: Haud equidem negarim, inquit, honorande Pater, optandam filio huic meo conditionē esse quam affers, uti videlicet perpetuo cum rege versetur,& convivat fratri: cæterum contra quoque rem ego neutri parum incomodam censuerim, si ambos aliquot adhuc annos tueretur, atque educaret mater, æstimata utriusvis ætatula, sed hujus præsertim minoris, cui præter infantiæ teneros annos (quæ & ipsa curæ non oscitantis indiget) febris etiam neutiquam levis accessit, cum qua diu conflictatus, adeo nuper potius remissius ægrotare cœpit quam revaluit, ut ego nemini mortalium omnium eum audeam præterquam mihi uni credere. Quandoquidem & rerum Medicarum periti ajunt, quod vel tacentibus illis quotidiana probant pericula, neminem in morbum nisi duplicato periculo recidere. Opinor quod priore conflictu fatigata natura minus recentes vires ad secundos congressus adfert: neque diffido tamen inveniri posse, qui sint ad salutem ejus partes suas diligenter obituri. Sed neminem usquam esse reor, cui aut penitus exploratum sit, quid ejus natura ferat postuletque, quam ego, quæ cum eo frequens & assidua semper vixi: neque qui vel minus remisse: vel magis indulgenter puerum sit curaturus, quam mater. Ad hæc Cardinalis: Nemo, inquit, ibit inficias regina clarissima neminem usquam esse, qui viva te sit accommodatior tuorum vitæ liberorum isthac præsertim ætatula moderandæ, neque Procerum quisquam est omnium, qui non ambos optet in tuis manibus oculisque potissimum enutriri, modo tu adduci posses eo in loco vivere, qui & illorum amplitudini maximè conveniat, & minimè alienus sit à dignitate tua. Sin tibi ipsi persuaseris in hoc asylo delitescendum, communi omnium sententia judicatum est, longè magis ex usu esse ducis cum rege liberum in dignitate ac splendore vivere, utriusque bono ac commodo, quam cum illius damno, hujus invidia, certe utriusque dolore miseram tecum vitam in latebris & squalore ducere. Neque enim usque adeo necesse est puerum educari à matre, ut non interdum incidat occasio, qua alibi eum ali præstet. Nam & quum olim charissimus filius tuus tunc designatus rex profecturus esset in Valliam, sui, patriæque commodi causa, procul abs te victurus memini eam rem pro egregia prudentia tua te quoq; ipsa approbante fieri. Non admodum approbante, inquit illa, neque tamen hæc causa simile quicquam habet cum illa, cum & alter tunc esset incolumis, & alter nunc infirma valetudine. Quo in statu cum sit, cur tam avide conetur eum Protector ad se trahere, nequeo equidem satis demirari. In quo si puer (absit omen verbo) citra ullam ejus culpam

culpam periret fato, facile tamen posset in suspicionem fraudis venire. Jam quod rem neque per se inhonestam, etiamsi abesset necessitas, & nunc tam necessariam ut veniam facile mereretur, etiamsi paulum ab honestate deflecteret, ille quod cuiq; proclive est orationis depravat atrocitate, dum piam hanc meam pro filio sollicitudinem tristibus verbis invadit, metumq; meum interpretatur malitiam: neque mihi natoque salutem, sed sibi & Proceribus invidiam queri. Hæc ego certe non admodum iniq; fero. Utinam non majoribus ærumnis distringerer, quam ut vacaret verbis commoveri: Neque tamen satis video, quomodo ipse secum constet: nam qui incolumia mihi simulat esse omnia, idem ægrè me retinere sustinet vel filium, & qui ubivis tutam me esse fingit, is ne ibi quidem sinit, ubi & latronibus tutum est quiescere. Nam quid iniqui habet, me si modo libera sum, ubi mihi licet, vivere: aut cur invidiosum fuerit puerulum manere cum matre? Nam quod istud minus honorabile futurum contendit tum sibi, tum Proceribus omnibus, tum ipsi denique principi: ego certe contra censeo, nemini esse non honorificum ibi ducem relinquere, potissimum ubi sit credibile habitum iri exactissimam salutis suæ rationem, quam hoc habendam loco me hic manente nemo opinor dubitat: è quo non est consilium adhuc exire, neq; in discrimen post reliquos consanguineos meos conjicere: qui utinam hic mecum essent in tuto potius, quam ipsa cum illis foris in vitæ versater periculo. Sub hæc verba: Ergo, inquit quidam ex nobilibus, qui Comes eò venerat Cardinali, nostin aliquid regina, cur eorum cuiquam debeat imminere periculum? Non cur debeat, inquit illa, ut ne cur in carcerem quidem trudi, in quem truduntur tamen. Quamobrem non est quod mirere, si metuam ne qui immerentes in vincula conjecerunt, iidem ad innocentium perniciem sint incubituri. Tum Cardinalis nutu linguacem illum admonens ut conticesceret, ac ea in re ne pergeret ulterius, mox reginam super amicorum casu solabatur, nempe excussa & cognita causa nihil fore discriminis, de seipsa vero vanissimum esse quod metuat, quippe cui neq; mali impendeat quicquam, neque intentari queat. At istud qui confidam, inquit? Num innocentiæ conscientia? quasi vero illi nocentes sint. An quod illorum inimicis sim fortasse minus invisa, quibus illi vel maxime propter me invisi sunt? An securam præstet sanguinis hæc necessitudo cum principe? Sed quoto cognationis gradu absint illi, quibus jam vides quam nihil prodest cognatio, quæ ne exitialiter obsit id mihi vel in votis est. Quamobrem & ipsa me inter hæc septa continere statui, nec filium hinc emittere, donec spes aliqua affulserit meliorum. Nam illum quo magis impense quosdam hoc agere video, ut tam levium rerum prætextu in sua potestate habeant, eo nimirum ipsa vehementius quoq; horreo à me amittere. At contra, inquit ille, quo tu regina magis pertimescis amicis eum tam propinquis credere, eo vicissim alii magis metuunt apud te relinquere, ne muliebris iste frustra conceptus timor in mentem tibi subjiciat, ut aliquo eum ableges longius. Sunt qui negant etiam fratrem jus esse tibi à rege distinendi, cum nihil ad asyli rationem faciat simplex atq; innocens ætas pueri, qui neque judicio præditus sit quo possit implorare, & malitia careat, propter quam illo posset indigere. Itaque nec infringi quidem censent hujus loci privilegium, si invitæ quoque eum tibi hinc ereptum eant, quod te obstinate commodis tuorum, refragante fortasse facturi sunt. Adeo anxius est Protector amantissimus ejus patruus, ne tu, dum vanos tibi metus fingis, animo in certam perniciem aliquo eimittas, puerum. Itane, inquit illa, adeon filium amat meum, ut nihil æque vereatur, ac ne elabatur aliquo manusque ejus evadat? timet scilicet ne emittam, hinc longius eum, quem sic affectum nec possum quidem citra salutis dispendium, cui adeo accuratè consulere me quidam non libenter videret, hinc ne eum emitterem, credo ut in dispositos in itinere calles immitterem? liceat certe, quod ad hanc rem attinet, in utramvis aurem dormiat: Nam ubi ego illum sperem tutum, si hic desperem? Estne ullus usquam locus hoc uno sanctior? cujus immunitatem nec tyrannus quisquam hactenus inventus est tam impius, qui non sit veritus violare? Atque ego certe confido divi Petri sanctissimi hujus asyli Præsidis numen, non minus potentem vindicem adversus asyli sui violatores hodieq; fore, quam olim fuit. Sed puerilis ætas privilegium non capit: pulchrè scilicet, quasi vero locus qui sontes recipit, insontes excludat. Nam quod argutatur asyli beneficio non indigere puerulum, utinam non egeret, nec egeret certe, si per se tuta esset adversus sceleratos innocentia. Adeo me Protector (qui superos precor ut Protectorem se probet) stupidam arbitratur, ut quorsum ejus phalerata tendat oratio, non sentiam? Asyli latibulum principis majestatem dedecorat, conciliat infamiam Proceribus, invidiam Principi, ex utriusque commodo esse ut conjunctim habitent, maximè cum Princeps egeat collusoris, quod ego superos omnes obtestor utrique, ut collusor obtingat felicior, quam is qui callidis consiliis prętexit tam grandibus verbis personatas ineptias, tanquam nusquam reperiri possit, qui jocetur cum principe (si modo hoc ipsi vacat) nisi frater (cui per valetudinem non lubet ludere) ex asylo, id est, extra munitiones suas, velut lusurus eliciatur. Perinde quasi pueri tantam habeant rationem majestatis ut joco sint potius quam admittant impares, aut tanquam ludere nisi cum fratribus suis non possint, quibus id ætatis pueri minus plerumque oblectantur quam alienis. Sed puer hic loci beneficium implorare non potest. Quid si implorantem audiat? Sed finge non posse, finge non velle, imo recusare, imo ut

exeat vehementer instare, tamen quisquis illum vel volentem invitæ mihi abstulerit, eum ego plane contendo sanctum hoc asylum temerare. Nisi putemus, unde sacrilegium sit æquum mihi abducere, inde fas esse abstrahi filium. Quin nisi me periti fallunt, filium cui nullum hæreditate prædium obvenit, operæ cuiquam militaris obnoxium Angliæ mea matri tuendum credunt, & quisquam hinc mihi pupillum abstrahet meum inoffensa sacri loci libertate? Quod si neque meum jus eum tueri posset, neque ille suum petere tamen cum tutela ejus ad me pertineat, quis me non videt petere ejus vice posse, nisi forte lex bonorum tantum haberi tutelam velit, non etiam corporis, cujus unius gratia curat lex (salva ut pupillo bona sint. Quod si quid ad obtinendum puero Privilegium exempla valent, haud longe petitis indigeo. Nempe hic ipse locus, in quo nunc stamus, qui nunc an puero usui esse possit disputatur, alterum olim filium meum videlicet ipsum principem & nascentem excepit, & vagientem texit, & prosperiori fortunæ (quæ nunc precor ut ei sit perpetua) conservavit. Neque enim quod omnes intelligitis, asyli nunc primum incola sum, erecto quondam è regni solio, atque exulante marito meo, gravida huc confugi, hic regem peperi, hinc reduci ac victori marito gratulatura prodii, hinc infantem filium primis parentis amplexibus obtuli. Cui nunc regnanti utinam tam tutum palatium sit quam hic locus, olim regnante hoste fuit. Quo ex loco alterum etiam filium mittere non decrevi neque cuiquam utrumque credere, illi præsertim ad quem utroque deficiente regnum successionis jure devolvetur. Nemo timores meos excutiat maternæ sollicitudinis, fas est etiam vana metuere. Quanquam ego in hac re nihil sum publica lege cautior quæ si periti vera narrant, neminem unquam admittit tutorem ejus, cujus interitu sit hæreditatem aliquanto minorem etjam regno lucraturus. Adversus quæ pericula certissimum ac prope unicum est in hujus immunitate loci præsidium è quo is quem habeo me volente non exibit, quod si quis invitæ (quod non opinor) abstraxerit ac sanctissimã asyli religionem duxerit violandam, ego superos ejus præsides obtestor idem ut asyli propediem immunitate egeat, careat facultate interceptus præoccupatusque omnium sacrarum sedium prohibeatur aditu, nam ingressum extrahi ne inimicum quidem vellem Cardinalis ubi vidit sese multum urgendo nihil promovere, sed illam magis magisque incensam. Posteriora quoque duriora jacere tristibusq; verbis fidem Protectoris invadere, quam ille quum integram crederet gravatim audit insimulari. Denique respondit, haud diutius se rem verbis extracturum si libeat illi puerum ipsis in manus dare fidem ipsos suam eum salvum & incolumem fore obstricturos. Sin retinere sciat discessuros illico nec verbum addituros amplius in eam rem, in qua vel prudentiam eorum suspectam ille vel fidem habeat. Prudentiam si rerum ignari, & minus creduli fidem si prudentes alienæ perfidiæ administri putarentur. Sub hæc regina velut deliberabunda conticuit, cui cum Cardinalis ad abeundum paratior reliquis videretur, & Protector ipse in palatio adesset cum satellitio cogitare apud animum suum cœpit palam servari filium in asylo non posse, celandi vero spem non esse subducendo illinc nihil opportunum, cum neque tempus suppeteret neque quo mitteretur provisum esset imparata omnia adeo securam nuntius hic oppresserat nihil minus cogitantem, quam in asylo inferendam vim, cujus nunc obsessos exitus omnes cernebat, nec ullam puero elabendi facultatem nisi per dispositos in insidiis milites dari aliquando contra (ut in perditissimis etiam rebus fieri solet) sperabat non esse fortassis tam inclementem patrui in nepotes animum quam ipsa concepisset, denique si non vanus ejus timor esset certe serum fore. Præterea Cardinalis animum satis exploratum habuit, nec minus compertam nobilium aliquorum, qui simul venerunt fidem quos ut verebatur, ne falli possent, ita sibi persuaserat non potuisse corrumpi. Igitur si filium omnino dimissura sit, præstare censuit sponte ut illum tradere, quam invita videretur rata fore, uti id nonnihil ad conservandum puerum curam atque industriam eorum, quibus jam tradebatur, accenderet, si ipsa sua manu filium in eorum tutelam fidemque deponeret. Producto igitur in medium & constituto coram puero: viri, inquit Clarissimi, neque adeo impudens ipsa sum vestra & prudentiæ diffidam, neque adeo suspiciosa ut de fide dubitem, cujus meæ fiduciæ id hodie documenti dabo, quod si alterutra desideretur, in vobis æternum sit mihi reique publicæ vulnus inflictum. Simul manu puerum apprehendens; En hic quem vultis, inquit, meum atque Edvardi charissimi olim regis vestri filium, quem ego non ambigo, nil nisi vobis eum credere statuissem hujus loci posse sancta religione tueri. Tamen istud etiam minus ambigo esse aliquos meo sanguini infestos, ut si quid ejus scirent sanguinis in ipsorum corporibus contineri, non cunctarentur suis ipsorum manibus exhaurire. Ad hæc periculo nostro didicimus, quam facile cognationis adfectum omnem execranda regni sitis extinguat: frater fratrem è medio tollit, liberique perpulsos regno, atque adeo ita parentes ad imperium affectant, & nepos de patruo securus est? Meorum certe liberorum alter alteri præsidium est, dum seorsim asservantur, utervis incolumis utrumque servat: eoque nihil periculosius, quam ambos uni concredere, mercator siquidem parum cautus haberi solet, qui uni naviculæ fortem semel universam committit. Tamen hunc vobis in manus do, fratremq; simul in illo utrũque vestræ committo fidei: ab iisdem utrumque rursus coram Deo atq; hominibus repetitura. Prudentię vobis multum inesse scio, fidei plurimum, opũ ac potentię satis: nec deerunt qui hac in

in causa sese libenter vobis adjungent: Unum tantum per vestram fidem, perque mariti mei memoriam, per meam erga filios sollicitudinem, atque in nos fiduciam vos obtestor, uti quemadmodum ego vobis nimium timida videor, ita ne vos vicissim plus justo securi sitis. Statimque ad puerulum versa; Vale dulcissime, inquit, fili. Superi tibi curatores adhibeant, imo ipsi curam habeant: matrem semel saltem amplectere, atque exosculare digrediens, incertus an idem unquam licebit: denuo simul os admovit ori, cum cruce eum consignans avertit sese, ploransque à plorante discessit. Quem Cardinalis, Comitesque ejus exceptum, recta in palatium, ubi Protector cum Proceribus eorum reditum operiebatur, per dispositos tota via satellitum ordines adduxerunt. Adductum Protector amplexus, atque in ulnas è terra subvehens, advenisti charissime Nepos, inquit ac Domino gratus, nimirum omnibus, mihi longe profecto gratissimus. Tum inde continuo Londinum itur ad principem: diversabatur is in Episcopi palatio, unde protinus ambo mediam per urbem celebri pompa faustis undique acclamationibus, & clamantium vota frustraturis arcem ingressi sunt, unde nunquam eos pedem retulisse constat: igitur ubi Protector utrumque puerum petitus esset, majore fiducia cum aliis aliquot, tum præcipuè Duci Bukyngamiæ, aperit sese: quenquam non ignoro multis visum totius eum consilii ab inde ab initio participem fuisse. Protectoris amici quidam Authorem etiam eum suscipiendæ rei extitisse tradunt ultro ad Glocestressem misso protinus ab Edvardi morte clandestine nuncio. Sed alii, quibus exploratius est callidum Protectoris ingeniũ, negant ante cõmunicata postrema quã priora confecisset. Cæterum conjectus in carcerem necessariis reginæ, & utrumque in filio in suas manus producto reliqua minus timide quibus res postulare videbatur aperuisse, Ducique potissimum, cujus accessione dimidia parte suas vires auctiores fere intelligebat, per homines astutos, & tractandarum rerum artifices rem insinuat. Proponitur ei cognatorum causa, Princeps iratus, etsi quando licuerit futurus ultor: qui seri dimittantur instigarent: hæsuram etenim semper carceris & vinculorum memoriam. Sin trucidentur, haud dubie mortem illorum ei curæ fore, quorum carcer dolori fuit. Ad hæc pœnitendo nihil profici, redimendæ beneficiis offensæ non relictum locum: at esse nempe facilius perditurum quam servaturum principem, quem cum fratre una cognatisque eo jam injectos videat, ubi Protector omnes posset uno nutu tollere, nec dubium sit, si quid novi moliminis intentaretur, ansurum: Quem, ut erat credibile, occultum sibi præsidium ita Duci exploratores struxisse, etsi adversaretur, insidias: idque sors es iis quos minime suspicaretur: eum nam, rerum statum, eos animorum habitus esse, ut cui confidas, quem timeas, statuere certo non possis. Talia suggerendo fatigatum Ducis animum eo perpulere, uti quam viam ingressum jam sese esse pœniteat, eadem tam pergeret: & quando semel cœperat, gnaviter usque insisteret. Itaque sceleſtissimo Protectoris consilio cum resistere non posset, Fautorem se sociumque adjunxit, malumque publicum statuit, quando nequiret corrigi, quam maxime posset in suum bonum vertere. Conventum est, ut Protector opere Ducis ad usurpandum regnum, filium quem unum habebat legitimum, cum illius filia matrimonio conjungeret. Ad hæc Herfordiæ Comitatum, quem Dux velut hęreditarium appetebat, neq; Edvardo superstite potuit obtinere perempta lite concederet. His illius postulatis Protector magnam ultro thesauri vim, regiæque suppellectilis adjecit. Igitur ubi inter eos convenit, quo magis à suis consiliis oculos animosque hominum averterent alio, quæ ad inaugurationem novi regis pertinerent, magnifico apparatu multis in speciem ne noctu quidem intermisso à labore operantibus adornabantur in eam celebritatem. Proceres per omni regni partem evocati frequentes aderant. Cæterum Protector ac Dux, ubi Cardinalem atque Cancellarium cum Eboracensi Archiepisc. Comiteq; Darbiæ atq; Eliensi præsule, nec non Hastyngo cubiculario, multisq; aliis nobilibus collocaverant de ordine, ritu ac solẽnibus insigniendi regis ceremoniis locuturos. Ipsi interim subducentes sese cum hiis quos sui propositi participes habebãt, alio in loco longe diversa tractabant. Cui consilio quanquam pauci adhibebantur, iidemque minime futiles, spargi tamen suspicio cœpit, ac mussitare populus, tanquam rebus haud diu bene permansioris: quum nec sciret quisquam aut quam ob causam, aut quo autore metueret, sive animis ingentia mala secretiore naturæ vi præsagientibus, pelagi in morem, sponte sua exæstuantis adversus instantem procellam, sive unus quispiam aliquid odoratus multos suspicione impleverat. Quanquam nonnihil ipsa res etiam quantumvis dissimulata cogitationes hominum excitavit: siquidem paulatim quisq; ab arce regia dilabi, in Protectoris aula esse, ibi frequentia, celebritasque versari silentium ac solitudo circa principem, plerisque eo divertentibus unde negotiorum expeditio sperabatur: quibusdam etiam admonitis, parum tuto regem se frequentaturos, quibus nihil necessarii negotii esset. Sic ubi multa signa concurrere, partim casu, quædam industria ad ultimum efficere, uti non plebs modo (quæ temerè quovis agitatur) sed prudentes quoque, atque aliquot etiam Proceres expergiscerentur, ac rem notarent. Hactenus tamen ut disputarent verius quã diffiderent, cæterum dubiè Comes, qui in multarum rerum usu consenuerat, providenter illa suspectans. Hastyngo, quod erant mutuo sibi secretorum conscii, compellato: Bina hæc mihi haud placent, ait, seorsim habita consilia: nempe dum nos in altero commune rem simpliciter & aperte tractamus, qui scias illi quibus de rebus in altero clandestine mussitent? Tace, inquit Hastyngus, & minime dubita, dum

unus

unus quidam illic aderit qui nunquam abest, ne verbum quidem unquam dubium si efferri posse, ut non citius ad me perferatur, quam loquenti excidat. Hæc ille de Catesbio innuebat, quo valde familiariter utebatur: neque tantum sibi de cujusquam in se amore fideque promittebat, ut cui perinde sese ratus est charum, ac devinctum sibi illum intelligebat, nempe quem opibus admodum atque autoritate promoverat, & erat qui provehi haud difficulter posset. Nam præter egregiam Britannicarum legum peritiam, accessit corporis amplitudo, & oris decor, species insignis, ut idoneus non ad agendas modo causas, sed ad magnas etiam res gerendas haberetur. Ingenii vero tanti, quantum homini tam nullius fidei non optasses: quippe cujus unius dissimulatio totam eam quæ illam consecuta est, malorum pestem conflavit. Cujus fidem nisi secutus fuisset Hastyngus, Stantlæus, comesque Darbiæ, cæterique earum partium nobiles, ad primam statim fraudis suspicionem discessissent, & discessu suo omnia eorum clandestina, & nefaria consilia turbassent. Cæterum Hastyngus dum nimium illius unius fide nititur, cęteri cunctantes perfidia illius tum demum captos se sentire cœperunt, quum tam damnare jam, non etiam vitare potuerunt. Sed & protector quoque & Dux Hastyngum mira ne quid suspicaretur mala, amicitiæ simulatione lactabant: quanquam illi creditur ex animo amatus, huic invisus, neutri ad hæc consilia commodus. Fertur Catesbius à protectore missus, ut animo ejus callide pertentato experiretur, an pertrahi quoquo pacto hominem posse ad suas partes speraret, aspera omnia & contraria retulisse. Pessimè etiam cesserat, quod Hastyngus hinc in familiari colloquio jactantia suæ fiduciæ aliorum formidines aperuerat: Veritus ergo Catesbius, ne multi contra suam simulationem movendo ac fatigando proficerent, neu consilia quæ jam prorepere videbantur, cuncta erumperent, censet maturandum facinus, occupandos dum dubitant, illum quia flecti non posset amoliendum. Quod eo suasit avidius, quum Hastyngi principatus, quo tum plurimum pollebat, in Lancastrensi comitatu sibi destinabatur. Cujus rei detestabilis ambitio Catesbium ad ineundam execrandi sceleris societatem impulerat. Igitur consultantibus paulo post in arce proceribus, quo eos protector conculcaverat, ipse serius veniens in consilium excusat tarditatem: Tum hilaris, ac prope jocanti similis accubuit protinusque in Eliensem versus Episcopum: Pater inquit, fraga tibi in hortis audio insignia nasci, non gravatim scio ferculum unum tot nobilibus in prandium, velut symbolum tuum conferes. Utinam, inquit ille, majus aliquid tam facile possim quam hoc, libenter faciam: simulque ministrum qui adferret, emittit. At protector, velut nescio quid necessariæ rei in proximo facturus cubiculo, statimque in consilium redditurus egreditur, proceribus interim tanta ejus festivitate oblectatis, quantam haud temere ante in illo viderant, simulque humanitatem benignitatemque animi laudantibus, ille non diu moratus revertitur: sed mirum quam totus ab illo mutatus, qui modo tam lætus exierat nempe nunc contra tristis, torvus obducto supercilio, corrugata fronte admorso labro, minabundus, stupentibus universis quę illum intemperies tam repente corripuisset, hoc vultu se in sellam conjiciens, ubi paululum tristi silentio pavidos expectantium animos suspendisset, in hæc verba prorupit: Quæ supplicia excogitentur illorum digna sceleribus, qui nec non sanguine modo tam propinquum principi, sed ejus, regnique hujus protectorem, impiis actibus machinantur tollere. Ad hæc verba omnes qui aderant attoniti atrocitate rei conticuere, volventes tacite secum quis tanti flagitii conscius esset: cujus sibi quisque expers esse videbatur. Sed Hastyngus, cui præsumptus in se protectoris favor animos loquendi fecit, ultima meritos exempla respondit, quicunque essent. At hujus, inquit ille, sceleris machinatrix est fratris uxor, innuebat reginam. Cui qui favebant, ad eam vocem miro pavore defigebantur. Sed Hastyngus, cui uni cædes imminebat, cœpit recreari: quum id malum, quod amicorũ cuipiam intentandum pertimuerat derivari, ad inimicam cerneret. Cæterum animo nonnihil anxio requirebat secum, cur se protector hanc rem celasset, quem conscius esset ad opprimenda regna non abhorrere, nec rationem inire poterat, cur hoc dissimulatum oportuerit apud se, cujus conscientia protector fuerat usus in captivos reginæ cognatos, ea ipsa die in quo adservabantur oppido trucidandos, videlicet haud opinantis in eandem propemodum horam sibi vicissim alio clanculario consilio constitutum necem. Interim protector: videbitis, inquit, ut hæc scelesta mihi cum uxore Shori, atque aliis præstigiatricibus fascinatum corpus magicis veneficiis exhauserit simul subducta in cubitum manica brachium profert, admodum haud dubie macilentum, sub quale tamen ab initio fuerat. Tum vero merito præter conscios cuncti expavescere, reputantes materiam tantum rixæ primum, deinde cædis quæri. Nam brachium illud macilentum probe noverant & reginam ab magicis præstigiis longe abesse, etsi minus abfuisset, Shori tamen uxorem nunquam fuisse in societatem consilii vocaturam mulierem, propter libidinem quidem famosam, à magicis artibus autem alienissimam, tum sibi maxime omnium invisam ut pellicem olim: nam & regi inprimis charam. Igitur jam Hastyngus Shoræ commemoratione perculsus (nam eam deamare ferebatur) si talia, inquit, ausæ sint, merito certe sunt puniendæ. Ad hæc ille: Quid tu mihi, inquit, si ego tibi fecisse ajo: idque si defendas, duello tecum proditor approbavero, manumque fortiter velut iratus incussit, in mensam, jamque ad ostium proditio clamabatur, simulque ad hoc intenti signum satellites irrumpentes, armis totum locum

cum complevere. Protector illico manum in Hastyngum injecta. Ego te læsæ majestatis reum facio proditor, inquit. Mene, inquit, ô protector? te (inquit) ipsum ô proditor: statimque Mideltonus quidam in Darbiæ Comitem securim libravit, sic ut nisi propere sub mensam dilapsus evitasset ictum, ad dentes usque caput fuerit divisurus, quippe quem sic quoque celeri lapsu ictum declinantem, extrema tamen acies consecuta vertici impacto vulnere totum cruore perfuderit. Inter Comitem & percussorem hunc lis de prædiis olim, atque hinc inimicitia vetus intercesserat. Nam Comes eum de possessione, vine an jure incertum invitum certe dejecerat, unde ille plus ausus, quam imperatum est in aliena causa, suo dolori serviebat. Jamque reliqui proceres episcopique comprehendebantur, & ne mutuo consultarent, alii alio amandabantur. Sed Hastyngum protector jussit ad mortem se componere, ac si quid cum sacerdote vellet, accersendum quam primum curaret, nam ita divum, inquit, Paulum propitium habeam, ut non ante cibi quicquam gustaturus sim quam tibi caput amputatum videam. Ergo ille nihil se reluctando profecturum sciens, adducto quem locus ille offerebat sacerdoti confessionem criminum qualemcunque fecit: nam prolixiorem temporis brevitas non admittebat, Protectore jam ad prandium composito, & ut caput illi præcisum esse audiret intento. Quamobrem urgente Bukyngamiæ Duce (quem ille suppliciter intuens ut sui misereretur obsecrabat) vix temere facta confessione, producitur in mediam planiciem arcis, atque ibi super trabem ædificio reparando destinatam deposita cervice, luctuosum insons vitæ finem recepit. Corpus amici cum capite Vindesoram vectum haud procul ab Eduardi charissimi sibi principis ossibus humavere operæpretium est cognoscere, quæ somnia mortem ejus præsagiata antecesserint: sive monita talia putanda sint à Deo missa, ut caveantur insidiæ, sive ineluctabilis fati prævia signa, aut anima futuri præsaga, sopitis somno sensibus, imminentia fata confusis imaginibus adumbrans, futuros rerum eventus præmonstrat corpori. Jam primum ad medium ejus noctis, quam lethalis ei dies sequebatur ab Stanleo Minister anhelus Domini sui verbis hortatur, ut se quam primum è lecto proripiens fuga inita imminenti periculo se subduceret: Nam Domino objectam per quietem terribilem, magnique mali speciem, utrique ipsorum, nisi fuga præveniretur, exitiosam, ut verebatur futuram. Visum enim aprum prostratos ambos appetere dentibus: Hastyngum repente confectum, ipsi vero sic lancinatum caput, ut sanguis ubertim in sinus efflueret. Hanc imaginem animo ejus tam altum impressisse terrorem (quum aprum recordetur Protectoris esse insigne) illi planè deliberatum sit discedere etiam ante lucem, ille itineris comes sit futurus, plus adhuc viæ priusquam desiderarentur emensuros, quam ut consequi eos si qui persequerentur, possent. Vach, inquit Hastyngus, adeone meticulosus est, uti ad vana somniorum deliramenta contremiscat, quæ vel ipsius bilis animo figurat, vel diurna cogitatione reddit dormienti? Superstitio est nimirum, propeque adeo impietas, inania isthæc nugamenta curare, quæ si futurorum omnino signa putet, cur non cogitat rata posse etiam fugiendo fieri, vel multo certe potius si retractos ex itinere (ut fugientibus nihil est fidum) jure nos aper invaserit, tanquam sceleris conscientia fugitivos. Quare aut nihil est usquam periculi, nec certe est aut illic etiam amplius. Quod si omnino sit, malo tamen aliena ut perfidia cecidisse, quam vel culpa vel ignavia nostra videamur. Proin abi, ac manendum nobis renuntia. Nam ego virum illum (quem ipse probe novit) tam certum fidumque mihi, quam dextram hanc manum habeo. Fecerit (ait ille) Deus verum istud, ut eventum comprobes: atque ita discessit. Ad cujus nuntium manente Stanleo intra decem horas proximè consequentes correpti ambo neglecto somnio, fidem fecere. Certum est quum jam in arcem tenderet, paulum abfuisse quo minus ter intra breve spatium toties offendente equo provolveretur in terram, quæ res etsi nullo die non accidat, vel equi vitio, vel insidentis incuria: tamen vetusta superstitione sic est observatum, ut denuntiare credatur grande aliquod instans in proximo infortunium. Jam quod sequitur, non tam monitio, quàm inimici ludibrium fuit. Eques quidam tum perquam tenuis fortunæ, nunc Purpuratorum facilè princeps, ad eum adhuc dormientem venit, officii simulatione comitaturus ad arcem: re autem ipsa à protectore missus, utpote gnarus exitii, ut ejus in arcem adventum acceleraret. Is restitantem in via, & cum noto sibi sacerdote, qui forte occurrerat colloquentem quasi per jocum interpellans: Quid tibi tam multa cum sacerdote, inquit, nondum enim sacerdote tibi opus est: tectè insultans brevi fore. Sed quidvis potius, quàm vanissimam hominis exitio jam proximi securitatem prætereriem. In ipso arcis vestibulo non admodum procul ab eo loco in quo caput ejus propediem esset amputandum, fortè caduceator illi obvius offertur gentilitio sibi nomine. Ad ejus occursum subiit animum illius temporis alterius recordatio, quo eidem eodem in loco similiter occurrenti dolorem ac metum suum communicaverat. Fuerat enim tum reus apud Eduardum factus, accusante Rivero Germano Reginæ, tanquam habuisset consilium de prodendo Gallis Caleto: cujus præsidii præfectus erat. Quæ tametsi (prout postea compertum est) mera esset calumnia, indignante Rivero, sibi illum in eo Magistratu Prælatum, quem velut destinatum ac promissum ipse speraverat, tum accusatoris dolo; & nocturna reginæ oratione præoccupatis Regis auribus, initio tamen sibi magno in periculo versari videbatur. Igitur ingens eum libido

nunc incessit, ibi cum illo de discrimine præterito jam atque evitato colloquendi. Ecquid Hastynge, inquit (nam id erat etiam caduceatori nomen) meministi quem olim & hoc ipso in loco sermonem contulerimus? Memini, inquit ille, admodumque certè gratulor, ab invidis intentas insidias ipsis male, tibique contra bene cessisse. Quanto magis, inquit, istud sentias, si ea scires quæ sunt adhuc mihi paucisque cognita, quæ tu quoque paulo audies posterius. Hoc de capite plectendis eo die, quos ante captos ostendimus Reginæ cognatos, intelligebat? haud quaquam gnarus quam prope cervicibus idem fatum immineret suis. Quin Superis, inquit, habeo gratias, ut nunquam æquè mihi dubiæ res ac tum fuere: ita vicissim nunquam magis certæ ac melius constitutæ fortunæ meæ quàm modo sunt. O densam mortalitatis caliginem tum demum maximè sibi tutus videbatur, quum tamen post momentum ferè temporis periit miserè. Vir celebri apud suos loco, utpote equestris ordinis, illustri & antiqua familia natus, familiæ gloriam à majoribus acceptam ipse rerum belli domique gestarum laude cumulavit. Vitæ fuit paulò remissioris, populo ob comitatem gratiosus, regi ob fidem inprimis charus, artibus & insidiis malitiosorum hominum expositus propter generosam quandam animi simplicitatem sibi præfidentem, & à dolo maximè alienam. Insidiantibus facile obnoxius, utpote ob innatam animo audaciam. Cædis hujus fama repente per urbem primum, inde quaquaversum pervolavit. Sed Protector illico ab facinore patrato, ut aliquid saltem haberet, quod regendo sceleri suo prætexeret, Præfectum urbis, ac Senatores aliquot accersiri ad se in arcem jubet, ubi venere, ostendit sibi Ducique instructas in eum diem insidias, quas ipsi quum nihil minus opinantes paulò ante prandium deprehendissent, in ipso conatu ad eas opprimendas coactos arma subito qualiacunque corripere. Ut aliquam veri speciem habere viderentur quæ dicerent, stabant ante oculos milites aliquot multo situ & rubigine loricas, prout in subito exorto tumultu fieri solet, gestantes. Cæterum deprehensis insidiis gnaviter ac strenue propulsato periculo, pluribusque conjurantium captis, ipsorum benignitatem unius Hastyngi supplicio contentam (cui parci sane maximo ipsorum periculo non posset) reliquos omnes servasse pœnitentiæ. Ad hæc illi, simulantes se credere quæ dicerentur, extollere fortitudinem, laudare clementiam, & incolumitatem gratulari, quum tacitè interim apud se facinus simul & authorem abominarentur. Protector eodem etiam commento ratus deliniendum populum, caduceatorem interea cum edicto jam olim in id parato miserat, à quo ad tubæ sonitum commota plebe, locis maxime celebribus eadem fere præconis voce prænuntiarentur. Sed addita in Hastyngum, quo supplicium ejus æquius audiretur, velut præter noxam eam flagitiosi multa consilii conatu punitum, ne quem forte tumultum ejus liberandi causa perditi, & proditionis conscientia stimulati parricidæ concitarent: quorum nunc spe merito illius supplicio providenter oppressa nihil restare periculi, quo minus omnes boni sub optimo principe quietissimè sint victuri. Jam hoc edictum, quod intra horas duas ejus nece pronunciabatur, & prolixius erat, quàm ut vel temere dictatum tam brevi temporis spatio potuerit describi, & tam ambitiose compositum, tam polite membrana descriptum, ut ne duplicato quidem temporis intervallo apparari possit: unde quivis facile persensit elaborati commenti perspicuam vanitatem, nempe quam rem videri volebant, modo primum repente comperisse, ejus rei pœnam deprehendebantur antea meditati. Sed inde protinus in Schoræ domum irruitur, extrahitur ipsa, & truditur in carcerem: direpta bona per iram scilicet, atque ad Protectorem comportata, velut in mulctam maleficii magici, cujus cum nullum in illa signum posset hærere, ne per injuriam afflicta videretur, tandem in id descenditur criminis, quod nec ipsa poterat negare, quippe quod populus tam scivit verum, quod nemo tum demum tam atrociter objectum ei non risit, nempe quod impudicitiæ nomine famosa esset: unde effecit protector, ut in divi Pauli templo magna celebritate Senatu Londinensi prodeunte supplicatum, ut nudis pedibus & cereum accensum manu gestans (qui mos est illic agentium publicam pœnitentiam) crucem & psallentium chorum præcederet. Cæterum illa vultu gressuque tam composito incedebat, & quanquam neglecto horrendoque cultu, facie tamen adeo venusta, præsertim cum decentissimam in candidas ejus genas rubedinem pudor affunderet, ut ingens illud dedecus haud parum ei laudis gratiæque conciliaverit, apud multos corporis ejus potiundi magis quàm animo servandæ cupiditatis flagrantes: quanquam & boni quoque, & quibus vitia invisa erant, misericordia illam magis quàm probro dignam censebant, reputantes Protectorem illud non tam odio vitiorum, quam scelerati consilii sui tegendi studio adductum fecisse. Hæc mulier Londini bonis prognata parentibus, bene pudiceque æducata, conjuncta est matrimonio: cætera feliciter, nisi quod nimium festinato. Nam cum virum haberet multis tum corporis tum fortunæ bonis cumulatum, animo tamen ab eo alienato vixit, quòd prius viro conjuncta foret, quam virum amare per ætatem posset: unde rejecto marito facilè regi ambienti assensum præbuit, & alioquin tanti proci splendor, & aspectus insolens viri cæteris metuendi sibi blandientis ac supplicis: ad hæc spes apparatus, & mundi muliebris conspicui: denique otii, luxus, voluptatum, facilè poterant mobilem puellæ animum impellere. Sed eam ubi rescivit conjux, rem habuisse cum Re-

ge,

ge, ut erat homo modestus, haud se tanto honore dignatus ut principis concubinam attingeret, in totum eam Regi cessit. Quanto civilior aliis, quibus haud quaquam æquum in illam jus erat. Defuncto Regi successit Hastyngus, quam etsi vivo illo adamaverat abstinuisse, tamen ferebatur sive reverentia, sive sodalitia quadam fide permotus. Erat illa insigni cutis candore, totius oris egregia specie prædita, sed oculis præsertim miræ illecebræ inerant reliquo corpori nihil quod immutari velles, nisi quis forte optasset altiorem. Nam bella fuit magis quam procera. Talem eam fuisse narrant qui illam in ipso formæ simul & ætatis flore cognoverunt. Et illa quidem etsi tanta esset oris pulchritudine, ut omnium facile ad se oculos converteret, ingenio tamen adeò festivo, ac moribus tanta comitate conditis fuit, ut magis propter morum sanitatem, quam oris pulchritudinem amanda videretur. Sermonis faciendi egregia artifex, neque silentio rustico, neque incommodicâ dicacitate notabilis. Rex siquidem cum esset solitò hilarior, interdum solebat prædicare meretrices se habere tres, diversis quamque dotibus insignes: unam lepidissimam, alteram astutissimam: tertiam vero meretricum quæ usquam essent omnium sanctissimam: ut quæ extra lectum regium non facile alibi quam in templo conspiceretur. Reliquæ haud sat compertum habeo quæ fuerint. Lætissimam hanc esse constat, quam dicimus eo nomine charissimam, qui quum alias nonnullas haberet, unam hanc præ cæteris adamavit. Quin & hæc mulier tantum abfuit ut favore principis in cujusquam abuteretur malum, ut plurimis etiam bono fuerit. Nam & offensum regis animum plerumque leniebat, invisis gratiam, delinquentibus veniam impetrabat, denique multis in magnis rebus suis magno sæpe usui erat, mercede plerumque vel nulla, vel præexigua, eaque specie magis quam pretio spectanda, sive facti sui conscientia contenta, seu bene de omnibus merendo ostendere cupiens quantæ apud principem authoritatis foret. Certum est adeò extra invidiam fuisse, ut præterquam ab una Regina, ab utraque reliqua factione mutuò sibi infesta pariter amaretur. Haud temere cuiquam illorum autoritate gratiaque inferior, qui diversis ætatibus apud suos quique principes valentes sola scelerum fama posteris inclarescunt: eo diuturniore memoria, quo deteriore: ut beneficia pulveri, mali si quid patimur, marmori insculpimus. At eadem adeò olim celebris, amicis nunc notisque omnibus superstes, annisque velut in alterum progressa seculo, deleta propemodum etiam sibi longis malis pristini luxus memoria, miseram hodie vitam mendicando sustinet: viventibus tamen ac simulantibus quibusdam, qui nunc ei fuissent adversæ fortunæ consortes, nisi res illis incolumes ipsa aliquando conservasset. Sed uti supra narrare cœpimus, eadem hora qua Londini truncatus est Hastyngus, Antonius interim Vodenilus, Reginæ frater, Richardus Grajus, quos Hamptoniæ ac Stratfordiæ comprehensos diximus ad oppidulum, quod à fracto ponte nomen accepit, capite plectebantur, curante cædem Richardo Ratelyffo Equite, cujus ministerio Protector ad ejusmodi tyrannica facinora ut plurimum utebatur, utpote valde taciturni, & multarum experti rerum: Ingenii magni, malique sermo ne rudis erat, habitu rusticus, ad quælibet atrocia facinora suscipienda princeps, ab omni aut erga homines misericordia, aut erga superos reverentia alienissimus. Is è carcere productos, ac respondere prohibitos, ne cognita eorum innocentia, Protectori conflaret invidiam, inde pravatos, inauditos, atque adeò nec accusatos quidem celeriter necandos curavit, nulla alia culpa, quam quod boni erant, aut vel minus propinqui reginæ, vel minus fideles principi. Igitur patratis rebus his, & nobilium quos maxime adversaturos putabat, necatis aliis, aliis adhuc captivis, tum reliquis ferè Londini agentibus, procul ab suis cujusque viribus, denique attonitis & perculsis omnibus, quum neq; sciret quisquam, quorsum res evaderet, aut cui consilia crederet, Protector rapiendam occasionem ratus est: unde suspensis subito pavore omnium adhuc animis, occupandam regni possessionem, priusquam rebus plenius excussis, & comunicatis consiliis in diversa discedendi spatium firmatis partium copiis esset. Cæterum in hoc hærebatur, quinam color rei tam sceleratæ prætexi posset, quo leniretur invidia. Huic consultationi plures adhibebat, quos spe præmiorum facilè ad se traductor usui sibi sperabat fore, vel viribus pollentes vel ingenio. In his Edmundum Shaum, Londini Præfectum, velut ingentium præmiorum spe solicitant: sperantes fieri commode posse, ut ille sententias confirmaret. E clero delecti, quibus apud plebem authoritas concionando quæsita fuerat: Potissimum verò Johannes Shaus, Præfecti frater, ac Pynkerus, Augustinensium fratrum in Anglia Præses. Ambo sacrarum professione literarum insignes? Ambo concionum gloria celebres. Cæterum utrique doctrina tam infra famam, quam virtus infra doctrinam. Hi sermones è suggestu accuratissimos in laudem Protectori, alter antequam Rex creatus esset, alter post regnum initum habuere, plenos adulationis intolerandæ. Pynkerus in medio orationis cursu destitutus voce descendit, populo id in superos referente, velut sacrilegæ palpationis ultores: Shaus publica omnium ignominia notatus, haud multo post vita excessit, tædio solitudinis, in quam sese pudore publici conspectus abdiderat. Sunt & qui Pynkerum negant initio propositi conscium, sed re peracta vulgato more gratiam aucupatum apud cupidum laudis principem. Cæterum ut de illo ambigitur, ita cum Shao constat usque adeò communicatum consilium, ut ei primæ etiam partes insinuandæ populo rei mandarentur. Nam ea commodissima incipiendi negotii visa est ratio, si is concione solenni proposita re,

& tractata concinnè, labefactatos animos plebis ab rege ad Protectorem pelliceret. Cæterum præcipua negotii pars in excogitanda mutandi regis cauſa verſabatur, ne tam impium conſilium impudenter expoſitum protinus exploderetur. In eam rem alia aliis conferentibus, huc denique ſumma recidit, ut perſuaderetur populo, & Eduardum ipſum, & ejus omnem ſobolem illegitimo eſſe coitu natam; ita nec illum unquam juſte regnaſſe, nec hos ei rite ſucceſſuros, ea ratione reſtare Protectorem unum regni capacem, & unicum Eboraci Ducis legitimum filium. Sed objectum Eduardo ipſi natalium vitium, fieri non potuit, quin & ipſum Protectorem perſtringeret, utpote ei cum Eduardo commune: nec ideo tamen cenſuit abſtinendum. Sed eum locum obliquo ductu, atque arte tractandum, ſic ut cum dicantur omnia, multa tamen ſupprimi viderentur: ſcilicet ne ipſius animus in matrem pius offenderetur. At illud alterum, de filiis Eduardi pro ſpuriis habendis, recta atque aperte agi placuit, & quam maximè poſſet exaggerari: atque huic rei quam falſam & olim revictam, rejectámque calumniam prætexuit, melius cognoſcetur, ſi quædam altius ab Eduardi conjugio facta repetamus. Eduardus Henrico depoſito, potitus regni, Comitem Varvici, virum opibus ſimul & populari gratia florentem legaverat in Hiſpaniam tractaturum de nuptiis cum Regis Hiſpani filia contrahendis. Sed interea forte venit ad eum Eliſabetha Graja vidua, fortunæ perquam tenuis, at materno genere nobilitatis magnæ vetuſtæque paterno impare, ſed non obſcuro. Ipſa cum in aula verſaretur Henrici Reginæ obſequens, nupſerat Grajo, eleganti quidem ac ſtrenuo, ſed honeſto magis, quam claro aut potente: nempe nullo adhuc pacis, bellive gradu inſigni. Sed eum Henricus poſtea prælium initurus adverſus Eduardum Equitem fecerat: quo ille honore haud biduum gaviſus eodem in prælio occubuit. Ergo uxor ejus, ut dixi, amiſſo viro, Henrico victo captoque, ipſa bonis omnibus exuta, relatis videlicet in Eduardi fiſcum quod maritus ejus ab adverſa parte ſteterat, cecideratque habitu lugubri & miſerabili, ac advoluta pedibus Eduardi ſupplices ei libellos porrigit: tum in ſe converſum ac reſtitantem: videns audituro ſimilem, cauſam verbis proponit, atque addit preces, uti prædia quædam haud magni cenſus ob nuptias ei pridem à marito donata reddi ſibi juberet, neque enim quæ ſua jam erant facta, ullo viri ſui crimine cadere in commiſſum potuiſſe, ut modo detur crimen eſſe, apud quem ſacramentum dixerat, in ejus fide regis ad mortem uſque manſiſſe, nec minus firmam illam, ſi fata ſervaſſent incolumem, novo regi fidem ſervaturum fuiſſe. Rex in loquentis vultum defixus, mulieris conſtantiam tanta cum modeſtia conjunctam mirabatur, orationis gratiam duplicante forma non miſereri modo ſupplicem ſuam, ſed amare quoque incipit: & modo quidem placide reſpondens bene ſperare illam jubet, brevi enim ſe de re cogniturum: ſed paulo poſt revocatam de negotio pauca præfatus facilè ſe oſtentat fore, modo illa ſeſe non difficilem præbeat: quin ultro plura daturum, ſi ea viciſſim paululum ei quiddam gratificaretur. Illa quamdiu per ambiguam regis orationem licuit, diſſimulare, ſcire ſe quid ille vellet: Interim reſpondere benigne & circumſpecte omnia, nec abſque honeſti cautione promittit. Sed ubi remotis ambagibus ad inhoneſta ſollicitari vidit, tum verò apertè reſiſtere: verum ſic compoſito & temperato ſermone, ut cupiditatem ejus incenderet magis quam leniret: quam cum vehementius accenſam viderit quam ut facilè poſſet extingui, modo infamiam, modo culpæ conſcientiam prætendant, orabat, uti fruſtra niti deſiſteret. Ipſam enim etſi minus dignam exiſtimaret, quæ fieret uxor regis, digniorem tamen ſe, quàm ut concubina ejus fieri vellet cenſere. Regi haud quaquam antè ſueto tam obſtinate repelli, nova illa conſtantia fuit admirationi, qui tam raram caſtitatem cum eximia venuſtate conjunctam maximarum opum loco ponens, ab amore conſilium mutuatus, primo quoque tempore eam ſibi uxorem ducendam conſtituit. Itaque re animo ejus altius impreſſa, quam ut ullo conſilio evelli poſſet, ne tamen videretur cupiditatem magis ſuam quam ſuorum conſilium ſecutus cum amicis deliberat, qui facilè cernentes in quam partem Regis animus propenderet, certatim approbant. Cæterum mater ejus adeo rem ægrè tulit, ut diſſuadendo vix temperarit jurgiis, honorificentius illum utiliusque rebus conſulturum ſuis haud ſatis adhuc domi pacatis, ſi externum ſibi Regem affinitate conglutinet. Inde non præſidium tantum ſtabiliendo regno, ſed augendæ præterea ditionis ſpem eſſe. Nam iſtud, inquit, conjugium haud quaquam ſane regium, fuerit, ut ſi quiſpiam paulò ditior ancillam depereat ſuam ſibique adſciſcat in ſociam, quod quoties accidit, etiam qui connubium puellæ gratulantur, tamen delirum dominum irrident, quanquam haud ita longe ſupra conditionem virginis quàm hujus humilitas viduæ infrà tuæ Majeſtatis eminentiam ſubſidit, in cujus corpore, indoleve animi ut nihil improbo, ita nihil tam eximium eſſe contenderem idem, ut non aliis etiam ſuperſit, quæ tibi multis præterea modis congruerent magis. Incommode certe junguntur imparia nec unquam coaleſcunt bene quæ valde diſſident. Manca ſunt & imperfecta ſemper diſparibus nata parentibus. Suſtinere potes, ut huic florentiſſimo quod obtines regno progeneres Ibridas ac degeneres regulos? & tuus ſanguis Graji filiis ut fratres generet? Certè ſi illa tibi alioqui conveniret maxime, qua nunc nihil convenit minus, tamen ſacroſanctam Majeſtatem principis quem æque deceat ſacerdoti puritatem

ritatem parem esse ac dignitate proximè accedit, haud quaquam censeam statim primo conjugio indelebili bigamiæ labe polluendam. Quid quod tractando alibi matrimonio longius progressus es, quàm unde regredi non inhoneste queas, fortasse nec tuto quidem, quippe legato in id Varnice Comite viro totius regni tui secundum te potentissimo, qui nec frustrari labores suos & eludi quæ firmavit, indoleat, non satis æstimare te video quàm valde tuarum rerum interfuerit. At Rex quanquam libenter optabat quam sibi ipse delegisset matri quoque probari, tamen ut ut illa rem acciperet, cum quid facturus esset, apud se constituisset, multa serio, quædam joco respondit, ut qui solutum sese materna curatione meminisset. Tametsi matrimonium divina quædam res, inquit, virtutis ergo contrahi non opulentiæ debeat. Deo videlicet amorem fidemque mutuam inspirante conjugibus, quod ego certe nobis contigisse confido, tamen hoc meum conjugium si quis vel crassius æstimet vulgato more hominum sanctis utilia præferentium, is ipse ni fallor inveniet illud non usque adeo incommodum. Nam ego certe nullius amorem populi potiorem duco mihi, quàm mei, cui haud paulò chariorem ita me spero fore, si conjugium mearum non videar aspernari. Externorum verò necessitudines principum, quas maternus affectus tuus potissimum censet ambiendas, unde nos malorum sæpe flumen erupisse vidimus, tamen licebit adjungere, minore cum damno meo, si qui meorum fortè sustineant eum incognitis copulari. Nam ipse certè nec ducere possum quam non amo, nec adamare quam non video, nec sat consultum arbitror futuri incrementi spe quod promittunt quàm præstant sæpius externa matrimonia, præsentium bonorum fructum corrumpere, quorum quis esse sensus potest eam habenti perpetuam vitæ sociam, quam non libenter aspicias. Quin accedere mihi uxoris nomine in ulteriore ditione novos titulos ne optarim quidem, quippe cui jam nunc tantum terræ marisque debetur, quantum adferre fideliter tuerique satis nimirum unicuipiam superque fuerit. At sunt ubique nonnullæ quæ huic meæ nulla corporis aut animi dote cesserint, multis exuperant etiam, istud ego neque hercle inficior neque prohibeo sane quo minus eas hi quibus sic videntur, fruantur: eoque contra injurium est ægrè cuiquam esse meo meoque genio obsequi. Nec Varnici Comitem quem vel utcunque animatum non tam valde formido, tamen haud tam adverso in me animo reor id illi ut doleat quòd mihi sentit lubere, neque tam iniquum ut postulet in delegenda conjuge ejus me potius oculis regi quàm meis, perinde ac pupillus adhuc sim, à cujus conjugio requiratur tutoris authoritas, quin dispeream in privatis esse liber, quàm rex hac servitute vellem, uxor ut invito mihi alieno arbitratu obtruderetur. Jam bigamiæ labes illa quam tu charissima mater sæverioribus verbis impetere videris non me tam valde multum territat, objiciat hanc mihi patriæ ponticulus ambienti forte sacerdotium, nam administrando quantum nemini, regno non officit. Denique quod habet ex priore matrimonio liberos, id ego per gratias etiam in lucro pono, quin mihi quoque cælibi adhuc non desunt aliquot. Ita mutuò probamentum dedimus nuptias nobis non infœcundas fore. Quamobrem conjugium hoc quod ipse mihi Superis aspirantibus delegi, tu quoque dulcissima genitrix approba, idemque nobis ut feliciter cedat, faustis comprecationibus tuis adnitere, quæ si pergas in præsens adversari nascetur, hinc brevi nepotulus tibi qui nobis te blanditiis suis conciliet. Tamen mater ubi regis animum vidit inflexibilem, ipsa contra fit obstinatior, & dolore spreti consilii sui magis succensa novam ingreditur viam ad disturbandas nuptias. Erat Elisabetha quædam gentilitio nomine Lucia, puella nec ignobilis & egregia forma. Eam forte virginem rex corrupit. Igitur ubi nuptiarum appetebat dies, & pro more populus admoneretur, ne si quis obicem sciret eludi sacramentum, pateretur mater ejus velut exolutura sese pollutorum religione sacrorum, deflet Luciam filio vere uxorem esse, data fide & firmata concubitu. Igitur seu non ausis progredi Pontificibus, sive nolente rege nuptias suas adverso rumore conspergi, cui materna pietas authoritatem pondusque tribueret. Interea restitum est quoad cognita re, falsitas ejus famæ revinceretur. Accersita Lucia quanquam occultis instructa consiliis, ostentata spe uxorem se regi fore, modo fidem conjugii sibi à Rege datam constanter affirmet, cùm tamen proposito juramento super ea re in judicio interrogaretur, fatetur nullo conjugii promisso regem obstrictum. Cæterum amoris præ se tulisse tantum ut ipsa suum obsequium speraverit consecuturas nuptias. Alioqui nunquam concubitum ejus fuisse passuram. Comperta ergo & denuntiata falsitate commenti matrimonii, Elisabetham Grajam ducit Rex sibique in Reginam sociat hostis paulo prius uxorem. Sed Comes Varvicensis reversus adeò ægrè tulit illusam legationem suam ut coacta manu regem in exilium expulerit, è carcere restituto in regnum Henrico quem Eduardus ipsius ope Varvici deposuerat. Tantus ille vir fuit & reliquis opibus & populari gratia ut ab utra parte stetisset in eam nimirum regni gubernacula inclinarent potens & sibi sumere nisi honorificentius multo duxisset, reges creare quàm regnare. Sed immodica potentia raro perpetua. Siquidem Eduardus cum biennium abfuisset, regina interea in asylo memorato enixa principem haud quaquam pari manu cum Varvicensi congressus apud Bernettum decem ab Londino millibus capto rursus Henrico, comiteq; magna utriusq; partis strage occiso, regnum in sua domo sic constabilivit, ut concuti nisi domestico

dissidio & intestina fraude non posset. Hæc, ut fors narrata verbosius, ita prætermitti prorsus haud decuerat, ne Protector ignoraretur Eduardi filiis natalium vitium objecturus nihil reperisse quod illius matrimonio objiceret præter excussam olim & antiquatam calumniam. Cæterum id commentum quamlibet frigidum illi placuit cui satis erat aliquid dici, nimirum securo certoque probationes ab se non exigendas. Igitur postquam initium insinuandæ populo rei Shao decretum est, hactenus ut Eduardo, fratreque ejus, Clarentiæ totaque Eduardi sobole spuriis declaratis, Protectoris ad regnum jus ostenderet; taceret voluntatem. Is è suggestu dominico die proximo ad ædem Pauli frequentissimo auditorio, quod ejus fama viri contraxerat, hoc themate sermonem exorsus est. Spuria vitulamina non agent radices altas, inde præfatus infundi atque inspirari, semperque contracto rite matrimonio, propriam quandam ac peculiarem gratiam, quæ in sobolem sancte conceptam derivetur, qua plerumque deficerentur hii qui vago vel adulterino concubitu nati, parentum crimen pravitate sua testentur usque adeo ut si qui materna fraude celato originis vitio supplantatis veris hæredibus, alieni patris fortunas invaserint, atque occuparint ad tempus, ita tum rem disponente Deo, erumpente brevi veritate, restitui legitimos successores & geminos reddi suæ terræ succulos, deprehenso ac revulso vitulamine spurio priusquam altius agat radices. Hæc ubi vetustis aliquot confirmasset exemplis, protinus in laudes divertit Richardi nuper Eboraci Ducis eum subinde vocans patrem Protectoris, tum admonito populo successionem regni perpetuam Senatusconsulto ac scito plebis ejus unius, deinceps stirpi decretam ostendit. Eduardum contra jus ac phas Reginæ copulatum, superstite Lucia vera ejus & indubitata conjuge etenim contracto cum ea virgine matrimonio, tum (suscepta etiam sobole) consummato, supervenientes forma viduæ transversum actum, fidem libidine posteriorem habuisse, sic nullam ejus sobolem regni capacem esse. Hunc locum egit magna contentione, non signis modo & suspicionibus, sed nominatis etiam falso testibus. Addit non ignarum se quanto cum periculo dicat, sed ex eo loco loquentibus, in quo ipse stabat veritatem habendam, vita quoque ipsa potiorem, sibi Johannem Baptistam authorem esse contemnendæ necis, dum illicita regum conjugia redarguat, nec tum admodum mirari se Eduardum nihil habuisse pensi legitimosne an spurios relinqueret, quippe nec ipsum, nec fratrem ejus Clarentiæ Ducem satis certo natos patre, ut qui notos quosdam homines è familiaribus Eboraci Ducis magis oris specie referrent, quam ipsum Ducem. A cujus etiam generosa indole dicebat Eduardum longe degenerasse. Cæterum Protectorem virum omnium quos sustineret terra clarissimum non vita modo, sed vultu quoque ipso patrem referre. Hic est, inquit, unus atque unicus Eboraci Ducis, verus & indubitatus filius, hæc illius viri nota facies, hæc certa forma, atque ipsa charissimi Ducis pectoribus adhuc vestris observantis effigies. Sed antea jam convenerat, ut dum hæc verba dicebantur, Protector interveniret; ita fore ut putetur eam Concionator haud humano consilio, sed divino quopiam afflatus numine protulisse; tum ut ea re permotus populus, Richardum Regem illicet ingeminaret, sic visum iri posteris divinitus in regem illum quasique miraculo delectum. Verum id consilium sive negligentia Protectoris, sive nimia Concionatoris diligentia longè aliter cecidit atque constitutum est, nam dum uterque metuit, ne superventus ejus illa verba in quæ debebat incidere, præveniret, altero moras in via nectente, alter ita dicendo festinaverat, ut eo loco toto perorato in alias res, neque similes, neque affines ei descenderit quum jam Protector transiret. At Concionator ubi conspicatur ingressum, relicta ea re quam tum tractare cœperat, repente velut attonitus nullo ductu ordineve, sed ineptissimo recursu illa verba repetit denuo. Hic est unus atque unicus Eboraci Ducis verus & indubitatus filius, & quæ sequuntur. Inter quæ verba Protector comitante Bukyngamiæ Duce ad locum in quo reliquum sermonem audiret per medium incedebat populum. Sed illi tam longe aberant, ut illam regis nomine publico clamore salutarent, ut attoniti perstarent immobiles, stupore tam pudendæ concionis. Cujus author postea quum amicum quendam rogasset, quidnam de se sentirent ac loquerentur homines, quanquam satis è sua conscientia intelligebat nihil boni, tum ubi omnia sinistra accepit ita perculsus est, ut paucis post diebus mœrore contabuerit. Sed quoniam quod tam audacter jam cœptum erat pari audacia urgendum videbatur, uno tantum die post eum sermonem interposito Bukyngamiæ Dux nobilium atque equitum non exiguo comitatu stipatus plurium fortasse quàm sciretur quid ageretur Londini in curiam venit, locum & elegantem & maximæ turbæ capacem tum convocato in curiam populo dux ex editiore loco, septus nobilibus & Senatu Londinensi, paulum promovens sese, ut erat neque prorsus illiteratus, & suapte natura facundus hujuscemodi verba fertur habuisse. Amor vestri, viri Londinenses, effecit uti nos quales enim sumus, cognoscitis, huc veniremus ad vos de re inprimis magna relaturi, nec magis magna quàm omnibus utili, neque cuiquam utiliore quam vobis: Etenim quam rem diu maximis votis optastis, magnoque redimere voluistis, eam nunc ultro vobis nos afferimus nullo discrimine vestro, labore nullo, nec ullo prorsus impendio. Quæritis ea quæ sit? corporum certè vestrorum securitas, uxorum filiarumque inoppugnata pudicitia, bonaque vestra certa vobis atque ab insidiis tuta, quorum omnium quid

jam

jam diu fuit quod vocare suum quisquam certo poterat, tot intentatis laqueis atque extructis decipulis, exactis præterea tam multis magnisque nullo non anno tributis, quorum ne tum quidem finis erat, cum nec regi qua de re exigeret causa, vel populo unde exolveret facultatum quicquam relictum esset. Sic bonis indies abradebatur, ut effunderetur in improbos. Quæ calamitas eò processerat, ut jam ne consuetæ quidem tributorum formæ sufficerent, sed benevolentiæ plausibile & populare nomen meris rapinis obtrudebatur. Nam quæstores à quoque non quantum ille sponte sua dedisset, sed quantum ipsis collibuisset auferebant, tanquam populus in concedendo tributo, vocabulum benevolentiæ ad ipsius voluntatem regis ad suam cujusque bonam retulisset. At ille nunquam mediocri quæstu contentus, omnem corradendi prætextum ad summum usque intenderat. Itaque delicta non sua natura, sed opibus peccantis æstimata sunt. Sic minimis quibusque offensis maximæ indictæ mulctæ, quin linguæ lapsus interdum totis locupletum fortunis redimebatur, aut ut iræ magis quàm avaritiæ servitum videretur, luebatur morte, dum levi cuique culpæ prætenditur læsæ majestatis atrox nomen. Quarum rerum nemo est opinor vestrum, à me qui exempla exigat, tanquam vobis Burdeti nomen exciderit hominis optimi ob solum verbum quod inter pocula temere exciderat trucidati crudeliter, legibus libidini principis, veluti obtorto collo servire coactis non minore Markami gloria, qui judicum primus quum esset, adempto ob idipsum magistratu, quàm æterno illorum dedecore judicum qui restabant, ut metu vel adulatione corrupti innocentem hominem ipsorum fidei religionique commissum prava legum interpretatione jugularent. Quin de Thoma Coco loquar equite civeque vestro, sed qualem perpaucæ civitates habent, qui omnes apud vos honores & ordines rite consecutus est, & magnifice gessit. Qui vestrum est aut tam rerum negligens omnium ut non cognoverit, aut tam obliviosus ut non meminerit, aut tam durus ut non ingemiscat ejus viri damno, quid damnum dico, calamitati, spoliis, atque ex tantis opibus non ægestati modo, sed nuditati quoque, non aliam ob causam quàm quòd eum amari contigit ab illis quibus Rex infensus erat? Sed quis finis erit, si viritim recenseam, quum nemo sit ex hac tanta frequentia, qui non aut suorum periculo sit expertus, aut suo, familias totas in ultimum discrimen adductas, causa plerumque nulla aut admodum ex sese levi atrocibus subnixa nominibus. Quin nullum tam capitale fuit, in quod per meram calumniam facile non impingeretur. Nam quum rex præveniens legitimum regnandi tempus sceptrum vendicaret bello, maximi piaculi loco habebatur in divitem, illi cognatum, affinem, necessarium, amicum, familiarem vel notum fere unquam fuisse aliquem, quem Rex aliquando pro hoste habuerat, qui aliis atque aliis temporibus adversariam sibi plusquam dimidiam partem regni sui effecerat. Hoc pacto dum bonis vestris tendebantur insidiæ, corpora simul in periculum veniebant. Atque hæc quidem pacis tempore gerebantur, quid de his ærumnis dicam quæ ex bellicis tumultibus, velut è fonte malorum omnium in vestram Rempubl. profluxerunt: quæ bella ut semper sunt funesta, ita tum demum funestissima cum sunt civilia, nec certe usquam gentium infestius, aut acerbius civilibus armis certatum est, quàm illo Duce & principe apud nos, qui dum invadit regnum, dum tuetur, dum ejicitur, dum redit ac recuperat rursus, dum depulsores suos ulciscitur, tantum Anglici sanguinis exhaustum est, quanto non olim stetit bis subjugata Gallia. Ita populus imminutus aut oppressus est, nobilium verò ac Procerum quota pars relicta est? Denique alterius dum pecunia petebatur, alterius formidabatur potentia, neutra pars tuta aut quieta fuit. Et quem non infestum sibi timebat, cui formidolosus erat etiam frater, cui pepercisset qui germanum sustulit, aut quis amare potuisset eum, si istud potuit ne frater quidem? Jam quis hoc ferat, quod nemo tamen ignorat, uxorem Shori tam vile scortum plus apud principem quàm omnes regni sui nobiles valuisse, quin ex ipsis quosdam magnis in rebus suis usos meretriculæ necessario magis, quàm honesto patrocinio? Quanquam ea satis pudice vixisse fertur, quoad improba libido principis viro eam suo abstulisset, civi nimirum vestro neque inopi, & indolis ac spei bonæ. Cæterum hac in re de qua libentius in defuncti reverentiam supersederem dicere, nisi frustra taceretur quod omnes norunt, adeò insatiabili cupiditate flagravit, ut vitæ ejus pars nulla minus ferenda videretur. Neque enim ulla fuit unquam neque tam humilis, neque tam potens virgo, matrona, vidua, in quam semel oculum defixisset, quæ modo forma, vultu, voce, gestu, denique ulla corporis parte placuisset ei, quam non ille statim nullo Dei metu, nulla retardatus infamia persequeretur, urgeret, opprimeret, irreparabili damno mulctarum ipsarum, nec minore cum luctu & dolore virorum, parentum, & si quid cuique erat amicorum reliquum, qui cum suapte sint honesti, tam charam habent uxorum castitatem, honestatemque familiæ, ut quamvis potius jacturam ferre, quàm talem contumeliam queant. At licet his atque id genus aliis miseriis, undique regnum mire premeretur, vos tamen vel inprimis earum participes fuistis, cum quod non alibi tam copiosè exuberat injuriarum materia, tum quod eratis ut plurimum proximi. Maximam enim anni partem haud longè discedebat ab urbe. Et tamen vos estis hi, quos præcipuè fovere justissimis de causis debuerat, non ideo modo quod

quòd ab hac civitate maximè totius regni celebri multum apud exteros omnes inclitæ famæ accedit principi, sed quod magno cum impendio, periculoque vestro in rebus ejus prosperis, adversisque omnibus amicissimos animos, eximiam fidem, singularem semper operam præstitistis. Cui tam pio affectui vestro in Eboracensem domum, quum is qui maxime debebat, minimè sese gratum gesserit, restat nunc saltem qui superis annuentibus faciat diligentius. Quod ipsum ne nesciretis, ea demum totius hujus nostri ad vos negotii causa est. Quam dum exponimus, quæso ut cœpistis attendite. Non est opus satis scio, eadem ut ipse recenseam denuo, quæ tam nuper Doctor Schauus exposuit è suggestu vobis, vir ut longè facundior, sic Author longe certe quam sum ego gravior. Neque enim mihi tantum ipsi arrogo, ut mea perinde valere verba postulem, atque ejus, qui ipsum Dei verbum prædicat populo, præsertim tam prudentis, ut melius nemo quid sit dicendum, intelligat. Porrò tam religiosè, ut certum sit, nihil eum contra suasurum quàm sentiat, ex eo præsertim loco, quem nemo bonus unquam mentiturus ascendit. Igitur ab hoc tali ac tanto viro didicistis, hujus administrandi regni jus Richardo Glocestriæ Duci potentissimo, atque omni virtutum genere florentissimo deberi, nempe quum patri suo clarissimo Duci, cujus sanguine lata lege regnum firmatum est, is nunc superstit unus, qui ritè queat succedere, cum ob illegitimas Eduardi nuptias, quibus nullam potuit sobolem nisi spuriam gignere, tum aliam ob causam, quam ut ille significavit potius quam explanavit: ita & ego intactam modo prætereo, adductus pudore ac reverentia Protectoris adeò in matrem etiam talem retinentis pietatem, ut gravatim in eam sinistri quicquam ferat etiam cum bono publico dici. Eas ergo res cum & Proceres & bona ex parte populus perpendissent, & simul animadvertissent non bellicas modo virtutes, sed omnes prætерea moderando imperio appositas artes in unum hunc virum ita divinitus collatas esse, ut solus ad regnum natus videri possit, haud ferentes amplius spuria sobole regi sese, nec tam acerba mala diutius inveterascere, magno decrevere consensu supplicare Protectori, atque ejus obsecrare clementiam, ne ipsorum respuat preces, neve in se recuset onus administrandi regni suscipere, quod non è jure magis suo quam Reipublicæ fecerit commodo. Sed eam rem dubio procul haud libenter admittet. Qui gnarus pro sapientia sua perpendat facilè, quanto plus curarum quàm commodi secum ferat imperium, præsertim ei, qui sic decernat gerere, quemadmodum illum sat scio gesturum si ceperit. Quod ego munus prædico vobis haud quaquam puerilis esse ingenii, idque ipsum certè sensit sapiens ille, qui dixit: Væ regno cujus Rex puer est, eoque magis & vestræ fortunæ gratulandum, & superis habenda est gratia, quorum benignitate provisum est, ut is quem ipsi regno destinaverunt non ætatis modo maturæ sit, verum admirabilem quoque prudentiam, magna cum rerum usu ac summa domi forisque parta virtute, gloria conjunxerit. Qui tametsi tantum onus ut dixi, gravatim sit in se suscepturus, tamen eo ut speramus adduci posse facilius, si vos quoque cives honestissimi, civitatis hujus regni longe clarissimæ statueritis nostris in hac re postulatis vestras preces adjungere. Quod vos ut faciatis, quanquam pro sapientia vestra non exiguam spem concepimus, tamen etiam vehementer oramus, idque eo certè confidentius, quod præter has nostras preces (quas ipsas quoque pro nostro in vos studio nonnihil habituras momenti credimus) non toti modo in publicum regno profueritis tali deligendo principe, sed vobis quoque seorsum ipsis egregiè commodabitis, quorum ille officiis imperium semper acceptum feret. Hæc Dux quum dixisset, expectavit protinus, ut manibus pedibusque undique illi applauderetur, utque Richardus una omnium voce rex salutaretur. Sed contra tantam suam spem cum altum undecunque silentium animadverteret, propius insusurrans præfecto: Quid sibi hic habitus vult, inquit. Opinor, inquit ille, non satis exauditam illis orationem tuam. Id quidem, inquit Dux, corrigetur facilè: statimque aliquanto contentiore voce quàm antea eadem aliis verbis, alio rursus ordine repetebat: verum adeò dilucidè ornateque, voce, vultu, gestu tam accommodo, ut quisquis aderat, fateretur facilè nunquam ante audivisse se tam malam causam tam bene peroratam. Cæterum sive admiratione, sive metu attoniti, seu quod alium quisque loquendi ducem sequi, quàm ipse præire malebat, omnes ex æquo tacebant. Præfectus igitur ea in re nonnihil & ipse perturbatus, in unum se cum Duce, & consciis quibusdam colligens, negavit moris esse quidquam proponi civibus alterius, quàm recordatoris voce. Inde natam fortasse taciturnitatem, ne quid suas consuetudines immutare viderentur. Appellant recordatorem Londinenses ibi eum, qui præfecti assessor est eruditus patriis legibus, ne quid in reddendis judiciis, imperitia peccetur. Id munus recens inierat Wilmansonus quidam, vir honestus & gravis, quem, quum haud unquam adhuc allocutus populum fuerat, malè urebat tam inauspicatum initium. Cæterum jussus dicere, malum sibi metuens, si recusaret, eadem etiam ipse proposuit denuo, sed ita sermonem temperans, ut Ducis omnia verbis acciperentur dicta, non suis. Sed nihilo secius durabat idem populi status, non aliter quàm sileri concubia nocte solet, obticentis, vultuque adeo immobili, nullo ut signo prorsus ullum animi sui sensum præ se ferrent. At Dux nonnihil offensus quod ejus orationem tam adversis auribus animisque excepissent, conversus ad præfectum: Quid sibi vult, inquit, silentium istud tam contumax, statimque

que ad turbam respiciens: Viri Londinenses, inquit, nos ea de re ad vos relaturi venimus, quam in rem neque auxilio admodum vestro, neque consilio egebamus. Poteramus enim proceres & reliquus regni populus suffecisse deligendo principi, nisi noster in vos amor suasisset, ne vos ab ejus tractatu rei excluderemus, in quam adscitos ac socios esse vestrarum, tam valde rerum, ut nullius æquè retulerit. Hunc animum nostrum vos aut parum cernere, aut parvi pendere videmini, quem ne responso quidem dignum censuistis. Quin uno saltem verbo respondeatis, potentissimum Glomcestriæ Ducem, quem cæteri alioquin omnes Proceres, populusque delecturi sunt, vos ne in Regem adsciscì vultis, an non? Responso namque in utramvis partem dato discedemus, haud amplius molesti vobis hac de re futuri. Ad hunc sermonem excitatus aliquantum populus, mussitare inter se, & audiri sonus magis quàm verba, qualis ex alveo redditur emigraturis apibus, quoad ex ultima parte curiæ, qua se ministri quidam Nashefeldi hujus consilii participis conglobaverant à tergo, repentè clamor tollitur, Richarde Rex ingeminantium. Cives retro cervices admirabundi flectere. Sed clamantibus adjungunt sese famuli quidam nulla Richardi cura, ut in turba fit, ac pueri læti novandis quomodocunque rebus. Sed Dux tametsi displicebat illud, quod nullum honestum civem in ea parte videbat, factum tamen comodè pro se invertens, indicto rursus silentio jucundissimum illum clamorem dicit animi in designandum Regem, adeoque alacris in unum consentientis, ut ne quidem sit auditus, qui contra dixerit, quem tam eximium affectum vestrum nos, cum erit opportunum, sic faciemus, ut audiat, idem ut vobis haud dubie in magnum aliquando bonum vertat. Sed interim vos oramus, ut crastina die pariter omnes majestatem ejus adeamus rogaturi, quod vos el tanto cum consensu detulistis, idem ut suo consensu habeat ratum. His dictis descendit ipse, cæteri discedunt: pars apertè mœsti, multi simulata lætitia, nec deerant ex ipsis ducis comitibus, qui quum premere mœstitiam, quam non audebant ostendere, non poterant, vertere in parietem vultus coacti sunt, dum animi dolorem per lachrymas egererent.

Igitur postridie nobiles, civesque magna frequentia adeunt Protectorem, qui Londini diversabatur, missus intro nuntius, ait: Proceres omnes Senatum, populumque Londinensem pro foribus esse, qui ejus expetant expectentque colloquium. Sed is primo dubitat progredi, incertus quid sibi vellet ea turba, quæ sic superveniret inopinanti. Hanc Protectoris cunctationem Dux ad se allatam ostentat cæteris, uti scirent quam longe adhuc abesset Protector ab hujus cogitatione propositi.

Cæterum remisso nuntio, magnis obsecrant precibus admitti, adferre ea quæ nisi apud ipsum non sunt prolaturi. Prodit ergo tandem, nec adhuc tamen planè se illis credit: verum ex ambulacro superne despiciens accipit & reddit sermonem. Tacentibus igitur universis, Dux ab equo sublimis, primum petit uti liceret ipsis quæ vellent libere citra ullam ejus offensam proloqui, quanquam enim nihil meditarentur, unde non & illi decus & regno commodum proveniret, tamen quum incertum sit quam in partem illius amplitudo esset acceptura, nihil ipsos nisi impetrata venia locuturos. Ad hæc Protector, ut erat in tali re perquam benignus, atque affabilis, tum cui mirus ardor inerat cognoscendi qui vellent, annuit, atque hortatur, ne dubitent, quicquid decrevissent edicere, sibi verò animi in eos sui conscientia persuasum nihil in se quenquam cogitare, quod non gratia magis sit, quàm vènia dignum. Igitur Dux ea demum Protectoris oratione securus, ausus est rem cum suis causis exponere, tandemque immensam ejus implorare clementiam, ne regnum tam diu tot intolerandis malis afflictum negligeret, Proceres, populumque ipsius advolutum pedibus pro consueta ejus benignitate respiceret, procumbenti in se unum patriæ subjiceret humeros, rempublicam prope dirutam ac proculcatam erigeret, manus sceptro tandem velut temoni navis diu sine perito gubernatore fluitantis apponeret, caputque illud venerandum pateretur onerari diademate, neque adeò dominationis tempestates horreret, neque delectetur immodesta modestia, ut suæ quietis causa, neglecto otio publico, regnum sibi humano jure debitum, ab superis illi destinatum defugeret; è quo tanto plus honoris ferret ac minus solicitudinis, quanto populo imperaret ipsius amanti & illius imperio subesse cupidissimo. Protector ubi verba Ducis accepit, vultu haudquaquam annuente respondit, quòd nec ipse nesciret vera esse quæ ille retulisset, se tamen eo fuisse affectu in fratrem, eo in liberos ejus esse, ad hæc tantam habere honoris sui rationem, quam tribus etiam coronis anteferret, ut inducere in animum non posset, illorum postulatis satisfacere. Nempe exteras gentes, quibus res quo pacto gereretur minus compertum foret, ex aliorum cupiditate ipsum quoque æstimaturas, ita suam famam venturam in periculum, quasi regnum non jure debitum per injuriam occuparet. Sed tamen se non modo eorum postulatis ignoscere, verum etiam voluntatibus egregie in se propensis habere, habiturumque gratias. Cæterum orare vel sua causa, quem in se animum gererent eum totum consignarent Principi, cui ipse parêre quam regnare mallet, nec tamen operam consiliumque suum, quatenus Regi libuerit uti, defuturam nunquam Reipublicæ, quam etiam nonnihil exiguo suæ procurationis tempore (quod Deo non sibi referebat acceptum) sublevasset, vel eo præcipuè quòd improbos quorundam conatus, qui eam perturbassent antea, quo minus iterum vexarent, ipse sua partim industria, sed plurimum divina providentia compressisset. Tum Dux habito paulisper cum suis colloquio, rursus ostendit rem ejusmodi esse quam incœpissent,

pissent, ut etiam si esset integra, tamen vellent eam magnis de causis aggredi, nunc vero longius progressos quàm unde sit regrediendum. Denique patribus populoque certum, non passuros amplius spuriis Eduardi liberis subjici sese. Proinde si delatum ultro non aspernetur imperium, unum esse ipsum omnibus omnium votis expetitum Principem. Sin omnino definitè respondeat se non suscepturum, facilè ipsos inventuros quempiam, cui respublica curæ sit. Hæc verba Richardi animum tam valde à regno abhorrentem sola flexere, cogitatis si recusaret ipse, nepotem nihilo tamen magis regnaturum. Igitur ego, ut, inquit, doleo animo tam obfirmato decretum vobis Regem hunc non ferre diutius, sic invitos vos à quoquam regi neque posse video, neque fas esse sentio. Certè quod ad me attinet, quanquam alium neminem esse scio, cui regnum hæreditate jure debeatur, pluris tamen has voluntates vestras, quàm omnes leges, quarum vis omnis à vobis pendet, facio: quorum quoniam tam conspirantem in me consensum perspicio, ne vel parum fortis videar in capessenda Republica, vel vestram in me benevolentiam non agnoscere. En hic in me hodierno die procurationem utriusque regni. Angliæ, Galliæque suscipio. Alterum ut defendam & amplificem: Alterum, ut vobis subjiciam, atque in potestatem vestram reducam: nempe administrationem eorum duntaxat meam duco, jus verò fructumque ac proprietatem utriusque omnem vestrum, haud dubiè publicam. Quem ego animum quo die habere desiero, eo die precor, ut superi mihi non regnum hoc vestrum modo, sed vitam quoque ipsam ut indignam, quæ retineatur, eripiant. Hanc orationem ejus alacris excepit clamor, Richarde Rex ingeminantium. Proceres cum Rege (sic enim ab ea hora vocari cœpit) concedunt intro, populus discedit domum variè adfectus, multaque super ea re secum disserens. Sed plurimis in ore erat impudens illa simulatio, sic agentium loquentiumque, tanquam protector de eo quod agebatur, nunquam neque audisset, neque cogitasset antea, quum interim nec ipsi quidem dubitarent neminem esse tam stupidum, qui dubitaret rem omnem de composito geri. Sed alii morem causabantur, & receptam in rebus humanis consuetudinem, qua sic oporteat maximas quasque res legitimis quibusdam perfici ceremoniis. Nam & eum qui creatur Episcopus bis rogari num velit, bis postquam sancte negare, tertio vix adduci posse, ut dicat nolentem velle, quum interim ut nihil solvat Principi, tamen ambitum penè declarant emptæ Pontificis bullæ. Jam eum qui Imperatoris personam agit in Tragœdia, populus non ignorat forsitan esse cerdonem? Tamen tantæ inscitiæ est illic scire quæ scias, ut si quis eum vocet qui verè est, non qui falso fingitur, veniat in periculum, ne ab personatis satellitibus malo joco bene vapulet, & id quidem meritò, qui totam fabulam sit aggressus intempestiva veritate turbare. Sequente die magno cum Comitatu venit in forum, non illud Londinense, sed majus atque augustius, quod est in palatio apud occidentale cœnobium, ubi ab omni parte regni promiscuæ aguntur causæ. Ibi quum in ea sede collocasset se, quæ regium tribunal ob id vocatur, quòd judicia sic in eo foro excerceantur, ac parem obtineant authoritatem, tanquam ipsius ore Regis prolata, pro concione rursus ostendit ex eo loco potissimum possessionem sese regni capere, unde Regis ore populo jura redduntur, quod ideo faciendum censuisset, quum sic sentiret leges exequi, easque administrare, id sit demum Regem esse. Deinde proceres, mercatores, artifices, denique omne genus hominum, (sed ea collegia nominatim, quæ Britannicis student legibus) oratione quàm maximè potuit populari, conciliat. Postremo ne cuiquam invisum eum faceret metus, simul ut benevolentiam pareret insidiosa clementia, mala dissensionum oratione explicans simul & concordiæ bona, ostendit se omnes erga quoscunque inimicitias ex animo delere & deponere, omnes omnium in se offensas condonare publicè, cujus rei ut manifestam omnibus fidem faceret, jubet ad se accersiri Foggum, quem diu capitaliter oderat, adducto ex asylo proximo (nam illud timore ejus perfugerat) in populi conspectu ei dat manum. Rem vulgo acceptam ac jactatam laudibus, prudentes pro vana habuere. Inter Remigradum ut quemque habuit in via obvium, ita semper illis ad servilem prope adulationem se demisit, admissi conscius, ne sic quidem securus tamen, aut quibus adblandiebatur, confidens manum à capulo non referre, & circumspectare undique, velut repercussurus. Cum post ludicram illam electionem regnare cœpisset, coronatus est, eaque celebritas magna parte illo ipso apparatu peracta, qui nepoti ejus coronando fuerat destinatus.

Cætera desunt.



THOMÆ

THOMÆ MORI
RESPONSIO
AD CONVITIA MARTINI LUTHERI
CONGESTA
IN
HENRICUM REGEM ANGLIÆ, EJUS NOMINIS OCTAVUM.
Conscripta Anno MDXXIII.

Et sub
GUILIELMI ROSSEI
nomine
EDITA.

[D] 2

GUILIELMUS ROSSEUS
JOANNI CARCELLIO SUO
S. D. P.



Itu, mi Joannes, bene vales, bene est: ego quidem valeo. At vereor ut satis valiturus fuerim: ni propere me ex urbe proruissem rus. Cœperat enim non oriri modo pestis Romæ, verum etiam graviter invalescere: quum ego vix adhuc bene collocatus ibi, rursum trepidus ac sollicitus, huc me cogor subducere, ad lapidem plus minus vicesimum, exceptus atque invitatus ab hospite omnium humanissimo, & seorsum in Anglorum gentem omnem, in quam paternum genus refert animo, quantum vix quisquam credat, benigno. Hic dum versor, hospes quodam die, en, inquit, Rossee, librum quendam ex urbe recens missum mihi: quem te opinor valde videre velle: ut quo Lutherus vestro respondeat Regi. Ain verò, inquam, nihil profectò legerim libentius. Nam Principis libellum, jam ante annum legi ac relegi Venetiis: qui non uni mihi talis visus est: ut opinionem conceperim, nunquam tam stolidum fore Lutherum, ut respondendo redderet manifestum, quàm improbam atque absurdam causam tueretur, quæ nullum defensionis colorem, qui quidem probabilis videretur, omnino posset admittere. Simul hæc dicens, avide corripio ac resigno librum. Ubi legere incipio, proh Deus bone, quantum furoris barathrum, quantam furiarum voraginem reperio. Dispeream, si inter densas ac perpetuas phreneseos Lutheranæ tenebras, ullum invenire quivi sanioris animi intervallum. Nugatur, rixatur, scurratur, ac ridet: sed ridet planè Sardonium, conscius nimirum, non in libello Regis invenire se, sed in capitello suo quod rideat. Nam interim deprehendi eum quædam, in quæ salsus videri posset, affingere. Hospes igitur, ubi me legentem auscultasset diu, non sine crebra interim atque aperta significatione stomachi (erat enim neque alienus à literis, & animi cum civiliter honesti tum inprimis pii) quid tu, inquit, mi Rossee, nebulonem istum blasphemias istas patieris inultas ferre? qui non modo Regem tuum stultis incessit conviciis, sed in Cæsarem quoque ac Pontificem, in Principes omnes Germaniæ, in bonos atque eruditos viros omnes, in omnes denique divos impius furcifer obscœnissimis opprobriis invehitur? Hunc tu scurram talia patieris inulta ferre? Inulta ne inquam, quo pacto, qui omnium vice ulciscitur ipse sese? Nam quæ gravior ultio possit optari, quàm quum eo dementiæ sit adactus, ut impie conscientiæ furiis agitatus, mentis inops, & ad insaniam dissimulandam impotens, ita sibi vi abreptus sit, ut sua manu per omnes paginas atque omnes propemodum parietes perscribat, insanissimum nebulonem, atque impudentissimum scurram esse Lutherum. Nam Princeps meus, in quem præcipuè nebulo scurratur insanus, augustioris est animi & altioris consilii, quam ut dementissimi scurræ deliramentis quicquam moveatur. Neque dubito, si Lutheri liber haberet aliquid, quod sit responso dignum, quin Rex Illustrissimus pro egregia illa eruditione, quæ illi ad reliqua regiæ majestatis ornamenta velut præcipuum quoddam lumen ac decus accessit, facilè sit ita responsurus homini: ut mortales omnes intelligant, servata dignitatis suæ reverentia, & causam piam strenuè, & impium nebulonem lepidè, ab optimo atque eruditissimo Principe esse tractatum. Quam rem Lutherus, quum ex eo libro quem scripsit in eum Rex, magno bonorum omnium plausu, magno malorum dolore, didicisset: de industria sic adornavit istum libellum suum, ut sperare posset, neminem fore mortalium, nedum Principem, qui nænias tam insanas esset ulla rescriptione dignaturus. Atque ita ultimus pugnæ restaret ipse: nimirum velut victor ac triumphator esse videretur. At ego, inquit hospes, illum sua spe falsum velim. Quorsum istud, inquam? quid faciet qui rescribet? aliud ne, quàm explicabit

cabit orbi, Lutherum esse scurram sycophanticum? At istud jamdudum conclamavit ipse. Nam quid aliud adversus Catharinum? quid aliud adversus doctos alios, adversus scholas publicas? quid aliud adversus Germaniæ principes? adversus Cæsarem, Regem, Pontificem? quid aliud è turre sua Babylonica, velut ex altissimo suggestu proclamavit in totum orbem, quàm esse sese devotum inferis, invisum superis, humano generi nebulonem noxium, ac deniq; mortalium omnium petulantissimum, & pestilentissimum scurram? Itaque mihi mire placet prudentissimi Cardinalis illius sanissimum consilium, qui Pontifici huic verè omnium sanctissimo suasit, uti Leonis decessoris sui sententiam, de supprimendis Lutheri libris ita moderaretur, ut eorum lectionem librorum, qui sanctitatis & modestiæ fuco latenter insertas hæreses bonis ac simplicibus viris commendant, Ecclesiæ penitus interdiceret; Babylonicam verò, & qui sunt ejusdem furfuris, qui nihil habent aliud quàm verè scurrilia jurgia, & bonorum omnium auribus abominandas hæreses, prostare passim legique permitteret. Neque enim periculi quicquam fore, ne bonus quisquam libello corrumpatur ejusmodi, qui sine ratione rixetur, & numeret magis quàm probet improbissima quæque & orbis Christiani consensu damnatissima dogmata. Illud verò proventurum commodi, quod pessimus quisque, quem à legendis hæreticorum scriptis nullum potest edictum cohibere, desinet incautis imponere, quibus nunc persuadent callide, quicquid sentiunt bonis odio esse, id vel non scripsisse, vel non ita sensisse Lutherum: sed hominem innocentem, per æmulorum invidiam, falsam subire calumniam. Nam quæso te, quisquis hunc ipsum leget libellum, quo Regi respondet nebulo, quum nihil in eo reperiet rationis: quum omnia Principis argumenta constare videbit: quum istum cernet depravare multa, mentiri multa, dissimulare fortissima, scurriliter tractare omnia, quid illum putas esse sensurum? An adhuc desideraturum esse responsi quicquam, quod verberonis ostendat amentiam: tanquam lucernam accendi postulet, cujus ope conspiciat Solem? Accedo, inquit, mi Rossee, tibi, rem non egere responso, si quis in utramque partem intendat oculos. Sed quotum quemque futurum putas, qui quum Lutheri librum perlegat, ea sit futurus diligentia, ut inspecto contra libello Principis, collatis utrinque verbis ipsis, eruat Lutheri sycophantiam, ac non potius ex alterius opere, de utriusque ferat sententiam: persuasus neminem esse tam impudentem scurram, ut (quod isti perpetuum est) adversarii verba de industria depravet? Nam eo minus istud suspicamur: quod ea res & facilè possit coargui, & semel deprehensa probrum summum atque indelebile dedecus inurat authori. Proin tu, si me audies, non respondebis modo, verum etiam respondebis ampliter: citabisque, & conferes utriusque verba fideliter: deinde reddes oratione tua virtutes Lutheri conspicuas: ut locus nullus non sit illustris, in quo vel errat imprudens, vel studio calumniatur, vel dissimulat stolide, vel scurratur nebulonice, vel bacchatur scurriliter, vel mentitur impudenter, vel rixatur improbè, vel blasphemat impiè, vel ridet phreneticè, vel dolore ringitur, vel ira disrumpitur, vel madidus indormit, vel ebrius altum stertit, vel sobrius ac vigil insanit. Nec istud, mi Rossee, quicquam est quod metuas, ne dum stercorea Lutheri scripta, velut Augiæ stabulum exhauris, & sua in eum stercora regeris, tuum simul nomen impures, atque in periculum venias, ne non satis habuisse videaris honestatis & modestiæ rationem. Etenim tam immodestum nebulonem, qui nec adversus homines nec adversus superos temperare sibi potest à scurrilibus conviciis, si quis non contra tractet ex merito, sed modice modesteque respondeat: nullus erit mihi crede lector æquus, & pius, cui non ista videbitur & nimis ambitiosa, & prorsus immodesta modestia. Nam istud scio te floccifacere, si calamum nebulo convertat in te. Sanè verò, inquam, neque enim adeò desipio, ut magis mihi censeam laudi fore, si lauder à laudato viro, quàm si in me bacchetur illaudatus, atque eodem rictu latret in me, quo rabidus latrat in Superos. Quin tu ergo, inquit, rem Deo fretus aggredere: facies quod malos urat, oblectet bonos: nec officium tantum declarabis in tuum Principem: cujus ingenium, eloquentiam, eruditionem, prudentiam, corporis incomparandas dotes, animi virtutes excelsas, Christianus orbis velut absolutum regiæ sublimitatis exemplar admiratur ac suspicit: verum etiam apud Servatorem

vatorem Christum magnam inibis gratiam: cujus iste scurra nomen fidemque sub assertionis hypocrisi, penitus molitur extinguere. Quid vis amplius, mi Joannes? Non desiit impellere, donec perpulit. Itaque promisi me facturum. Feci, ostendi. Supra meritum modumque laudavit. Oravit me, ut uni atque alteri ex eruditis amicis suis sibi liceret ostendere. Concessi, modo ne sine permissu meo quisquam properaret edere. Nam decrevisse me, rem servare mihi menses aliquos integram: quum ut exactius tractarem quædam, quòd opus ruri subito sine librorum auxilio confeceram: tum quod interea supervenerat exemplum epistolæ, quam Rex ad Saxoniæ Duces scripserat: ex qua subvereri cœpi, ut laturus esset Princeps, si quis ex Anglis amplius cum isto nebulone contenderet. Rem recepit meæ futuram potestatis. Aufert, ostendit, reddit, hortatur, ne cuncter edere. Viros, quibus ostendisset eruditissimos institisse vehementer apud se, ut me vel ignaro, vel invito maturaretur editio. Sed fidem suam liberasse se: cæterum suadere, monere, rogare, ne doctorum virorum vota suspenderem: néve nebulonem paterer diutius simplicium hominum ignoratione atque inscitia abuti. Si qui forte forent, quibus quæ absurde scripsit, aliquid esse viderentur: ego me pollicitus istud curaturum, statui protinus librum ad te mittere: ut cujus consilium multis in rebus aliis mihi sensissem utile, ejus prudentia in hoc etiam opere, vel edendo vel premendo, fruerer. Itaque librum Hermanno Pragensi tradidi, juveni olim Studioso tui, quum istic inserviret Magistro. Nam is, quod Angliam viderat, non sterilem fuisse præceptori suo, quum nec honestum videretur nec utile subinde solum vertere, certus atque obfirmans animo istic sedem figere, instituit in Britanniam remigrare. Aliquot ergo menses ab ejus discessu pendebam animi, expectans indies de mea re responsum tuum. At ubi ex literis, quas X. Calendas Junias huc misisti, librum sensi non esse perlatum, nec istuc delatum gerulum: metuens aliquid accidisse juveni, (nam de fide ejus ne adhuc quidem dubito) parabam rursum exemplar: quod, ubi primum liceret commode, istuc mitteretur ad te. Quum ecce interim affertur huc, prostare jam librum meum, & (quod miror) inventum esse, qui libellum tam illepidum agnorit, atque adornarit pro suo. Quæ res eo fortasse facta est confidentius, quod ego, quoniam ad te mittebam, notus ad notum, nomen meum operi non præscripseram. Eoque factum arbitror, ut velut ignorati patris expositum puerum, homo misericors exceperit atque educarit pro suo. Verum nunc te quæso, mi Joannes, effice ut puer cognoscatur istic non pater: quoad interim diligenter observaris, quam de se spem parenti præbeat. Nam si aut parum probetur bonis, aut Princeps æquo animo non ferat, ab Anglia quenquam amplius, cum isto scurra committi, sive fruatur qui sustulit. Sin ita, ut optamus, doctis probisque placeat, & Regem olfacias non indignaturum, à nobis quoque bene verberatum verberonem: tum te mihi Joannes obsecro, ut gnatum meum non expositum unquam, sed nescio qua fortuna in aliquod ignotum littus ejectum, tu mihi denuo, absque ulla ejus, qui velut orbum excepit, contumelia, vindices ac restituas patri. Vale, ex urbe, nam heri, huc rerum mearum ordinandarum causa remigravi. Iterum vale & salve. 3. Nonas Augusti.

JOANNES CARCELLIUS GUILIELMO ROSSEO SUO S. D. P.

AD quartum Idus Septembris redditæ sunt nobis à te literæ: quas ego & libentissimus accepi & diligenter etiam atque etiam perlegi. Quæ quidem tuæ literæ nunquam non gratæ ad me perveniunt. Verum hoc tempore, quantum mearum rerum status ferebat, etiam jucundæ fuerunt. Tum quia significarent ea, quibus mihi nihil optatius potuit accidere: id est, te mortalium omnium mihi charissimum salvum esse & incolumem, (tametsi nonnullo metu perturbatum, grassantis istic & ardescentis passim morbi pestilentis) atque

atque jam in Italia quoque reperisse, qui istas tuas virtutes perspiciant, & admirentur, ac merito favore prosequantur: tum quia longo desiderio cognoscendi quid rerum gereres ipse, quo ante torquebar, jam veluti diuturna siti, expleto, his perlectis literis paulum animo acquievi. Male enim timueram, ne quid aliter ac vellem tibi contigisset: propterea quod abs te tot mensium spacio, nihil quicquam acceperam. Siquidem annus paulo minus agitur, ex quo tempore illam recepi abs te epistolam, qua me tui Romam itineris certiorem fecisti. Atque ab illo tempore, nunc primum ubi sis, quid agas, ac quid valeas, audio. Quæ res sane tam mihi molesta fuit quàm pro mutua nostra charitate esse debuit. Eoque magis eram sollicitus de te quod neque ab istis publicis internunciis aliquid discere licebat: quum tamen alios nostrates propemodum omnes narrare mihi possent, quo quisque loco ageret. Qui neque Hermannus, cui te scribis literas & librum ad me dedisse, huc venit, nec quid de eo sit factum audivi unquam post ejus à nobis discessum, qui fuit statim ab obitu præceptoris sui: cum tamen sæpe de illo quesierim ex iis, qui cum eo una ministrabant (adest enim hic unus & alter Londini.) Etenim amabam prorsus juvenem, ob egregios mores, eruditionem non spernendam, ac vel inprimis, ob singularem & spectatam fidem: propter quam Præceptori fuit charissimus: inveneramque ei (si aut remansisset hic, aut rediisset) conditionem aliquam non pœnitendam. Vereorque jam, ne quid gravius fuerit in causa, cur fidem non præstiterit, quàm quod nollet, juvenis quantivis pretii. Cæterum tandem perlatus est liber tuus (utinam prius) qui magno stupore ut vere dicam, animum verberavit meum: quod jam alienum nomen omnium opinionibus, quotquot opus viderant, nedum meæ insederat. Qui, etiam cum schedas tuas in manibus tenerem, vix demum potui Rosseum meum in illis agnoscere. Ac quemadmodum qui ingenti aliqua rei, seu bonæ seu malæ, ac inopinata novitate, repente sunt perculsi, diu pendent in dubio, nec cito possunt animis suis persuadere id quod aut ægrius est quam ut verum velint. Aut jucundius quam ut sperare possint: ita hujus pulcherrimi facti nomen tam præter expectationem meam, tam subito in novum hæredem transscriptum: idque in eum quem ut maximè optabam tam præclari facti autorem existere, cum patriæ communiter, tum privatim nostræ amicitiæ causa, ita minimè expectabam: magnæ mihi admirationi, ac pæne res incredibilis est visa: non qui te longe etiam majoribus parem, adeoque superiorem & ego norim & alii existimarint, sed ut dixi, quod alter tam astute in hanc se possessionem, veluti derelictam, insinuarat: ut jure optimo ejus esse videretur. Jam quod ad ipsum spectat opus, tale profecto est omnium doctorum atque proborum sententia, quibus ostendi compluribus, ut summo omnium studio sit apud nos excusum denuo. Mihi vero ita perplacuit (si quid meo tribuis judicio) ut, quoniam erat continua oratione conscriptum, in capita diviserim: titulis adjunctis cuique, scholiaque in spacio marginali ascripserim, indicemque apposuerim: quo facilius singula lecturis occurrerent. Proinde ista te libero cura, quæ sit doctorum de eo sententia futura. Quippe qui non minus sedulo me ad ejus emissionem sunt hortati hic, quam, ex tuis literis intelligo, te istic incitatum. Nonnulli etiam ultro pollicentes pecunias in sumptum ejus, quoniam Typographi gravatim quicquam aggrediuntur, nisi si quis eos volet indemnes præstare. Porro de Rege nihil est, quod vereamur: qui ut est eruditione singulari, limatissimoque judicio, ita non dubito, quin idem sit de libro tuo sensurus, quod cæteri præstantes eruditione viri. Quanquam, cum primum huc allatus esset Lutheri adversus se libellus, eique commonstratus, nihil ille quidem aliud quam irrisit stulta verberonis ac scurrilia convicia. Cumque rogaretur, quid de illo non solum impio, sed etiam tum furente sentiret? respondit, sibi quidem videri dignum Lutherum, qui pro petulantia ac nequitia sua pretium ferret, quique in omnibus conviviis produceretur ut convivas oblectaret morio. De respondendo autem ad ejus meretricia jurgia, se nec ita fœdaturum personam suam, ut conviciis, cum eo velitaret, nec ita ineptiis operam & oleum perditurum, ut cum eo rationibus modeste ageret, qui omni rationi & modestiæ bellum indixisset. Sed nec cuiquam authorem fore, ut cum ipso manum amplius consereret. Si quis tamen vellet ejus insaniam retaliare, infrænique linguæ frænum injicere, non prohibiturum

biturum se. Itaque curavi librum tuo nomine edendum, & compositori suo tanquam postliminio asserendum. Tum exemplari eo, quod abs te accepi, diligenter cum alteris collato, ubi quid aut mutatum aut insuper additum per te comperimus, quod in exemplis nostris non habebatur, adjiciendum curavimus. Jam quæ ipse in eo elaboraveram de iis nihil mutavi: ne aut Typographo, aut mihi tantæ perirent impensæ. Nec mutabo posthac, si tibi meum hoc factum probatum fuerit. Sin aliter tibi videbitur, ego quicquid tu statueris, confirmabo. Præterea quam ad me Epistolam dedisti, quaque mihi librum donas, (qui tuus est amor erga me) præfationis vice anteposui, eique nostram hanc adjunxi: ut posteri quoque intelligant, quantum tibi debeam. Vale, & communes istic familiares nostros ex me saluta. Iterum bene vale, Londini XV. Cal. Octobris.

JOANNIS VITALLI LONDINENSIS carmen in Lutherum.

Missus ab extremis liber iste Luthere Britannis,
Venit in exitium tela secunda tuum.
Maximus Henricus Rex & fortissimus heros,
Corporis insignis ingeniique bonis,
Et veræ fidei defensor acerrimus idem,
Concussit vires antè Luthere tuas.
Fusus & afflictus (frustra tamen) usque repugnas:
Et victor dici, dein male sane petis.
Non aliter quam qui superatus ab hoste palæstra,
Victoris collo pendet ab ipse sui,
Ac se dejectum minime, contendit ab illo:
Succumbat quamvis jam resupinus humi.
Destruit hanc technā Rosseus tibi, neu modo quisquā
Tam stolida falli possit ab arte facit.
Hic ita consilium tibi detegit ordine totum,
Imo adeo insani propositum cerebri:
Ut videant quam sis stolide sceleratus, & omnes
In stolidum jactent talia verba caput:
Ecce triumphali Luther hic sublimis ab axe
Fertur, io, festis spargite stercoribus.
Dignus honos homini, qui fœde vincitur: & se
Victorem bucca buccinat ipse sua.

NICOLAI PACHETI AD LUTHERUM carmen admonitorium.

Accipe, quo tutus mihi jam videare, Luthere,
Accipe, quo solo vivere posse modo:
Undique si potis es patrios occludere fines,
Intret ut ad mystas ne liber iste tuos.
Nam tua traducit sic dogmata falsa libellus,
Sic aperitque tuos iste Luthere dolos,
Ut semel in tota fuerit si plebe receptus,
Hæc in notitiam prodierintque tuis;
Non ullus precibus tibi sit locus inde relictus,
Quo minus à populo dilaniere tuo.

LAURENTII NEVULI EPITAPHIUM in Lutherum omnibus bonis jam mortuum.

Qui stetit in cœlum quondam cœliq; parentem,
Jecit & in sanctos qui maledicta patres.
Qui leges hominum contempsit & omnia jura,
Et nullo voluit vivere consilio:
Sed quantum libuit, tantum licuisse putavit,
Ac nil pro sancto, nil habuitq; pio.
Contegit hac cinerem factum brevis urna Lutherum,
Tartara pro meritis incolit umbra suis.

PRÆFATIO LUTHERI.

Scripta ad quendam Nobilem Bohemum, qua suam ipse invidiam ac livorem, tum in Pontificem, tum in ipsum Cæsarem, ac Germaniæ Principes viros universos, prodit: quos omnes improbissimis conviciis & contumeliis improbus incessit.

GENEROSO ET NOBILI VIRO, D. SEBASTIANO SCHLIK Comiti in Passun, Domino in Elbogen, &c. suo in Christo majori Martinus Luther Ecclesiastes Wittembergensis.

Gratia & pax in Christo. Tertius & amplius annus agitur (generose Comes) quod furiosus Papistarum populus me insimulat fugæ ad Bohemiam, idque mirum in modum sitit audire, scilicet homines belli, hac sola fama triumphaturi, gloriaturi, & clamaturi: Vicimus, hæreticus fugit ad hæreticos. Sic enim vecors illa & indoctissima papistici corporis belua, postquam videt sese eruditione & veritate victam, nec posse stare totam colluviem suorum asinorum adversus unum Lutherum, torquetur & uritur, unicum hoc respiraculum suspirans, ut fugiam in Bohemiam; ut saltem opprobrio alieni nominis sese solentur, & terribiles Emim sese fingant, qui præ sua inscitia & mala conscientia, nullibi audent comparere. Apparui ego jam tertio, coram eis, deniq; VVormatiam ingressus

 gressus

gressus sum, etiam cum scirem mihi violatam esse à Cæsare fidem publicam. Nam didicerunt Principes Germaniæ, olim de fide laudatissimæ gentis, nunc in obsequium idoli Romani, nihil magis quàm fidem contemnere, in perpetuam nationis ignominiam. Sic ausus est fugitivus & meticulosus Lutherus in gyrum dentium Behemoth insilire. At illi tremendi Gigantes quid? Toto hoc triennio, non est inventus unus, qui ad nos Wittembergam concederet, & coram nobis etiam staret, cum & certissimi sint de fide & tutela (nempe sub Cæsaris sui præsidio acturi omnia) adhuc audent homines effœminati & excordes sperare triumphum mea fuga, fœdissimam suam ignominiam honestaturi, qua toto orbe celebrantur, sese præ ruditate & pavore animi non audere in conspectu unius Lutheri prodire. Quid putas hæ fragiles bullæ facerent, si & ipsi cogerentur coram adversario Cæsare & hostibus prævalentibus sistere? Scilicet in mille diverticula fugerent miseri, qui nunc in cuniculis suis sicut sorices mussitant; Lutherus meditatur fugam. Sic & Rex Angliæ hoc libro multa saliva blaterat de fuga mea in Bohemiam, homo sapiens, scilicet qui credit ideo suum librum esse victoriosum & digne scriptum, si ad Bohemos Lutherus fugerit, tam vecors & muliebris est stolidi Regis invidia. Ego vero, quamvis ardeat animus videre Bohemiam, & religionem Papisticis monstris tam odiosam, tamen hactenus abstinui & abstinebo, non quod opprobrium nominis metuam, quod celeberrimæ nationi, vilissima hominum fæx, Papistæ cum summa perfidia & injuria inusserant. Nam justissima causa Bohemi homicidas istos, & Antichristos Papistas deseruerunt, postquam innocentem virum Joannem Hussum, ipsi septies hæretici exusserunt, & utramque speciem à Christo institutam sacrilege damnaverunt. Hæ enim causæ odii Papistici in hanc gentem, nec aliquando purpuratæ istius meretricis spurii agnoscunt ferale suum homicidium, & damnati Evangelii sacrilegium, qui pergunt furorem suum tueri, & opprobrium, quo ipsi coram Deo insignes sunt, alienæ & innocenti nationi imponere. Non ergo opprobrium Bohemici nominis metuo, quæ gloria est coram Deo, sed quod Christus me hic posuit, ut torqueam Papistica monstra, dum nihil invenire in me possunt, quod jactare vellent, in suæ incredibilis invidiæ respiraculum, cruciari Christus sua ipsorum invidia, & dirumpi propria malitia. Expecto igitur eos hic & expectabo impotentissimam eorum invidiam, egregie irritaturus & torturus donec vixero. Si autem me occiderint multo maxime cruciaturus. Sic enim datus sum illis in portentum à Domino meo Christo, ut sive me vivificent, sive occidant, nihil gratiæ, nihil pacis, nihil solatii, habitura sit furialis eorum conscientia; ut duplici contritione conterantur, & præsentis invidiæ cruce, æternam mereantur gehennæ torturam. Instat enim mors Papatus abominabilis, urget eum ineluctabile suum fatum, & (ut Daniel ait) ad finem sui venit, & nemo auxiliabitur ei. Ita concurrimus utrinque: illi extremo furore, ego summo contemptu; & vincet audacia mea in Christo novissimam illorum, & jam pallentem furiam. Aliam vero fugam in Bohemiam non meditor, ne nihil veri vaticinentur sibi papistici Pythones, sed de qua majorem compunctionis spiritum sint passuri. Hæc est, juxta illud Moysis: Provocabo eos in non gente, & in gente stulta irritabo illos. Nam tantum meis libellis brevi (propitio Christo) efficiam, ut Bohemi à suo opprobrio liberi, soli autem Papistæ sint nomen abominationis in orbe terrarum, ut maledictum & anathema sit, esse Papistam. Non quod omnia Bohemorum probem, cum eorum res ignorem, & sectas esse inter eos audiam; sed quod Papistica turba illis comparata, fætor & nausea futura sit in toto mundo, qui nihil nisi sectæ sunt ipsi, adeo ut soli Franciscani inter sese ferme sex sectis scissi sint. Hæc autem ad te scribo, Heros generose, ut mihi initium hujus fugæ captem apud te, qui regnas in Bohemiæ initio confinis Germaniæ, ut per te, tuamq; ditionem procedam in totam Bohemiam. Rex laicus scripsit ad sacerrimum suum Pontificem. Ego quondam miseratione Papæ clericus scribere debui ad Christianissimum Laicum. Audio enim te incredibili studio fervere in puram Evangelii veritatem, & abominationes & scandala Romanæ pestilentiæ, undiq; è tuo Dominio profligare. Macte virtute clarissime Heros, sic abolebitur opprobrium Bohemici nominis, & redibit meretrici in sinum suum sentina illa mendaciorum & fornicationum suarum, ut revelentur pudenda ejus orbi terrarum ad sempiternam ignominiam. Hoc sit initium fugæ meæ, hæc spes optimi exempli, quod imitentur reliqui Bohemi Heroes & Magistratus. Sic non modo in Bohemiam fugero, sed & habitavero in ea, etiam si hic me excusserit illaudatæ meretricis furor. Invidiam tamen ejus simul & succendero & vicero in Christo. Nihil erit illi amplius prosperum. Christus sic statuit, Amen. Gratia Domini nostri Iesu Christi servet & augeat te optime Heros in æternum, Amen. Wittembergæ, die V. Iulii.

THOMÆ



THOMÆ MORI RESPONSIO

CAP. I.



Tota ista Epistola spirat thrasonicam Lutheri gloriam, & in dignitatem Romanæ sedis lividam nebulonis invidiam. Qua nunc intabescens, Bohemis quorundam natas hęreses nuper execratus est, nunc execrabilis vicissim, & suo ipsius judicio damnatus, applaudit, & fingit se hæreses eorum ignorare, homo aut tam iniquus ut eorum res ignoratas ante reprehenderit, aut tam infirmæ memoriæ ut quæ nuper tam acerbe redarguit, eorum omnium subito jam sit oblitus. Et tamen cum illis maxime conetur adulari, post laudes aliquot homo sapiens promittit tandem, bone Deus honorem qualem, Sodomæ scilicet & Gomorrhæ gloriam. Nam ut illorum mores justificati sunt comparatione Hierusalem, ita Bohemorum hæreses justificabit Lutherus collata cum illis nimirum fide Christi. Quam, quo licentius invadat, atq; blasphemet, appellat ubique papisticam, substituens pro fide Christi perfidiam suam. Nam cum rejiciat Judaicam, rideat gentilium, nutet in Bohemica, vix admittat Turcicam, damnet omnino catholicam: quid reliqui fecit tandem, quod esset ratum ac stabile, præter infidelitatem suam? In qua tam superbus exultat, atque insultat omnibus, ut dubitari non possit, quam totus ex inferis illius spiritum spirat in terras, quem similis ad inferos superbia dejecit è cœlo. Sed illius Epistolæ pretium operæ fuerit magnificas ampullas expendere. Protinus ab initio convitiatur Cæsari, & Germaniæ principibus: gloriatur de sua fortitudine, qui sit ausus ire Wormatiam, gnarus sibi violatam esse fidem publicam, videlicet homo animi destinati martyrio, propter infidelitatem sine charitate sine qua nec pro vera fide, Paulo teste, valuisset martyrium. Insultat magnifice omnibus, contra suam sententiam sentientibus, hoc est bonis omnibus: quod homines non audeant ire Wittembergam, & coram ipsius sese majestate sistere: videlicet quum certissimi sint de fide & tutela, nempe Cæsaris præsidio (ut ait) facturi omnia: quasi nihil esset latronum in via, qui fere soli sunt Lutheri satellitium, qui eodem animo in suæ factionis gratiam non dubitent disputaturos amoliri per insidias contra fidem publicam, quo animo spoliant ac trucidant viatores, lucri sui gratia contra legem publicam. Ille quum veniret Wormatiam, non habebat, quod metueret. Venerat enim, quod fatetur, fide publica, quam si, ut mentitur nebulo, violasset Cæsar: quo tandem præsidio fraterculus, omni supplicio dignissimus, adversante Cæsare, prodentibus, ut queritur, Germaniæ principibus, tot millium iter emensus, in curru, via publica, palam, interdiu, sic evasisset incolumis? Nimirum de se scriptum videri vult illud: Angelis suis Deus mandavit de te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Imo mali malo favebant, & boni fidem violare nolebant. At adversus illum venturis, mali duntaxat & perfidi metuendi sunt, qui nullo fidei vinculo cohibentur à scelere: nullo disposito præsidio, tam longo itinere satis caveri possunt. Quæ quum ita sint, mirum est profecto Luthero venire auso nullo suo periculo Wormatiam, in conspectum Principum, ut furoris obstinati triumphum tutò reportaret domum ad compotores suos: neminem audere contrà, cum vitæ suæ periculo, venire Wittembergam, tanto prælertim fructu, nempe ut cum nebulone certet in ejus ipsius theatro, dispositis nebulonum cuneis, qui hæresiarchæ suo, Scripturæ verba in adulterinum sensum torquenti, Doctorum omnium antiquorum autoritatem irridenti, publicam tot ætatum fidem exsibilanti, atq; omnia execranti sacra, ad singulas blasphemias applaudant, atque ingeminent euge. Ei verò, qui disputaturus venerit, ad quodque verbum, voce, vultu, pede, manu obstrepant, explodant, exsibilent. Contra quæ, si durabit omnia, & clamores ratione vicerit, digressum denique perimant. Neque enim nunc eadem rerum est conditio, atque olim fuit, quum disputabat Eccius. Tum enim res adhuc in eo fuit statu, ut valde suæ sectæ faverent, nec dum planè scirent, quam malam causam foverent, eo quietius, & cupidius audiebant, quòd se audituros sperabant, quæ valde audire cupiebãt: Sed ea disputatio quum non undequaque responderit ipsorum spei: quum tamen essent quædam in speciem non prorsus improba: & nunc eum cernant post per furorem adjecisse talia, quæ nullo possit colore defendere: desperata rationis victoria, triumphum collocant in amentia, non audituri quicquam æquis auribus, quod adversetur iniquis animis. Neque tamen nego, in eadem urbe, in qua sibi delegit latibulum, multos esse viros honestissimos, multas mulieres bonas ac pias, sed in re seditiosa, magis eminet insana tumultuantium turba, quam numerus etiam major bonorum & sedatorum civium. Lutherus igitur quum doleat libellis editis, ita victas ac revictas

Cujusmodi laudem Bohemis tribuat Lutherus.

Jactantia Lutheri.

Quam nihil fructus habeat cum Luthero coram disputare.

Quantum adeat periculi disputaturus cum Luthero.

Cur Lutherus pro-

revictas suas insanas hæreses, ut nunquam apud suos se victorem audiat, quin interim excarnificetur intus opprobrii sui conscientia, gnarus omnibus undique gentibus, ex libellis utrinque inter se collatis, clarissima luce patere, quam turpiter eversus, ac prostratus jaceat, pertæsus tandem ac perhorrescens judicium publicum, pugnaturus, velut gallus provocat in suum sterquilinium, ubi coram gallinis suis cantitet. Verum neminem opinor esse tam insanum, ut in locum veniat, quo eum hostis vocat ad pugnã, quum non possit æquior esse planicies, in qua dimicetur, aut minus insidiis exposita, quam libellis editis conflictatio; in qua neutra pars causari potest, aut perperam quicquam exceptum à notariis, aut post corruptum à falsariis, aut sibi quicquam non provisum calore subitariæ disputationis excidisse: Sed quod, ex causæ meritis per otium quicquid potest, instructissimum protulerit, id syncera fide prodibit in publicum. Ex quibus & nunc clarissimè patet, & indies magis magisque patebit, quam sordido cæno prostratus jaceat, oblitus luto, atque obvolutus stercore, gloriosus victor ac triumphator Lutherus. Quæ res quum regio libello tam egregiè facta sit, ut nunquam quicquam æque Lutherum adegerit in furorem, efficiam hoc libello, ut omnes Lutherani sentiant, quam stolidum habeant hæresiarcham, qui sua sapientia nihil effecit aliud, quàm infixum ab adversario telum, suis ipse manibus infixit altius. Sed priusquam aggrediar librum, libet paulisper cum Luthero rursus redire Wormatiam. Cujus magnifica commemoratione quiddam mihi redegit in memoriam, ex quo uno totus potest orbis judicare vanissimi nebulonis & ingenium stolidum, & mentem gloriæ cupiditate dementem.

vocet, ut disputetur coram.

Cur scripto potius quam coram sit disputandũ.

Detegitur Lutheri stulta ambitio ex honorificentissimis de se, sub alieno nomine, prædicationibus.

CAP. II.

Extat libellus excusus hoc titulo: Acta & res gestæ D. Martini Lutheri Augustiniani in Comitiis Principum Wormatiæ. Is libellus quo loco sit excusus non dicit, quo authore compositus tantundem. Sed liquet plane ex ipsa narrationis serie, fuisse aliquem illius valde studiosum. Verum non ab ipso tamen factum Luthero, certissima sunt argumenta scilicet. Nam quum Cæsar nominetur ubique simpliciter Carolus: nunquam nominatur Lutherus, nisi reverenter DOMINUS MARTINUS literis majusculis, videlicet magnus heros. Interdum sic: HOMO DEI LUTHERUS. Et quum ii, qui contra loquuntur, prorumpere dicuntur in verba virulenta, de ipso ita scribitur. D. vero MARTINUS pro incredibili humanitate & bonitate sua, benigne respondit. Et sic: Pater clementissimus modestissime respondit. Et tanquam gloria patri totum illius Psalmi librum claudit hæc coronis. Deus igitur hominem pientissimum, tuendo & docendo Evangelio natum, diutissime servet Ecclesiæ suæ, una cum suo verbo, Amen. Quis ita suspicax unquam natus est, ut suspicari possit, qui talia de Luthero scripsit, ipsum fuisse Lutherum? Quis enim Thraso tam gloriosus fuit, quem non puderet ejusmodi vel cogitare de semet? At nunc, obsecro, lector vide, quam penitus homini memoriam, ac mentem, inanis gloriæ titillatio excusserit. Quum totus liber ita sit tractatus, ut videri possit ab alio quovis esse compositus, subito suo sorex indicio prodit se. Oblitus enim sui, quodam in loco sic ait:

Vide illud.

Thrasonica Lutheri gloria.

Lutherus sui immemor.

His dictis, Orator imperii increpabundo similis, dixit, me non ad rem respondisse, nec debere in dubium vocari, quæ olim in consiliis essent damnata & definita: ideo à me peti simplex, non cornutum responsum, an velim revocare, vel non? Hic ego. Quando ergo Cæsar. Majest. &c.

Hic vides Lector ex rebus Wormatiæ gestis, incredibilem illam clementissimi Patris modestiam, qui sub alieni tubicinis larva, suas ipse laudes tam modeste buccinet. Vides admirandam prudentiam, qui non potuit cavere sibi in tam exiguo libello, ne tam stultum institutum proderet, cujus puderet etiam morionem.

Modestia Lutheri.

Ea cæcitate & amentia percussit Dominus noster Jesus Christus universum istud regnum abominationis papisticæ, ut jam totum triennium, cum uno Luthero ipsi infiniti vulgi Cyclopes belligerantes, nec dum intelligere possunt, pro qua re mihi cum ipsis bellum sit.

Verba Lutheri.

Aperitur Lutheri insanum institutum & consilium.

CAP. III.

At omnes, qui cognoscunt Pontificem, hoc est, omnes Italos, Hispanos, Gallos, Germanos, & quicquid est usquam populi Christiani: quos omnes appellat Cyclopas, tam diu belligerantes cum uno Luthero, Ulysse videlicet omnium prudentissimo, ita perterebratis esse oculis, tanquam Polyphemum, ut nunquam libris ab illo tam multis editis, adhuc non possint cernere, quorsum ille tendat. O rem difficilem, & quæ non exoculatum Cyclopa, sed Argum aliquem oculatissimum requirat, ac lynceum, qui Lutheri vias vestiget. Esset fortasse res difficilis colubri viam vestigare super terram, nisi odore pestilentissimo, quaquaversus serperet, erumpente, ac terras lue teterrima inficiente, ipse se nimium proderet. Neque enim nunc horum Cyclopum quisquam est adeo cæcus, ut non artes ejus, & astutias deprehenderit, quam inani commento fugam paret ex Æthna, ut ex hac Cyclopum, ut vocat, elapsus insula, recte tendat ad inferos.

Lutherus videlicet alter Ulysses.

Quo tendat Lutherus.

Sed unde nullus eum reducat Tyresias.

Non intelligunt, inquit, frustra tot libellis à me editis & palam testantibus, hoc solum à me quæri, ut divinæ literæ solæ regnent, sicut dignum & justum est: humanæ vero inventiones & traditiones è medio tollantur, ceu nocentissima scandala, aut exsecto veneno, & evulso aculeo, id est, vi cogendi & imperandi, & conscientias illaqueandi erepta, libere & indifferentes

Verba Lutheri.

rentes tolerentur, ceu qualibet alia pestis, aut infelicitas mundi. Nam ipsi perpetua insania perciti, contra me nihil movent, nisi statuta hominũ, glossas patrum, & facta seu ritus seculorum, ea ipsa scilicet, quæ nego & impugno, quæ & ipsimet confitentur infida esse. Ego de jure disputo, & ipsi de facto mihi respondent. Ego causam quæro, ipsi opus exhibent. Ego interrogo, in qua potestate hoc facitis, ipsi dicunt, quia sic facimus, & sic fecimus. Sit pro ratione voluntas: pro authoritate, ritus: pro jure, consuetudo: idque in rebus Dei. Est apud eos ipsos in scholis suis vitiosissimum genus disputandi, quod vocant petitionem principii. Hoc discunt & docent usque ad canos, usque ad sepulchrum, tot sudoribus, tot sumptibus miserrimi homines.

Et de Rege paulo post.

Hic vero Deus nova sua divinitate mirum in modum insolescens, ac certus quicquid dixerit fieri oportere, aut factum esse, id ex professo etiam testatur, velle sese dimittere capitale fundamentum meum, & aliis relinquere expugnandum, ac solum ædificium labefactare, id est, stipula & fœno contra rupem verbi Dei pugnare, ut nescias, an ipsa mania sic insanire possit, aut ipsa stoliditas tam stolida sit, quàm est caput hoc Henrici nostri, forte ut verum faciat proverbium; Aut Regem, aut fatuum nasci oportuit. Quis morio enim sic diceret, Ego asseram septem Sacramenta, sed intactum relinquam principale robur adversarii? Crederes ab insigni hoste Regis, hunc librum editum in Regis perpetuam ignominiam.

Proponuntur in summa, quæ sunt tractanda in toto opere.

CAP. IV.

HÆc ipsa Lutheri verba Lector, in quibus tam impensè sibi Lutherus placet, efficiam paulo post, cum ad illius responsum, ut ille vocat generale, perveniam, ut facile quivis intelligat, ex Regis libello sumptis probationibus, non solum esse falsissima, verum etiam vix tot habere verba, quot vitia. Præterea nebulonem istum, non hominum tantum traditiones omnes tollere, & eas quibus deberet obedire, sed etiam tollere traditiones Dei. Nec eo tamen contentum, illas ipsas Dei scripturas, pro quarum regno se pugnare simulat, quibus potest machinis oppugnare.

Quo in loco faciam perspicuum, quàm insulse rideat eum disputandi morem, ut contra unius authoritatem scurræ, regia majestas opponat authoritatem tot sanctorum patrum, tot seculorum consuetudinem, & publicam fidem totius Ecclesiæ. Simul & illud constare faciam, vitiosum illud disputandi genus in petendo principio, quod tanta cum insultatione derivat in alios, solam ipsi atque unicam fere disputandi formam esse. Idque ipsum illi accidere in his ipsis locis maxime, in quibus illud maxime objicit atque improperat aliis: tunc ista verba, quibus extra locum se jactat, ut legentibus offundat tenebras, nos loco ad id idoneo ventilabimus: & paleas istas, quas pro tritico laborat vendere, vento sparsas dissipabimus. Nam quod homo lepidus videlicet ac facetus irridet Regem, quod asserturus Sacramenta testatur ex professo se capitale fundamentum Lutheri aliis expugnandum relinquere, ac solum quod superstruxit ædificium labefactare, tangetur eo loco, in quo solo convenit: ubi Lutherus idem rursus simili semper conditum sale repetit. Nempe ubi tractabitur, quod missa bonum opus, oblatio, aut sacrificium Luthero non potest esse, propterea quod sit (ut ait) testamentum. Ibi videbis Lector, hominis tam festive dicacis infacetas facetias, in solum Lutherum ludere. Atque hæc quæ nunc promitto tibi, ideo distincte posui, ut eorum quodque, suis à me locis possis exigere. Quorum ita me debitorem constituo, ut nisi in hoc libello persolvam omnia, nihil omnino videar persolvisse, contentus, ut Lutherus in me decantet illud Horatii: Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

(Paleis comparat Lutheri dogmata.)

Respondetur ad id, quod Lutherus fingit se non credere librum Regis ab ipso esse Rege compositum, & simul ostenditur, quos & quam præclaros authores habeat liber Lutheri.

CAP. V.

INterea paulisper ea illa percurram, quibus obiter objectis ei, sic homo se sapiens explicat, ut id conando magis ac magis implicet atque involvat. Sed prius mirifice se putavit scilicet irritaturum Regem, si se simularet non credere librum à Rege editum, ipsius esse Regis, sed Lei videlicet, aut alicujus (ut ille vocat) pituitosi Sophistæ: quasi quisquam Luthere tam pituitosus esset, cujus pituitam non præoptet, quisquis non planè furit, quam furiosam bilem tuam. Male torquet nebulonem istum, quòd notior est, & non in sola Britannia celebratior, eruditio eximia Regiæ majestatis, cum in aliis plerisque disciplinis omnibus, tum præcipue in re Theologica, quam ut cuiquam possit persuadere stolidus, alieno libro voluisse venari gloriam Regem sapientissimum, ex furioso fraterculo, cum quo magis duxit, opinor, inglorium contendere, quam gloriosum vincere, præsertim in tali re, quæ cum per se clara nunquam non esset, eam tamen factam sciret adversarii stultitia clariorem. Nec scripsisset, opinor, omnino quicquam adversus talem scurram Princeps, nisi pro Christi honore nihil sibi duxisset inhonorum: sed veluti pro Christi nomine pugnam detrectare nollet, adversus infidelium (si sors ita ferret) vilissimum, sic pro Christi fide, calamo certare dignatus est, adversus hæreticorum stultissimum. Verum video, quid Lutherus velit: optat id quemque credere de libello Regis, quod ipse sibi conscius est, & nemo factum nescit in suo. Nam quis ignorat, illius responsionem non unius cujusquam labores esse? Quod enim unum caput potuisset unquam tantum stultitiarum parere? Ipsa mediusfidius phrenesis assiduo tot neniarum partu fuisset effœta. Sed multæ (quod plane compertum est) insanissimorum nebulonum libidines Lutheri fœtum hunc informem ac monstro-

(Summa Principis bonitas.)

monstrosum genuêre. Et sicut in compotationem solent suum quisque symbolum conferre, sic in libellum istum stultitiarum farraginem, communi consilio suum stultorum quisque nugatorum stulte dictum contulit.

Nam quum Lutherus Regis accepisset librum, atque aliquid ejus delibasset, vitiato gustui cœpit salutaris cibus amarescere. Quem quum devorare non potuit, jam potando cupiens amariciem ejus eluere, convocavit compotorum suorum Senatum. Ibi quanquam opus illud maluisset perpetuis tenebris abditum, tamen quoniam celari non potuit, quum calicibus epotis bene firmasset animum gravatim profert librum. Legi cœptus, asininas auriculas cœpit mordaci radere vero. Claudunt igitur, ac mox resignant rursus, & jam carptim vertunt, si quid forte reperiant, quod ratione possint carpere. Nihil occurrit commodum calumniæ. Jam ut in rebus difficilibus exquiruntur sententiæ. Nam & mœstus esse Senatus cœpit, & Luthero res ad restem vergere, nisi quidam eum dextre sic esset consolatus Bicias. Quid ipsorum referret, quid scripsisset Rex Angliæ, aut quid omnino de fide sentiendum esset, qui nihil proposuissent sibi, nisi per tumultum facta seditione, ipsi tanquam capita factionis inclarescere? Ut & ex seductis simplicibus pecuniam, & ex irritatis eruditioribus caperent voluptatem. Qua in re quid nocuerit, quam vera scribat Rex, aut ipsorum hæreses quam acute refellat. Rescribat tantum Lutherus, & solita sibi insistat via: strenue convitietur, ac rideat. Quotus enim quisque futurus sit è vulgo simplici, quibus imponere, apud quos regnare fuerit satis, qui rem totam ab initio aut velit repetere, aut repetitam possit expendere. Proinde ne deficiat animo: neu sic desipiat tamen ut decernat ratione certandum: probra tantum & convitia per omnes paginas, hyberna nive densius, ingerenda: quorum inexhaustus fluvius Luthero scaturiret è pectore. His armis tutum Lutherum fore, quibus & ferire possit, & referiri non possit. Nam generosum Regis animum indignaturum, talia in se dici à talibus: honestorum omnium animis indoliturum, tantum impune licere nebulonibus. Si rescribat quisquam graviter & severe, contemnet vulgus: quæ res Luthero fuerit satis. Sin instituat quispiam Luthero digna regerere, ridicule fecerit: frigebit enim dictum, quod in illum dicitur, cujus fœdior omni crimine persona est. Sed nec parem quemquam Luthero fore, qui satis fuerit unus, adversus decem loquacissimas & jurgiosissimas meretrices. Et tamen ipsos pro sua quemque virili, non defuturos: atque ita facile victoriam ipsius fore. Isto consilio dato, Lutherus animum revocare cœpit, qui jam fere per posticum fugerat. Verum, quoniam supra solitum sibi morem opus vidit esse jurgiis, (quandoquidem in disputationem nihil habebat aliud, quod prorsus posset afferri) hortatur eos, ut eo quisque properet pergere, ubi stolidorum jurgiorum, & scurrilium scommatum, quam venari plurimam materiam quirent: quarum rerum, ut quisque collegisset sarcinam, protinus ad se conveherent: ex illis enim refarsurum se responsionis suæ farraginem. Cum his mandatis dimittit concilium. Illi igitur abeunt, alius alio, quo quemque tulit animus: & se per omnia plaustra, vehicula, cymbas, thermas, ganea, tonstrinas, tabernas, lustra, pistrina, latrinas, lupanaria diffundunt: illic observant sedulo, atque in tabellas referunt, quicquid aut auriga sordide, aut servus verniliter, aut portitor improbe, aut parasitus scurriliter, aut meretrix petulanter, aut leno turpiter, aut balneator spurce, aut cacator obscœne loquutus sit.

Senatus combibonum.

Bicias potator primo Æneidos.

Propositum Lutheranorum.

Biciæ consilium strenuum.

Atque hæc quum aliquot fecissent menses: tum demum quicquid undecunque collegissent convitiorum, jurgiorum, & scurrilium scommatum, petulantiæ, spurcitiæ, sordium, luti, cœni, stercorum, omnem hanc colluviem in fœdissimam cloacam Lutheri pectus infarciunt. Quam ille totam, in libellum istum suum convitiatorium, per os illud impurum velut comesam merdam revomuit. Inde tibi Lector acervus ille spurcissimorum latratuum, quibus solis stultissimus libellus impletur. Nam quum de re conatur aliquid, detrahe tantum ornatissima illa scurrilitatis emblemata, statim videbis Lector, è tanto verborum cumulo, quam exiguus rerum restet manipulus, & ille tamen ipse corruptus. Quod, ut tibi magis fiat perspicuum: age, excutiamus (ut facturus eram) ea vitia, quæ paucis obiter objecta, multis verbis contendit rejicere. Etenim facilius erit conjicere, qualem se præbeat in oppugnando altero, qui tam belle defendit sese.

Revincit impudentem vanitatem Lutheri, qui falso scribit, Regem nullam ejus repugnantiam proferre, sed verbo duntaxat asserere, illum sibi esse contrarium.

CAP. VI.

PRiusquam, inquit, ad rem ipsam veniamus, primum diluam duo crimina quæ mihi Rex Thomisticus præ impotentia sua muliebri imponit. Quorum alterum est, esse videlicet me mihi ipsi contrarium.

Verba Lutheri.

Hoc igitur crimen ut diluat, tanquam magna innocentiæ conscientia magnifice recenset, editorum ab se librorum catalogum, ne quis eorum venenorum nesciat nomina, quibus veneficus, conatus est Christianum vulgus inficere. Quos ipsos libros quisquis diligenter inspexerit, tam multas, tam apertas, tam absurdas inveniet repugnantias, ut ei nihil aliud hac librorum recensione Luther⁹ fecisse videatur, quam si hominem jugulasset inspectante populo, deinde vocatus in judicium, eos ipsos omnes innocentiæ suæ testes produceret, qui sceleris fuerant spectatores. Sed hic opinor, aliqua jubebit à me proferri, illarum contrarietatum exempla: & ex illo mari aliquam afferri lagenam, quasi aut opus sit ostendere, quod nemo videt: aut non olim ei multas ostenderit vir doctissimus Ambrosius Catharinus, & ostendantur

Apposita comparatio.

Ambrosi⁹ Catharin.

dantur in ipso Regis libello nonnullæ. Quarum si multas hoc loco (ut possum) producerem, Lutherum (quæ est hominis verecundia) non puderet iterum dissimulare productas, & rursus ut producerentur aliqua flagitare. Nam cum ejus generis multas protulerit vir, ut dixi, doctissimus, Ambrosius Catharinus, jam Lutherus in morem simię, per cachinnos ad unum respondet aut alterum, reliqua vero tam aperta, ut nec è scurrilium scommatum divitiis suis invenerit ullum, quod posset opponere, per dissimulationem prorsus reliquit intacta: & ad id se convertit, in quo solo valet, ut virulentissimis conviciis, & insanissimis jurgiis, impeteret sedem Romanam, morionum more, qui, cum ab alio percutiantur, protinus percutiunt alium. An non simili dissimulatione utitur, cum nunc ait Regem in suo libello, ne unum quidem locum proferre, saltem exempli grátia, quo Lutheri inconstantiam convincat?

Impudens calliditas Lutheri.

SOLVM rhetoricatur, inquit, gloriosus Rex, hoc modo. Lutherus sibi pugnat: quis ei credat? Sic dixisse satis fuit defensori novo Ecclesiæ & numini recens in Anglia nato. Cæterum ostendisse exemplum non fuit opus, ne daretur Luthero occasio sese purgandi, & stultum Regem pro dignitate Thomistica tractandi.

Verba Lutheri.

AN Non ista verba nebulonis impudentissimi, quisquis audierit, si neque Lutherum nosset, neque Regis librum legisset, protinus persuaderet sibi Regem nullam Lutheri contrarietatem usquam protulisse, sed de industria celasse, ut ea posset licentius dicere, quæ Luthero negaretur facultas defendendi? At idem si Lutheri legisset opuscula, is Regem nihil peccasse fateretur, si rei nemini non compertæ probationem nullam proferret. Idem si Lutheri nosset vanitatem, non dubitaret, à Rege factum, quicquid Lutherus à Rege factum esse negarit. Quod si librum regium etiam legisset: cum ibi tam multa videret eorum, quorum ne unum quidem ibi esse scribit Lutherus, quot quantisque modis damnet necesse est, improbissimi nebulonis mendacissimam sycophantiam. Quam rem vel is unus locus abunde probaverit: quem primum in medium proferam. Vel ob id, quod post ista, quæ cavillando conatur eludere, in quibus se non dissentire dicit sibi, sed mutare sententiam omnium primus existat.

En scurrilitas nebulonis.

Vanitatis omnis antistes Lutherus.

Nam quum Lutherus in captivitate Babylonica dixisset, omnibus esse præceptum, ut Eucharistiam sub utraque specie reciperent: & non ita multo post, in eadem pagina diceret, neutram omnino speciem cadere sub pręcepto: Regia majestas his verbis, quæ sequuntur, attingit insignem hominis ita secum pugnantis, amentiam.

AT VIDE quæso, quàm vacillet, ac sibi repugnet Lutherus: uno loco dicit, Christum in cœna omnibus omnino fidelibus, non permittendo, sed præcipiendo, dixisse: Bibite ex eo omnes. Postea vero, timens ne laicos, quibus in Sacerdotum odium adulatur, offenderet, hæc verba subjungit; Non quod peccent in Christum, qui una specie utuntur, quum non præceperit ulla uti, sed arbitrio cujuslibet reliquerit, dicens: Quotiescunque hæc feceritis, in mei memoriam facietis, sed quòd illi peccant, qui hoc arbitrio volentibus uti, prohibent utramque dari. Culpa non est in Laicis, sed in Sacerdotibus. Videtis apertè, quod primo dixit esse præceptum, hic dicit non præceptum esse, sed cujuslibet arbitrio relictum. Quid opus est ergo, nos illi contradicere, qui sibi toties contradicit ipse?

Verba Regis.

Quæso te per tuas furias, quid habes hic amice Luthere, quod dicas? Contendes hic te tibi non esse contrarium, & tam impudens eris aut stolidus, ut idem esse defendas, & utramque speciem omnibus esse præceptam, & neutram esse præceptam cuiquam? Quod si aut tu tam impudens esses ut peteres, aut quisquam tam insanus, ut ista petenti concederet, tamen nihilo magis posses, ex vanissimæ sycophantiæ tuæ laqueis effugere. Nam quum scribis, ideo Regem nullam contrarietatum tuarum exempli causa proferre, ne tibi purgandi tui detur occasio: perspicuum est desiderare te, non omnino talem, quæ purgari non possit, sed vel talem saltem, quam adversarius vocaret repugnantiam, in qua tibi facultas esset ejus vitii notam, si qua posses arte purgare. Ecce prolatus est à Rege locus unus, qui legenti librum mihi primus è multis occurrerat, in quo tibi tu tam aperte pugnare convinceris, ut (quamquam turpiter impudens es) qui locum vulgo notum, stulto silentio dissimules, & improbe mendax, qui, quod alii legunt omnes, & ipse tanto cum dolore legisti, ut ita lectum oblivisci non possis, id nusquam scriptum esse contenderes: adhuc tamen perfricando frontem non potuisti efficere, ut auderes pro loco non pugnante defendere. Quod si maxime posses: quamquam sic effugeres, ne teneri posses ex eo uno loco tibi esse contrarius, tamen nihilo magis vitares, quo minus vincereris improbissimi planeque digni vero nebulone mendacii, qui tanto cum fastu jactasti, ne unum quidem locum à Rege prolatum esse, vel exempli certe causa, ne tibi daretur occasio purgandi tui. Quamobrem candide Lector (ut ad te misso nebulone revertar) sufficit hic unus locus, ad revincendum (ut dixi) Lutherum impudentissimi mendacii qui negat à Rege locum esse prolatum ullum repugnantiæ suæ, ne sibi daretur occasio purgandi sui. Sed quo magis adhuc vanitas hominis elucescat, accipe Lector & alium.

Lutherus convincitur sibi contrarius esse.

Id quidem crebrum est Luthero.

Scripsit Lutherus in Babylonica sua, Sacramentum ordinis esse quiddam novum, & Ecclesiæ Christi ignotum, recenter autem inventum ab Ecclesia Papæ: & tamen idem fatetur, esse apud divum Dionysium, quem non negat esse antiquissimum stolidissimam istam hominis repugnantiam non præteriit Princeps. Sed iis verbis acutissime perstringit.

Convincitur Lutherus sibi cōtrarius.

SI solus ex antiquis patribus Dionysius ordinem

Verba Regis.

dinem esse scriberet Sacramentum, vel hoc satis esset ad evertendum Lutherum, qui videri vult inventionem ejus Sacramenti novam esse. Repugnat enim esse novum, quod ab illo fatetur scriptis comprehensum, quem fatetur antiquum.

Ecce Lector, quid non audebit iste mentiri, quem non pudet fingere, nullum locum protulisse Principem, quo dicat eum sibi fuisse contrarium, quando hic unus locus talis est repugnantia, ut ea prolata, tribus fere versibus Princeps totum fundamentum nebulonis everterit. Neminem usquam puto tam addictum esse Luthero, quin sit fassurus, utrumlibet horum locorum sufficere, ad coarguendam ejus impudentiam, quem non puduit tanta magnificentia jactare, nullum, ne exempli quidem causa, locum à Rege prolatum esse, quo Lutherum diceret, dicere sibi ipsi contraria. Nos tamen, ut hac in parte supersint potius multa, quàm quicquam desit, adjiciemus adhuc locum tertium, adjectui supra decimum, nisi nos puderet in re manifesta sic immorari. Quum Lutherus urgeri se cerneret apertissimis verbis ex epistola Jacobi, non solum in Sacramento unctionis extremæ, sed etiam in eo, quod ejus maledicam linguam, & virulentum pectus pulchre depinxit Apostolus: ut Princeps prudentissimus & sagacissime deprehendit, & elegantissime tetigit, æstuare cœpit insania, & cupiens ulcisci se, primum contempsit Epistolam, deinde floccifecit Apostolum. Posterius istud leges, ubi voles, in ipso Regis libello. Cæterum illud prius de Epistola tangetur à nobis, quam ita contempsit, ut diceret, probabile esse eam non esse Apostoli, propterea quod nihil haberet Apostolico spiritu dignum. Ea in re ipsa Regis verba subscribam, ut videre possis: an Rex nullum prorsus attulerit locum, in quo diceret, sibi repugnare Lutherum. Regis ergo verba sunt hæc;

[Margin: Quid? cum eum non puduit in re manifesta sic mentiri?]

[Margin: Num hanc doctrinam cœlo habes Luthere?]

[Margin: Verba Regis.]

CERTE si rationes attulisset Lutherus, quare Epistola non esset Jacobi, sed tantum alterius cujuspiam, qui eodem loqueretur spiritu, potuisset utcunque ferri. Nunc vero didicit esse probabile, quod sit indigna spiritu apostolico. Qua in re non alium objiciam Luthero, quam Lutherum ipsum: Neque enim Luthero quisquam aut sæpius ferme, contradicit, aut validius, quam Lutherus. Is igitur in Sacramento ordinis ait Ecclesiam, hoc habere datum, ut possit discernere verba Dei à verbis hominum. Quomodo ergo nunc dicit, Epistolam Apostolico spiritu indigna esse, quam Ecclesia, cujus judicium (ut ait) in hac re falli non potest, Apostolico spiritu judicavit plenam? Quamobrem nunc ita se sua sapientia constrinxit undique, ut aut necessario comprobet Epistolam esse Apostoli (cujus contrarium dixit esse probabile) aut dicat Ecclesiam, in Scriptura sacra posse dijudicando falli: quod eam posse negaverat.

[Margin: Objicitur Luthero Lutherus.]

[Margin: Extricate Luthere.]

QUID hoc loco Lector apertius? Quam frontem habet nebulo, quem tam aperta negare non pudet? Quid eum necesse est ab his audire, qui locis istis cum illius impudendi mendacio collatis, vanissimi scurræ scurrilia verba considerent, quando scurratur hoc pacto?

Quando ergo larvam, verbis larvatis sine exemplo ludere libuit in re tam seria & sacra. Ego sine larva sed aperte dico, Regem Angliæ Henricum istum plane mentiri, & scurram levissimum mendaciis suis magis referre quàm Regem. Hoc crimine ego Lutherus, Thomistam hunc virulentum palam accuso, & testibus tum libellis tum lectoribus meis per orbem convinco. Facessat mihi in hac re majestas Regia & mea humilitas, cum mendace scurra loquor, regiis titulis velato de rebus divinis, quarum injuriam adversus mendacia tueri pertinet ad quemlibet Christianum. Si stultus Rex sic Regiæ majestatis obliviscitur, ut mendaciis apertus in publicum audeat prodire, idq; dum sacra tractat, cur mihi non pulchrum sit, mendacia ejus rursus in os ejus regerere, ut si quam voluptatem concepit adversus divinam Majestatem mentiendo, eam amittat veritatem adversus suam majestatem audiendo.

[Margin: Lutheri verba.]

[Margin: Num sic Paulus mordere solebat Luthere?]

[Margin: An ex te nebulo mendacissime.]

EXPENDE quæso Lector æquissimas causas, ex quibus hic venerabilis pater fas esse censet, in Regem, veluti suo jure scurrari.

Quoniam Rex ausus est dicere, Lutherum sibi ipsi esse contrarium, id dictum Regis Lutherus in duo partitur crimina, eademque valde capitalia. Alterum, quod Rex hoc dixerit, nullo, ne exempli quidem causa, prolato loco, ne ipsi locus esset defendendi sui. Qua in re quam vanus & impudens sit venerandus Pater, tertio saltem jam prolato loco vides. Alterum, quod Rex eo dicto mentitur adversus divinam majestatem. At cum nihil dixit aliud Rex, nisi quod sæpe jam probavit delirare, & assidue cum se ipso pugnare Lutherum: necesse vides esse Lector, ut si hac in parte mentiatur Princeps, adversus Majestatem Dei, majestas illa Dei sit majestas Lutheri. Neque enim de alio Deo locutus est Rex: itaque manifeste vides, ut hic reverendus pater aperte nobis renunciatur Deus, & ipsius ore suo buccinatur apotheosis. Imposterum ergo cavendum est, ne hunc novum inferorum Deum, tam irritabilem irritemus, sed in os cerbereum conjectis offis, conemur placare placentulis: & Stesichori more palinodiam canendo mitiget Rex hoc pacto divus Lutherus non est sibi contrarius, non inconstans, non mendax, non improbus, non virulentus, non blasphemus in Deum, non insanus, non nebulo, non hæreticus: sed ipsa fide fidelior, ipso honore honoratior, ipsa prudentia prudentior, Dei vero divis ipsis reverentior ipso candore candidior, ipsa probitate probior, ipso pudore pudentior, ipsa constantia constantior, & ipsa veritate veracior. Cujus rei vel hoc satis documenti præbet, quod tantis ampullis ausus est jactare, nullum locum suæ repugnantiæ protulisse Regem, ne exempli quidem causa, ne ipsi daretur occasio defendendi sui. Quum ipse non nesciat omnibus aperte clarere Regem protulisse loca multa,

[Margin: Ægre fert Lutherus vel leviter sibi contradici.]

[Margin: Palinodia canenda Regi.]

[Margin: Jam arrige aures asine.]

multa, quorum nullum potens defendere, coactus est, impudentissime dissimulare omnia, & negare producta. Qua stolidissima negatione victus est multo turpius, quam ulla unquam vinci confessione potuisset.

Quemadmodum ergo Lutherus pro se petebat Lector, ut ex eo Regis in se tractando fidem æstimares, quod Rex nullum proferat contrarietatis ejus exemplum: ita nunc ego te vicissim precor, ut Lutheri vanissimam fidem, ex hoc tam improbo mendacio, tam convicta vanitate ex impudentia tam pudenda judices, certissimus quamcunque partem hominis excusseris, qualem hac una in re perspexisti, talem in omnibus esse reperturum.

Æqua postulatio.

Probat, Lutherum parum probe refellere notam levis inconstantiæ, & crimen stolidæ maledicentiæ.

CAP. VII.

NAm operæ pretium est videre, quam pulchre illa ipsa defendat, in quibus videri vult, sibi ipsi non fuisse contrarius. Quum objectum esset ei, quod olim moderatius errasset, & de indulgentiis, & de Romani Pontificis potestate: Postea vero, correptus ira atque invidia, sententiam mutasset in pejus: homo suavis tuetur se Pauli exemplo atque Augustini, ut cum illis nemo vitio vertat, quod à malo vertant in bonum: stupidus plane fuerit, qui Luthero non ducat laudi, quod ab scelerato mutavit in sceleratius. Præsertim cum constet omnibus, afflante Christo, charitatem illos, & pium erga Deum studium habuisse in consilio: Lutherum nemo nesciat, insufflante Diabolo, superbiam immanissimam, odium crudelissimum, invidiam virulentissimam, consiliarios omnium perniciosissimos adscivisse sibi. Iis suasoribus homo constanter inconstans (ut nemo repente fit deterrimus) à malo primum in pejus, post gradatim, jam à pejore profecit in pessimum. Et tamen tanquam via versa, pervenisset ad optimum, in arduam illam virtutis arcem subvectus, inde scilicet sibi plaudit uni, & subjectum terrarum orbem despectans, miseris insultat mortalibus ac musto tantæ felicitatis ebrius, tam procul è sublimi non sentit, quantos in se risus è terris excitet ejus furiosa stultitia. Quis enim non rideat nebulonem miserrimum, tam furiosas efflantem glorias, quasi sederet in Christi pectore, cum clausus jaceat in culo Diaboli? Inde crepat, ac buccinat magnificas ipse de se victorias. Inde sese jactat vicisse Papam, Episcopos, Monachos, Moniales, missas: ac sese probasse, nihil aliud illa esse omnia, quam mera portenta, idola, larvas, mendacia. Et ipsissimam abominationem stantem in loco sancto: & quod furor sit sacrilegi populi, velle per opera coram Deo agere, & non sola fide. Inde se gloriatur Ecclesiam totam calcare pedibus pediculosus fraterculus, & se futurum ursam in via, & leænam in semita, atque hostem tam implacabilem, ut

Sic Lutherus Paulum & Augustinum imitatur.

Lutheri consiliarii.

Cursim perstringit impia quædam ac stolida verba Lutheri.

hostilem animum, exustus quoque (nam eum vitæ finem ex hæreseos conscientia sibi præsagit instare) sit conduplicaturus, & cineribus in mille maria projectis, persecuturus, & fatigaturus Ecclesiam. Eodem nimirum modo, quo sodales ejus alii cacodæmones. Obsecro Lector, quis vel ex his furiosi verbis non videat, furias omnes inferas, excusso homini cerebro, in vacuo sedem sibi fecisse capite? quæ adeo dementant eum, ut sentire non sinant, quam ridiculum ac miserabilem toti orbi se thrasonem præbeat, & quod ex eodem furoris fonte, unde ista convitia, jurgia, maledicta, blasphemiæque promanant, effluit illa quoque Stygiæ paludis unda, qua sibi videtur homo demens, maledicentiæ crimen eluere, luto novæ maledicentiæ. Nam id erat alterum, quod objectum sibi conatur hoc pacto propellere.

Lutheri Sodales.

AD alterum, inquit, vitium, nempe mordacitatis, quo me sugillat Rex, respondeo. Primum ei probandum fuisse iniquam meam mordacitatem, & Papatum innocentem esse. Alioqui cur Christus ipse, Matth. XXIII. tanta vehementia Scribas & Pharisæos mordet & hypocritas, cæcos, stultos, plenos immunditia hypocrisi, homicidas criminatur? Et Paulus quoties vehemens est in concisiones (ut vocat ipse) suas & Pseudapostolos, quos adulterantes & cauponantes verbum Dei, canes, dolosos operarios, Apostolos Satanæ, filios Diaboli, plenos dolo & malitia, deceptores, vaniloquos, fascinatores & circulatores vocat? An & hos Thomista larvatus mecum accusabit invidiæ & superbiæ?

Verba Lutheri.

Quam belle probat, se non inique Ecclesiæ maledicere.

Horum tu Lutherus.

Et paulo pòst.

Rex vero tanquam obtinuisset Papatum sanctum esse, plaustris virulentiæ & maledicentiæ suæ debacchatur in meam mordacitatem. Stolidum scilicet caput quod abunde cognovit, Papatum apud me pro Antichristi regno haberi.

VIDE amice Lector, in quas angustias hic conjecit Regem, cui priusquam Lutherum argueret maledicentiæ, probandum videlicet fuerit, Papatum innocentem esse: nec debuit reverendus Pater quum vellet blasphemare Papatum, probare prius Papatum esse nocentem. Hanc civilem prudentiam, longo nimirum usu didicit, ex more & consuetudine judiciorum. Ubi quisquis accusatur aliquod patrasse facin', illico probare jubetur non fecisse se: nec tam amens unquam fuit, ut ab illo, qui reum in jus protraxit, facti probationes exegerit. Verum putat fortasse se Reverendus Pater accusatoris partibus egregie fecisse satis, quòd aliquot jam jurgiosis voluminibus, probris & conviciis perfudit Romanæ sedis antistites, quos omnes, nisi Rex vicissim doceat fuisse prorsus impeccabiles, injurius fuerit in Reverendum Patrem, nisi permittat eum, citra ullam maledicentiæ culpam, non Papis aliquot malis, sed ipsi papatui maledicere. Etiam æquus est ac peritus accusator, ebrius iste calumniator, ut quia Papas aliquot accusavit, ideo petat à judicibus, ut in ejus gratiam dignentur, non illos quos accusa-

Quam æqua Lutherus exigat, vide.

vit, Papas, sed ipsum damnare papatum: tanquam si quis probet aliquos esse malos consules, objurget consulatum: aut propter aliquos Senatores improbos, Senatum omnem postulet ex omni prorsus urbe depelli: aut si quis denique propter aliquot Lutheri similes fraterculos, fratrum prorsus omnium totos condemnet ordines.

Non potest quantumvis impudens Lutherus negare, bonos & sanctos fuisse Romanos aliquot Pontifices: nec est Propheta tantus, ut certo possit prædicere, bonos nunquam futuros, quando nec in præsentis antistitis aut electionem sanctam, aut inculpatam vitam quicquam queat objicere: & tamen ex aliquot, quos ipsi libet vocare malos Papas, ipsum damnat papatum. Sic igitur arguit nobis Reverendus Pater, frater, Martinus Luther. Aliqui Papæ fuerunt mali, ergo Papatus est malus. Quid, si quis contra sic argumentetur à simili? Fratres aliquot Augustinenses sunt hæretici, seditiosi, schismatici, ergo tota fraternitas Augustinensium est hæretica, seditiosa, schismatica. Deinde subsumat sic, sed Reverendus Frater, Pater, potator Lutherus, est frater Augustinensis, & suppositum fraternitatis illius: ergo frater, pater, potator Lutherus, est schismaticus, & seditiosus hæreticus. Quo pacto posset vestra paternitas ex ista consequentia, quæ tenet per regulam vestræ paternitatis, effugere? Certe non habetis, nisi unum effugium: quod ante hoc argumentum vobis factum, paternitas vestra vestro fugit ex ordine. Verum tam argutas argutias non intelligit hebes videlicet Thomista Rex, sed facile perpendit acutus Satanista Lutherus, quum Christus, & Paulus, tam vehementer arguerint, alter Scribas, & Pharisæos, alter Pseudapostolos, in quos potestatem habuerunt: ideo sibi licere scilicet, pediculoso fraterculo, in Reges, Principes, Pontifices, & eorum prætextu, quos ipsi vocare libet Pseudapostolos, in apostolatum verum, pro animi sui furiosa libidine quam libet impotenter invehi. Nec illum quicquam illi Christi verba commovent, quæ furialem istam ejus petulantiam coërcere debuerat: quibus populum jubet Christus, ut Scribis ac Pharisæis, quanquam malis, tamen propter Mosi cathedram obtemperarent, nec sedem sanctam spernerent propter sessores indignos. Quin & Paulus ipse per injuriam percussus à Pontifice, quum respondisset, percutiet te Deus paries dealbate, admonitus esse Pontificem, excusavit se, quod pro malefacto regesserat maledictum. Et iste nebulo se gloriatur Apostolis Christi, atque ipsi propemodum Christo, parem, dum propter hominum paucorum vulgo jactatum vitium, in sanctum debacchatur officium, & Romani Pontificis vere paternam charitatem, furiosis jurgiis & conviciis retaliat. Vides ergo Lector candide, quam præclarè se Lutherus hac in parte gesserit, qui sic ab se maledicentiæ crimen, & inconstantiæ depulit, ut non illa tantum duo sibi retinuerit, sed impudentis etiam stultitiæ, ac furoris adjecerit, quæ nunquam ita poterit eluere, quin gloriosum Lutheri nomen infamatura perpetuo corporis, ut ipse vaticinatur, exusti cineribus, & in mille maria projectis, inhæreant.

Refellit Lutheri generale responsum, quo contendit nihil certo credendum esse, quod probari non possit evidente Scriptura.

CAP. VIII.

His igitur criminibus sic ab eo depulsis, ut ventus cæcias à se depellit nubes, tandem veniamus autem nunc, inquit, ad ipsam rem. Videlicet postquam ex octo & viginti pagellis, paginas septem tam exigui voluminis, in tanta re partem quartam ex confesso consumpsisset extra rem: tandem incipit jacere fundamentum, quod haberi vult adversus omnia, quæ regius adversus eum liber continet, generale responsum. *Perittologia Lutheri.*

Sed hic vide Lector, hominis de sua causa male conscii vane vafrum consilium, quod & prodit diffidentiam, & inani succurrit astutia. Audivit noctem esse pro infirmis copiis: eoque pugnaturus ipse, statim fugit in tenebras.

Responsionem comminiscitur, omissis omnibus, ad quæ respondeat, tanquam ad ea singulatim responsurus, in ea parte, qua se respondere simulat particulariter. Et tamen quum eo ventum est, vix verbum ullum invenias, cum fide recitatum: Firmissimum vero quodque mira dissimulatione præteritum. Sed in generali isto responso præcipue, nulla prorsus re proposita, quam Rex objecerat, conatur animum Lectoris, duntaxat in se convertere, tanquam futuro nemine, qui tam stolidam ejus solertiam unquam deprehenderet. Nos ergo Lector diversa gradiemur via. Nam serpentem istum cæcum, è terris ac tenebrosis latibulis invitum protrahemus in lucem, & è libello Principis excerpta quædam isti responsioni præscribemus. Deinde responsionem ipsam subjungemus, ut quum utrumque simul sub oculis habeas, facilius judicare possis, hac speciosa responsione, quam velut omnium responsionum summam posuit, adversus illas objectiones Principis, ad quas respondere debuit, quàm nihil omnino responderit. *Lutheri sciomachia.* *Trade hæc memoriæ Lector.*

PRIMUM in Sacramento Eucharistiæ. Præterea quòd in canone Missæ quædam verba velut à Christo prolata, recensent, quæ nusquam in Scriptura sacra leguntur. Et tamen non dubitatur, quin dixerit. Multa enim dicta sunt & facta per Christum, quæ nullus Evangelistarum complectitur. Sed quædam recente memoria, eorum qui interfuerunt, velut per manus deinceps tradita, ab ipso Apostolorum tempore, ad nos usque pervenerunt. Lutherus non dubitat, CHRISTUM in cœna dixisse: Hæc quotiescunque feceritis, in *Verba Regis.*

mei memoriam facietis. Atque hæc usque adeò pro comperto habet, Christi verba fuisse, ut inde sumat argumentum, neminem cogi ad recipiendum Sacramentum, sed rem cujusque relictam arbitrio, tantùm ad hoc astringi, ut quoties facimus, faciamus in memoriam Christi. Hæc ergo verba non legit apud Evangelistas, in Cœna Domini. Nam illic nihil aliud legitur, quàm, Hoc facite in mei commemorationem. Ubi ergo legit illa verba: Hæc quotiescunque feceritis: an non in Missa? Opinor certè non alibi. Nam apud Apostolum alia sunt. Igitur qui tantum fidit, & utitur illis verbis; quia reperit in canone: cur non pari fide suscipit ejusdem verba canonis, quibus Missa oblatio dicitur & sacrificium?

Eo solo Lutherum initi quod damnat.

Et alibi de Sacramento Confirmationis.

At quum loca quædam Lutherus ipse commemorat; è quibus (quanquam id Lutherus irridet) habere non absurdè potuerit Sacramentum Confirmationis initium; cur tam maligne de tota judicat Ecclesia: quasi temere Sacramentum suscipiat, propterea quod in illis locis nullum legit verbum promissionis? quasi nihil omnino promiserit, dixerit, fecerit Christus, quod non complectantur Evangelistæ.

Hac ratione, si tantum Joannis extaret Evangelium, negaret institutionem Sacramenti in Cœna Domini, de qua institutione nihil omnino præscribit Joannes: qui eodem DEI consilio non tetigit istud, quo multa alia præterierunt omnes, quæ fecit JESUS: quæ (ut inquit Evangelista) non sunt scripta in libro hoc: & quæ totus mundus non posset capere. Ex quibus nonnulla, per Apostolorum ora fidelibus patefacta sunt, & perpetua deinceps Ecclesiæ catholicæ fide conservata. Cui, quare non debeas de quibusdam credere (quanquam non legantur in Evangeliis) quum (ut Augustinus ait) nisi tradente Ecclesia scire non posses, quæ sint Evangelia? Quorum si nullum unquam scriptum esset, maneret tamen Evangelium scriptum in cordibus fidelium, quod antiquius fuit omnium Evangelistarum codicibus; manerent Sacramenta, quæ & ipsa non dubito Evangelistarum libris esse omnibus antiquiora: ne putet Lutherus efficax argumentum esse frustra suscepti Sacramenti, si non reperiat institutum in Evangeliis. Alioqui si nihil omnino recipiat, quod non tam apertè legat in Evangelio: ut tergiversandi non sit locus: quomodo credit (si modo credit, qui ferè nihil credit) perpetuam Mariæ virginitatem? De qua, adeo nihil invenit in Scripturis, ut Helvidius non aliunde quàm ex Scripturarum verbis arripuerit ansam decernendi contrarium.

Uter vestrum hic triumphat Luthere?

Nec aliud opponitur illi, quàm totius Ecclesiæ fides, quæ nusquam major est, aut fortior, quàm in Sacramentis. Ego certè neminem esse puto, qui scintillam ullam habeat fidei, cui persuaderi possit, quod Christus, qui pro Petro oravit, ne fides ejus deficeret: qui Ecclesiam suam supra firmam petram collocavit: pateretur eam, tot seculis universam corporalium rerum signis inanibus, erronea fiducia, velut divinis Sacramentis obstringi. Si nusquam inde quicquam legeretur, illi tamen verbo mentem Domini poterant enarrasse, qui præsentes versati sunt cum eo, de quibus sic ait: Vos testes estis, qui mecum ab initio fuistis. Docere poterat, quid debebat fieri, Paracletus ipse, de quo dixit Christus: Quum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit: ille testimonium perhibebit de me. Et rursus. Quum venerit ille, qui est Spiritus veritatis, vos ducet in omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit, loquetur: & quæ futura sunt, annunciabit vobis. Ecclesia ergo; quum tot & tales habuerit Præceptores, tot vivos Evangelistas, & Spiritum illum, qui veritatem inspirat, credetur temerè instituisse Sacramentum, & spem in signo collocare nihili? Non credetur potius ab Apostolis: non credetur potius à Spiritu sancto didicisse?

Argumentum à probabili.

Et paulò post de Sacramento Matrimonii.

Negat, usquam promissam esse gratiam. Negat usquam institutum esse pro signo. Unde hæc novit? Quia non legitur, inquit, Orationem fortem, & multarum hæresium parentem. Ex hoc fonte venenum hausit Helvidius. Nullum Sacramentum admittis: cujus institutionem non legis in libro? Quem librum unquam scripsit ille, qui instituit omnia? De quibusdam, inquis, credo Evangelistis Christi. Cur ergo de quibusdam, Christi non credis Ecclesiæ? quam Christus omnibus præponit Evangelistis, qui non nisi membra quædam fuerunt Ecclesiæ. Quamobrem si fidis uni, cur diffidis universis? Si membro tribuis tantum, cur toti nihil tribuis corpori? Ecclesia credit esse Sacramentum: Ecclesia credit à DEO institutum, à CHRISTO traditum, traditum ab Apostolis, traditum à sanctis Patribus, per manus deinceps, pro Sacramento traditum, ad nos pervenisse pro Sacramento, per nos tradendum posteris, ad finem usque seculi, pro Sacramento venerandum. Hoc Ecclesia credit: & quod credit, dicit. Hoc inquam, tibi dicit eadem Ecclesia, quæ tibi dicit, Evangelistas scripsisse Evangelium. Nam nisi Ecclesia diceret Evangelium Joannis, Joannis esse, nescires esse Joannis. Non enim adsedisti scribenti. Cur ergo non credis Ecclesiæ: quum dicit, hæc Christum fecisse, hæc Sacramenta instituisse, hæc Apostolos tradidisse: quemadmodum credis ei: quum dicit hæc Evangelistam scripsisse?

Fortissimum argumētum Lutheri.

Talis est Lutherana dialectica.

AUDISTI Lector unum aut alterum locum è multis, quæ scripsit Rex: in quibus ostendit multa dicta, facta, tradita esse per Christum, quæ nullus Evangelistarum com-

plectitur: quæ nullis Apostolorum scriptis continentur; nulla Scriptura commemorantur: sed eorum recente memoria, qui interfuerunt, velut per manus deinceps tradita ab Apostolorum tempore, ad nos usque pervenerunt: & Ecclesiam Catholicam, in Sacramentis & articulis fidei, à Spiritu sancto & doceri, & gubernari. Atque ista probat, non ex eo solum, quod alioqui absurdissima quædam sequerentur: sed ex apertis Evangelistarum verbis, evidentibus etiam sacrarum literarum testimoniis, & ipsius præterea Christi. Quid ad hæc Lutherus obsecro? Sermove paulisper Lector jurgia, cachinnos, risus, & convicia: nihil invenies aliud, quàm duas propositiones has. Nihil verum, ac certum esse præter evidentes Scripturas: cætera omnia traditiones esse hominum, & cujusque arbitrio relicta. Sed interim ad rationes, quas affert Rex: ad authoritatem Evangelistarum, atque ipsius Christi, quibus probat præterea, quæ scripto comprehensa sunt, facta, tradita, præcepta fuisse alia, quibus omnino responsum esse oportuit: nihil omnino respondet. Quamobrem qui sic respondet, ut ea, quibus respondere debuerat, omnia relinquat intacta, quid aliud facit, quàm planè fatetur se nihil habere, quod dicat. Quæ res, quanquam per se manifesta est, tamen quo fiat magis adhuc dilucida: Lutheri verba recensebimus, & nubes ac nebulas, quibus involvit se nebulo, discutiemus.

Summa libelli Lutheri.

Lutheri verba.

VENIAMUS autem nunc, inquit, ad ipsam rem, & more Aristotelis, qui Thomistarum DEUS est; Primo generaliter, deinde specialiter, de causis istis disputemus. Summum generale & unicum robur Henricianæ sapientiæ, in tam regio libello est, nulla scripturæ authoritas, nulla ratio urgens, sed Thomistica illa disputandi forma; Mihi sic videtur. Ego sic sentio. Ego sic credo. Et ut hic mei Amsdorfii recorder, sic disputat stolidus Rex, sicut ille recitare solet, disputasse Lipsenses Theologistas. Ubi quum respondens negasset assumptum opponenti, probabat idem opponens hoc modo; Oportet sic esse. Illo iterum negante, Denuo & ille, Et quomodo potest aliter esse? Oportet sic esse, pulcherrime, & Thomisticissime, quin & Lipsicissime & Henricissime. Sic cum ego in meo libello hoc Thomisticum generale principium maxime impetiissem, & divinas scripturas adversus ritum, usum, consuetudinem, authoritatem hominum statuissem, Dominus noster Rex nihilominus, pro sua Thomistica sapientia, aliud nihil reddit, quàm oportet sic esse, Usus sic habet, Hæc est longa consuetudo, Ego sic credo, Patres sic scripserunt, Ecclesia sic ordinavit &c. Quod si iterum scripsero mille libros, & probavero per scripturas, usum & authoritatem hominum in rebus fidei nihil esse, facilè erit & Regi Thomistico, mille libris respondere, & omissis Scripturis à me inductis, semper iterare, Oportet sic esse, Usus sic habet, Authoritas hominum sic dicit, atque aliud nihil. Si autem dixero, Unde probas, usum & authoritatem humanam valere? respondet, Oportet sic esse, Mihi sic videtur, Sic credo. Nunquid tu doctior es unus omnibus?

Imo tuum magis qui rationem omnem refugias.

Noli mentiri bone vir.

Certè improbior es unus omnibus.

QUIS non rideat, homini stolidissimi furiosum, & in ipsius ridiculum caput recidentem risum? quando Regem nugatur nihil aliud afferre, quàm, Oportet sic esse: Usus sic habet: Hæc est longa consuetudo: Ego sic credo: Patres sic scripserunt: Ecclesia sic ordinavit. Quum nemo nesciat, ipsum Lutherum scire, Regem illorum omnium fere nihil dicere: sed ista dicere: Hoc probat ratio: hoc tradidit Deus: hoc docuit Spiritus sanctus: hoc dicit Evangelista: hoc dicit Apostolus: hoc ipse dicit Christus. Ad quæ omnia, nihil omnino dicit Lutherus.

Intelligis ergo Lector, stipites istos intractabiles, hoc tantum quærere, ut sibi solis credatur. Ego postulo, non mihi, sed apertis Dei verbis credi, illi postulant prærancidis & veternosis sui cerebri visionibus credi, contemptis verbis Dei. Neque enim ego vel usum, vel authoritatem hominum in totum negavi, sed libera esse volo, & indifferentia, quæcunque extra Scripturas sanctas scripta sunt, tanquam articulos fidei necessarios fieri recuso ex hominum verbis. Tolerari volo, quæ bene dicuntur, & geruntur citra Scripturæ testimonium. Tolerari autem libere. At trunci isti, nobis articulos fidei faciunt, ex omni verbo Patrum, quod tantum abest, ut Sancti voluerint suis scriptis tribui, ut nulla majore blasphemia offendi possint, quàm dum per lethargicos Thomistas, eorum libera verba & facta, in necessarios articulos, hoc est laqueos mendaces, in perniciem animarum vertuntur.

Verba Lutheri. Istud non tacebit Parmeno.

ECCE Lector, quàm dilucide proponit Lutherus, quid postulemus nos: quid ipse vicissim postulet. Nos videlicet stipites intractabiles postulamus, ut solis credatur nobis, hoc est solis Italis, Hispanis, Anglis, Gallis, & denique solis omnibus, quæcunque Christi Ecclesia, aut hodie sit, aut usquam gentium, ullo unquam tempore, à Christo passo fuerit. At Lutherus vir æquissimus, nihil postulat aliud, scilicet, quàm ut credatur apertis scripturis, quarum apertissimas passim trahit in dubium: & apertè torquet in hæreses: & quum urgetur, audet contemnere: quæ paulo post faciemus ipsa luce clariora. Sed interea ventilemus illud, quod ait, libera esse & indifferentia, quæcunque extra Scripturas sanctas scripta sunt: & tantum liberè tolerari vult, quæcunque bene dicuntur, aut geruntur, citra Scripturæ testimonium. Istud Luthere si verum est: cur ad illa nihil respondes omnia, quæ tibi objecit Rex? è quibus nos plura suis locis allaturi, pauca protulimus interim: quæ quum supra legerit, qui tuum generale responsum istud leget postea, neque tactum tibi quicquam illorum viderit, sed velut surdo dicta, sic prætерita, & dissimulata silentio, non poterit ignorare, quanta responsionis idoneæ diffidentia, & veræ defensionis inopia prætereris. Sed nos quoniam te libenter ista fugere videmus, eadem, atque alia itidem talia, quæ dolenter aspicis, iterum tibi atque iterum ob oculos ingeremus. Igitur ut cœpi dicere: si liberè omnia habenda sint, & nihil

Redactæ in angustiam Lutheri copiæ.

nihil certo credendum, quod non sit evidente Scriptura comprehensum (sic enim tu non uno loco confirmas) quid sibi vult illud Apostoli? State, & tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. Apostolus, ex æquo servari jubebat ea, quæ per sermonem tradiderat, atque ea quæ per epistolas. Aliquid igitur traditum est non tanquam liberum, sed quod citra Scripturam obligaret Ecclesiam. Quid ad hoc dicis Luthere? Quid ais ad illud Evangelistæ? Multa facta sunt, quæ non sunt scripta in libro hoc. Quæ quo minus ab aliis Evangelistis dicas esse perscripta: negat ea totum posse mundum comprehendere. Quid ergo dices, illa omnia duntaxat fuisse miracula? quorum etiam multa nesciri poterant absque periculo fidei? Cæterum Sacramenta, in quibus Ecclesia non posset absque peccato superstitionis errare, eorum nihil Evangelistas potuisse prætermittere? Istud ne possis prætendere: vides id: quod etiam tibi Rex opposuit, Evangelistam Joannem non tradidisse Sacramentum Eucharistiæ. Quod si contendas, ideo non tradidisse, quia alii Evangelistæ comprehenderant: ea ratione potius omisisset alia, minoris momẽti: quæ licet ab illis scripta, tamen ille rursus commemorat. Quamobrem negari non poterit, etiam necessarios articulos inter ea fuisse, quæ scripta non sunt, sed absque scripto tradita sunt. Jam Paulus, quum Corinthiis eodem de Sacramento scriberet: Ego, inquit, sicut accepi à Domino, sic & tradidi vobis. An non sine scripto, sicut accepit sine scripto, tradidit? Imo, adeo nihil omnino tradidisset scripto, neque Corinthiis, neque Romanis, neque alii cuiquam populo: si quo tempore scripsit, licuisset alloqui coram. Quæ res, si fors accidisset, istis omnibus derogasses fidem, quæ nunc in Paulinis leguntur Epistolis. Cujus, ut cæterorum quoque Apostolorum, pleræque desiderantur: & quæ supersunt, quædam vertuntur perperam: quædam vertuntur ambigue: nec in gemina lingua usquequaque concordant exemplaria: & de sensu certatur incessanter. Ita, quod solum agis: nunquam deerit ansa negandi, quod velit: asserendi, quod libet illi, qui nihil admiserit præter evidentes Scripturas. Quid illud quæso, quam vim habet, quod Christus dixit? Spiritus Paracletus, quum venerit, ille ducet vos in omnem veritatem. Non dixit, scribet vobis: aut foris ad aurem loquetur vobis: sed ducet vos: hoc est, intus inclinabit vos, ac flatu suo, corda vestra diriget in omnem veritatem. At quos quæso, ducet Spiritus sanctus in omnem veritatem? an duntaxat Apostolos, quibus tunc ore loquebatur Christus? Apostolis ergo duntaxat & illud dixit: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Quis ergo dubitat, illud Christum dixisse de Ecclesia: quòd Spiritus sanctus eam ducturus esset in omnem veritatem? Quid illi, quibus dictum est: Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ? Evangelium prædicabant ex scripto? & novam legem Christus sic referri jussit in tabulas: aut in æs inscribi: ut si quid ibi non legeretur: id protinus omne rejiceretur pro nihilo? Itane Dei verbum, ab Apostolo quoque commemoratum, nihil movet Lutherum? Ego dabo Leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas? Non dicit in lapide: non dicit in lignis, sed ut legem veterem scripsit in lapide foris, sic novam intus Dei digito scribet in libro cordis, ut quod minimo tempore duravit in duriore materia, perpetuo durare faciat in mollissima. Sic Deo placuit ostendere potentiam suam. Priores saxeæ tabulæ protinus fractæ sunt: posteriores quidem diu duravêre: In corde verò quod scripsit, durabit indelebile. In corde igitur, in Ecclesia Christi, manet inscriptum verum Evangelium Christi: quod ibi scriptum est ante libros Evangelistarum omnium. Ibi fidem suam sic inscripsit Deus, ut nulla possint hæreticorum præstigia delere, quantumvis afferant ex libris Evangelii scripturas, in speciem veræ fidei contrarias. Hinc stetit Christi fides, adversus hostem Christi matris, Helvidium. Hinc stetit, adversus hostem ipsius Christi, Arrium. Hinc stetit invicta, adversus plurimos hæreticorum cuneos, qui eam eodem ariete oppugnabant, quo nunc Lutherus oppugnat, dum negarent publicam Ecclesiæ fidem è Scriptura probari, aut Scripturas esse dicerent fidei contrarias. Sed Ecclesia Christi non dubitavit: quicquid Spiritus sanctus inspiravit Ecclesiæ, id esse proculdubio verum, sive comprehensum id scriptura sit, sive nulla scriptura comprehensum. Imo si qua scriptura produceretur, in speciem contraria, eam fides in corde præscripta docebat, non satis intellectam esse his, quibus ita videretur, quum esset certissimum, neque Christum Ecclesiæ suæ in articulis fidei deesse, neq; Spiritum Dei veracem sibi esse contrarium. Quod si adhuc stolide persistas in eo, ut contendas, nihil esse factum, ac traditum, præter scripturas: nec te ab ea stultitia deducant ea scripturarum testimonia, quæ ex ipso Regis libello memoravi, quibus tu nihil omnino respondisti: vellem saltem hoc expedias, quod in tota Scriptura sacra, Pater nusquam vocatur ingenitus, Filius nusquam homousios: nusquam satis apertè legitur, Spiritus sanctus à Patre Filioque procedere: Imo vero sancti Spiritus Deitatem ipsam, adeo contenderunt hæretici non satis elucere scripturis, ut eum quod testatur beatus Gregorius Nazianzenus, appellarint theon agrapton: hoc est, DEUM de quo non scribitur: An tu idcirco vetabis, horum quicquam certo credi: & liberum cuique statues, ut citra salutis suæ dispendium, Patrem neget ingenitum: Filium neget homousion: Spiritum sanctum neget ab utroq; procedere? Quid responderes ad illud: quod de perpetua Virginitate Mariæ, adeo nihil omnino reperitur in Scriptura, ut

Friget jam.

Confutatur Lutherus evidenti scriptura.

Evangelium in cordibus hominum certissimè inscriptũ.

Helvidius.

Arrius.

Expedi si potes hunc nodum Luthere.

Theos agraptos.

ra, ut magno labore probarit Hieronymus, Scripturas non habere contrarium? Quod, quanquam probavit egregie, non tamen tam evidentibus probavit Scripturis, ut sustulerit adversario omnem facultatem disputandi. Sed totus articulus plane pendet ex Ecclesiæ fide: cui an in hoc articulo pareas, velim aperte respondeas. Ego te interim credo, quanquam sis impius, tamen hac sane parte parere: cui certè si esse putas parendum, aliquid admittis præter Scripturas, contra fundamentum tuum. Quod si tam impius sis, ut Deiparæ virginis integritatem in dubium vocare non dubites: non eris tamen, opinor, tam impudens, ut Eucharistiæ Sacramentum, quod unum fere nobis reliquisti, nec tamen à sceleratis digitis tuis impollutum: nunc rursus neges esse Sacramentum. Nec illud opinor, recantabis: Nullum Sacramentum esse, cujus nulla promissio gratiæ, nulla peccatorum remissio legitur in Scriptura sacra: quod unicum delegisti tibi, ad omnia Sacramenta subvertenda fundamentum. Age ergo Luthere: hac saltem parte consiste tecum: turpe tibi fuerit, hoc principali fundamento depelli. Sceleratum negare esse Sacramentum Eucharistiæ.

Quin & Christum esse Deum si libeat, negabit.

At ex his duobus Rex effecit, ut alterum tibi fuerit, velis nolis, relinquendum. Recognosce nunc nebulo verba illa Principis, quorum cauterio, meretriciæ fronti tuæ, eam stultitiæ notam, atque impietatis inussit, quam nulla dissimulatione possis obtegere.

Verba Regis.

NUNC quoniam ex ipsius Lutheri fundamento probavimus, Sacramenta, quæ credit Ecclesia, non aliunde quam à DEO potuisse constitui, etiamsi nihil inde prorsus in Scriptura legeretur: Videamus, an Scriptura tam nullam omnino mentionem faciat hujus Sacramenti. Omnes una voce fatentur, Apostolos in cœna Domini ordinatos in Sacerdotes. Solus istud Lutherus negat: quum planè constet illic, datam potestatem conficiendi corporis Christi, quod solus conficere Sacerdos potest. At non est, inquit ille, Sacramentum, quia non fuit illis ulla promissa gratia. Unde id novit Lutherus? quia non legitur, inquit, familiaris est ista Luthero consequentia: Non est in Evangelio scriptum: ergo non est à Christo factum: quam colligendi formam infirmat Evangelista, quum dicit: Multa facta sunt, quæ non sunt scripta in libro hoc. Sed tangemus tamen Lutherum aliquando propius. Eucharistiam concedit esse Sacramentum: quod nisi fateretur, insaniret. At ubi reperit in Scriptura, promissam in illo Sacramento gratiam? Nam ille nihil recipit nisi Scripturas, & easdem claras. Legatur locus de cœna Dominica: non reperiet apud ullum Evangelistarum, in susceptione Sacramenti promissam gratiam. Legitur à Christo dictum: Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Quibus verbis significavit, semet in cruce per passionem redempturum genus humanum. Sed quum dixit ante: Hoc facite in meam commemorationem: nullam hoc facienti, id est, Sacerdoti consecranti, aut Eucharistiam recipienti, gratiam ibi promittit: nullam peccatorum remissionem. At nec Apostolus, in Epistola ad Corinthios, quum interminetur male manducantibus judicium, ullam mentionem facit de gratia bene manducantium. Quod si quid ex capite sexto Joannis, gratiam promittat suscipienti Sacramentum carnis & sanguinis Domini: ne id quidem juvare Lutherum potest, quippe qui totum illud caput negat, ad Eucharistiam quicquam pertinere. Videtis ergo, ut istam promissionem gratiæ, quam pro totius Sacramenti fundamento magnifice nobis in toto promisit opere: non potest in eo tueri Sacramento, quod fere solum reliquit: nisi (quod necesse habet) præter Scripturæ verba recurrat ad Ecclesiæ fidem.

Observa Luthere.

Nusquam Sacramentum legitur esse signum gratiæ suscipienti.

AUDISTIN hæc Luthere prius? an potando lethargum concepisti tantum, ut ista tibi ad aures inclamata, non audias? Cur ad hæc obticuisti: quum tam magnifice te respondere jactites? Hoccine tibi dissimulandum fuit, quod unum tibi totum illud fundamentum destruit: quo uno, tu videri vis, Sacramenta destruxisse omnia? Nam quum hoc unum Babylonis tuæ fundamentum jeceris, nullum Sacramentum esse, cujus promissio gratiæ non legeretur apertis Scripturæ testimoniis: ac nunc idem fundamentum jacias auctius, nihil omnino credendum pro certo, quod non apertè legatur in Scriptura sacra: Eo te compellit Princeps, ut aut Eucharistiæ tibi Sacramentum sit negandum: quod ante fere solum concessisti: aut si velis in eo persistere: necesse tibi sit, ab hoc præclaro fundamento desistere: & præter Scripturæ sacræ verba, confugere ad publicam fidem Ecclesiæ (ut ipse vocas) Papisticæ.

Imò malitia præpeditus nequit.

Refellit illud, quòd si quid præter Scripturam verum sit, certum tamen esse non possit: & periculum fore, ne vana pro veris veniant in articulos fidei, & traditiones hominum pro traditionibus Dei.

CAP. IX.

QUID respondet Frater, Pater, Potator, ad hæc? ebrius dormit: sepultus est in scypho: non audit. An postquam illud villum edormierit: tum è crapula surgens istud nobis eructabit? quod quanquam vera sunt aliqua, nullis adhuc Scripturis comprehensa: certa tamen esse, & comperta non possunt. Nam quum plurima liceat confingere: dicet videlicet, quod vera illa, ab iis quæ fingerentur, nulla possemus nota distinguere. Ex quo secuturum, dicet illud absurdum: ut omnes humanas traditiones amplectamur pro traditionibus Dei. Si istud verum est: homo cautus Lutherus est: sed parum cautus Evangelista: parum cautus Apostolus: qui quum quædam (ut ostendimus) non complecterentur scripto: quæ necesse fuit ab Ecclesia servari: non viderunt, aut illa posse aliquando excidere è memoria, aut eorum

eorum prætextu, etiam alia, quæ ab humana vanitate proficiscerentur, authoritatem sibi posse comparare: quasi simili modo traderentur à Deo. Et tamen ita sibi fortis videtur hac in parte Lutherus, ut centies illud exclamet nobis: nihil esse pro certo & indubitato tenendum, quod non ex Scripturis eluceat, & eisdem etiam manifestis, atque evidentibus. Alioqui censet necessario consequi, ut per errorem obliget Ecclesia sese, ad vana signa, pro veris Sacramentis: dum traditiones hominum putet esse traditiones Dei: Aut ex ambiguo Scripturæ textu, adversus veritatem falso adhæreat sensui. Nam hunc errorem censet Lutherus invincibilem. Hoc loco opponere adversus utrumque possemus, non unum quempiam ex antiquis patribus, aut unum locum è Scriptura sacra: nisi potius visum esset objicere Luthero, unum illum, quem unum omnibus præfert patribus, omnibus præfert Evangelistis, Lutherum. Quem ipsum non tam objiciemus nos, quàm prolato loco, Lectorem commonebimus, à Rege jam olim objectum. Et quoniam refelli non potuit à Luthero, per dissimulationem prætermissum silentio. Sic igitur habet Rex in Sacramento Ordinis.

Num formidolosus es mi homo?

Nihil est hoc vero verius.

Ita solet vincere Luther.

Verba Regis.

SED VELUT inevitabile telum promit: quod hoc Sacramentum nullam habet promissionem gratiæ ullibi (ut inquit) positam: cujus Sacramenti, vel verbo meminisse negat totum Novum Testamentum: & ridiculum (ait) asserere pro Sacramento Dei, quod à Deo institutum nusquam potest monstrari. Nec licet (inquit) astruere aliquod divinitus ordinatum, quod divinitus ordinatum non est: sed conandum est, ut omnia nobis claris (inquit) scripturis sint firmata. Utrum in Novo Testamento nulla prorsus fiat hujus Sacramenti mentio, post excutiemus. Interim sic agam cum illo, tanquam nulla prorsus mentio fieret. Nam eodem telo se sperat omnia ferme Sacramenta perfodere. Adversus quod telum, ego in scutum mihi idipsum ferrum conjiciam: quod Lutherus ipse fatetur impenetrabile. Sic enim se habent ipsius verba.

Quibus confutat Lutherum ex verbis ipsius Lutheri.

Verba Lutheri in ca. Ba. ex quibus manifeste revincitur.

Hoc sane habet Ecclesia, quod potest discernere verbum Dei à verbis hominum: sicut Augustinus confitetur se Evangelio credidisse, motum authoritate Ecclesiæ, quæ hoc esse Evangelium prædicabat.

Igitur quum istud habet (ut Lutherus fatetur) Ecclesia, quod verbum Dei discernere potest à verbis hominum, certum est istud non aliunde habere, quàm à Deo. Nec ob aliam causam, quàm ne in his erraret Ecclesia, in quibus non erratum esse oporteat. Sequitur igitur ex hoc fundamento, quod nobis substravit Lutherus, ut Ecclesia habeat à Deo, non id solum, quod concedit Lutherus, discretionem verborum Dei, à verbis hominum, sed etiam discernendi facultatem, qua in Scripturis divinis, divinum sensum ab humano discriminet. Alioqui enim, qui profuerit: si Ecclesia (Deo docente) scripturam veram discernat à falsa, & in scriptura vera, falsum sensum non discernat à vero? Denique eadem ratione, & istud sequitur, ut & in his quæ non scribuntur, Ecclesiam suam doceat Deus, ne per errorem possit falsa pro veris amplecti: quum ex ea re non minus impendeat periculi, quàm si vel scripturas hominum teneat pro verbis Dei: vel è veris Dei verbis, falsum eliciat sensum: præsertim si falsa suscipiat Sacramenta pro veris, & traditiones hominum pro traditionibus Dei, imo non traditiones hominum, sed figmenta Diaboli: si suam spem in fictis, ac vanis corporalium rerum signis (quemadmodum magi faciunt) Ecclesia Christi, velut in Christi Sacramentis collocet. Liquet ergo manifeste ex eo, quod fatetur Lutherus, Ecclesiam hoc habere, ut verba Dei discernat à verbis hominum: Hoc quoque non minus habere, ut traditiones Dei discernat à traditionibus hominum: quum alioqui, utrobique possit ex æquo vitandus error exoriri: nec id agat Christus, ne Ecclesia sua hoc, aut illo erret modo, sed ne erret ullo. Errare verò majore cum injuria Christi non possit, quàm si fiduciam in illo ponendam solo, ponat in signis nulla prorsus fultis gratia, sed omni bono fidei vacuis atque inanibus. Non igitur errare potest Ecclesia, in suscipiendis Sacramentis fidei: non magis inquam, quàm errare potest in suscipiendis (qua in re Ecclesiam errare non posse fatetur Lutherus ipse) scripturis. Quæ res, si se haberet aliter, multa sequerentur absurda. Sed hoc inprimis, quo nihil potest esse absurdius: quod pleraque omnia fidei Christianæ dogmata, tot stabilita seculis, ad succrescentium hæreticorum libidinem, denuo revocarentur in dubium. Nam si nihil haberi pro certo debet, nisi quod scripturis & iisdem (ut Lutherus ait) claris, firmatum est: non solum non asseremus divæ Mariæ virginitatem perpetuam, sed & inexhausta suggeretur fidei oppugnandæ materia, si cui unquam libeat aut novas excitare sectas, aut resuscitare sepultas. Nam paucissimi fuerunt hæretici, qui non receperint scripturas: sed omnes ferè ex eo, sua statuebant dogmata: quòd aut ea contenderent esse firma scripturis: aut quum illis viderentur rationi consentanea, contrarium non definiri scripturis. Quoniam ea, quæ proponebantur adversus suam sectam, aliter contendebant intelligi, quàm orthodoxa intelligebat Ecclesia: & ne clara dici possent, aut alio excogitato sensu, aut prolatis aliunde ex eadem scriptura locis, in speciem valde contrariis, omnia sic turbarunt, ut viderentur ambigua. Ita adversus Arrium nisi publica stetisset fides Ecclesiæ, haud scio, an defuisset unquam de scripturis disputandi materia.

Lutherus suo telo miserè confossus.

NON dubito Lector, quin, dum legis hæc: & admireris, & detesteris istam nebulonis improbam atque impudentem dissimulationem, qui tanquam surdus eum cantum prætereat, quem nemo non sentit auriculas ejus asininas

tanto

tanto cum doloris sensu penetrasse, ut nec ebrius quidem sensum possit ejus doloris excutere. Quod enim telum cadere potuit in Lutherum violentius: quam quo factum est, ut suis ipsius verbis vulneratus & confossus jaceat. Raro verum dicit: & tamen idipsum, quod dicit verum, falsitates, quas astruit ipse, convincit. Quid hic Luthere comminisceris effugii? qua stolida stropha laborabis elabi? Convoca nebulonum, potatorum, scortatorum, sicariorum Senatum: explicent te ab hoc labyrintho: suadeant, ut quod sæpe fecisti, facias denuo, revoces atque recantes, si quam unquam syllabam dixisti bene. Clama pœnitere te, quod hoc fassus es, Ecclesiæ datum, ut Scripturas DEI discernat à scriptis hominum. Quod si feceris, id quod planè facies aliquando, simul concedas oportet, incertum atque invalidum esse illud ipsum, quod ore tantum clamas, corde nihil credis, Evangelium. Sin non illud revoces, sed Ecclesiam concedas, hoc habere datum à Deo, ut non possit errare, in discernendis Dei verbis à verbis hominum: nec ejus aliam possis assignare causam, quàm peculiarem Dei curam, qua sic gubernat Ecclesiam, ut in rebus tam magni momenti eam nolit errare, necesse est, illud concedas etiam, quod Deus Ecclesiæ non deerit in scripturis intelligendis, aut dignoscendis traditionibus, sicubi tale urgeat periculum ex ignorantia: quale fuerit, si permittatur errare in necessariis articulis fidei, vel Sacramentis: in quibus errare, nihil est aliud, quàm fidem subtractam Deo, non in homine ponere, sed in signis inanibus collocare: quod prope deterius est, quàm vitulum adorare conflatilem. Qua in re, quantum absit, ut CHRISTUS desit Ecclesiæ, ipse testatur, dicens: Ego vobiscum sum usque ad finem seculi.

Hic succurrite cōbiboni vestro Lutheri sodalicium.

Quid hic habes, quod obgannias Luthere?

Ostendit, Lutherum tergiversari stolide, conantem controversum facere, quæ sit Ecclesia Catholica: & simul respondetur ad inanes ejus logos, quibus nugatur in Ambrosium Catharinum de eadem Ecclesia.

CAP. X.

SEd hic fortassis, ut est impudens, quæstionem faciet (id quod sæpe facit) de Ecclesia, & totam Ecclesiam, quam appellat Papisticam, negabit esse Ecclesiam illam Christi. Qua in re, ne quid deesset, nebulonem istum & verè & acutè prudentissimus Princeps attingit. Nam in Sacramento Ordinis, quum recitasset hæc verba Lutheri, ex captivitate Babylonica. Hoc Sacramentum Ordinis Ecclesia Christi ignorat, inventumque est ab Ecclesia Papæ: subjungit Princeps.

Verba Lutheri.

HÆC pauca verba, non parvum habent & falsitatis & absurditatis acervum. Nam & Ecclesiam Papæ discernit ab Ecclesia Christi: quum Papa sit ejusdem Ecclesiæ Pontifex, cujus & Christus. Ait Ecclesiam invenisse, quod non invenit: sed accepit institutum. Ait, Ecclesiam Christi hoc ignorare Sacramentum: quum satis constet, nullam fere mundi plagam esse, quæ ritè profitetur fidem Christi, quin ordinem habeat pro Sacramento. Nam si posset obscurum aliquem angulum reperire (quod, opinor, non potest) in quo nesciatur Sacramentum Ordinis: tamen angulus ille non esset cum reliqua comparandus Ecclesia, quæ non Christo solum subest, sed & propter Christum, unico Christi Vicario, Papæ Romano & ordinem credit esse Sacramentum. Alioqui si perstet in eo Lutherus, ut Ecclesiam Papæ discernat ab Ecclesia Christi: & apud alteram dicat ordinem haberi pro Sacramento, non haberi apud alteram: proferat illam Ecclesiam Christi, quæ contra fidem papalis (ut vocat) Ecclesiæ, ignorat Sacramentum Ordinis. Interim certè perspicuum est: quum dicat, hoc Sacramentum ignorari ab Ecclesia Christi, & de Christi Ecclesia, dicat eos, quibus præsidet Papa, non esse: utraque ratione ab Ecclesia Christi eum segregare non Romam tantum, sed Italiam totam, Germaniam, Hispanias, Gallias, Britanniam, reliquasque gentes omnes, quæcunque Romano Pontifici parent, aut ordinem pro Sacramento recipiunt. Quos populos omnes quum de Christi tollat Ecclesia, necesse est: ut aut Ecclesiam Christi fateatur esse nunquam: aut more Donatistarum, Ecclesiam Christi Catholicam, ad duos aut tres hæreticos redigat, de Christo susurrantes in angulo.

Verba Regis.

Redarguitur Lutherus mendacii.

Eam fortasse vidit in Utopia.

VIDES Lector, eo rem redegisse Regem, ut si Ecclesia, quam vocat Lutherus Papisticam, non sit Ecclesia Christi: necesse sit, aut nusquam esse Ecclesiam Christi, aut illic esse tantum, ubicunque sint duo vel tres hæretici, de Christo susurrantes in angulo.

Quid ad hæc respondet Lutherus? tacet: satis laudat: agnoscit sic intelligere se, Christi verba, dicentis: Ubicunque sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum. Neque meminit, quicunque separantur ab Ecclesia, eos, etiam si congregentur, ac loquantur de Christo, conciliabilium esse Diaboli. Una est Ecclesia Christi: extra quam, nulla est Ecclesia, nisi malignantium. Atqui, nihil miror, Lutherum nihil ad ista respondisse Regi. Nam is perpetuus hominis mos est assiduè inculcare sua: sed interim semper omnia transire, quæ objicit adversarius: quemadmodũ in hac ipsa quæstione fecit, dum responderet Ambrosio Catharino, quem quantumvis irrideat is, qui in eo libro Theseus Luthero fuit in exhauriendis infacetis facetiis, tamen is quoque non dubito, quin videat, Catharino plus esse & ingenii & eruditionis in digito, quàm habeat Lutherus in cerebro. Cui quum responderet iste de potestate Pontificis, & Ecclesiæ: nihil omnino respondit ad ea, quæ Catharinus objecerat. Quæ quisquis æquus & incorruptus legerit, & cum Lutheri scriptis contulerit, pronunciabit, Lutherum egregium esse nugonem, qui tacitis omnibus quæ dicit is, cui respondet, nihil

Cujusmodi sunt Lutherani.

Lutherum nihil respondere ad objecta sibi à Catharino.

nihil respondet aliud, quam nego omnia quæ dicis. Nolo distinctiones. Nihil credo præter scripturas. De Scripturæ sensu, non credo sanctis patribus: nam erraverunt omnes. Nolo allegationem inconvenientis. Allegatio inconvenientis non solvit argumentum: & mille nugas ejusmodi.

Nam, quum Catharinus, id quod necesse est, Ecclesiam istam militantem distinguat à triumphante: quod in altera promiscue vivant mali cum bonis, in altera duntaxat sancti, non vult distinctiones Lutherus, non distincturus, ut video, inter electionem, de qua Christus ait; Multi sunt vocati, pauci verò electi, & electionem illam, de qua dicit idem; Nonne duodecim elegi vos, & unus ex vobis diabolus est? At, ne manifeste se nugari fateatur, jubet distinctiones ex Scriptura probari: velut tum demum crediturus, & tamen idem nihilominus irridet distinctionem, qua fides charitate formata distinguitur ab informi.

Verba Lutheri. *Vox finxistis commentum omnium nequissimum illud, informis fidei: quo facilius & tutius sacrilegia vestra, in scripturas Dei seu latrones Moab mitteretis: Nobis autem Paulus dicit; Quæ societas lucis & tenebrarum? Quæ conventio Christi & Belial.*

VIDES ut hanc distinctionem, velut ex authoritate Pauli, pronunciet esse non solum fictam, sed etiam nequissime fictam. Sed interim, dissimulat quod Apostolum ipsum nequitiæ insimulat nebulo. Quid enim frequentius in ore Pauli, quam hæc distinctio? Quod multis in locis inculcat, quam multum intersit inter eam fidem quæ caret charitate & bonorum operum vita, & eam qua per dilectionem operatur. Sed Luthero satis fuit, alterum clamare, alterum dissimulare silentio.

Hic refellitur Lutherus evidente scriptura.

JAM, quum Catharinus allegaret interdum quædam: quæ divinitus Ecclesiæ tradita, scribunt omnes sancti patres, & totus credit Christianus orbis: clamat Lutherus, nihil recipio præter evidentem Scripturam. Cæterum quod omnia scribi curarit Christus, quæ vult Christianos credere, id constanter negant fideles omnes: nec adhuc ullo Scripturæ verbo probat Lutherus.

Non omnia posse scripturis ostendi: cum multa sint nullis scripturis prodita

QUUM de cujuspiam Scripturæ sensu verteretur quæstio, & Catharinus pro interpretatione quam asserebat ipse, constantem afferret sanctissimorum patrum, antiquissimorum interpretum, eruditissimorum virorum consensum, clamat Lutherus, non curo sanctos patres: non curo veteres interpretes: non curo doctos illos Doctores: omnes erraverunt, ut homines: nec interim fere quicquam affert pro se, nisi quod clamat verum esse quicquid dicit: & quod ipse non errat: nec errare potest, utpote non homo, sicut erant sancti patres, sed extra sortem humanam infallibilis asinus.

QUUM Catharinus probaret ex Lutheri positione, multa sequi absurda, & inconvenientia, clamat Lutherus: Allegatio inconvenientis non solvit argumentum: quum deductio ad inconveniens fortissimum sit & probandi genus, & confutandi. Sed Luthero nihil dicit, etiam si quis ex ejus dogmata probet consequi hominem esse asinum. Non magis profecerit, qui probet istud Luthero, quam, si quis idem probet asino.

QUUM Catharinus diceret, in illis verbis, Matth. cap. 16. Tibi dabo claves regni cœlorum, promissas esse claves, non datas: sed ex eo probari necessario datas esse: quòd dubium non sit quin Christus verax impleverit promissionem, respondet Lutherus, etiamsi promisit Christus, non esse credendum, quòd promissa præstiterit, nisi in Scriptura legatur implevisse.

Quam inepte respondeat Lutherus ad dicta Catharini.

Nam, opus est locum, personam, & tempus exhibitæ promissionis, non nostra suspicatione, sed illius testimonio nobis certificari. Si enim in Scripturis ista exhibitio clavium non poterit ostendi, in hodiernum usque diem erimus incerti: quo tempore Petrus eam acceperit. Absit autem, ut nos Christus sic incertos reliquerit: ut nesciamus, quo tempore, quo loco Petrus claves acceperit. Verba Lutheri.

Præclarus Lutheri scrupulus.

O MAGNUM periculum, si nesciamus, quo tempore, quo loco Petrus claves acceperit. Nam istud nescire, profecto non multo minus periculi fuerit, quàm si quis nesciat quo die, & quo loco Petrus baptizatus sit.

PRÆTEREA, quum Lutherus interdum Scripturæ textum quempiam detorqueret in partem suam, Catharinus ejus interpretationem falsam refellens, quum veriorem sensum suffragantibus antiquis interpretibus confirmasset, refert ex abundanti, alios etiam sensus: quorum quemlibet ostendit esse magis probabilem, quam sit ille quem Lutherus solum verum evidentemque contendit. Istud vero Lutherus sic eludit.

Quam iniquus sit Lutherus præ studio suæ partis.

Non tibi permitto, ut Scripturæ plures quam unum sensum tribuas. Nihil apud me valet: quod toties tentas. Potest etiam sic dici: potest etiam sic intelligi: potest etiam sic responderi. Potest mi Catharine: hæc omnia sunt argumenta falsitatis, & mera effugia, & planè robora meæ sententiæ. Verba Lutheri.

SCILICET Luthere. Quidni? ut si quis ostendat, te proferre talem pro sensu, indubie verò, qui sit è multis minime verisimilis, quo pluribus modis ostenderis esse stolidus: eo vicissim magis gloriere tu, velisque multo videri sapientior.

Sic, dicito, Hoc sic, & non aliter intelligi debet: ut afferas unam constantem simplicemque sensum Scripturæ: sicut & ego facio, hoc est enim Theologi, sicut illud Sophistæ. Verba Lutheri.

CERTE Luthere ut literalem sensum, fateor esse fere semper unice efficacem ad probandum quippiam, si quando sit perspicuus: ita quum sæpe accidat, ut res dicatur obscurius, quàm ut unicus ille sensus ex ambiguis verbis eniteat eruditissimus quisque, & sanctissimus

Theologorum veterum solitus est diversos sensus elicere, rem in medio relinquens expendam. Nimirum, arbitrati sunt tutum illud esse; & modesti vereque Deo digni Theologi, non Sophistæ, quemadmodum scribis officium. Istud vero, quod solum tu clamas Theologi esse officium, Theologi illi veteres & veri, partes existimabant esse, verè mereque stolidi, superbique nebulonis temeritatem: qui sensum Scripturæ dubium, & inter eruditos controversum, aut ex suo sensu solo commentum, solum contendat esse genuinum. Cujusmodi stultorum genus admonet, ac taxat sapiens ille quum dicit. Ne innitaris prudentiæ tuæ, & ne sapiens videri velis in oculis tuis. At Lutherus in oculis suis solus sapiens, exclamat.

Quod Lutherus sophistæ vocat facinus maxime esse Theologi.

Verba Lutheri.

Nolo Catharine usum longum, & multitudinem tecum sentientium invoces, verbum Christi hic me urget. Huic credendum est uni præ omnibus Sanctis, etiam Angelis.

CREDENDUM est procul dubio Luthere plus uni Christo, quàm Sanctis omnibus, & omnibus Angelis. Verum, quum Deus loquatur in sanctis suis, juxta illud: Non estis vos, qui loquimini: sed Spiritus sanctus qui loquitur in vobis: quum tot sancti, tam docti consentiant, verba Christi non in eam dicta sententiam: quam tu solus, contra tot sanctos, tam doctos contendis, jàm non quod tu jactas, Christo consentit, qui consentit tecum: sed contra veritatem quam Deus tot sanctis suis inspiravit, consentit mendaciorum patri diabolo, qui per te veritatem conatur intervertere. Nam quum tu pro tuo more, scripturam detorqueas, dicens: De quo enim Angelorum aliquando dixit? hunc audite, quasi ex illo verbo, nihil debeas credere, quod quisquam dicit alius: Cur non illius etiam verbi meministi, quod Christus ipse dicit Apostolis, ac per illos cæteris, haud dubiè Sanctis, quibus ipse dignatus est suum Spiritum infundere? Qui vos audit, me audit. Quem Spiritum suum, quum abunde Christum constet inspirasse sanctis Ecclesiæ Doctoribus: quorum & doctrinam, & vitam multis comprobavit miraculis, etiam si hemo unus non aliquando sit lapsus ut homo, quod tu quoque prædicas ipsis contigisse Apostolis, tamen in quo tam frequentes per tot ætates conspiravere, non est dubitandum, in illud eos divini Spiritus aspiratione consensisse, qui facit unanimes in domo: & te, quum eorum consensum spernas, & sæpe blasphemus exclames: Non curo centum Hieronymos, non curo mille Cyprianos, Augustinos, Ambrosios, in illas Christi minas impingere: Qui vos spernit, me spernit.

QUUM Catharinus ei concessit, verum id quidem esse, quod Christus sit vera & solida petra, & verum caput ecclesiæ, sic tamen ut Petr⁹ etiam, & petra sit & ecclesiæ caput sub Christo, hic mirificè sibi plaudit Lutherus: & sibi videtur perquam festive scurrari.

Verba Lutheri.

Non sentit stolidum hoc caput: quòd si mea disputatio uno aliquo sensu vera conceditur, præsertim in spiritu, quod mihi concedit Catharinus, jam plane vici etiam adversarii accedente calculo.

DEINDE pergit homo festivus facete scurrari, jactitans crasse sibi philosophandum esse, coram crasso & pituita laborante capite: quia nihil esset asinus ad lyram, & ideo Catharinum Lutherus, omissa lyra lepidus illudit literis, & velut puerum, docet per A. & B. tanquam demonstratione Geometrica rem probaturus, sic enim scribit:

Verba Lutheri.

Quod si A. disputet cum B: & eo res procedat: ut A. concedat B. optime, & in spiritu locutum esse, se verò alium sensum externum sequi: & tamen hoc ipso facto, A. glorietur sese vicisse, illumque confutasse, deinde conviciis totum agat triumphum: Quid hic spectator judicabit? An non Bacchas, aut Corybantes insanire putabitur?

HA. HA. HE, facete, laute, lepide Luthere, nihil supra. Catharinus plane perditus. Risu omnes qui audiunt emoriri. Denique metuunt omnes jam te. Sed, quæso te Luthere bona cum venia tua, liceat nobis hominibus crassis, istam demonstrationem tuam, ut ipse fateris crassam, crassius adhuc excutere. Fac igitur disputent inter se A. & B. & dicat A. Mosen fuisse ducem filiorum Israel ex Ægypto: B. verò illud omino pernegет. Deinde dicat ipse B. Deum fuisse Ducem, & id ei concedat A. & fateatur ipsum B. in hoc optimè & verissimè dicere, & maxime in Spiritu, & tamen id nihilominus verum esse, quod dicit ipse A. videlicet ducem filiorum Israel fuisse Moysen. Jam si B. propterea quod A. concedat ei verum illud esse, quod dicit ipse, & maximè in spiritu glorietur ex eo se vicisse, & conviciis totum agat triumphum, quid hic Luthere spectatores sentient? An non verè bestiam esse? B. an non fuste dignum sentient ejus vere crassum & pituitosum caput?

JAM, quale est illud, quos ais, præsertim in spiritu? Nuper dicebas non spiritualem sensum, & mysticum probare quicquam, sed literalem tantum. At nunc subito quum tibi Catharinus concederet verum esse spiritualiter, quod Christus sit petra: sed Christum tamen illo apud Matthæum loco, non de sua præcellentia locutum: sed de præficiendo suo gregi vicario, placet illico tibi sensus spiritualis, & ad rem probandam præfertur literali. Nam ex eo quod te concedit, aliquo sensu verum dicere, præsertim in spiritu, concludis eum falsum dicere: quum sanctorum patrum calculis obsistat tibi subvertenti literam. Nam etiam si verum sit, ut est: quod Christus est verissima & solidissima petra, verissimum caput Ecclesiæ, & verissimum Ecclesiæ fundamentum lapis angularis, qui fecit utrumque unum: tamen in illo loco non de sua præsidentia locutum Christum, sed de substituendo in Ecclesia sua primatu, non solum Sancti testantur, & Christianus orbis consentit, sed etiam ipse contextus literæ aperte videtur ostendere: neque enim admodum belle quadrare videtur sensus, quem assignas ipse: tanquam Christus ita loqueretur.

Tu

Tu es Petrus, & ideo ego ædificabo Ecclesiam meam super me ipsum.

AT non est, inquis, nisi unus sensus, ergo si meus est verus, falsus est Catharini. Ipse non negas alium interdum esse mysterii sensum, alium literæ, quem tu solum dicis efficacem ad probandum. Hunc igitur sensum assentientibus interpretibus plerisque omnibus, Catharinus asserit sibi, tibi concedit mysticum: qui nihil præjudicat literæ. Sed hic rursus obblateras, & clamare non desinis.

Verba Lutheri. *Tu Catharine non negas meam disputationem esse in aliquo sensu veram: ergo tua est falsa. Nam si aliquid est verum quod ego dico: totum est falsum quod dicis tu. Nam aut mea funditus & in totum nega, aut tua funditus inania esse concedas.*

Quam æquam legem offers Luthere? An non apud Vergilium, aliquid veri dixit & Synon: & tamen magno stetit Trojanis qui veris illecti crediderunt astutis mendaciis. Nihil ne contra te dicit, nisi qui tua omnia funditus & in totum sustulerit? Ergo si tuis mendacissimis dogmatis intermisceas Apostolorum Symbolum: aut negandum est, quicquid illi dicunt veri; Aut simul concedendum, quicquid ipse mentiris. O acumen Lutheranum.

SED illud videlicet est inevitabile telum, & gladius fortunatus, quo Catharinum confodias: quod etiam si Petrus Ecclesiæ primas institutus fuerit, Papa tamen non possit primas esse, nec Petro succedere possit in officio, nisi qui Petro succedit in moribus. Hic regnas, rides, gestis, illudis, & omissis omnibus sanctis viris, qui in sacrosancta sede præsederunt, velut corvus & vultur, sola involas ac depascis putrida: nisi quod non raro sanctissimos quosque velut rabidus canis arrodis, & dente tabifico, mel ipsum & antidotum, tibi vertis in venenum. Sed altum interim tibi silentium est, de illis omnibus: quæ tibi ad illa responderat ante Catharinus: qui tibi probavit evidentissime sic sejunctam esse causam hominis, & officii, morum & magistratus, virtutis, & potestatis, ut malis etiam & flagitiosis viris quamvis tollatur in cœlo vita: quam Deus despondit virtutibus, in terra tamen non tollatur authoritas, quam Deus conjunxit officio. Quamobrem Luthere si vir videri vis, abeas oportet prius atque ad illa respondeas Catharino: cui postquam non more simii gesticulis & nugamentis, sed quod hominem decet, solida ratione responderis: tum demum redeas licet ac rideas ad Calendas Græcas. Interim profecto insanus, & Ajacis risu furiosior est iste risus tuus, quo tacitis & dissimulatis adversarii rationibus, tanquam nihil audires, nihil respondes: sed nugaris tantum ac velut amens, & insanus irrides, & mirificè te facetum putas, dum in id jocaris, nugaris, surrarisque: quod si Petrus dici posset petra, qui sanctus erat ac pius, aliquis ita desiperet ut petræ nomen putet in Papam quempiam posse competere, qui Petri non respondeat virtutibus. O perplexum nodum, & explicatu difficilem. Quum Christus, Petrum propter fidei suæ firmitatem, tanquam petram aliquam sibi substitueret ecclesiæ suæ caput, & primatem, non qui immortalis esset, ut æternum potiri posset officio, sed in quod per vices multi succederent, nec omnes æqualis meriti etiamsi petræ nomen in illos non quadraret, an ideo non est eadem potestas officii? Quid si sic dixisset Christus? Ego te Petre bonum & sanctum virum ob egregias virtutes tuas, Ecclesiæ meæ primum præficio, ut tu sis exemplo, cujusmodi velim tibi successores suffici: certè si successor ejus aliquis esset talis, de quo neque boni, neque Sancti nomen posset prædicari: tamen eadem esset authoritas in officio: nisi nemo fuit sacerdos in Israel post Moysen & Araonem: nisi qui utrumvis eorum æquipararit sanctimonia: aut nisi nemo sit episcopus, qui non sit omnino talis, qualem describit Apostolus: certè Paulus ipse detulit episcopo etiam impio, & Caiphæ scribit Evangelista, & impio, & ignoranti, prophetiæ datum spiritum, propter episcopatus officium: Quin Christus ipse quum pronunciat Scribas & Pharisæos, viros nimirum impios & improbos: qui aliorum humeris graves imponerent sarcinas, quas ipsi digito suo nolebant attingere, sed interea supine vivebant & male, Christus tamen, ut dixi propter officium jussit illis obtemperare populum.

Quàm validum & illud, quod tibi videtur absurdum, ut petræ vocabulum, qui significabat pium, in eum aliquando competeret, qui sit impius. Opto tibi mentem, vel tantisper sanam, dum possis perpendere eam rem quam ridicule derideas. Nam quæso te Luthere, petræ nomen sanctius ne censes esse quam Christi? At Christi vocabulum etiam in malum competebat, & reprobum, nisi Luthero sit ridiculus David, qui de Saul dixit, peccavi tangens Christum Domini. Quid magis ridiculum hac opinione.

MIROR Luthere tibi, qui solus videri vis legisse scripturas, adeo videri novum, si quod figuratum vocabulum diversis interdum rebus competat. Rogo te an non gigantes in Scriptura sacra, velut superbi & violenti vitio dantur: & tamen Christus ipse gigas dicitur? Quid serpens, quoties in Scriptura designat diabolum? An non idem exaltatus in deserto, figurabat Christum: etiam si non nesciam cuidam & ex doctissima & sanctissima classe Theologorum, videri serpentem, ibi quoque designare diabolum: quod in Christi crucem sublatus, affixus & mortuus venenum & nocendi vires amiserit. Sed mihi fortius est, quod ad se figuram Christus traxit ipse, quum dixit: Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis. Jam illud opinor non est ambiguum, leonis vocabulum non semel in scripturis inditum esse diabolo: & tamen nihilominus de Christo dicitur, Vicit Leo de tribu Juda. Electus & Apostolus an non sancta sunt nomina: & tamen utrumq; competebat in fratrem tuum Judam, etiam tum cum in eum competebat nomen diaboli: ut videas, quam argu- Numquid Luthere & Christus ipse hic errat.

argutus sis, qui disputes absurdum esse, ut aliquid petra dicatur nisi sanctum: quum videas Christum dici, qui non sit sanctus, & Apostolum dici, qui sit diabolus: & idem vocabulum & Deo datum & dæmoni: & ejusdem animalis figura sit designatus & Servator & Sathanas. I nunc Luthere, & gloriare cum tuis: quod de Primatu Pontificis, Ambrosio Catharino fortiter & festive respondeas.

MIHI Lector non erat propositum hoc in loco, de Pontificis quicquam potestate tangere: nec tam huc illexit me libido docendi, qua similis semper sit Lutherus sui: quàm pertraxit invitum consulanea viri tractatio, qua sic intricavit Ecclesiæ quæstionem, cum quæstione Pontificis, ut ei respondere de altero non potuerim, nisi aliquid de utroque attingerem. At de Ecclesia, quænam sit hic in terris, quum vel maxime res tractari postulet, non erat consilium eorum quicquam intactum prætertire, quæ Lutherum senseram, nec sine Theseo ea de re tam acutem tractasse, ut nullo usquam loco aut sæpius glorietur aut impudentius. Nam & hoc quoque habet perpetuum, ut semper gloriosissime triumphet verbis, ubi re ipsa turpissime se victum videt. De Ecclesia igitur tractaturus abstinere voluissem libenter, non solum à causa Pontificis, sed etiam à quovis alio Lutheri dogmate, quatenus pateretur præsens argumentum, quo non aliud, quàm eas nugas ejus desumpsi refellere: quas in istum congessit librum, quo nebulo respondet principi. Nam scelerata ejus dogmata, apud æquos ac bonos viros, satis se refellunt ipsa, & à multis eruditissimis viris abunde confutata sunt, Apprierate, Catharino, Eccio, Gaspare, Cocleo, Empsero Placentino, Radino, Fabro, multisque itidem aliis, quos partim audio, partim video, solidis & veris rationibus hominis amentiam pulcherrime traduxisse. Cujus assertiones ita retexuit, ac revicit Reverendus Pater Johannes Fischerus, Episcopus Roffensis, vir eruditionis ubertate clarus, & vitæ puritate clarissimus, ut, si quid est frontis Luthero, magno jam sit empturus, assertiones suas olim jam combustas à se. Imo vel secum quoque potius, quàm cum tanta & tam æterna infamia sua, monstrosum fœtum suum & spurcum Eryctomim conspiceret Christianus orbis. Certe quod ad Pontificis Primatum pertinet, ita rem dilucidam reddit idem Reverendus Episcopus, ex Evangeliis, & Actis Apostolorum, & toto corpore Veteris Testamenti, & omnium consensu sanctorum Patrum, non Latinorum modo, sed quos maxime repugnasse jactare solet Lutherus etiam Græcorum, postremo generalis definitione Concilii victis, & victos se fatentibus, qui pertinacissime tum restiterant, Armenis & Græcis: ut frustra mihi facturus viderer, & rem actam acturus, si de Pontificis Primatu scribere, de integro rursus ordirer. Cui sedi ut obedienter obtemperem cum illa movent omnia, quæ docti sanctique in eam rem collegerunt: tum illud profecto

Qui vicerint Lutherum in his quæ supra commemoravit author.

Johannes Episcopus Roffensis.

non movet minime: quod toties sumus experti, non modo neminem inimicum fuisse Christianæ fidei, qui non illi sedi bellum simul indixerit: sed etiam neminem unquam extitisse qui se professus sit ejus sedis inimicum, quin idem paulo post se declararit insigniter, Christique & religionis nostræ capitaliter hostem, & proditorem esse. Valde me movet & illud, quod si ad istum modum hominum vitia imputentur officiis, non modo non consistet Papatus, sed & regnum, & dictatura, & consulatus, & omnis omnino magistratus corruet, & erit populus absque rectore, sine lege, & ordine. Quæ res, si aliquando contingat, id quod aliquot Germaniæ locis videtur imminere, tum demum magno cum damno sentient, quanto magis intersit mortalium, vel malos habere rectores, quam nullos. Certè quod ad Papam pertinet, quid mali fuerit caruisse, novit Deus, qui eum suæ præfecit Ecclesiæ: nec optandum puto, ut res Christiana periculo perdiscat. Quanto magis optandum, ut tales Deus faciat esse Pontifices, quales è re Christiana, & Apostolici muneris dignitate fuerit, ut sua sponte contemptis divitiis & terrenis honoribus toti cœlum spirent, pietatem in populo promoveant, pacem procurent, & authoritatem, quam acceperunt à Deo, adversus mundi satrapas & robustos venatores exerceant, ditis omnibus persequentes & tradentes Sathanæ: si quis aut alienam ditionem invadat, aut malè tractet suam, brevi sentiret Christianus orbis, ab uno aut altero tali Pontifice, quanto fuerit satius emendari Papas, quam auferri. Nec dubium est, quin jam olim pastorem sui gregis respexisset Christus: si Christianus populus salutem patris potius precari, quam persequi, & nuditatem patris tegere, quam pudenda ridere maluisset. Sed non deseret Luthere vicarium suum Deus. Respiciet aliquando, & nunc fortasse respicit, quum patrem, dolore quem patitur à perditissimo filio, flagellat. Nam plane, te Luthere, puto flagellum Dei esse, magno sedis illius bono, magno cum malo tuo. Faciet enim Deus, quod pia mater solet, quæ quum verberarit filium, lachrymas ejus abstergit, & quo puerum placet, perosa virgam, protinus in ignem abjicit. Sed omisso papatu, quem nisi Lutherus immiscuisset Ecclesiæ, non fueram hoc loco tacturus, veniamus nunc ad Lutheri machinam illam totam qua se gloriatur Ecclesiam Christi funditus evertisse & qua Catharinum jactat impietatis, & hæreseos demonstrative convictum: sed eo in loco videbis Lutherum Lector, qui multis in locis aliis impium sese demonstravit, ac stolidum, sedulo navasse operam, ne id usquam alias videretur demonstrasse manifestius. Itaque hunc in modum scribit.

CHRISTUS, quod Catharinus fatetur, Primo de petra & Ecclesia, Secundo fatebitur, quod Christus promittat portas inferi non prævalituras adversus eam. Clarane sunt hæc Catharine? Non enim bestia, sed Christus ea dicit. Stet ergo, portas inferi

Nullum recalcitrasse Romanæ sedi: qui non Christi quoque jugum excusserit.

Talis potius optandus pontifex quam pontificium ejiciendum.

Verba Lutheri.

inferi non prævalere adversus, neque petram neq; ecclesiam. Portæ autem inferi tunc prævalent, quando in peccatum perpellunt. Aut dic tu, quid sit portas inferi prævalere aliud. Sicut econtra Aedificari super petram, est in gratia & bonis operibus crescere, ut dicere possis, hoc esse portas Sion prævalere. Sic 1. Pet. 2. dicit. Vos tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis. Et Ephes. 2. In quo & vos coædificamini, in habitaculum Dei in Spiritu sancto. Et ne mihi elabaris. Esto, fidem informem habeat Papa, vel petra tua, vel Ecclesia tua: nihilominus, si in charitate non fuerit: sub potestate diaboli, & portis inferi fuerit; Quia Rom. 8 dicit; Qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Et Matth. 7. Qui fide informi fuerant, & miracula fecerant, & recte docuerant, audiunt sibi dici: Discedite à me omnes operarii iniquitatis. Obsecro te Catharine, homo Itale, Thomista, digneris hic, bestiam parumper audire. Concedere cogo te per hæc dicta eum qui sine charitate sub diabolo esse, & ad Christum non pertinere, ac per hæc portas inferi in eum prævaluisse & dominari, tanquam in servum peccati. Sicut Christus dicit Johannis 8. Qui facit peccatum, servus est peccati. Suntne etiam hæc satis clara? An hic Origene, Chrysostomo, aut etiam toto Patrum catalogo opus est? Ultimo id quoque concedis, Papam, quem tu petram vocas, & ædificatos super hanc petram, & subjectos visibili administratione ecclesiam appellas, aliquando peccare & peccasse. Nonne concedis? Imo si verum fateri voles, non est sceleratior gens in terra, quam ea, quæ Papæ hodie pertinacissime adhæret: & qui maxime super eum sunt ædificati: ac per hoc portis inferi subjecti, & omnium scelerum servi. Responde nunc. Ubi est tua verbosissima farrago totius hujus disputationis? da Ecclesiam illam, da petram, in quam non prævalent portæ inferi. Quin das? Audin Catharine? Non Papam dabis, scio, neque Papistas. Quam ergo dabis? Nullam externam Ecclesiam, nedum Romanam. Quia hanc solam dabis, si Christum audis, quæ sine peccato est, domina scilicet portarum inferi. Quamcunque enim dederis, incertum est, an sit in peccato & sub portis inferi. Si Romam dederis, ipsamet testabitur, se esse scelerum lernam. Concludo ergo adversus te, demonstrative convictum, verbum Christi Matthæi 16. ad nullam personam pertinere, sed ad solam Ecclesiam in Spiritu ædificatam super petram Christum: non super Papam, nec super Romanam Ecclesiam. Quam cito enim non dederis Papam sanctum, tam cito non dedisti petram neque Ecclesiam, sed sentinam peccati, & Sathanæ synagogam. Cum autem etiam sanctus Petrus si præsens esset, non possit scire, an sanctus esset, & permaneret sine peccato, ideo necesse est, ne ipsum esse petram, sed solum Christum, quem solum sine peccato esse & permanere certissimum est, & cum eo Ecclesiam suam sanctam in Spiritu.

Quæ sit petra? Lutheri sententia, super quam ædificata est ecclesia Christi.

Revertamur ad conditionis pactum. Uno ego te Catharine hoc errore comprehendi, & indissolubili vinculo constrinxi, quare te hæreticum proclamo convictum, & cum tanto libro condemnatum & maledictum. Habes quòd hic mutias Catharine? Surge homo Thomista, & contere bestiam hanc maledictam: quæ tam subito ad universa tua portenta, non solum respondit: sed etiam ea ad nihilum redegit. Igitur sicut petra ista, sine peccato invisibilis & spiritualis est, sola fide perceptibilis: ita necesse est, Ecclesiam sine peccato invisibilem & spiritualem, sola fide perceptibilem esse: Oportet enim fundamentum esse cum ædificio ejusdem conditionis, sicut dicimus; Credo Ecclesiam sanctam catholicam, at fides est rerum non apparentium. Quare hoc verbum Matthæi; Tu es Petrus, per dis dia pason à Papatu & visibili Ecclesia ejus distat, imò eam funditus subvertit, & synagogam Sathanæ facit. Ulterius si per petram Papa, & per Ecclesiam ædificatam, intelligeretur obediens Papæ congregatio, sequitur Papam non esse Papam, nec Ecclesiam esse Ecclesiam. Quod evidenter probo sic. Quia petra & ecclesia sine peccatis esse debent, non subjectæ portis inferi. At cum nullus in mundo possit esse talis certo & infallibiliter, & tamen certa debet esse petra, certaque ecclesia: sequitur nullum esse Papam, nec Ecclesiam. Cum ergo hæc Christi authoritas repugnet Papæ & Ecclesiæ Papisticæ: manifeste patet, Catharini, & sui Thomæ, & omnium, quos inducit, opinionem esse extreme hæreticam. Quia hæreticus est: qui Scripturas sanctas alio sensu, quàm spiritus flagitat, exponit, at Catharinus non modo id facit, cum Thoma suo hæretico, sed etiam blasphemum sensum eis tribuit appellans petram hominem peccati, diaboli servum.

Tibine licet, in homine bonum, quod ais, non licere Papæ in hæreticum.

Ergo Christus nusquam ædificavit quam promiserat.

Divum Thomam hæreticum Lutherum

EN Lector vere maledictam bestiam: de qua dicitur Apocalypseos 13. Quis similis bestiæ, & quis poterit pugnare cum ea? Et datum est ei os loquens magna, & blasphemias. Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos qui in cœlo habitant. Sed veniet tempus quum bestia mittetur in stagnum ignis ardentis, & sulphuris. Interea bene habet, quod providit Deus, ut hæc tam invicta & maledicta bestia, semper pugnaret secum. Nam quæ fatetur, ecclesiam esse certam, sic tamen tractat, ut reddat incertissimam: & quæ non contenta est humano more sentire, dum sectatur & ostentat abstrusam quandam, ac reconditam sapientiam: crassam istam, & vulgo notam Ecclesiam traducit ad invisibilem, ab externa ad internam, ab interna prorsus deducit ad nullam: id quod statim videbis manifestum. Sed primum Luthere, ut tecum ad initium redeam, ex quo præclaros istos syllogismos deducis, quum Christus promittit portas inferi non prævalituras adversus ecclesiam, quid si quis neget hoc eum promittere, quod tu tibi velut manifestum sumis, nempe diabolum non futurum tam potentem, ut Ecclesiam perpellere possit in peccatum? Sed dicamus, proba nobis istud Luthere: quid aliud respondebis, quam ut viciſſim quæras à nobis, quid significare possit aliud? Nam si aliud significare potest, interea nihil dixisti: quoad ratione aut scripturis ostenderis interpretationem tuam esse veriorem. Dico igitur primum, portas inferi non significare diabolū; neq; enim idem esse portas domus, quod dominum: & portas inferi, quod dæmonem. Aliud igitur quippiam hoc figurato sermone sensisse Christum: & licet hoc verum sit, quod neque

Quo Lutherus redigat Ecclesiam.

adversus Petri fidem, neque Petro datam solvendi ligandique perpetua successione propagatam potestatem diabolus prævalebit: atque id Christus alibi sit non uno loco pollicitus, tamen hoc in loco ubi non Sathanam nominat, non inferos, sed portas inferi: non tam probabile sit eum dixisse de diabolo, quam de quopiam alio adversus Ecclesiam suam, non prævaliturо: neque enim dæmonem magis dixerim inferi portas esse, quam viam. Quod si quæras, quid aliud esse possit inferi porta, quam Sathan duas tibi non ex commento meo, sed ex Veterum interpretatione depromam. Alteram præsides & tyrannos mundi, qui nascentem persequebantur Ecclesiam: nec prævaluere tamen adversus eam. Alteram portam esse dico, te tuique similes, si quis unquam similis tui fuit, hæreticos & Antichristos, qui inter triticum unanimis & concordis fidei, non desinunt seminare zizania sectarum & schismatum: nec solum dividere student inconsutilem Christi tunicam: sed & nomen ejus fidemque subdole per cuniculos evertere. Nam & per hæreticos, miseri quos decipitis velut per apertas & patulas inferorum portas ingrediuntur ad inferos. Sed tamen stabit verbum Christi. Quantumvis impugnetis Ecclesiam, non prævalebitis adversus eam. Restabit frementibus & frendentibus vobis Ecclesia Christi.

Quæ sint inferi portæ, illæ à Christo commemoratæ.

VIDES hic bone vir, præclaram istam demonstrationem tuam, nihil demonstrare, nisi demonstres prius in isto loco, Christum per inferi portas designasse diabolum: quas Veteres interpretati sunt illos corporales ecclesiæ persecutores tyrannos: & vos spirituales impugnatores hæreticos. Sed nunc ut demus tibi, portas inferi significare diabolum, adhuc liceret negare id quod ais portas inferi prævalere, eo in loco pertinere quicquam ad peccatum: sed id promisisse Christum, nullas diaboli machinas satis valentes fore, ut fidem ecclesiæ, cui Petrum præficiebat, extinguerent: aut ipsius authoritatem ac potestatem ligandi solvendique possent infringere, sicut adhuc usu venisse videmus. Atque istud quum verius vero sit: tamen ut multis modis videas, quam nihil omnino dicas, quum tibi videris dixisse bellissime, demus adhuc tibi, si voles, non solum portas inferi significare diabolum, sed eam rem, ad peccatum totam pertinere: negabo tamen etiam sic, in illo Christi verbo, hoc esse prævalere, quod tu interpretaris: videlicet ut prævalere sit, in peccatum quomodocunque perpellere. Neq; enim prævaluit inferi porta contra quemlibet, quem diabolus dejecit: sed adversus eum duntaxat prævalet: qui tandem sic dejicitur, ut non resurgat in pugnam. Nam nec in duello victus dicitur, qui prostratus in terram rebellat tamen: & in pugnam conatur assurgere. Quid, quod hoc ipsum videtur portæ nomen ostendere: nisi quis otiose positam putet. Nam quum portæ sit officium duplex: ut vel intrare conantes excludat, vel inclusos coërceat, & non patiatur exire, nec inferi portæ quemquam excludant, (nam volentibus intrare Noctes atque dies patet atri janua ditis; Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras, hoc opus, hic labor est) patet profecto, quod non adversus quemlibet quem dæmon pellexit, prævalent portæ inferi: sed duntaxat adversus eum, quē sic tenet inclusū, ut nunquam possit erumpere; Nam qui se proripuit foras, prævaluit adversus portas. Itaque non prævalere portas inferi adversus quemlibet, quem adjicit in peccatum, vel illud indicat, quod septies in die cadit etiam Justus. Manifestum est igitur adversus nullum prævalere portas inferi, præterquam adversus eum, quem sic incluserint, ut nunquam possit exire: quod, quum nemini contingat in hac vita, patet illud Christi verbum non obsistere: quo minus & peccatores in hac vita possint esse de ecclesia. En bone vir præclaram demonstrationem tuam! Cujus nulla pars quicquam demonstrat aliud, quam stolidam & scurrilem impietatem tuam.

NAM, & ostendi nunc istorum verborum interpretationem, veterum Sanctorum sententiis & scripturis ipsis consentaneam: quæ plane refellit & confutat tuam. Nunc illud addam: quod si faterentur etiam, quicunque legerunt unquam sacras literas, non satis intelligere se quid sibi voluerit Christus in eo, quod dixit inferi portas adversus ecclesiam suam non prævalituras: nemo tamen possit nescire sensum quem affers ipse falsissimum esse, & doctrinæ Christi repugnantissimum.

QUÆSO te candide Lector, istud considera (ut ab isto nebulone revertar ad te) quod Lutherus non hoc solum dicit, neminem esse de ecclesia, quamdiu est in peccato: qui si tantum istud diceret, & falsum diceret, & impium, sed multo dicit impudentius & magis impie: quod qui est de ecclesia, non peccat: imo nec peccare potest. Ait enim portas inferi non prævalituras, idem esse quod in peccatum non posse perpellere: ex quo plane sequitur, quod qui semel sint de ecclesia, nunquam possint in peccatum perpelli: & qui in peccatum perpulsi sunt, eos nunquam fuisse de ecclesia. Et, ne quid dubites, eum istud plane sentire, non aliud omnino dicunt celebres illæ collectiones, quibus hoc pacto lutulente syllogizat sus.

Nullus cedens portis inferi, est ecclesia supra petram ædificata: sed secta Paparum cedit portis inferi: ergo secta Paparum non est ecclesia. Verba Lutheri.

CREDE portis inferi, nihil appellat aliud: quam peccare: quod alio declarat syllogismo sic.

Omnis ecclesia peccans cedit portis inferi, sed ecclesia Papistarum peccat, ergo ecclesia Papistarum cedit portis inferi. Verba Lutheri.

VIDES hic Lector, eum manifeste dicere quod ecclesia quæ peccat, non est ecclesia Christi: neque de peccato quicquam distinguit: sed ponit simplicissime, adversus eum prævalere portas inferi, quem in quodcunque peccatum perpulerint: quod quum dicat, manifeste ponit,

nit, omne peccatum esse mortale: & eos qui sunt de ecclesia, in nullum omnino peccatum posse perpelli: & qui perpelluntur, de ecclesia non fuisse, etiam antequam perpellerentur, de qua ejus sententia, si quis adhuc dubitet, expendat & istud quod ait.

Verba Lutheri. *Quam cito enim non dederis Papam sanctum, tam cito non dedisti petram, neque ecclesiam, sed sentinam peccati & Sathanæ synagogam.*

EN interim severitatem censoris hujus: apud quem non satis est, aliquem mediocribus esse virtutibus, sed aut omnino sanctum, aut omnino Sathanam. Quales hic syllogismos offert occasionem hoc in loco colligendi de se, quem, quum non admodum sit difficile probare, non esse sanctum, ipse jam absolvit, & conclusit reliquum, peccati se sentinam esse, & sedem Sathanæ. Sed relinquamus ejus sanctitatem in sentina Sathanæ, tu lector expende quod sequitur.

Verba Lutheri. *Etiam sanctus Petrus si præsens esset, quia non posset sciri, an sanctus esset, & permaneret sine peccato, ideo necesse est, nec ipsum esse petram.*

QUOD de petra dicit Lutherus, idem dicit & de ecclesia: nam ejusdem ait conditionis esse oportere petram, & ecclesiam, fundamentum & ædificium.

Verba Lutheri. *Sicut petra ista nempe Christus sine peccato est, & ita necesse est & ecclesiam sine peccato esse, oportet enim fundamentum esse cum ædificio ejusdem conditionis.*

Et alibi.

Verba Lutheri. *Necesse est solum Christum esse petram, quem solum sine peccato esse & permanere certissimum est, & cum eo ecclesiam suam sanctam in Spiritu.*

QUID illam? nempe esse & permanere sanctam certissimum est, quæ est ejusdem conditionis cum sua petra: & ideo certum esse contendit, illam & esse sanctam & permanere, quæcunque sit illa: sed non esse certum de ullo homine, utrum sit de illa. Et ideo manifeste vides ex his locis, & ex eo quod ait, eos qui de Ecclesia sunt, non posse perpelli in peccatum, Lutherum aperte ponere, non aliter esse Christianos de ecclesia, quam si non solum sancti sint, verum etiam sancti permansuri sint, nam alioqui ne interea quidem dum sancti sunt, esse ecclesiam. Nam si sanctus Petrus adhuc viveret, incertum esset, an esset petra, non tantum quia incertum esset, an sanctus esset, sed etiam quia incertum esset, an sanctus permansurus esset.

QUÆSO te lector, quum istud dicit, quam ecclesiam relinquit in terris? An non omnem tollit funditus, & externam & internam, visibilem, & invisibilem, spiritualem & carnalem? Nam quis est usquam qui non peccat? quis tam spiritualis est, ut in eo nihil delinquat infirmitas carnis? quis tantum habet divini Spiritus, ut eum nunquam quoquam perpellat diabolus? An non omnes peccavimus, & egemus gratia Dei? An non si dixerimus, quod peccatum non habemus, veritas in nobis non est? Jam istud miror, quo fugit interim celebre illud dogma Lutheri, quod Justus etiam benefaciendo peccat. Nisi hoc verum est, & illud item, quod tam diu tanto conatu defendit: Omne opus bonum peccatum esse: sequitur certe, ut aut nulla sit omnino ecclesia in terris, aut usque adeo falsum esse, quod dicit, eam non peccare: ut contra sit necessarium, eam & peccare totam, & peccare perpetuo. Nam cum alio dogmate tollat actus omnes indifferentes: quicquid faciat, quisquis est de Ecclesia, bonum opus faciat oportet aut malum. In opere malo quin peccet non est dubium: quod si peccat etiam in omni opere bono, quis non videt consequi necessario, neminem esse in ecclesia qui non peccet perpetuo? tantum abesse ut qui sint ecclesia non cedant portis inferi, si portis inferi cederet sit, id quod dicit iste, nihil aliud quam quomodocunque peccare. Sic enim nemo non cedit.

SED propemodum divino quid velit. Vult opinor omnino omne opus bonum peccatum esse, quia potest esse occasio superbiæ: & contra omne opus malum virtutem esse, quia sit occasio humilitatis: & quum quodcunque malum fiat à fidelibus, fidelibus, inquam, fide non informi sicut est papistica, sed fide formata secundum formam quam docet Lutherus, hoc est fidendo firmiter, quod nullum peccatum potest damnare Christianum præter incredulitatem solam, tunc illud malum qualecunque sit, si stet aut redeat fides, absorbetur in fide sine satisfactione, sine contritione, sine confessione, nisi si quis (ut ait ille) consolationis causa confiteri velit mulieribus. Nam & has etiam sacerdotes nobis consecrat Lutherus. Luthero igitur omnia bona opera sunt peccata: & tamen Ecclesiæ suæ nulla sunt peccata. Nam non solum non imputantur, sed etiam donantur præmio. Nam Justi omnia cooperantur in bonum: & ideo Papistarum bona opera, vigiliæ, eleemosynæ, orationes, castitas, jejunia atque id genus alia nihil aliud sunt, quam mera peccata propter infirmam fidem, qua non confidunt solam fidem sine bonis operibus sufficere, sed Lutheranorum opera mala, ebrietas, adulterium, rapina, blasphemia, & denique totus hujuscemodi malorum catalogus propter eorum fidem firmam, qua confidunt firmiter solam fidem sufficere, & bonis operibus nihil opus esse, nihil sunt aliud, quam virtutes meræ. Nihil igitur opus est ecclesiæ Lutheranæ, ut pro peccatis suis precentur: non enim peccant. Sed ecclesia Christi, quam Lutherus disputat peccare non posse, docetur ab ipso Christo peccata sua precibus expianda, clamatque quotidie, dimitte nobis debita nostra.

JAM si Lutherus diceret, ex hac promiscua multitudine Christianorum, qui subinde peccant, & subinde à peccato resurgunt, eos duntaxat esse ecclesiam, non qui nunquam peccant (nam tales nulli sunt) sed qui sunt extra peccatum, etiamsi & peccarint sæpe & sæpe peccaturi sint, & eosdem homines in hac vita,

muta-

mutatione crebra, nunc esse de Ecclesia, nunc de Ecclesia non esse, suo peccato etiam quantulocunque dejecti, quanquam nulla humana denuntiatione depellantur, adhuc absurde diceret. Nam nos quum quærimus, quæ sit illa Ecclesia, cujus autoritate fatetur Lutherus commendatam nobis esse Scripturam sacram, an duntaxat illos dicet, qui sunt extra peccatum? Nam his, qui in peccato sunt, nihil esse credendum: tantisper enim, non esse de Ecclesia. Hac ratione, eidem homini eadem de re crederemus hodie, cras non crederemus, crederemus in aurora, non crederemus vesperi. Imo adeo nemini crederemus omnino: neque enim scire possemus de aliis, quis esset in peccato, quis extra, quum nemo de seipso satis sciat. Utrum sit odio dignus, an amore. Lutherus invehitur in episcopos: quod tam cito Christianos excommunicent, quum ipse neminem non excommunicet citius, siquidem extra Ecclesiam illico ejiciat quemlibet, qui quoquo modo peccarit. Qua in re, quis non miretur Lutheri sententiam, quum Lutheri fratrem videat Judam traditorem, etiam post conceptum, & perpetratum scelus, adhuc fuisse tamen de Ecclesia, neque quoad vixit, ex apostolatu depulsum: quamquam ipsius Christi voce diceretur esse diabolus. At Lutherus, vir æquissimus, non modo fratrem suum Judam ab Ecclesia depellit post peccatum, sed nec ipsum, nec sanctum Petrum admittit in Ecclesiam, etiam antequam peccaret. Nam si ante fuissent de ecclesia, portæ inferi non potuissent eos, ut disputat, in peccatum perpellere. Ergo si verum Lutherus dicit, ne tum quidem Petrus erat in Ecclesia, quum ei dixit Christus, beatus es Simon Bar Jona, & tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Nam postea adversus eum prævaluerunt portæ inferi, si prævalere est, quod Lutherus ait, in peccatum perpellere. Nam paulo post, Christo consuluit ne pateretur, & audivit ab illo. Vade retro me Sathana. Post & ter abnegavit Dominum. Quare, si prævalent portæ inferi adversus omnes, qui peccant, nemo vero non peccat maximè, si verum sit dogma Lutheri, perspicuum est in terris Ecclesiam omnino nullam esse.

SED operæ pretium est videre: quam sibi tenuiter objiciat, quid sequeretur absurdi, si Ecclesia nihil esset nisi quiddam spirituale, nec sciri posset ubi esset, quanto magis tenuiter illud solvat, quod sibi objicit ipse.

Verba Lutheri.

Dices autem, Si Ecclesia tota est in spiritu, & res omnino spiritualis. Nemo ergo nosse poterit, ubi sit ulla ejus pars in toto orbe: quod vehementer absurdum est. Nam ideo Papam asserimus, ut certo loco Ecclesiam inveniri liceat. Alioquin, quid docet Christus oves pascere, & Paulus Ecclesiam regere, & Petrus gregem Christi pascere: si nusquam in orbis certis poterunt locis inveniri habitantes, corporaliter fideles? Quis enim spiritibus prædicet, aut quis spiritus vobis prædicat. Corpus ergo & locum necessario habebit ecclesia, deinde inter corpora & loca, aliquem primum locum & primum corpus.

AUDISTI lector, quam tenuiter objiciat sibi: quasi ideo tantum cognosci deberet Ecclesia, ut sciri posset, cui congregationi prædicetur Evangelium: quum contra multo magis cognoscenda sit ecclesia, ut sciri possit, à quo prædicetur Evangelium: ut si alius aliud prædicet, authoritas ecclesiæ certum faciat auditorem de vero Evangelista, & rejiciat falsum, sicut ejus authoritas, etiam fatente Luthero, certum facit lectorem, quæ sint veræ scripturæ sacræ. Nam, quod ille sibi tanquam ex nobis objicit, ideo ecclesiam cognosci debere, quo in loco possit reperiri, ut certa sit congregatio Christi, cui prædicari debeat evangelium: istud nescio quis ei fuisset objecturus nisi ipse: quum nemo tam stolidus sit præter eum: quin intelligat verbum Dei prædicandum esse, etiam extra ecclesiam Christi, & benefacturum, si quis illud prædicet infidelibus. Alioqui male fecissent Apostoli, qui fidem sua Prædicatione propagarunt apud gentes. Sed istud ipsum, quum tam tenuiter objiciat, audi quanto adhuc magis tenuiter solvat.

Verba Lutheri.

Respondeo. Quamquam ecclesia in carne vivat: tamen non secundum carnem vivit, ut Paulus dicit Galat. 1. & Corinth. 1. Ita in loco, rebus operibusq; mundi versatur: sed non secundum hac æstimatur. Christus enim omnem locum tollit, dum dicit. Regnum Dei non venit cum observatione, neque dicent hic aut hic est. Et ecce regnum Dei intra nos est. Paulus omne corpus tollit, dum dicit: Non est personarum acceptio apud Deum. Sicut enim ecclesia, sine esca & potu non est in hac vita, & tamen regnum Dei non est esca & potus secundum Paulum: ita sine loco & corpore, non est ecclesia: & tamen corpus & locus non sunt ecclesia neque ad eam pertinent. Sicut ergo non est necesse, certum panem, certum potum, certem vestem esse ecclesiæ, & fidelibus omnibus, licet sine pane, sine potu, sine veste non queant vivere in hoc seculo; Sed omnia sunt libera, & indifferentia: ita non est necesse, certum locum, certamque personam habere, licet sine loco personaque esse non queat. Sed omnia sunt indifferentia & libera, omnis locus Christiano quadrat, & nullus locus Christiano necessarius est, omnis persona pascere eum potest, & nulla certa persona necessaria est quæ pascat, libertas enim spiritus hic regnat, quæ facit omnia indifferentia, nulla necessaria quæcunque corporalia & terrena sunt. Et quid hoc mirum? cum ad hoc ut sis, homo corporaliter nullo loco certo, nulla certa persona indiges, sed omnibus locis, omnibus personis homo esse potes. Immo quæ res mundi necessario alii adhæret & alligatur: ac non potius libere, & indifferenter, se qualibet ad quamlibet habetur, ut libertate spiritus plena appareat tota creatura, sicut canimus; Pleni sunt cœli & terra gloria tua. Quis ergo furor Papistarum impiissimorum, ut ecclesiam Dei, quæ omnium maxime libera est, loco suo & persona sua certis & necessariis alligent, ut Christianum esse negent: qui non hunc Papam etiam impium, hoc loco habitantem adorarit. Nec juvet quemquam, si quemlibet pastorem indifferenter, quolibet loco habuerit. Hæc est illa abominatio stans in loco sancto & operatio erroris. Sed de hoc alias.

QUÆ-

QUÆSO te Lector quid unquam audisti tale. Nam ut omittam Scripturas, tam absurde citatas, ut nihil allegari possit absurdius: nonne sic tractat hunc locum, quasi nos exigeremus, ut sic assignetur ecclesiæ certus locus, ut alio in loco ecclesia esse non possit? At quæso te, quis unquam sensit sic certum esse debere, quo in loco reperiatur ecclesia, ut idem senserit aliquem esse locum, in quo ecclesia non possit coalescere? quum contra potius credamus aliquando fore, ut nullus in orbe locus sit in quo ecclesia Christi non sit futura, quum tempus venerit, in quo fiet unum ovile, & unus pastor. Deinde ita rem tractat pontificiam, tanquam hii, qui Papæ Primatum asserunt, sic illud sentiant, quod sit ecclesiæ caput, tanquam Romanus, non tanquam successor Petri, quum nemo nesciat, eam sedem alias fuisse alibi. Et quanquam urbem Romam, velut locum totius orbis celeberrimum videtur delegisse Deus, nemo tamen ex his, qui sedis ejus Primatum asserunt, habet pro dubio, quin, quocunque transferatur Petri sedes, eodem etiam Petri transferatur authoritas. At, nec istud quisquam dubitat, etiam si verum est, nullum esset locum in toto orbe terrarum, in quo non possit esse congregatio fidelium, tamen oportere necessario aliquem esse locum, in quo ecclesia certa sit cognoscibilis, & indubia. Alioqui fore, ut neque certum cuiquam sit, quæ sint veræ scripturæ, neque scire possit, quo pedem tendat: qui adhuc infidelis, fide cupiat imbui, & dogmata Christiana perdiscere.

SED jam operæ pretium fuerit, Scripturæ loca perpendere, quæ supra citavit pro se, tanquam ex his manifeste probaturus, ecclesiam in terra militantem, non esse cognitam, istam crassam & sensibilem: sed aliam Christianorum multitudinem quandam, nescio quam insensibilem & Mathematicam; Platonis id eis cognatam, quæ, & in loco sit, & in nullo loco sit, in carne sit, & extra carnem sit, quæ tota sit obvoluta peccatis, & tamen omnino non peccet. Nam hic utrumque pariter ponit: quum omne bonum opus asserit esse peccatum, & ecclesiam facit homines, qui non peccant. Sed jam Scripturas ejus expendamus.

Verba Lutheri. *Paulus, inquit, Gal. 1. & Corinth. 1. dicit, quod quamvis ecclesia in carne vivit, tamen non secundum carnem vivit.*

ROGO te Luthere, an tu aliquando peccare vocas, secundum carnem vivere? Certe, quisquis sapit, dixerit, secundum carnem vivere non & conatur illum, qui dum obluctatur carni, servire spiritui, tamen aliquando carni cedit, ac vincitur conditione fragilitatis humanæ, sed qui voluptatem quærens carni se servum dedit, & carnis operibus dedicat vitam: hoc est Luthere secundum carnem vivere, non aliquando peccare. Quamobrem, non secundum carnem vivit ecclesia, etiamsi nemo vivat sic, quin opus habeat assidue precari, ut debita sua sibi remittantur. Et tamen sunt in Ecclesia, qui secundum carnem vivunt, non futuri, quum ecclesia vivet in cœlo, quos interim sæpe monet, ac taxat Apostolus apud Corinth, ejecit etiam, qui novercam stupraverat, & recipit postea pœnitentem. Et idem tamen erat de Ecclesia, post patratum facinus, quoad eum ejecit Apostolus.

Quid sit secundum carnem vivere.

JAM illud quam validum est, quod ais: Christus tollit omnem locum, dum dicit; Regnum Dei non venit cum observatione, neque dicent, ecce hic est, aut ecce illic est. Sæpe clamas, Catharinum loqui in Æquivocis, & tamen derides distinctiones, ut tibi liberum sit ludere in Æquivocis. Nam quid longius abest à proposito, quam hic Scripturæ textus, qui loquitur de adventu Christi ad judicium? quando ecclesiam tollet in cœlum, quum nobis quæstio sit de Ecclesia, quæ jam peregrinatur in terris. Sed illud quanto adhuc citas absurdius: Regnum Dei intra vos est, quod haud dubie dictum est de quolibet bono, & syncere Christiano pectore, intra quod non est opinor Ecclesia, quæ est congregatio fidelium.

SIMILIS est vigoris & illud, quod ais: Paulus tollit omne corpus dum dicit: Non est personarum acceptio apud Deum, quasi, quoniam Deus & ex Judæis & Græcis vocavit Ecclesiam ad fidem, ideo Deus nec Petri personam præposuit ecclesiæ, nec ipsius Christi, & quia non est acceptio personarum apud Deum, ideo multitudo Christianorum non est ecclesia: & quia Deus neminem accipit in cœlum acceptione personæ, sed meriti, ideo nemo tenetur in terra suis obedire præpositis. Lutherus initio cum scriberet, promisit se sua probaturum, aut Scripturis evidentibus, aut evidenti ratione, aut interpretatione sanctorum Patrum, aut decretis Pontificum: postea eo furoris adactus est, ut interpretationem Sanctorum tanquam fallacem, contemneret, naturalem rationem, tanquam fidei & religioni adversariam, sperneret, Pontificum leges & decreta, quoniam ipsius hæresibus adversabantur, exureret, nunc, ne nihil servare fateatur, jactat se solis credere Scripturis, & tamen inspice Scripturarum textus, quos citat, & expende loca, nec dubito, quin facile sentias, eum non magis cum Pontificum decretis, quam cum ipsis pugnare Scripturis, nec magis pugnare cum Scripturis, quam pugnat cum sensu communi. Nam quæso te Luthere, qualis est hæc ratio.

Si locus & persona necessaria sunt ad salutem: tunc qui ejusmodi habent & colunt, salvi & sancti sunt. Nam in his consequentia à particulari optime valet, cum posterioristicis constet propositionibus: cogor enim & meam Dialecticam ostentare istis admirandis Dialecticis. Impossibile est enim, ut qui unum necessarium ad salutem habet, non etiam omnia necessaria simul ad salutem habeat. Et impossibile est, ut qui unum non habet, aliquod ad salutem necessarium habeat. Quod facillimum est inductive probare. Sed de hoc alias. Verba Lutheri.

CUM tu Luthere hoc alias aliter probabis, tum nos alias aliter tibi respondebimus.

Præterea neminem esse puto, qui sapiat, quin te plane videat desipere, nisi non satis sapiebat Apostolus: nam is & fidem putabat esse necessariam ad salutem, cum dixit: sine fide impossibile est placere Deo: & tamen idem non tecum sentit, quod qui fidem haberet, quam necessariam dixit esse ad salutem, idem protinus haberet charitatem, quam vel amplius fide ad salutem sensit esse necessariam. Nam, si protinus habita fide, sensisset consequi charitatem, cur istud scripsit? si fidem habeam, adeo ut montes loco dimoveam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Sed istud videlicet erat in re, quod in eo tempore natus nondum est Lutherus, qui suam ostentaret Dialecticam, & docere posset Apostolum, talem consequentiam à particulari valere propterea, quod propositionibus constet posterioristicis. Sed hoc alias.

QUONIAM igitur certum est, incertum esse, qui sint boni, consequitur, ut hæc multitudo quæ facit ecclesiam Catholicam, istam dico, ex qua fides discitur, & Scriptura discernitur, sit multitudo promiscua profitentium Christi nomen & fidem, etiamsi professioni non respondeat vita. Jam istud Lector, adeo verum est, ut nec Lutherus, qui libenter dissimular, quicquid non potest solvere, potuerit subricere. Fatetur enim, Ecclesiam certam esse oportere. Sed ne cogatur illud item fateri, quod verum est, istam multitudinem esse ecclesiam, quam nunc omnes noscimus, nomine Christiani populi, qui fere omnes agnoscunt Primatum Pontificis, vertit omnem lapidem, & ecclesiæ suæ spiritualis, signa quædam dat, per quæ vult eam satis certam reddi: quæ signa omnia nec satis certam reddunt ecclesiam, quam præscribit ille & competunt omnia in hanc ipsam, quam ille veram negat, & vocat Papisticam. Ita, bis stultus est, qui nec eo pervenit, quo tantopere tendit: & in illud incidit, quod maxime conatur effugere. Ait enim hoc pacto;

Si per petram Papa, & per ecclesiam ædificatam intelligeretur obediens Papæ congregatio: sequitur Papam non esse, Papam, nec ecclesiam esse ecclesiam, quod evidenter probo sic: Sine peccatis esse debent petra & ecclesia, non subjectæ portis inferi. At quum nullus in mundo possit esse talis certò & infallibiliter: & tamen certa debet esse petra, certaque Ecclesia, sequitur, nullum esse Papam, nec ecclesiam.

Verba Lutheri.

VIDES Lector, ut hic fateatur, non solum petram, sed Ecclesiam quoq; certam esse oportere. Sed illud obiter quæso te perpende diligenter. An non hic manifeste colligit illud, quod si tam evidenter verum esset, quam evidenter falsum est, non modo Ecclesiam istam quam impugnare nititur, sed quantum ad terram attinet, omnem omnino tolleret. Nam pone Luthere, quamcunque velis, & eam, unica ratione tua, bis probo nullam esse. Quod ut tuis verbis utar, evidenter probo sic; Ecclesia sine peccatis esse debet, non subjecta portis inferi. At quum nullus in mundo possit esse talis, certo & ineffabiliter, & tamen certa debet esse ecclesia, sequitur igitur, nullam esse Ecclesiam.

VIDES Luthere, quod hoc præclarum argumentum tuum, non magis adversarium tuum petit, quam te, imo illum nihil petit, te vero perfodit penitus. Nam nos in tuto sumus, ut qui negemus id necessarium esse, ut ecclesia dum in terra militat, sit absque peccato: sed tu qui sentis id oportere, & tamen fateris neminem esse sine peccato, & prædicas etiam bona opera esse peccata, & justum benefaciendo peccare, tu inquam, etiamsi non oporteret ecclesiam esse certam, tamen aperte revinceris, omnem è terris ecclesiam sustulisse: quod rursus, ut verbis tuis utar, evidenter probo sic. Ecclesia debet esse sine peccato, sed nemo est sine peccato, ergo nulla est Ecclesia. Extrica tete Luthere ex hac trica, qua tua te stoliditas intricavit. Sed istud obiter: quum propositum mihi non aliud fuerit, quam ut ostenderem etiam Lutherum fateri ecclesiam debere esse certam. Igitur ad id revertor, ut ostendam, per quæ signa Lutherus conetur efficere, ut certa videatur ecclesia illa interna spiritalis, & occulta, quam solam definit ecclesiam. Scribit enim hunc in modum;

Verba Lutheri.

Quo ergo signo agnoscam ecclesiam? oportet enim aliquod sensile signum dari, quo congregemur in unũ ad audiendum verbum Dei. Respondeo. Signum necessarium est, quod & habemus Baptisma, scilicet, panem, & omnium potissimum Evangelium. Tria hæc Christianorum symbola, tesseræ, & characteres. Ubi enim Baptisma, & panem, & Evangelium esse videris, quocunque loco, quibuscunque personis, ibi ecclesiam esse non dubites. In his enim signis, vult nos Christus concordare, ut Eph. 4. dicit; Una fides, unum Baptisma, unus Dominus. Ubi idem Evangelium est, ibi eadem fides, spes, eadem charitas, idem spiritus est, & revera omnia eadem. Hæc est unitas spiritus, non loci, non personæ, non rerum, non corporum, de qua servanda, Paulus nos præcepit esse sollicitos. Ubi vero Evangelium non esse videris (sicut in synagoga Papistarum, & Thomistarum videmus) ibi non dubites ecclesiam non esse, etiamsi baptizent & vescantur de altari, nisi parvulos, & simplices exceperis: sed Babylonem ibi esse scias, plenam lamiis pilosis, ululis, onocrotalis, aliisque monstris, id est magistris nostris eximiis refertam. Evangelium enim præ pane & Baptismo, unicum certissimum, & nobilissimum Ecclesiæ symbolum est, cum per solum Evangelium concipiatur, formetur, alatur, generetur, educetur, pascatur, vestiatur, ornetur, roboretur, armetur, servetur, breviter, tota vita & substantia ecclesiæ, est in verbo Dei: sicut Christus dicit. In omni verbo quod procedit de ore Dei, vivit homo. Non de Evangelio scripto, sed vocali loquor. Nec de quavis concione, qua in templis de suggestu declamatur, sed de germano & genuino verbo quod fidem Christi veram, non informem, & Thomisticam doceat: quod per Papam & Papistas extinctum, & suffocatum, per orbem totum conticuit. Ideo enim, Christus nihil tanta instantia exegit ab Apostolis, quam ut evangelizarent. Sic à Petro in persona omnium pastorum exegit, ut pasceret oves, id est, Evangelium doceret viva voce. Quod verbum Catharinus, vere Catharinaliter exponit, non de Evangelio, iterum faciens

faciens è simplici sensu verborum Christi, quotuplicem visum ei fuerit, quia sciebat evangelizandi significationem, quæ sola in eo verbo est, non posse convenire tot occupationibus mundi oppresso Pontifici, ideo fingenda fuit alia significatio de regimine dominante, sicut 2. Pet. 2. Prædixit, & fictis verbis, in avaritia de vobis negotiabuntur, de qua re nunc supersedeo, abunde alias tractata.

QUID ais Lector, an non pulchre se nunc expedivit Dominus Doctor? An non ecclesiam suam dilucide certam reddidit? Ponit Ecclesiam ex solis bonis constare, eam congregationem ait esse certam his tribus signis, Baptismo, pane & Evangelio: sed non illo scripto, nam illud habent & Papistæ, sed vocali, nec tamen quavis concione, qualis in templis Papistarum de suggestu declamatur, sed de germano & genuino verbo loquitur, quod fidem Christi veram, non informem & Thomisticam doceat, sed Lutheranam istam, videlicet solam fidem sufficere sine bonis operibus: & quod nihil quenquam damnare potest, præter solam incredulitatem, quia omnia peccata absorbentur à fide, & quod nullæ leges obligant Christianum quenquam: & quod nulla sit libertas arbitrii, sed divina bonitas necessaria causa sit humanæ malitiæ, & mille Articulos hujusmodi, quos Papa, & Papistæ per orbem totum, perperam conantur extinguere. Certe tali Prædicatione certa est Ecclesia malignantium. Verum initio, quem non miseræ sortis nostræ miserescat? Quos tu velut margitas, & corebos irrides, & tuo lepidus arbitratu ludis. Dum persuasisti tibi, Papistam nullum, per stuporem posse potistæ repugnantias apertissimas deprehendere. Nam primum dicis, ob id oportere certam esse ecclesiam, ut possit esse certum, ubi prædicari debeat Evangelium: nam dicis nec deberi prædicari, nec posse sonare, nisi in ecclesia, ex quo vides consequi, prius oportere cognosci ecclesiam quam prædicetur Evangelium. Postea dicis, signum per quod unicum ecclesiam certo cognoscitur, esse Prædicationem evangelii: nam reliqua signa, fateris esse etiam apud Papistas, apud quos negas esse ecclesiam: ex qua positione tua sequitur, prius Evangelium prædicari oportere, quam cognosci possit ecclesia: quum ea Prædicatio per te, sit unicum signum, per quod ecclesia certo cognoscitur. Vides ergo pater prudentissime, qui nunquam tibi repugnas, quam constanter & circumspecte, duo sibi invicem contraria connectes, videlicet & prius cognoscendam ecclesiam, quam prædicetur Evangelium, & prius prædicandum Evangelium, quam cognoscatur ecclesia. Jam quæso te Doctor insignis, ac posteriorista peritissime, quum demonstras ecclesiæ certitudinem, per certitudinem Evangelii: & viceversa, demonstras Evangelii certitudinem, ex certitudine ecclesiæ, liceat ex te scire, quo canone posterioristico, posterior, propositio in hac demonstratione tua posterioristica, ex priore sequatur. Quippe si hoc tibi satis explicatum ducis, quum primum perdiscendum præcipis, quænam sit vera ecclesia, ut huic duntaxat prædicetur Evangelium: dein rursus inquirentibus ecclesiam, constare eam censes ex Evangelii Prædicatione: aut tibi sit, necesse est alia posterioristicæ, quam hactenus fuit omnibus aliis, aut te parum posterioristices peritum esse. Nempe cum etiamnum incertum relinquas, quibus sit Evangelium declamandum, nec verum vis, nisi quod prædicetur quibusdam, nescio quibus, quos tu non satis definis, sed tanquam ideas Platonicas animo concipis, & dum id tua ratione demonstrandi requirimus, redibit ad caput currulus: ac si centies colligere ac recolligere aggrediamur, easdem semper propositiones, ultro citroque veluti labyrinthi errores repetemus, dicemusque cognoscere nos Evangelium, propterea quod ecclesiam cognoscimus: deinde illam nosse, eo quod Evangelium scimus: porro iterum Evangelium, quia ecclesiam sciamus. Itaque his claustris perpetuo septi, dum quærimus egressum, & certam tandem metam optamus attingere, cogimur eodem recurrere. Atque hæc est Domini Doctoris posterioristice, qui quum sibi jam prius fas esse scripserit, coronam regiam conspergere, & conspurcare stercoribus: an non nobis fas erit posterius hujus posterioristicæ, liguam stercoratam, pronunciare dignissimam ut vel mejentis mulæ posteriora lingat suis prioribus, donec rectius ex prioribus didicerit posteriores concludere propositionibus. Qui ideo se certum de ecclesia jactitet, quia certus sit de vero Evangelio, certum autem de Evangelio, quod certus est de ecclesia. Rursusque de ecclesia sibi constare ex Evangelio, & tamen ecclesiam prius inquirendam, ut ei soli Evangelium prædicetur. Cæterum eam investigari non posse, nisi per Evangelii Prædicationẽ. Quis non credat hunc hominem aut insanire ipsum aut alios prorsus omnes insanire putare, qui nihil habet considerari quid, apud quos, in quos, ubi, quando, vel quomodo eblateret: extra omnem locum & rationẽ, citra omne pensum, quicquid in buccam venerit, effutiat, atque quælibet in quemvis ejaculetur opprobria, more Cynicorum, si quis vel ausit hiscere contra ejus placita, etiam absurdissima?

Digna retalio eo viro: qui reges stercoribus conspersurum se minetur

Sed quæso te Luthere, satin tibi sanus videris quum scribas ecclesiam veram, hoc est, per te bonorum duntaxat, & qui sine peccato sunt, & sine peccato permanebunt, hoc est etiam per te nullorum, quum neminem ponas absque peccato. Sed istud omitto. Sint ista simul vera, & aliquam in terris esse ecclesiam, & de ea neminem esse, nisi qui sit absque peccato: & neminem esse sine peccato: & tamen, ut dixi, quandoquidem tu ita vis, sit aliqua in terris ecclesia talium, quales in terra nusquam sunt. An tu nunc censes ecclesiam istam tuam, bonorum & impeccabilium virorum, satis certam & perspectam esse, tribus hisce signis, Baptismo, pane, & vera Prædicatione Evangelii? Primum ista tria signa manifeste sunt in ecclesia nostra, quam tu vocas Papistarum. Nam de Baptismo,

& pane, nec ipse dubitas, hæc duo esse apud nos, & ideo tertium dicis esse signum longe certius, nempe veram Evangelii Prædicationem, hanc omnino negas esse apud nos. At nos interpretamur & prædicamus Evangelium, ex sententia sanctorum Patrum, quamobrem si illi vere prædicabant, & in hac ecclesia vere prædicatur, in qua tu neminem dicis esse de ecclesia vera, nisi si quis forte parvulos excipiat & simplices. Nam parvulos & simplices, non prorsus affirmas ejectos ex ecclesia Christi, quanquam sunt de ecclesia Papæ, hoc est per te de synagoga Sathanæ: & tamen eos excipi pateris ab his, qui non sunt de ecclesia Christi, ratus quod illi fortasse sine peccato sint, & sine peccato quoque permansuri sint, & ideo in ecclesia Christi numerentur etiam sine vero, ut ais, Evangelio, quod unum ponis certissimum signum ecclesiæ, & quod nusquam esse contendis in ecclesia Papæ, de qua sunt illi simplices & parvuli, quia nos Papistæ, in perpendendo Scripturæ sacræ sensu innitimur vestigiis sanctorum Patrum. Sed tu solus vere prædicas Evangelium, & ante te nemo. Nam tu scripturas expendis, & de sensu soli credis tibi, nec sanctis quicquam credis Patribus, gnarus, eos quantumvis sancti fuerint, fuisse tamen homines & errasse sæpe, ita enim tu sæpe jactas: quum interim, opinor, te scias hominem omnino non esse, sed doctrinam tuam certus es habere de cœlo, & certus es te non magis errare posse, quam asinum angelum volui dicere. Verum istud, abs te Luthere quæsierim: quonam signo discernis eum Scripturæ sensum veriorem esse, qui videtur tibi, quam eum quem vides, visum esse tam multis, tam doctis, & tam sanctis Patribus? ex collatione locorum inquis. An igitur non conferebant illi? An tu illis rationem censes, & judicium defuisse, quod nunc supersit tibi? quum illi rationem rectam sint secuti, vos eam propemodum studeatis extinguere: sed Deus videlicet aperuit petenti tibi, juxta illud: Petite & accipietis: nam id jactare soles, certum te esse, doctrinam tuam habere te de cœlo: petisti videlicet certa cum fiducia homo spiritualis, ut duplex Heliæ spiritus inspiraretur in te, in quem perspicuum est spiritum nequam aliquot sese intrusisse myriadas. Quid ergo censes de sanctissimis patribus, aut voluntatem defuisse, aut opem Dei non implorasse, aut in Deo non habuisse fiduciam? Si Deum contendis tam multa, tam utilia, tam necessaria, nunc indicare tibi, cur illum putes cum tanto totius ecclesiæ suæ detrimento, illa omnia tam diu celasse tam sanctos? Sed non cælavit Luthere. Imo aperuit eorum oculos Deus, & se accomodavit eorum modestiæ, quum tuam aversatus arrogantiam, patitur te sapientem videri in oculis tuis, ut cum philosophis, quos toties improbas, dicens te esse sapientem, stultus fias, & evanescas in cogitationibus tuis: & itidem fiat, & evanescat tecum, quisquis in quæstione virtutis, & fidei, non malit animam suam periclitari cum tot sanctorum cuneis, quos in cœlis esse non dubitat, quam cum uno scurra blasphemo, quem, valde cæcus est, quisquis non videt ad inferos ire præcipitem. Igitur Luthere, si verum est, quod ipse dicis, quod ubicunque hæc tria sunt, Baptismus, panis, & verum verbum Dei, ibi non est dubitandum veram esse ecclesiam, quia signum verbi, ut dicis, impossibile est sonare, nisi in ecclesia per Spiritum Sanctum: certe quum in ecclesia nostra sit verum Evangelium scriptum, & sancti Patres illud vere sint interpretati, & multi apud nos in templis ut vocas Papistarum, & idem Evangelium scriptum legant, & ex sanctorum Patrum interpretatione prædicent: necessario sequitur, etiam per te, id verum esse, quod tu tantopere pernegas: ecclesiam istam, quam appellas Papisticam, ecclesiam esse vere Christi Catholicam. Sed & istud ex te quæro: si in his populis, qui parent Pontifici, & tamdiu paruerunt, toto hoc tempore non fuit Ecclesia: dic ubi fuerit his annis quingentis proximis, ante natum te. Nam nunc, tu videlicet nova progenies cœlo demitteris alto, ut Ecclesiam malorum instituas: in bona, & ante te incorrupta Saxonia. Quæ & ipsa, & Germania tota, si tu verum dicis, hactenus fuit extra ecclesiam, & majores eorum omnes descenderunt ad inferos. Verum illi, nunc in superis male precantur tibi, qui eorum posteros ne illuc sequantur eos, per malitiam conaris avertere. Sed, quoniã probavimus ex Lutheri positione sequi, ut si sua signa certam faciant ecclesiam, necessario certum sit, ecclesiam veram esse, quam ille falsam vocat, nunc examinare libet, quam prudenter ista tria signa statuat, velut infallibilia ecclesiæ veræ indicia: Memineris Luthere, te ecclesiam ponere duntaxat tam Sanctorum, ut sint sine peccato: age igitur, pone ob oculos quamcunq; velis congregationem: & quoniam tibi libuit literis ludere, & velut per demonstrationes agere, per A. & B. dum dicis tibi crasse philosophandum esse, cum crasso & pituita laborante capite, atq; ita colligis: Si A. disputet cum B. & cætera quæ tu præclare connectis: eodem modo nos homines crassi, & pituitosi proponemus tenui & splendidæ bili tuæ Esto igitur, tu sis A, auditores tui B.C.D. sit aliquis, qui cupiat certus esse de aliqua vera ecclesia, quam sit persuasus non aliam esse, quam quæ sit absq; peccato, & audierit eam tribus signis, certo posse cognosci, Baptismo, pane, & vera Prædicatione Evangelii. Sed ut pergamus per literas. Sit hic si voles E. pone igitur, quod E. veniat in ecclesiam A.B. C.D. quos novit esse baptizatos, & vidit usos Eucharistia: audiat præterea ipsum A. suo more prædicantem Evangelium apud B.C.D. & pone per impossibile: quod Prædicatio quam prædicat A. vera sit & sincera Prædicatio. Utrum ex his signis certo sciret E. quod A.B.C. D. sunt vera ecclesia, eo modo quo ille accipit ecclesiam veram, hoc est, quod A.B.C.D. sint viri boni, & sine peccato, & respondeo, quod non: quod, ut tuis verbis utar, evidenter probo sic; E. aut novit ipse Scripturas & dogmata Christianæ fidei, & venit ut nota rursus audiat, & crebra auditione pietatem augeat, aut

illa

illa nondum novit, sed audito Christi nomine quærit ecclesiam, à qua perdiscat fidem. Si scripturas novit, & Christianæ fidei dogmata, jam certo sciet E. istam ecclesiam, A.B. C.D. per ista, signa, certam esse non posse. Incertum enim adhuc esse sibi, utrum A.B.C.D. boni sint an mali.

Nam & dissimulari vitia possunt, & simulari virtutes: Cognoscet præterea, & apud malos bene prædicari posse, sicut Christus ipse prædicavit sæpe Scribis, & Pharisæis, & non solum à malo viro posse prædicari veritatem, sed etiam à diabolo: & illud falsissimum esse, quod dicis tu, videlicet verum verbum non posse sonare, nisi in ecclesia vera, quæ sit absque peccato, nisi mentiatur Propheta, quum ex persona Dei dicit: Peccatori autem dixit Deus, quare tu assumis Testamentum meum per os tuum. Aut nisi falsum fuit quod dixit diabolus: quum per os hominis insani Christum confessus est, esse filium Dei. Vides ergo Luthere, quod si E. scripturas intelligat, & dogmata fidei Christianæ, jam ex ipsis ipse certus erit, se incertum esse de ecclesia, A.B.C.D. utrum sit vera, an falsa, hoc est, utrum sit bona an mala, quia quantum ad virtutem pertinet ac vitium, E. per nullum istorum signorum tuorum potest esse certus, utrum A. sit albus an ater: utrum B. sit bonus an bufo: utrum C. sit creta an carbo? utrum D. sit Deus an diabolus. Atque hæc Luthere, vides esse vera etiam posito per impossibile, quod Prædicatio, quam prædicat A. recta foret & indubiè vera. Ex quo facile vides, quam longe tibi retro res nunc labatur, apud E. videlicet intelligentem & pium, quum Prædicatio, quam prædicat A. vere sit & indubiè falsissima.

Sed jam videamus alteram partem. Si E. nesciat adhuc neque quæ sint Scripturæ veræ, neque quæ sint vera Christianæ fidei dogmata: sed de sua salute sollicitus, audita Christi fama, velit ejus fidem religionemque cognoscere: tunc dico quod E. veniens in Ecclesiam. A. B. C.D. & audiens A. more suo prædicantem talia, qualia solet, apud B. C. D. & videns B. C. D. assentientes, & asserentes hanc esse veram Prædicationem. Primum si illa talia essent vera, tamen E. non posset habere rem pro explorata, propterea quod audierit A.B.C.D. non esse nisi minimam particulam eorum, qui profitentur fidem Christi, nec posset ipsis solis auditis certus esse verum. A.B.C.D, aut veras scripturas profiterentur, aut veras vere interpretarentur. Nec judicare posset, utrum id quod apud eos audiret, verum esset Evangelium an non: nec de tanta re tam paucis esset crediturus, nullo permotus miraculo. Ergo, quum E. postea, tot nationes Christianas perlustraret, & quantum ad salutis necessitatem pertinet, ubique videret eandem fidem, eadem dogmata. Quum ex veterum Sanctorum scriptis intelligeret, iisdem de rebus eadem sensisse constanter omnes Doctores sanctos, quicunque fuerunt à Christo passo, in hæc usque tempora: jam non dubitaret E. si qua sit in terris ecclesia Christi vera, hanc esse congregationem quæ per Christum cœpta, propagata per Apostolos, edocta per Sanctos, speciali Dei cura perpetuo, per tot secula permansit in unitate Christianæ fidei. Ergo, si postea redeat rursus E. in Ecclesiam, A.B.C.D. & rursus audiat A. suo more, qualia solet, apud B. C. D. prædicantem, & asserentem se prædicare verum, & genuinum verbum Dei: & illos omnes Christianos, quos E. in tot populis audivit alibi, decipi prorsus, & errare damnabiliter: fieri certe non potest, quin E. quum videat ecclesiam. A.B.C.D. non nisi rivulum quendam esse, ab illa magna dimanantem, & nunc ab ea divulsam, & quum non aliud quàm scripturas admittat, alias tamen scripturas non habeat, sed aliter eas, contraque tractet, quam tota illa, tot terrarum, tot ætatum tractet Ecclesia, & de earum sensu sibi arroget, contra tot ætatum, tot & tam doctos, tam sanctos interpretes, contra totius orbis Christiani consensum: quem consensum, ex scripturis jam didicit, E. Spiritu Christi coalescere: quumque videat, E. apud A. B. C. D. maximis de rebus, multa perabsurda dogmata, non solum ecclesiæ illi Catholicæ contraria, sed in publicos etiam mores perniciosissima, fieri, inquam, non potest, quin E. certo sit intellecturus Ecclesiam. A. B. C. D. non esse Ecclesiam Christi, nec bonorum cœtum, sed pessimorum scurrarum gurgustium, & conciliabulum Sathanæ, & jam ex his interpretaretur, A. vel alpha esse hæreticorum, vel Antichristum. Sed nec fieri potest, quin, E. quum certo jam & pernorit Ecclesiam illam veram, quæ perpetua quadam serie propagata est, ab ea, quam olim instituit Christus, & semper incorrupta mansit in fide stirpis, facile sit cogniturus, quantacunque pars ab ea se divulserit, ramum arefactum fore divini spiritus expertem, qui nusquam manebit, nisi in sua vinea, in quantulamcunque, rescissis palmitibus, sit redacta. Ecce Luthere, qui te tam impudenter exclamas Ambrosium demonstrative convincere, habesne quicquam, quod hic possis hiscere, quo minus te fatearis, tui generis demonstratione victum, ac revictum evidentissime, probatumque nobis, & tuam ecclesiam conciliabulum esse Sathanæ, & promiscuam Christianorum multitudinem, vulgo notam, & sensibilem Ecclesiam esse Christi Catholicam, cujus milites modo vincunt, modo vincuntur, dum adhuc ecclesia militat in terris.

JAM quum Lutherus tam pulchre pronuntiet de tot Christianis gentibus, quæ obediunt Papæ, ut eas omnes asserat esse omnium sceleratissimos: nec dubitandum esse quin ibi ecclesia non sit, nisi quis, ut ait, parvulos excipiat & simplices, libenter ab illo quæsierim, ubinam gentium sint illi grandes, & duplices, qui nunquam peccant, quos veram vocat ecclesiam. Nam sceleratissimã plane, & Satanę synagogam esse, totam dicit Italiam, totam Angliam, Scotiã

Hiberniam, totas Hispanias, ac Lusitaniam, & usque ad suum Evangelium, totam fuisse Germaniam. Nam has gentes omnes, satis constat reverenter hactenus agnovisse successorem Petri. Nos tamen benignius sentimus de Saxonia, quam serpentis istius pestifer infecit halitus: Nam & ibi quoque speramus, Deum reservasse sibi grandium & sapientum septies septem millia, quæ non curvarunt genua sua ante Baal. Sed age, magna parte temporis, quod Christi salutiferam mortem, & Lutheri mortiferum ortum intercessit, si istæ nationes non faciebant maximam saltem partem ecclesiæ, dic quibus in terris erat ecclesia. Nam etiamsi ecclesia non obligatur ad ullam partem terræ, necesse est tamen aliqua in parte sit. Certe, si in istis partibus terræ non fuit jamdiu aut mire pusilla fuit, aut nusquam fuit. Constat igitur, etiamsi ecclesia non sit Christianorum multitudo promiscua, sed bonorum hominum numerus, aut qui sic resipuerint, ut nunquam denuo peccaturi sint, aut qui subinde resurgentes, subinde casuri sint: tantisper in ecclesia censendi, quamdiu steterint ejecti quum ceciderint, recepti quum redierint, tamen ne sic quidem quicquam confecisse te. Nam, & horum certum est multo maximam partem, longo jam tempore in his fuisse gentibus, quæ sedem Petri reverentur ut matrem. Neque enim usquam est, aut diu fuit alibi, tantum populorum profitentium fidem Christi. Sequitur igitur, ut si non hæ nationes sint ecclesia, saltem in his nationibus sit ecclesia, aut quod negari non potest, multo maxima pars ecclesiæ. At hactenus in his nationibus, optimi quique maxime paruere Pontifici, pessimi quique maxime rebellarunt Pontifici, leges sanctissimi viri condiderunt, optimi quique maxime servaverunt, pessimi quique maxime contempserunt. Sacramenta concorditer venerabantur universi, vix unus aut alter è tot populis, in tot ætatibus exortus est, qui quicquam contra mutierit, & iidem semper notæ, nobilisque militiæ. Quæcunque ergo vera sit ecclesia, quæ quidem sit, aut fuerit, diu in his populis, qui maximi sunt in professione Christianæ fidei, dogmatis adversatur & semper est adversata tuis. Quod si tibi parum videtur istud, quod plane tua plus quam pessundat omnia, profer tu gentem aliquam, ubi unquam in tot ætatibus, ante natum te, tuæ probatæ sunt hæreses. Ostende apud quos Christianos, sacerdos nihil distarit à laico: apud quos Christianos, mulieres admissæ sint ad audiendas confessiones: ubi creditæ sint fœminæ sacerdotes esse: & idoneæ quæ conficerent Eucharistiam: ubi sit receptum, nullas leges obligare Christianos, & mille absurditates ejusmodi. Quod si non potes ut certe non potes, non est quod amplius argueris de ecclesia. Nam, quæcunque tot ætatibus vera fuit ecclesia, sive illa fuit bonorum, malorumq; multitudo promiscua, sive numerus duntaxat bonorum, sive in his regionibus quæ parent Romano Pontifici, sive alibi ubicunque terrarum, semper contra te sensit illa, & tua damnavit insanissima dogmata. Nam, quod ais Papistarum esse figmentum, quod aliud sit jurisdictionis, aliud fraternæ charitatis officium: & dicis Evangelium, & ecclesiam nescire jurisdictiones (nam eas non ais esse, nisi tyrannicas inventiones hominum) certe nisi tu totus esses potista, facile cerneres non esse prorsus idem jurisdictionem, & charitatis officium, etiam si verum est, nullam esse jurisdictionem Christianam, quæ non ex charitate sit instituta. Sed tamen multa potest, & debet Præsidentis authoritas, quæ sibi nec potest, nec debet arrogare, cujusque privati hominis charitas, alioqui si jurisdictio nihil est omnino, cur Paulus jurisdictionem exercuit? Cur hominem tradidit Sathanæ in interitum carnis? Cur planissime proponit. Qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit. Cur servari præcipit, quæ tradidit ipse? Cur præcepit obedire præpositis? Cur ipse Christus obedire jussit Scribis, & Pharisæis super cathedram Moysi sedentibus? Cur ipse præbuit jurisdictionis exemplum, & flagello vendentes ejecit è templo? Imo cur ipse turpiter dissimulas, inter ipsa verba Christi pasce oves meas, verbum esse, quod te confutat? Neque enim ignoras, sed dissimulas turpiter esse in illa repetitione verbi ποιμαίνειν, quod significat regere: sed quum istud nemo non videat, tibi satis est, si te dissimules cernere. Non opinor expectare quenquam, ut ad præclaram allegoriam tuam respondeam, qua scribis tria signa figurari, per duo capita vectium, in templo Solomonis extra arcam extantia: quippe quum nihilominus concinne potuisses, eadem figurare per duas Moysi tabulas, aut duo Moysi cornua.

JAM istud, nescio quanti facias ipse, quod bis immittis in nos, nempe quod in symbolo confitemur, nos ecclesiam sanctam Catholicam credere. Ex quo colligis, quum fides argumentum sit rerum non apparentium, si ecclesia creditur, & est materia fidei, nullo modo ecclesiã esse sensibilem istam bonorum & malorum multitudinem, quæ cuivis apparet & humano sensu percipitur. Hoc telum bis in manum sumis: bis intorques fortiter: sive quod tibi videbatur splendidum, & quod contrectare delectabat; sive quod sentiebas esse tam obtusum, ut sæpi⁹ oporteret incuti. Hac in re primum miror symbolũ, quod ut est, ita debet esse magni ponderis apud omnes fideles, quicquam habere ponderis apud te. Nam symbolum constat opinor traditionem esse, non Scripturam: nam nec intra Scripturam Canonicam numeratur, nec SS. patrum quisquam, quod sciam, quum ei⁹ propositum fuisset aliquid probare scripturis, unquam probavit ex symbolo. Quare, si tu Luthere, qui toties adversus traditiones exclamas qui te toties clamas nihil recipere præter evidentes scripturas, ecclesiam credis propter autoritatem symboli, manifeste profecto decedis de sententia, & traditionibus credis, non scripturis Nec istud eo dico, quod te hac in parte vituperem. Imo adeo laudo, vellemq; idem ut faceres sæpius. Esset enim plaudendum, si incipias aliquando

quando in melius esse mutabilis, qui quavis aura incertior, & quovis folio levior, subinde te mutas in pejus.

Sed interim, te quæso, quid lucraris in causa? Nam quum planum sit, aliam esse ecclesiam triumphantem in cœlo, aliam hic militantem in terris: quid probasti tu, de hac? si Articulus loquatur de illa: ut quum percensuisset quæ de divina Trinitate credenda sunt, & humanitate Christi: tandem speratum credentium præmium proponat; credendum etiam illud, quod alioqui certo sperari non possit: admonitos itaque mortales, qui fidem profiteri velint, ut indubitanter crederent ecclesiam fore Catholicam, quæ sancta societate, remissis peccatis, rediviva carne, redditisque corporibus, vita frueretur æterna. Sed & in terris quoque tametsi non sit incertum quæ sit, aut ubi sit ecclesia Christi Catholica, cujus consentientis autoritas certum quemque facit & de Scripturis veris, & de necessariis Articulis fidei, atque ita certum sit istud, ut hac ratione sit ecclesia sensibilis: tamen & ipsa multis modis pendet à fide. Nam, etiamsi sensui patet, quæ sit illa, quæ de fide consentit: sensui tamen non patet, hunc consensum, non humana conspiratione fieri, sed nasci, atque inspirari divinitus: nam id, nemo nisi fide concipit. Jam quanquam ecclesiæ corpus sit sensibile, tamen quod Christus ejus mysticum caput sit, id quoq; non sensus ostendit, sed fides. Quin & istud, quod quicunque Sanctus est in terra, pars est hujus Ecclesiæ, quæ etiam hic adeo sancta dicitur, non quod nemo sit in ea, qui peccat, sed quod nemo est in terra sanctus, qui non est membrum hujus ecclesiæ! istud inquam fide docemur non sensu. Quamobrem, & recte credimus ecclesiam Catholicam, propter multa, quæ sensui non apparent, sed omnino pendent à fide: & tamen nihilominus constat evidenter, hanc promiscuam & sensibilem multitudinem profitentium nomen, & fidem Christi, esse ecclesiam Catholicam: qua docente, Scriptura discernitur, & certo discitur, & cognoscitur fides. Sed decies ad id recurrit, quod ecclesia non potest esse multitudo ista promiscua. Quia peccatores non sunt de ecclesia: nec meminit, quod in arca Noe, quæ præfigurabat ecclesiam, animalia immunda commixta sunt mundis. Quæso te Luthere, quum Apostolus scriberet Corin. an non scripsit ad ecclesiam? An igitur nihil peccati taxat in ecclesia? Quid quum scribit ad Gal. non ibi quoque scribit ad ecclesiam? & tamen insensatos vocat, & usque adeo clamat errare, ut miretur etiam, quis eos fascinaverit. Jam in revelatione Joh. Evangel. quum septem Ecclesiis loquitur Spiritus, nihilne reperit usquam vitii? Quam severe minatur, quosdam ejecturum se, ni resipiscant? Cæterum, quanquam peccantes, & si perstiterint evomendos, interea tamen numerat in ecclesia. Quin Christus ipse de ecclesia sua præsente præsens pronuntiavit, non omnes esse bonos. Vos, inquit, mundi estis, sed non omnes. Et iterum; Nonne XII. elegi vos, & unus ex vobis diabolus est? Quod si commemorare vellem sanctorum Patrum sententias, quę huic sententię subscribunt, & longum esset, & apud te supervacuum, qui flocci facis unus universos: apud quem, nec totius ecclesiæ consensus quicquam habet ponderis, quæ non aliquos habere peccatores, sed se confessa peccatricem totam quotidie clamat ad Dominum: Ecclesiæ tuæ Deus peccatis ignosce. Nec id humano docta consilio, sed ab ipso docta Christo, qui & Apostolos suos orare docuit, ut Deus eis debita sua dimitteret. Itaq; ecclesia Christi, dum versatur in terris, non adeo adhuc depurata est, quin & peccata quædam assidue maculent bonos, & inter bonos ubiq; vivant mali, qui interea, non aliter sunt in ecclesia, quam morbidæ partes in ulceroso corpore. Nam adhuc etiamsi sani non sunt, tamen utcunq; vivunt, & aluntur calore quodam divini Spiritus, qui animat & conservat ecclesiam, penetrans omnia fortiter, & disponens omnia suaviter. Nec desinet ægras partes circumferre secum, quamdiu in terris peregrinatur ecclesia, nec desinet Christus pro partibus ægris interpellare Patrem, qui Mystici corporis morbos ingemuit, ac deploravit in cruce, longe sunt, inquiens, à salute mea, verba delictorum meorum. Verum quum veniet dies, in qua corruptione deposita vestietur immortalitate, tum defluentibus tabidis illis & putrefactis visceribus, restabit ecclesiæ corpus undiq; purum, ac nitidum, quod interea gestat gestabitque morbidum, sed quantumvis morbidum nunquam gestabit mortuum. Erit enim cum eo Christus, & verbum ejus, quod sive scriptum sit, sive sine Scripto traditum. Utroque modo Spiritus est, & vita cum fide quæ per dilectionem operatur, credentibus: quod genus fidei, ne deficiat unquam, aut desit ecclesiæ, cui Christus præfecit Petrum, Christus ipse rogavit Patrem. Præfecit autem, non Romanæ solum, sed universæ ecclesiæ, quæ & hodie successorem Petri non dedignatur obedienter agnoscere. Nam & si quidam se separant ac divellunt ab illo, quemadmodum Dathan, Abyron & Chore cum suis complicibus magno cum malo suo se separarunt à Mose: tamen omnes ferme populi, qui syncere profitentur fidem Christi, Petri successorem velut Christi vicarium suspiciunt ac venerantur. Quod si isti populi, noti nobis & christianæ fidei professione conjuncti, non sunt ecclesia catholica, nec ulla pars horũ sit ecclesia Christi, sed hinc inde convent⁹ aliquot occulti, atq; incogniti, qui & ab ecclesia reliqua, & inter se quoq; de fide Christi dissentiunt, apud quem illorum quæretur is cui dictũ est; Si nolit emendare, dic ecclesiæ. Cui quæso, ecclesiæ, non obtemperando, fiet tibi sicut Ethnicus & publicanus? an aliam dicit Christus quã notam illam ac publicam? an quæri jubet alicunde duos aut tres hæreticos, qui Donatistarum more denegent Ecclesiam Catholicam esse Catholicam. Sit igitur è Turcis quispiam, qui venire velit in fidem Christi, persuadeatur illi, non hanc Ecclesiam

clesiam veram esse, quam nos appellamus Catholicam, hoc est, omnium gentium congregationem, Christi nomen, ac fidem undiquaq; profitentium: etiamsi plerique professioni parum moribus & virtute respondeant, sed Ecclesiam veram esse hinc, atque illinc duos aut tres, in Christi nomine congregatos bonos: illic inter virtutes vigere fidem veram. Hanc verò nostram, notam atque vulgatam, non esse veram: sed ut moribus malis inficitur, ita veræ fidei loco, falsis opinionibus erroribusque seduci.

Is, ad se, dicet.

Dic jam Luthere quæso, quo perget, ut discat fidem? ad eosne, quos, qui sint, scire non potest? Neque enim scire potest, qui sint boni. Scripturas igitur in manum sumet ipse? atque hic eliciet omnes articulos fidei? quum nec Scriptura comprehendat omnes, & quædam comprehendat sic, ut sine doctore legenti facile obrepat error: Doctorem vero, qui discernet orthodoxum ab hæretico? An Deus docebit intus? doceret certe, nisi reliquisset ecclesiam, ad quam docendos remittit. Quam qui contemnit, persuadens sibi tam unicum esse Dei delicium se, ut seorsum solus doceatur à Deo, aliud quam publice credit, ac profitetur ecclesia: is quantumvis sibi videtur humilis, arrogantiæ certe damnatur apud Deum qui se majori curæ Deo credit esse, quam ecclesiam totam: & Deo dicit, non ut docet Christus Pater noster, sed ut superbus ait quidam amicus Job, Pater mi: & Deo non credit ecclesiæ pollicenti: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.

Non sentis te hic appellari Luthere?

Nec meminit, aut reformidat quicquam: quod sicut omnia, quæ scire sit opus, spiritus dicit ecclesiæ. Sic ecclesiam qui non audierit, jubet Christus pro Ethnico habendum & publicano. Nam si quis, inquit, admonitus coram testibus duobus aut tribus, non emendatur, dic Ecclesiæ. Non dicit, dic duobus aut tribus. Non ergo duos aut tres appellat ecclesiam: nam totidem testes erant, quos ab ecclesia distinguit. Quod si ecclesiam contendas, à testibus non numero differre, sed merito, ut in alteris sufficiat, numerus, in altera spectetur pietas, rursus te rogo: quonam signo discernes ecclesiam illam bonorum trium à tribus qualibuscunque testibus? nam & dissimulari vitia possunt, & simulari virtutes. Quibus ergo tribus dices, quum sis dicturus ecclesiæ?

Verba fiunt mortuo.

Alia est igitur, velis nolis, Ecclesia Catholica, quam ea, quam tu fingis: nec ob aliud fingis, quam quo licentius contemnas ecclesiam vere Catholicam quæ nisi esset cognoscibilis ac nota, non esset certe apud quam de proximi peccato quæri possis. Apud quam, si Christus quæri jubet de moribus, certe multo magis jubet de fide, cujus judicio, qui non audierit, sit, inquit, tibi sicut Ethnicus, & publicanus, quorum alter peccat in moribus, alter aberrat in fide.

Unde morum & fidei petenda censura.

Vides ad ecclesiæ judicium in fidei causa, morumque recurrendum. Cujus ecclesiæ judicium, quum tu de fide non audias, imo scurriliter illudas, subsannes, irrideas, & opera bona contemnas: ad mala præpes provoles, & ad pessima quæq; currentibus addas calcaria, promissa per solam fidem, sine bonis operibus, impunitate pessimorum scelerum merito Christianis omnibus, ipsa Christi voce denunciatus es Ethnicus, & digne ejectus ex Ecclesia Catholica, quam discindere conaris, & comminuere in duos aut tres hæreticos, qui si fors conspirent diem non honorare dominicam & dominicæ diei loco, Mercurii diem aut Veneris sibi festum facere, contendent nimirum præcepto se satisfacere, colere videlicet diem festum, nempe diem illum, quem ipsi sibi sumpserunt pro festo.

Hæc licentia non libertas est.

Liberum enim istud esse, quod nullus dies certus ulla sit Scriptura definitꝰ, nisi forte Sabbathum. Quod si quis dicat ad Ecclesiam pertinere, Spiritu Sancto gubernatam, determinare, quis potissimum dies Deo dedicandus sit, eamque statuisse dominicam, respondebunt, istud statuisse Papisticam.

Hanc ubique cantilenam canit Lutherus.

Ecclesiam enim veram atq; Catholicam esse sese, tres videlicet congregatos in nomine Christi. Atque hoc pacto futurum est, ut colere diem festum non sit aliud, quam verum prophanare festum, ac festum facere, quem cujusque libido voluerit: ut juxta Tychonii dictum, id demum Sanctum sit, quod cuique Sanctum sit.

Tychonii dictum.

Sed cui nauseam non faciat hæc tam absurda finitio ecclesiæ Catholicæ? Nam quum Apostolus dicat, quæ extra nos, nihil ad nos: extra quos dicit? an non extra notam illam, quæ tunc nota erat, Ecclesiam? Quum idem scripsit. Qui contemptibiles sunt in Ecclesia, eos constituite ad judicandum, de qua dicit Ecclesia: an de alia videlicet quam quæ tum nota erat Christi ecclesia? Quæ quantumvis diffundebatur, una Christi professione & jungebatur, & Catholicæ nomine cognoscebatur. In qua quicunque aliam profitebantur fidem, quam publicam, semper habiti sunt hæretici, nec eorum conventus Christi fuit Ecclesia, nec unquam in eum numerum crevere, ut reliquum gregem superarent, idem Christi nomen profitentem. Nam licet infideles & Ethnici in tantam molem aucti sint, ut eorum collatione Christiani videantur pusillus grex, nunquam tamen sic excreverunt hæretici, profitentes Christi nomen, & sibi vendicantes ecclesiam, ut dubium cuiquam relinquerent, ubi censeretur ecclesia Catholica. Nam licet in Ecclesiæ vitia, homo & extra ecclesiam, & vitiosissimus insultet, nunquam efficiet tamen, ut ager Domini desinat ejus esse, propterea quod in hoc crescendi tempore, zizaniæ multum ferat inter triticum, aut Christi rete desinat esse Christi, propterea quod dum in hoc mari trahitur, malos pisces mixtos habet cum bonis, quousque Dominus & triticum colliget, & pisces bonos, ac seponet sibi, Lutherum vero, ac suos complices, foras ablegabit in ignem.

Lutherus piscis inutilis.

Interea vero ecclesiam sponsam suam, cum qua se futurum promisit, usque ad finem seculi, quanquam alias peccantem, & sæpe castigatam, ita tamen servat sua præsentia, ut

ut eam per infidelitatis fornicationem, in aliorum deorum cultum non patiatur incidere, sed suo Spiritu sancto, qui ducat eam in omnem veritatem, sic eam fovet, & instruit, ut neque in fide sinat, neque Sacramentis errare. De qua, si adhuc moveas controversiam, & quæras, quænam sit illa: respondebo rursus, illa eadem Ecclesia, per quam cognovisti Evangelium esse Evangelium, eadem, inquam Ecclesia est illa Catholica, quæ te docet Sacramenta septem esse Sacramenta, quæ docere non potes, cur in altero magis falli possit, quàm in utroq;. Si nihil omnino fuisset scriptum, Ecclesiæ credidisses de omnibus, quæ jam scripta sunt? Ecclesiæ credis veros Evangelistas fuisse, veros Apostolos, qui scripserunt ea quæ scripta sunt, ex his, qui scripserunt, nemo scripsit scripta esse omnia. Imo scribunt aperte, quod omnia scripta non sunt. Cur igitur de reliquis, quæ adhuc scripta non sunt, non credis Ecclesiæ, cui fueras alioqui crediturus, de omnibus, quæ jam scripta sunt? An quia quædam scripta sunt, ideo contemnenda sunt reliqua? Cur Ecclesia minorem apud te fidem habet de parte, quam fuerat habitura de toto? an quia quatuor, aut quinque scripserunt, qui se fatentur quædam scripsisse, non omnia, ideo fidem amiserunt universi? Quos alioqui dignos habuisses, quorum fidei sine scripto, de his etiam rebus, quæ jam sunt scriptæ, credidisses?

Nō omnia scripta esse, quæ ad fidem nostram pertinent authorib. Evangelistis.

Ostendit, quàm ineptè Lutherus nugetur, & quam impudenter mentiatur.

CAP. XI.

NImium diu videor, in re tam aperta, cum isto nebulone contendere. Qui si quid objicitur, id dissimulat; aut si quid commemorat, false recitando depravat, & contra sua verba tanquam adversarii, potius nugatur, quàm disputat. Ait nos, articulos fidei facere, ex quovis verbo Patrum, nec pudet tam aperte mentiri nebulonem. Quis, tanquam necessarium articulum fidei, protulit unquam tibi Luthere, unum dictum cujusquam Patrum? Certe tanquam probabile proferimus, ac multo magis probabile, quàm tuum, vel ob hoc, quod illis pietas aperuit oculos, quos tibi claudit impietas: Illi studuerunt intelligere, tu laboras intellecta corrumpere. Quod si qua in re constet, veteres olim Patres omnes idem sensisse; tantum bonorum consensum uni stolidissimo nebuloni non dubitamus opponere, quando planum est, per illum spiritum eos idem sensisse, qui facit unanimes in domo. Eodem modo nugatur, dum tenedia bipenni rem in duo genera partitur, hoc modo.

Nam quid faciat impudens?

Luth. quid antiquis Patribus interst.

Si usum vel authoritatem hominum, quæ manifeste pugnat contra scripturas, allegasses, quale est, inquit, quod stolidus rex producit, de altera parte Sacramenti, anathema sit usus, autoritas, rex Thomista, satan, & angelus de cœlo.

Verba Lutheri.

Imo anathema sit iste abusor, exauthoratus fraterculus, Hussista, Satanista, de tartaro, qui Scripturam Christi sacram in sensum sacrilegum, adversus Christi Sacramenta detorquet: Et hominum bene dicta, male narrando depravat. Nam quod hic vanissimus nebulo cupit, ignoratione Lectoris abuti, nihil ei proderit, quum ad locum fuerit perventum, in quo videbis Lector apertissimam nebulonis sycophantiam, qui regem fingit objicere authoritatem hominum, qui aperte objicit authoritatem Spiritus sancti, non hominum.

Ut falsus es miser fraterculе.

Sin autem eum, inquit, usum, vel authoritatem hominum allegat, quæ non pugnent Scripturis, non damno, sed tolerari volo. Hoc tantum adjecto, ut libertas Christiana salva sit, & in arbitrio nostro sit ea sequi, tenere, mutare, quando, ubi, quomodo placuerit. Quod si hanc libertatem nobis captivare volent, & necessarios fidei articulos statuere, anathema sit, qui hoc præsumpserit, sive sit insulsus Thomista, sive stupidus Papista, sive Rex, sive Papa, tale est, quod Dominus noster rex urget, pro articulis fidei sua Sacramenta confirmationis, matrimonii, ordinis, unctionis, & mixturæ aquæ in vinum.

Verba Lutheri.

Verum quæ sunt ista, num quæcunq; non sunt scripta? Ne sævi tantopere bone Pater

Expende Lector ea, quæ scripsit rex de Sacramentis istis, & facile videbis, ac ridebis improbam nebulonis calumniam, qui nihil omnino respondens ad ea, quæ rex probavit, tantum mentitur regem objecisse authoritatem hominum, pro quibus allegavit princeps authoritatem sancti Spiritus. Contra cujus ordinationem qui recalcitrat, ac Sacramenta, quæ Christus in sacrosancta consecravit Ecclesia, blasphemat, anathema sit, qui hoc præsumpserit, sive sit insulsus satanista, sive stupidus potista, sive frater, sive apostata.

Pulcherrimè declarat, quàm inepte, imo quam prorsus amenter Lutherus adducat atq; applicet scripturas.

CAP. XII.

SED nunc operæ precium est videre, qui nihil admittit, præter Scripturas, & easdem etjam evidentes, quam pulchre scripturas proponat ipse, quas evidenter quisquis videat neq; cœlum (quod ajunt) neque terram attingere.

Nobis, inquit, adversus has stipulas, & stuppas Thomisticas, plusquam nimis sunt divina fulmina, ubi Christus Matth. 15. decernit, super omnes traditiones hominum, dicens; Sine causa colunt me doctrinis, & mandatis hominum. Quid est universa fæx hujus larvati Thomistæ adversus unam hanc vocem Christi, ut alia plurima transeam alias memorata? Si frustraneum est, quicquid hominum mandatum est, qua fronte stolidus rex, nobis articulos fidei ex eo faciet? Itaq; hac sola voce Christi, prostratus jacet, infelix & miserabilis defensor Ecclesiæ Henricianæ, cum toto suo libello.

Verba Lutheri.

Quam sobrie semper loquitur hic pius Pater.

CUJUS expectationem non superat impudens istius nebulonis stultitia, qui Christi verba illa: Sine causa colunt me doctrinis & mandatis hominum, fulminat, videlicet homo nugax, & Antichristus, adversus eum, qui dixit, ac probavit, Sacramenta traditiones esse Dei, non hominum. Et tam impudentis amentiæ convictus, jam velut victor ac triumphator exultans,

Hac, inquit, sola voce Christi prostratus jacet infelix & miserabilis defensor Ecclesiæ Henricianæ, cum toto suo libello.

Et ista præ furore clamat Lutherus, conscius interim sibi, neminem non videre tam stolide citata Scriptura, quam turpiter prostratus jaceat, infelix & miserabilis impugnator Ecclesiæ Catholicæ, cum toto suo stolidissimo cerebello. Quod cerebellum tam stupidum est, ut in ea re in qua stultitiam ejus omnes rident, adhuc se putet perquam festive ludere.

Videlicet salvator camelus.

Verba Lutheri. *Ubi estis, inquit, Domine Henrice, producite vestrum egregium contra Lutherum libellum. Quid asserit dominatio vestra, septem Sacramenta, quibus doctrinis, Dei an hominum. Audiat ergo Thomistica vestra dominatio judicium, non Lutheri, sed ejus, quem tremunt cardines orbis, frustra colunt me doctrinis hominum.*

Isthic vester stylus est Domine Frater.

VIDISTI Lector aliquando cæcum, qui pugno se cuperet irritatus ulcisci? Verum ut scire possit, quam in partem dirigat ictum, elilit ab adversario vocem, quam prolatam protinus prosequitur verbere, nisi citius alter se subduxerit, quam ut à cæco possit attingi. Hunc cæcum mihi videtur agere Lutherus; sed ita, ut nemo unquam magis egerit ridicule. Nam quum rex appellatus ei respondet ad dextram, ille contra ictum projicit in sinistram. Itaque, specta quæso, quam festiviter Lutherus hunc ludit ludum. Cogita nunc videre te illum, obcæcatis oculis intentum stare, ad ingerendum colaphum. Ubi estis, inquit, domine Henrice? Hic in proximo. Adhuc invitat, ut accedat propius, nempe ut feriat certius. Producite, inquit, vestrum egregium contra Lutherum libellum. Produco. Adhuc propius. Quid asserit vestra dominatio, an septem Sacramenta? Assero. Adhuc propius paululum. Quibus doctrinis? Dei an hominum? Dei. Jam feriendi certus scilicet, en quàm rectè librat ictum. Audiat, inquit, ergo dominatio vestra. Frustra colunt me doctrinis hominum. Spectatum admissi risum teneatis amici, qui videtis hunc cæcum inscium, quàm longè aberrarit in diversam partem, sic exultare præ gaudio, ut compos non sit sui, quasi egregium colaphum infregerit adversario?

Verba Lutheri. *Eat, inquit, nunc dominatio vestra, & doceat dominationes papales hanc frustraneam fidem, & religionem, eamque sicut optimè novit, strenuè defendat: Verum ab Ecclesia Dei, os vestræ dominationis impurum, & sacrilegum abstinete, quæ non nisi verbum Dei admittit.*

Quin tu os istud impium abstines à fide Christi.

IMO Reverende Pater potator, eat dominatio vestra, & dominabus sororibus, quibus prædicatis confitenda virorum peccata, prædicate perfidam fidem vestram, & religionem rutis Bohemici, ubi matrimonium nihil est aliud, quam crescere & multiplicare, & tanquam canes catervatim coire in Ecclesia. Hæc est Ecclesia, in cujus gratiam vestra paternitas, quæ procul exulat à Christi gratia, negat matrimonium esse Sacramentum, & ei prorsus tollit omnem gratiam. Hanc Ecclesiam indicat vestra paternitas, Ecclesiam Dei; & per os illud impurum, & sacrilegum, veram Ecclesiam Christi blasphemat, & verbum Dei labiis mendacio pollutis, contaminat, & illa Christi verba. Frustra colunt me doctrinis hominum, velut fulmen & tonitru, adversus eos jaculamini, in quos non misit Christus, ita fulminatis & intonatis fictitiis fulminibus, & tonitrubus adversus regem, ut olim simili præstigio Cacus adversus Herculem. Quamobrem seposito reverenter fulmine Dei, dominatio vestra, quæ Caci gigantis in morem, fictile fulmen efflavit, digna profecto fuerit, in cujus os impurum, & fulminibus efflandis patulum, Cacus debeat aliquis incacare.

In quorũ gratiam Lutherus neget Sacram. matrimonii.

Lepidè refellit insulsum Lutheri lemma impugnantis diuturnitatem fidei Catholicæ, illata pariter diuturnitate superstitionis Judaicæ, Turcarum, & Gentilium.

CAP. XIII.

SEd postquam ita fulminavit Scripturis: illico ratione pugnat haud minus coruscâ. Ait enim.

Verba Lutheri. *Deniq; adeò stultum est hoc regis propositum, ut & communi hominum sensui repugnet. Quis enim non rideat, pro fide nostra Christiana nihil afferri roboris per tantos Sampsonas, nisi longitudinem temporum, & multorum hominum usum? Qua ratione probabimus Turcarum fidem esse erroneam, quæ jam ad millesimum fere annum durat, ante orta quàm Germania ad fidem conversa est? An hoc satis est, quod dum per intervalla terrarum semoti, non cogimur cum illis disputare, interim in nostris angulis, quicquid visum fuerit, licet nugari? Sic & Judæos quis non merito justificet, hujus invicti Thomistæ exemplo, cum tanta nos superent longitudine temporum? Et cur gentes per orbem novum Christi fidem non dicentur, Authore Henrico Angliæ meritò fuisse persecutas, cum idololatria eorum hoc pulcherrimo, & Thomisticissimo argumento, recta & sana fides censeri debuerit, quod tot millibus annorum, tot regionibus populorum, tam constanti usu firmabatur? Atq; eodem Henrico Magistro etiamnum asseramus impiorum hominum errores, esse sanam fidem, quod ab initio mundi illorum superarit multitudo, & diuturnitas, & potentia piorum paucitatem & ignobilitatem. Summa. Si hominum dicta valent articulos fidei, cur non & mea verba faciunt articulos fidei? An ego non sum homo? Quin nova regis sapientia, omnes homines omnium hominum verbis credere cogamus. Et ipse rex quoq;, ut levetur cura scribendi, sequatur suum principium, & dicat; Homo sum, qui sic loquor, ego oportet sic esse, Non potest aliter esse. Stulta, ridicula, & verissimè Henriciana & Thomistica sunt hæc, quasi res spiritualis metienda sit præscriptionibus temporum & usu, aut jure hominum, ceu fundus aut pratum aliquod sit.*

Rectè mentitus es in caput tuum.

Quia tu omnem fidem merito perdidisti.

An te credis ignorarier, qui sic contra tua figmẽta blateres?

ECCE Lector invincibilem rationem, quàm magnificis verbis, quàm Phormiana fiducia phaleratam, cujus sum̃a est; publica Turcarum fides, per aliquot ætates, & gentiliũ per

aliquot

aliquot annorum millia perdurans eſt erronea, & item Judæorum; ergo & Eccleſiæ Catholicæ fides publica, per quantumlibet multas ætates continuata, poteſt eſſe erronea. O acumen Judæis, Turcis & Ethnicis plaudendum: Sed quod Chriſtianorum quivis videt, obtuſius eſſe piſtillo. Nam quum infidelium ſuperſtitio regatur à diabolo, & Eccleſiæ Catholicæ fides à DEO: hæc eſt nimirum argumentatio Reverendi Patris, fides populi ſpiritu mendace gubernati, poteſt eſſe falſa; ergo etiam fides populi gubernati ſpiritu veritatis poteſt eſſe falſa. Hæc ratio talis eſt, & tam fortis Achilles, ut ego non audeam congredi. Hac ratione, planè proſtrati jacent omnes Defenſores Eccleſiæ. Illa tamen ratio, quam ſubjungit Lutherus, & argumentatur à ſimili, aliquanto eſt imbecillior, quum ita quærendo colligit. Si hominum, inquit, dicta valent articulos fidei: cur non & mea verba faciunt articulos fidei? nunquid ego ſum homo?

Agnoſcis hâc diſputandi formam Pater argutator.

Vix, aut certè nequam.

Huic argumento ſaltem reſponderi poteſt, quod Reverendus Pater non eſt homo, quia nullus aſinus eſt homo; quum ille verè ſit aſinus, qui adhuc non intelligit, aliud eſſe hominum dicta, qui ex ſe loquuntur, aut (quod ille facit) loquuntur ex diabolo: aliud, quod Eccleſia Chriſti loquitur, quæ loquitur ex Spiritu Sancto. Non eſtis, inquit, vos, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Alioqui quoniam Paulus erat homo: jam niſi Lutherus eſſet aſinus, videtis planè conſequi, ex aſinino Lutheri lemmate, quod æqualis authoritatis eſſet Lutheri verbum cum verbo Pauli. Sed hoc tamen loco, à ſolito ſibi more deflexit. Conſuevit enim, quicquid poteſt objici, diſſimulare totum, & præterire ſilentio. Hic verò, ſibi confiſus, auſus eſt id commemorare, quod ſibi videbat obſtare. Quod eum facilè videtis nunquam fuiſſe facturum, ſi non habuiſſet in promptu machinam, qua poſſet obicem illum protinus amoliri. Audiamus igitur, quid ait.

Verba Lutheri.

Si dixerint, inquit, ſuam præſcriptionem in hoc differre, ab illorum præſcriptione, quod Papiſtarum ſit ex Spiritu ſancto, illorum ex hominibus.

Hoc planè dicimus Luthere nos, quos tu Papiſtas vocas; ſed Eccleſiæ fidem ex Spiritu Sancto, Turcarum, non ex hominibus, ſed ex diabolo: quid tu nunc ad iſta reſpondes? Ridebit hoc, inquit, Turca. Ain verò? & tu, Religioſe Pater, habes pro ridiculo, quicquid ridebit Turca? Tam bellæ tuæ fidei, cum Turcæ fide convenit? O Chriſtianum pectus, qui nihil probat, niſi quod Turca comprobat. Nunc video, quare Sacramenta ſubſannas, videlicet ne Turcis videare non ſatis ſapere. Ideo panem reſtare vis, & vinum in Euchariſtia, ne te Turca derideat. Eadem ratione, propediem corpus, & ſanguinem ibi negabis in totum: quod alioqui certum eſt fidem tuam non poſſe te ſatis probare Turcis.

Turca Luthero fidei judex.

Non diſſimile vero.

FIDEM, & religionem Reverendi Patris, abundè jam vides Lector, quum videas ad quam normam, fidei componat articulos: vide nunc iſti religioni planè parem ſapientiam.

Dicet, inquit, Turca tibi: quum tu hoc aſſeras abſq; Scripturis, & ſine ſignis, mera hominum authoritate, nihil magis efficis, quàm ſi ego meam quoque fidem eſſe ex DEO dixero. Et qua facilitate tu meam contemnis, & ego tuam contemno: & qua authoritate tu tuam probas, ego meam probo. Quid hic, inquit, fiet? niſi ut moriones etiam intelligant, Henricianos Thomiſtas, pro ſua inſigni inſcitia, fidem noſtram ludibrio expoſuiſſe, & omnium gentium impietatem ſtabiliviſſe, dignos quibus os, lingua & manus præciderentur, ne in æternum aliquid, aut dicerent, aut ſcriberent.

Verba Lutheri.

Quaſi verò is ſcripturis aſſentiret.

Tu verò dignus es, cui & lingua exſecetur, & excutiantur dentes.

DIXI ne divinum prorſus eſſe hominis iſtius ingenium, qui viderit, quid Turca dicturus ſit adverſus eos, qui fidem Eccleſiæ proponerent abſque Scripturis? Nam ſi quis afferat aliquid ex ſcripturis, tunc facilè videt Reverendus Frater, nihil habiturum Turcam, quod contra poſſit hiſcere. Ita ſemper conſuevit ſcilicet ſcripturis Chriſtianorum credere, præſertim ſi quis eas allegat ita comodè, ſicut ſolet iſte Reverendus Pater. Etenim quanquam alleganti conſuetudinem noſtram, Turca non dubitaret allegare conſuetudinem ſuam: tamen alleganti Scripturas noſtras, nunquam auderet ſcilicet allegare Scripturas ſuas, & adverſus Evangelium objicere Alcoranum: non quin præferat Alcoranum Machometi Evangelio Joannis, quod à nobis ait eſſe vitiatum: ſed ne pudefaceret Reverendum Patrem, hominem ſuæ fidei conſonum apud Papiſtas, qui fuerit tam ſtolidus, & aſinus ipſa aſininitate aſininior, ut crediderit, Turcam crediturum eſſe Scripturis Chriſtianorum. Jam quicunque ſcribunt, quod Turca riſerit, hos Reverendus Pater Zelator fidei dignos clamat, quibus os, lingua, manus præciderentur, ne quid in æternum aut dicant aut ſcribant. Quis illum contra non dignum putet, cujus os aureum, & lingua melliflua, ipſum ſuadelæ domicilium, nunquam conticeſcat, & manus ei ſubſerviens aureis ornetur annulis, ut ſemper aliquid aut dicat, aut ſcribat hujuſmodi, quod miſeros mortales inter ærumnas & labores exhilaret, ac relaxet riſu? modo ſic uſquam abeſſet impietas, ut adeſt ubique ſtultitia. Sed tamen admiror, quo pacto hoc acciderit, ut homo natura clemens ac placidus, hoc loco præter morem ſuum, ſic excandeſcat inclementer, ut os, linguam, ac manus præcidere velit omnibus fidelibus, quicunque dicant aut ſcribant quicquam, quod tanquam ſtultum rideant infideles. Nec interea quicquam aut linguæ, aut digitis Pauli proſpexit Apoſtoli, qui ſe fatetur, non tantum aliquid prædicare, quod ſtultum videatur gentibus, verum etiam nihil prædicare præterea. Nos, inquit, nihil prædicamus aliud, quàm Jeſum Chriſtum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam. At id quod in Luthero ſequitur, haud facilè dixeris, magiſne ſtultum ſit, an magis impium.

O Prudentiam Ven. Patris.

Encomiū Patris Ven.

Quàm parū perſpicax eſtis ubique Domine frater?

Verba Lutheri. *Sed hoc agit, inquit, inquietus Sathan, ut nos à scripturis avocet per sceleratos Henricos, & sacrilegos Thomistas, & fidem nostram super hominum mendacia collocet. Neq; enim jam Scriptura sancta opus est, si sufficit novis hominum dictis, extra scripturam roborari.*

Id in te agit jam diu Satan. SAGACIAM esse putas Lector, quod Sathanæ propositum Lutherus deprehendit? stupidior est, quam qui tantum possit. Sed diabolus ipse dixit. Neque enim intimior Christo fuit ejus Evangelista Joannes, quam internus est Sathanæ ipsius Cacangelista Lutherus, qui non una cœna, sed diebus ac noctibus incubat, super pectus diaboli, imò diabolus non incumbit, sed infigitur ipsius pectori. Alioqui non potuisset tanta cum authoritate pronunciare, quod fides Catholica de Sacramentis super hominum mendacia collocetur: quanquam jam evicit, ne collocari possit super Spiritum sanctum, nisi quatenus id probatur apertis Scripturis, videlicet ne id non approbet Turca, qui nihil admittit absque Scripturis nostris. Cæterum prolata scriptura Christianorum, protinus Turca sese sentit & fatetur victum. Qua in re si Luthero non credas, paratus erit jusjurandum dare: Turcarum quemlibet omnia Christianorum Sacramenta, articulos omnes fidei Christianæ, quatenus probari possunt scripturæ Christianæ testimoniis, non minus credere, ac venerari, quam credit, ac veneratur Lutherus ipse. Neminem ego certè credo tam incredulum, qui istud Luthero non modo juranti, sed vel injurato non sit crediturus. Verum sine scripturis neque Turca quicquam credit, neq; Lutherus: ita ipsis inter se belle convenit. Quam in rem hanc pro se rationem reddit: quod jam Scriptura sancta non esset opus, si sufficiat novis hominum dictis extra scripturam roborari. Hic cogit me Reverendus Pater addubitare, an quisquam sit usquam Turca tam stultus, ut dignetur hac sane parte, socius esse Lutheranæ stultitiæ, qui non videt, cujusmodi sit ista consequentia. Ecclesia Christi gubernata spiritu Christi, tradita certa fide, servat Christi Sacramenta: Ergo Ecclesiæ Christi nihil opus est scripturis. Si Lutherus fuisset Evangelistarum temporibus, hac ratione deterruisset eos à scribendis Evangeliis. Nam si tum ea, quæ audiebant homines, ab hominibus tradita credebantur illis, qui ea narrabant à DEO: atque ita fidem faciebant audientibus, quid opus foret, Evangelistas, eorum quicquam scriptis comprehendere? An ideo videlicet, quia Christus, qui hanc operabatur in Ecclesia sua fidem, aut aliquando foret prorsus deserturus Ecclesiam, aut fidem, quam sine scripto fecerat, sine scripto conservare non poterat: quum ipse priusquam nasceretur, legem promisisset semet inscripturum cordibus: & in carne natus, cum Ecclesia futurum, usque ad consummationem seculi? Hac ratione non puto, futuros fuisse sic deterritos Evangelistas, ut fuerint supersessuri à scribendis Evangeliis. Imo & alia multa, & hoc fortassis etiam respondissent. Nunquam defuturum quidem Ecclesiæ suæ Christum, cum qua se promisit ipse, ad finem usque seculi permansurum. Nunquam defuturum spiritum paracletum, qui Ecclesiam ducat in omnem veritatem. Ita vera Sacramenta, nec veros articulos fidei ullo unquam tempore perituros Ecclesiæ Catholicæ: nec errorem in rebus tam necessariis exoriturum, quod sponsæ spem, ac fidem in species inanes avocet, atque devertat à sponso: etiamsi ipsi nullam unquam literam scriberent, se tamen haud frustra scripturos esse: etiamsi omnibus omissis articulis, & Sacramentis fidei, quæ Deus sine scripto, & doceri fecerat, & erat servaturus, vitam Christi, ac miraculorum partem aliquam, atque è tam multis aliqua complecterentur, quæ Christus docuit, ad formandos in grege suo mores, ac virtutes dignas Christiano pectore.

Id non est difficile.

Cacangelista Luth.

Christi certissimum pollicitum

DEINDE cujus impudentiæ est, appellare Ecclesiæ Sacramenta nova dicta hominum, quum illa præter Lutherum dubitet nemo, ipsis esse Evangeliorum libris antiquiora? Ita Sacramentum Ordinis vocavit novum. Novum dixit, quod panis credatur in carnem versus, & vinum in sanguinem: & illud ait natum esse intra annos trecentos, quum rex hominis impudentiam, vetustissimorum Patrum testimoniis, pulcherrimè redarguit in utroque: nec minus in cæteris Sacramentis omnibus.

Rursus ostendit, quam absurdè Lutherus torqueat scripturas, quibus probare conatur, nihil certo credendum, quod probari non possit evidente scriptura.

CAP. XIV.

SED JAM rursus revertitur ad scripturas: & nova Præfatione anathema crepat, ac maledictum, os ejus maledicum & maledictione plenum, si quis aliud ponat fundamentum, præter id quod positum est. Quasi id quisquam faciat, præter ipsum, qui Christianam fidem conatur, positis fundamentis suis, è fundamento, quod est Christus, evertere. Sed age, videamus quale fundamentum, quam aptè concinnet ad ædificium suum.

Ea sunt Lutheri frequentiss. argumenta.

Paulus inquit, 1. Corinth. 2. magna sanxit authoritate fidem nostram, oportere niti in verbis DEI, ubi dicit: Sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis fuit, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.

Verba Lutheri.

QUIS audivit unquam morionem tam nihil cohærentia, tam nihil ad propositum producere? Ita satis putat dicere, quicquid ei venit in buccam: tantum cavet, ne taceat. Probaturum sese jactitans, nihil authoritatem obtinere certam, præter scripturas, producit illud Apostoli: nemo potest aliud fundamentum ponere, præter id quod positum est. Quasi id fundamentum, quod positum est, esset scriptura, & non quod Apostolus illico subjungit, Jesus Christus. Et ibi suis anathematis, ac maledictis subtracto Christo, nititur nos adigere, ut scripturam credamus illud esse fundamentum, non

Quam egregiè Luther. intelligat verba Pauli.

non Christum: Aut idem esse scripturam quod Christum: tanquam idem sit liber de Cæsare scriptus, quod Cæsar. Deinde, quum nemo neget innitendum esse verbis Dei: sed ex his dicamus, aliud esse scriptum, aliud pari authoritate non scriptum, & utrique pari fide credendum: quorum ille tacite contemnit alterum, alterum contemnit aperte: ille velut rem magnam producit, ad fulciendum DEI verbum, illa verba Pauli, quæ ne verbum quidem ullum faciunt de verbo Dei, sed de ostensione spiritus & virtutis Dei. Et jam, velut re gesta strenue, conviciis invadit regem: quod fundat humanæ sapientiæ persuasibilia verba. Quasi ipse toti terrarum orbi miraculis inclarescat, quibus an suam prædicationem approbarit Bohemis, adhuc non audio: sed persuasibilia humanæ sapientiæ verba, nemo illi (quod sciam) potest imputare, à quibus nullus abest morio longius, quod quo longius progreditur, eo reddit manifestius.

Verba Lutheri.

Proinde nos, inquit, nostræ Ecclesiæ defensori adhæremus, qui dicit Matth.16. Aedificabo Ecclesiam meam, non super longitudinem, neq; super multitudinem hominum, neq; super oportet sic esse, neq; super usum, & dictum Sanctorum. Deniq; nec super Joannem Baptistam, nec super Eliam, nec super Hieremiam, aut ullum ex Prophetis, sed super solam & solidam petram, super Christum filium Dei. Hoc est robur nostræ fidei, hic tuti sumus adversus portas inferi. Hic mentiri & fallere non potest. Omnis homo mendax. Et sancti cum extra hanc rupem agunt, aut dicunt, homines sunt, purissimum & solum ac certum verbum Dei, nostræ fidei supponendum est. Si quis, inquit, loquitur quasi sermones Dei. Et omnis prophetia sit analogia fidei, Rom.12.

Cur ergo tu utrumque facis?

VIDE quæso, vel ex hoc loco, lector: quo rem perducat impius, probaturus nihil esse credendum, præter evidentem scripturam. Allegat istud: quod Ecclesiæ fides ædificata sit, super solum Christum, & inde concludit, solum Christi verbum esse credendum. Quod, ne quis interpretari possit ita dictum, tanquam nihil credendum sit, nisi quod scriptura sacra complectitur, propterea quod nullum aliud verbum dicat certum esse, quod dicatur à DEO, sensum istum planè tollit ipse fidem auferens, non solum Ecclesiæ consuetudini, & universis antiquis Patribus, sed nominatim quoque Joanni Baptistæ, Heliæ, Hieremiæ, & cæteris Prophetis omnibus, & rationis suæ consequentia, omnibus prorsus Apostolis, Hæretico Fausto longo intervallo deterior, qui ex illo Christi verbo, omnes qui ante venerunt, fures sunt & latrones, Mosen & Prophetas omnes habuit pro maleficis. Hic verò fidem abrogat, & antiquæ legis & Evangelii Proceribus prorsus omnibus nihil relinquit certum, nisi fortè quæ legitur Christus ipse dixisse, idque tam evidenti sententia, ut nulla possit in verbis esse controversia. Nam cæteros universos rejicit, tanquam dubios, quod & mentiri potuerint, quum essent homines, & incertum putat esse, quum illa scriberent, in petra ne, an extra petram steterint.

Impia arrogantia Lutheri.

Fausti error.

Vides ergo lector hominis impietatem summam, qui suas hæreses, quum sciat omnium Sanctorum testimonio planè damnatas esse, nihil agit aliud, quàm ut vicissim Sanctorum omnium authoritatem tollat, Christo paulisper deferens, donec ad plenum perveniat iniquitas: tum ejus majestatem recta proculdubio temeraturus, quam interim quoque oppugnat obliquè. Nam si sic mendax est omnis homo, & tam incertum, an quæ sancti locuti sunt, aut scripserunt, fecerint illud stantes in petra fidei, ut etiam dubius author sit Helias, Hieremias, & Joannes Baptista: certè sequetur, ut dubius itidem author sit Joannes Evangelista. Nam eodem omnino spiritu, & illud loquebantur & iste. Sed nunc vicissim vide mirificam Lutheri stultitiam. Nam postquam id probavit, quod nullus unquam negavit, Christum Ecclesiam suam fundasse supra petram, à qua petra (quod nemo nescit) in barathrum Lutherus excidit, rursus ex eo, quod Christus unus est fundamentum, probat solam scripturam esse fundamentum: quasi verbum DEI unigenitum, sit verbum quodlibet, in sacris literis præscriptum. An non isti necesse est, aut nihil esse frontis, aut nihil esse cerebri? Et tamen, quum illud comma clausisset, illo Pauli verbo: si quis loquitur quasi sermones DEI. Et item illo, omnis prophetia sit analogia fidei, quorum neutrum quicquam ei dicto cohæret, cui utrumque subnectit, jam velut acie profligata suam sibi victoriam buccinat.

Quorsum videatur evasurus Lutherus.

Imo volens desiit.

Homo victoriæ avidus.

Hæc sunt, inquit, robora nostra, adversus quæ obmutescere coguntur, Henrici, Thomistæ, Papistæ, & quicquid est fæcis, sentinæ, & latrinæ impiorum, & sacrilegorum ejusmodi. Neq; habent, quod possint hic respondere: sed confusi & prostrati jacent, à facie verborum istius tonitrui, & expectamus quoq;, quid adversus hæc mutire audeat rex nugigerulus iste, cum omnibus suis Sophistis. Stat enim fixa sententia, fidem non deberi, nisi certo verbo Dei, sicut dicit Rom. 10. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Proinde quicquid ultra verbum Dei producitur, hoc nostri sit arbitrii, ceu dominorum, credere, non credere, damnare, probare, sicut scriptum est, omnia vestra sive Apollo, sive Cephas, sive Paulus, vos autem Christi.

Verba Lutheri.

At tu magnorum scelerum nedum nugarum sator es.

Consideremus lector, quorsum tendat hoc totum Lutheri fulmen & tonitru: Christus ædificavit Ecclesiam suam super se. Si quis loquitur quasi sermones DEI: omnis prophetia sit analogia fidei: fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi, quid ex his omnibus tandem confecisti Luthere? Hoc, inquit, confeci, quod stat fixa sententia: fidem non deberi nisi certo verbo Dei, & proinde quicquid ultra verbum Dei producitur, hoc nostri sit arbitrii, ceu Dominorum, credere, non credere, damnare, probare.

Et quis erit judex, quodnam id verbum sit: Lutherus, an Ecclesia Catholica?

VIDE jam, quam egregius fulminator ac tonitor sis, cui si quis hæc concedat omnia; tuum tamen fulmen ac tonitru neminem prorsus attingeret, præter te. Te verò totum, tanquam Semelem subito perflaret incendio. Rex, si po-

si potes meminisse (nam nullus lupus magis obliviosus est, si toties oblivisceris, quoties ad ea, quæ te maxime tangunt, nihil omnino respondes) verbum Dei probavit aliud scriptum esse, aliud non scriptum, sed vel ab Apostolis tradita quædam, vel à Christo Ecclesiæ suæ dicta divinitus. Multa itaque scripto comprehensa, & multa adhuc nullo esse scripto comprehensa. Sacramenta septem, & reliquos articulos fidei, partim scripto, partim non scripto, sed tamen DEI verbo fulciri: utrumque verbum ex æquo verum, ex æquo certum, ex æquo venerabile. Hæc si vera sunt: quanquam cętera omnia concederentur (quod tamen non conceditur) tui esse arbitrii, in quibus credendis, non credendis, damnandis, probandis, posses tanquam rex, ac Dominus regnare: tamen de Sacramentis interim, & publicæ fidei articulis, nihil prorsus quicquam confecisses, nisi aut ea, quæ dixi, falsa sint omnia, aut aliqua saltem pars. Negabis ergo aliud Dei verbum scriptum esse, aliud non scriptum, & contra Evangelistam contendes scripta esse omnia: contendes nihil omissum, saltem è necessariis articulis, quum præcipuum Evangelistam videas præcipuum omisisse Sacramentnm? quum Paulum audias, pleraque sine scripto tradidisse: quum Jacobus clamet Apostolus: Suscipite insitum Verbum Dei, quod salvare potest animas vestras: quum Scriptura testetur: Unctio ejus docebit vos? Negabis utrumque ex æquo verum, & scriptum verbum, & non scriptum; quum sit utrumque Dei? Sed negabis videlicet verbum Dei, quod scriptum non est, certum esse cuiquam posse, vel cognitum. At ipse jam olim fassus es, hoc Ecclesiæ datum esse à DEO, quod potest discernere verbum Dei à verbis hominum: Ergo cum utriusque generis verba Dei sint, & scripta videlicet, & non scripta: potest Ecclesia per te quoque in utroque genere verba Dei discernere à verbis hominum: Ergo per te quoque, verbum Dei non scriptum certum est à verbis hominum. Nec est causa, cur certior esse possit Ecclesia Christi hodie, quare Evangelium Joannis jam olim scriptum, sit Joannis, quam quare quodvis Sacramentum habeat gratiam ex verbo DEI non scripto: quod si neges Ecclesiam Catholicam, quam tu vocas Papisticam, hoc habere, quum aliquam Ecclesiam hoc habere fatearis: profer aliquam præter hanc, quam appellas Papisticam, quæ verba Dei non scripta discrevit à verbis hominum; Imo profer aliquam præter hanc quæ tibi, non dico majoribus tuis, sed tibi discrevit verba DEI scripta à scriptis verbis hominum. Sed ne te, nimium tuis verbis urgendo, reddam deteriorem: & te, quod semper soles, revocare cogam, quicquid dixisti bene: omitto, quod tu concessisti: quæro, quid ad illud dicis, quod confessus Petrus Ecclesiæ nomine, Jesum esse Christum filium Dei vivi, protinus audivit à Domino: Beatus es Simon Bar Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.

Redi in memoriã Pater bone.

Adverte Lector.

Quidni quum jam contempserit Apostolum.

Verbũ Dei Ecclesiæ certum, Lutheri quoque confessione.

Vix fieri potest, ut pejor evadat.

AGE Luthere, hoc verbum, quod confessus est Petrus, quibus evidentibus Scripturis didicit: quum nec ulla Scriptura Judæos, satis evidenter id docere potuerit, nec Petrus idiota piscator, ullas fermè litteras didicisset, quum illud certè, quod confessus est, Christus eum dicit, non scripto verbo foris, sed Patris interius infundente se spiritu didicisse. Non fuit ergo certus, hoc verbum esse DEI; propterea quod sensit, non legit, quod intus audivit, non extra? quod affers: ergo fides ex auditu: quæso te, annon intus audivit Petrus, quod intus locutus est Deus? An duntaxat auditur, quod scribitur? An priusquam scripta sunt Evangelia, Christiani non audierunt Apostolos? Ecce jam nugigerule Luthere, quàm nihil opus est, ad ista tua præclara robora quenquam respondere, quæ citra nostræ causæ præjudicium, citra ullum commodum tuæ, licet universa concedere. Tam acer es Luthere Disputator? tantus fulminator es, tam terribilibus intonas tonitrubus? Reponantur igitur ab ore sacrilego, in suum locum divinum fulgur, ac tonitru. Deinde in os illud impurissimum non tantum mejere fas est. Quod quanto furore fertur in præceps, vel illud ostendit, quod sequitur.

Scriptum est, inquit, omnia vestra, sive Apollo, sive Cephas, sive Paulus, vos autem Christi. Si solius Christi sumus, quis est stolidus rex, qui suis mendaciis nos Papæ facere molitur? Nos non sumus Papæ, sed Papa noster est. Nostrum est non judicari ab ipso, sed ipsum judicare. Spiritualis enim à nemine judicatur, & ipse judicat omnes: quia verum est. Omnia vestra, etiam Papa, quanto magis sordes istæ, & labes hominum Thomistæ & Henrici.

DISPEREAM, si phrenesis ipsa, tam phrenetica sit, aut furor ipse tam furiosus; quam sit istud lepidum Lutheri capitellum. Papa noster est, inquit, ergo nostrum non est ab ipso judicari, sed ipsum judicare. Eadem ratione, Medicus noster est, ergo non est nostrum ab ipso curari, sed ipsum curare. Et Doctor discentium est, ergo non est ipsorum ab illo discere, sed docere eum.

JAM quod ait, nostrum est, non judicari à Papa, sed ipsum judicare. Quid sibi vult illud nostrum est, an universorum dicit? an singulorum? Si universorum dicit, nihil pro se dicit, quia universitas Ecclesiæ pro Papa est, adversus illum: at in Sacramentorum causa multo minus juvat illum, ubi & populus, & Papa tam præsentes, quam præteriti, sunt pro Sacramentis adversus illum. Sin singulorum est, judicare de Papa, de Sacramentis, de vero sensu Scripturæ sacræ; Jam quum ex tot judicibus, unius prope Lutheri judicium sit ex altera parte, qua prærogativa debet ejus unius calculus, cæterorum omnium calculis præponderare? Quia spiritualis, inquit, à nemine judicatur, & ipse judicat omnes: quia verum est, omnia vestra sunt, etiam Papa. Non videris tibi Lector, audire deliramenta? Solus Lutherus ergo spiritualis est? aut solus Papa non est spiritualis? ut aut Lutherus omnes possit judicare, & judicari prorsus

At Luthero opus est evidenti Scriptura, ut cui Deus negarit spiritum suum.

Is diabolicum tonitru non divinum habuit.

Verba Lutheri.

Imò tu stolide fratercule mentiris in regem. Tu Sathanista & hæretice.

Potius omnium calculis damnari.

prorsus à nemine: aut Papa judicari debeat ab omnibus, & judicare neminem? Quem non delectet homines tam suaviter insanientis amentia, qui se non videat, quicquid eblaterat in Papam, idem etiam eblaterare in Petrum ipsum, ac Paulum? Nam omnia, inquit, vestra sunt; non dicit Papa, sed Apollo, Cephas, & Paulus. Quamobrem sicut Lutherus ait, nos non sumus Papæ, sed Papa noster est: nostrum est ergo, non judicari à Papa, sed ipsum judicare, quia spiritualis omnia judicat, & judicatur à nemine: Ita necesse est ei dicere, nos non sumus Petri aut Pauli, sed Petrus & Paulus nostri sunt; nostrum est ergo non judicari à Petro & Paulo, sed judicare Petrum & Paulum. Imo adeò non nostrum est, sed meum inquiet, quia spiritualis judicat omnia, & à nemine judicatur. Judicabit ergo Lutherus homo spiritualis hac ratione non Thomistas, & Henricos, sed Petrum & Paulum, & reliquos omnes Apostolos.

Quæso ergo Luthere, quid de illis sentis.

I nunc Lector, & nega è Jovis capite natam Minervam unam; quum istius caput unum videas, tot parturire phreneses.

Verba Lutheri.

Quanquam ego stultus, inquit, sum, & satis ineptus, qui amentibus istis, & deploratis cerebris, toties frustra inculco, & surdis, induratisq; capitibus, sine fructu semper incanto, Traditiones hominum, seu diuturnum usum in rebus fidei nihil valere.

SATIS profectò stultus es (ut dicis) nec ineptus modo, sed & amens, & insanus, & cerebri deploratissimi, qui sine fructu velut cuculus eandem semper cantilenam canas: Traditiones hominum in rebus fidei nihil valere, quum ita surdus sis, & indurati capitis, ut millies tibi ad aures inclamatum non audias, DEI traditiones esse, quas tu vocas traditiones hominum, neq; ad ea quicquam respondes, quibus ea, quæ dicis, fuerunt ante diluta, quàm dicta.

Surdus Lutherus.

Verba Lutheri.

Quoties, inquit, dixi, etiam Augustini sententia solis Canonicis libris eum deberi honorem: ut firmissime credatur nihil erroris in illis esse, cæteros, quantumlibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non æquo honore dignos esse.

DE diuturna Ecclesiæ fide, quam dixerat nihil valere, non affert probationem; Sufficit enim adversus illud Christi verbum: Ego vobiscum sum usque ad finem seculi. Et item illud, quod Spiritus Paracletus ducet Ecclesiam in omnem veritatem, & quod Christus oravit; ne deficeret fides Ecclesiæ. Adversus hæc inquam omnia sufficit, quod talia dicturos irriserit Turca. Sed ne quis moveatur quicquam authoritate sanctorum Patrum, affert illud Augustini; cæteros libros extra Scripturam Canonicam, non æquo honore dignos esse, quantumlibet sanctitate Authores eorum, doctrinaque præpolleant. Quasi quisquam Sancti cujusquam dictum sic alleget, tanquam Scripturam sacram. Et tamen haud dubito, eundem Augustinum, si quid apud omnes ante se sanctos Patres legisset, præsertim cum sui temporis fide consentiens, nunquam fuisse dubitaturum, quin id verum esset, & Christianæ fidei indubitatus articulus. Nam eorum scripta, qui fuerunt ante nos, suorum temporum fidem nobis repræsentant. Neque enim aliter cum defunctis loquimur, ut qua fide fuerint, possimus agnoscere. Ex eorum ergo libris, qui vixerunt, illud deprehendimus, atque ita comperimus, hanc fidem, quam Lutherus impugnat, non esse, quod ille mentitur, novam, aut alicujus nationis propriam, sed multis seculis, totius Ecclesiæ publicam, quam veram esse, & in re tam magni momenti, non posse errare & falli, promisit ille, qui dixit: Paracletus, quum venerit, ipse vos ducet in omnem veritatem. At Lutherus contra, Scriptura, inquit, exigit, ut nulli credatur, nisi soli sibi. Rogo te Luthere, ubi hoc exigit Scriptura? Profer Scripturam, per quam Spiritus S. prohibet, ne quis ipsi credat, nisi proferenti scripturam. Quum descendit super Apostolos, nihil ne docuit omnino, sine Scriptura? omnibus de rebus exegerunt ab illo Scripturam? Uni tibi Luthere, tam malæ fidei est Spiritus sanctus, ut ei nihil sis crediturus absque syngrapha?

Quid Luther. afferat adversus scripturas.

Sanctorum fidem ex eorum scriptis deprehendi.

Luther. ne Deo quidē sine syngrapha credit.

HÆC sunt, quæ piis ac fidelibus, hoc est, ut ille vocat, surdis aspidibus incantator iste, semper frustra cecinit: qui sine fine, inquit, suas nenias iterant & garriunt, Augustinus, aut Hieronymus sic dixit: Ambrosius sic dixit: ergo Lutherus est hæreticus; quia Augustino vel Ambrosio dicta sunt articuli fidei. Ego certè fateor illam consequentiam non valere, sed hanc opinor valere. Nemo Luthero sic unquam dixit, ergo Lutherus est impudenter mendax. At nec hanc negare potest ipse Lutherus: Lutherus negat ea, quæ Spiritus S. Ecclesiam docuit, esse articulos fidei: ergo Lutherus est hæreticus.

Verba Lutheri.

Quin & isti porci Thomistæ, inquit, coguntur concedere sæpius, sanctos viros errasse, & eorum authoritas pro stabilienda fide, & fulcienda conscientia, etiam communis sensus judicio satis esse non poßit.

Quanto magis te merito dicūt errare.

VAH vix tandem sensi stolidus, cur sibi tantum sumat Lutherus, cur sibi magis de Scripturæ sensu credi velit, ac fide, quàm universis sanctis Patribus. Nunc rationem reddidit, videlicet, quia illi sæpius erraverunt, ille errare non potest.

Imo ille potius semper.

IDEO si quid in quæstionem trahat ipse solus, de quo cæteri consentiant omnes; cæterorum authoritas omnium non sufficit ad fulciendam conscientiam. Quare? quia nemo est aliorum, qui non possit errare: sed authoritas Lutheri sufficit. Quare? quia ille non potest errare, tanquam cæcus aliquis diceret: Nemo est fere videntium, qui non erret aliquando in rerum coloribus, ego errare non possum. Si quis ergo nolit falli, de coloribus, diffidat cæteris mortalibus universis, atq; uni credat mihi: & hæc est, inquit, adversus regia illa Thomistarum principia, generalis mea responsio, quam non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.

***

Repetit

Repetit quædam absurda Lutheri dicta, quæ ab ipso in principio posita, Author in hunc locum distulit.

CAP. XV.

QUANQUAM te jam diu Lector fastidire scio totum genus, generalis responsionis istius, quam vides esse tam stupidam, ut non mirari non possis, quænam intemperiæ temperarint hominem, quum eum non puduerit tanta cum jactantia, tam insane respondere: tamen orabo te, ut aliquid adhuc tædii devores, dum verba quædam ab illius libelli principio, in hunc dilata locum, recognoscas, ne ille me causari possit imitari se, & si quid ille robustum putat, id præterire silentio: aut tu me Lector censeas, vel tam obliviosum, ut non meminerim, quod initio sum pollicitus: aut tam malæ fidei, ut nolim, quod promisi præstare. Porro quo minori tibi res fastidio sit futura Lutheri stultitia, quæ per singulas pæne syllabas, asininas profert auriculas, tibi levabit tædium. Agit igitur hunc in modum.

Jam persolvet author, quæ initio est pollicitus.

Nondum intelligere possunt Papistæ, pro qua re mihi cum ipsis bellum sit. Frustra tot libellis à me editis, & palam testantibus, hoc solum à me quæri, ut divinæ literæ solæ regnent, sicut dignum & justum est, humanæ verò inventiones, & traditiones è medio tollantur, ceu novissima scandala, aut execto veneno, & evulso aculeo, id est, vi cogendi & inperandi, & conscientias illaqueandi erepta, liberæ, & imdifferentes tolerentur, ceu qualibet alia pestis, aut fœlicitas mundi.

Verba Lutheri.

NIHIL audis hic Lector novi, sed idem, quod ante decies inculcatum, in generali ejus responsione, decies, ut vidisti, revictum est & confutatum, nequid hic opus fuerit, eadem rursus repetere, tantum libuit admonere te, & sub oculis ponere, cujusmodi res vocet ille, inventiones & traditiones hominum. Nam eas ipse commemorat paulo post, quum ait.

Tu in memoria Lector habeto, quæ ante dixerit.

Alterum genus de his rebus est, quæ sunt extra Scripturam, scilicet,

Verba Lutheri.

De Papatu,	*De consiliorum decretis,*
De Doctoribus,	*De indulgentiis,*
De Purgatorio,	*De Missa,*
De Academiis,	*De votis Monasticis,*
De Episcopis idolis,	*De traditionibus hominum,*
De cultu Sanctorum,	*De Sacramentis novis.*

Et si qua sunt similia scilicet zizania, per Sathanam, principatum idoli sui Romani, super agrum Domini seminata: quibus Ecclesia, non modo potest saluberrime carere, verum etiam, ne consistit quidem, nisi careat, aut pro libero arbitrio utatur.

Tam egregiè obsecro discernis zizaniã à tritico.

SÆPE audisti Lector, eum omnia pro traditionibus hominum ducere quæcunque non sunt evidentibꝰ comprehensa scripturis. Nunc velut speciminis loco, vides eum producere, non papatum tantum, aut indulgentias, aut omnia monachorum vota: quæ ipsa tollendo, satis se sacrilegum esse docuisset: sed decreta conciliorum, sed Doctores sacros, sed Sacramenta, Purgatorium, cultum Sanctorum, & ipsam denique missam, quam alibi vocat merum portentum, idolum, lernam, mendacium, & ipsissimam abominationem, in loco sancto stantem. Hæc igitur omnia, nisi saltem libera sint & indifferentia; censet ne consistere quidem Ecclesiam posse: sic autem posse utrumque consistere, non aliter tamen, quam consistit homo cum peste. Quamobrem multo fore salubrius, ut velut nocentissima scandala, tollantur omnino, Papatus, Doctores, Academiæ, Episcopi, Consilia, Monachi, traditiones hominum, Sanctorum cultus, ac Missa, Sacramenta, spes omnis indulgentiæ, & metus purgatorii. Nam tum demum Ecclesiam fore felicissimam, si sublato Papatu, & Consiliorum decretis, & Monasticis votis, & Academiis omnibus, & omnibus omnino Doctoribus, populus neque legibus regatur, neque pareat Magistratibus, neque Doctores audiat, sed adeo liber sit, & effrænis, Evangelica libertate scilicet, ut neque cogatur quisquam, neque jubeatur, neque consulatur, neque doceatur quicquam, nec Sanctos colat, & Sacramenta contemnat, Missam vero, hoc est sanctis ceremoniis oblatum Christi corpus, abominetur etiam, quod quo possit impunius, credat tantum horum nihil libero se arbitrio facere, sed omnia mala imputet DEO, firmam habeat fidem in promissione DEI, quicquid omnino fecerit, salvum se fore per baptismum, ita si crediderit, beatus erit, & felix. Namque metus omnes, & inexorabile fatum subjecit pedibus, strepitumq; Acherontis Averni. Nam purgatorium, nihil miror, si non metuit; non est profectò, cur metuat, qui isthac fide fuerit, & ad istum vivat modum.

Hic vides Lector, quæ sint Luth. traditiones hominum.

Quo pacto futurum felices Christiani Luthero videantur.

Fides Lutherana.

Refellit Lutheri calumniam, qui mentitur falso, regem imputasse ei hæresin hanc, fidem solam sine operibus ad salutem sufficere.

CAP. XVI.

SED hoc in loco non est omittendum, quod Lutherus calumniatur principem, quasi hæresin hanc, falso imputet ei: Fidem solam sine operibus ad salutem sufficere. Et hoc dicit, regem falso de se dicere, quum ipse rursus idem dicat, in isto eodem libro, quo respondet Regi, in quo verba sunt ejus ejusmodi.

Unus furor est hujus populi sacrilegi, velle per opera coram Deo agere, & non sola fide. Unde necesse est Christum negari, & fidem ejus exinaniri.

Verba Lutheri.

QUID his verbis apertius? & tamen iste, quum idem rursus ingeminet, non dubitat, ac si nunquam id dixisset, verum in contrariam semper sententiam disputasset, Regem nebulo conviciis impetere, quia dixit, eum id dixisse pridem, quod jam dicit denuo.

Progenies, inquit, ista viperæ, ingenium naturæ refert, & parentum suorum exemplum imitatur. Sic enim & Paulo, cum docuisset sola fide sine operibus justificari omnes filios Adam: ut scribit Rom. 3. Qui dicunt nos docere, faciamus mala, ut veniant bona. Sed quod manet illos judicium? quorum, inquit, damnatio justa est. Quid & ego meo Basilisco

Verba Lutheri.

Istud tibi erit scripturarum calũniator.

lisco dicam, de suo mendacio, nisi idem damnationis judicium?

QUIS non planè sit impius, quid Lutherum damnet, hominem Pauli sodalem, & qui non aliter stylum temperet, quàm quorum linguam temperabat DEUS? Nam & rursus ait paulò post.

Verba Lutheri. Audi Lector hunc Apostolū. *Orbi toti constat me de fide, de charitate, de operibus, semper eadem docuisse, & scripsisse, licet usu & studio de die in diem magis ac magis proficerem, & easdem res nunc sic, nunc sic tradiderim, aliquando clarius, alibi locupletius, alibi copiosius, & varie tractarem, quomodo & sacræ literæ easdem res tractant.*

Ecce vir sacerrimus, qui nobis novas tradit sacras literas, quibus eam debeamus reverentiam, ut si quid manifestè blasphemet Deum, æqui bonique consulamus, certi nos potius falli, & sensum tanti patris nos posse capere, quàm virum sanctum, & qui certum se dicit, suam habere doctrinam de cœlo, quicquam sentire perperam: atque idem potius credamus, & album esse simul & nigrum, quàm divum Lutherum sibi quicquam esse contrarium. Nam si Paulo, qui ne quis ansam malè sentiendi capiat, interpretatur se, non possit imputari, quod malè senserit. Cur non itidem Lutherus excusetur, qui damnatus malæ sententiæ, eandem identidem repetit? Et si de Paulo rectè sentimus, cujus pietas facit, ne dubitemus eum in verbis dubiis, indubie rectè sensisse: cur non impetret Lutherus, ut cujus impietas reddit non ambigua modo, verum etiam ejus benedicta propemodum jure suspecta, interpretemur in bonam partem, quæcunq; scribit aperte male.

Quàm stolide Lutherus tergiversetur, de operibus, & fide, impudenter fingens, verba sua perperam calumniari principem.

CAP. XVII.

NAM de operibus & fide quid sentiat, ne quisquam dubitare possit, subscribam ea, quibus prudentissimus princeps istam nebulonis impietatem elegantissime redarguit.

Verba Regis. NON est, inquit, hoc Luthero novum, in rebus notis, tanquam novis nugari. Qui, postquam hanc fidem verbis multis ostendit: deinde fidei divitias, in hoc extollit, ut nos reddat pauperes bonorum operum, sine quibus, ut beatus Jacobus ait, fides omnino mortua est. At Lutherus sic fidem nobis commendat, ut non solum permittat nobis vacationem ab operibus bonis, sed etiam suggerat audaciam, qualiumcunque facinorum. Ait enim. (Divus Jacobus.)

Verba Lutheri. Nova hæc est religio. *Jam vides, quàm dives sit homo Christianus, sive baptizatus, qui etiam volens, non potest perdere salutem suam, quantiscunq; peccatis, nisi volit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas.*

Verba Regis. O vocem impiam, & omnis impietatis magistram, ita per se exosam, piis auribus, ut non sit opus eam redarguere. Ergo non damnabit adulterium? non damnabit homicidium? non perjurium? si tantum credat se quisquam salvum fore, per virtutem promissionis in baptismate? Nam hoc dicit apertissimè: neq; quicquam corrigunt hanc sententiam, verba quæ statim subjungit, imò verius augent, ait enim:

Cætera omnia si redeat, vel stet fides, in promissionem divinam baptizato factam, in momento subsorbentur per eandem fidem, imò veritatem Dei, quia seipsum negare non potest, si tu eum confessus fueris, & promittenti fideliter adhæseris. (Verba Lutheri. Si ita est cur vitam῀ malefacta.)

QUIBUS verbis, quid aliud dicit, quàm quod dixit prius? si absit incredulitas, cætera flagitia omnia, in momento absorberi in sola fide, si confessus fueris Christum, & ejus promissioni fideliter adhæseris, hoc est, firmiter credideris te salvandum per fidem, quicquid feceris. Et quo minus dubites, quo tendat: (Verba Regis.)

Contritio (inquit) & peccatorum confessio deinde & satisfactio, & omnia illa hominum excogitata studia, subito te deserent, & infœliciorem reddent, si in ipsis tete distenderis, oblitus veritatis hujus divinæ. Cujus veritatis? nempe hujus, quod nulla peccata possunt te damnare, nisi sola incredulitas. (Verba Lutheri. Cur ergo mortalia peccata appellātur.)

QUÆ Christiane ferent aures, pestilentem hunc serpentis sibilum, quo baptismum non in aliud levat, quàm ut premat pœnitentiam, & baptismatis gratiam, statuat impune peccandi licentiam? (Verba Regis.)

AUDISTI Lector, quid ei princeps imputet; imò vero quid sua ipsi verba imputent, atque id tam aperte, ut ne adhuc quidem colorem ullum invenerit, quem contra posset opponere, & tamen impudens, velut nihil audisset, & idem dicit rursus: & simul quæritur imputari dictum, perinde ac si nunquam dixisset. Quod si videri vellet sensisse de fide formata charitate, quam necessario sequantur opera bona, quanquam id sensisse non potuit, qui non solum toties clamat, sufficere fidem solam, sed etiam removet opera nominatim, velut prorsus inutilia, ac manifestè clamitat, nulla peccata, nulla quantumvis ingentia scelera posse damnare Christianum, præter solam incredulitatem: princeps tamen ut nullum prorsus effugium relinqueret hæretico, rursus audi, quid dicat. (Hoc hominis est, qui neque loqui libēs velit, neq; tacere potest. Quo confugies Luthere?)

DEINDE quum dicit, quod per opera non satisfit DEO, sed sola fide: si sentit, quod non per sola opera, sine fide, stulte bacchatur in sedem Romanam, in qua nemo fuit unquam tam stultus, qui diceret, opera sine fide satisfacere. Sin opera sentit superflua, & fidem solam sufficere, qualiacunque sint opera, tum verò dicit aliquid, & verè dissentit à sede Romana, quæ credit divo Jacobo, quod fides sine operibus mortua est. Videris igitur, quàm inepte se commovet Lutherus, qui sic invehitur in Romanam sedem, ut semet interea vel stultitiæ retibus vel impietatis involvat. Quanquam profecto propinquius opinor est vero, Lutherum sentire, fidem semper absque operibus bonis, satis esse ad salutem. Nam id illum sentire, cum ex aliis locis multis evidenter liquet, tum ex eo, quo dicit. (Verba Regis. Hoc aliquid nihil est.)

Verba Lutheri.

Opera Deus nihil curat, nec eis indiget. Indiget autem, ut verax in suis promissis à nobis habeatur.

Verba Regis.

QUIBUS verbis, quid senserit Lutherus, viderit ipse; ego certè Deum credo, & fidem nostram, & opera nostra curare, & neque operibus nostris egere neque fide. Nam ut bonorum nostrorum non eget, qui Deus est; ita curam habet omnium, quæ faciunt homines: qui aliud ab his fieri vetat, aliud jubet, sine cujus cura, ne unus quidem passer cadit super terram, quorum duo væneunt dipondio.

ECCE, quid unquam legisti candide Lector apertius, quàm quod ex Luthero tibi produxit princeps? Aut quid unquam vidisti pestilentius? Quod si Lutherus videri velit aliud sensisse, quam scribit, cur sua verba ne nunc quidem interpretatur sanius? Si non censet esse peccandum, cur impunitatem peccandi pollicetur? cur orbem totum ad peccandi securitatem invitat? Si neget hoc habere sua scripta, Ecce, princeps produxit loca, quæ & per se manifesta sunt, & princeps tamen interpretatione fecit clariora: Lutherus ostendit ista legisse se. Si princeps igitur alio torquet ejus verba, quam debet, cur ipse tam timide rem tantam transilit? Cur ipse vicissim non ostendit, quæ verba depravet rex, quid assuat per calumniam, quod ipsius verba non habeant? Fecisset istud haud dubie Lector, homo versipellis, nisi constrictū se vidisset angustius, quàm ut quicquam haberet effugii, quo se posset vertere. Nam quod ita quidam conantur eum tueri, quasi non quælibet opera censeat contemnenda, sed duntaxat opera legis. Si legem vocat præcepta, quæ Moysi data sunt in tabulis, in eodem luto hæsitat. Neque enim sine illis etiamnum sufficit fides, nisi se fingat infantibus ista scribere, aut morionibus, quos à præceptis implendis excusat inscitia. At de ceremoniis legis, aut quomodo vocant legalibus, non potuit ista blaterare. Quippe qui non ignorat, neminem esse tam stultum nunc, ut ad ea sese censeat obligari. Quanquam frustra laborant ejus fautores stolidum istud dogma quoquam lenire glossemate, non vult Æthiops iste dealbari. Nam quem colorem recipiet istud, quod non solum contendit, nihil valere opera bona, sed etiam nihil nocere quæcunque opera mala. Nulla, inquit, peccata possunt damnare Christianum, nisi sola incredulitas. Certè si Lutherus quicquam de Christo crederet, nunquam talia fuisset ausus cogitare. Sed voluit videlicet homo pius, mundum traducere à bonorum operum fiducia, in fiduciam fidei: quasi populus tam assiduus esset in bonis operibus, ut inde periculum fuerit, ne quisque sibi nimium videretur sanctulus. Ei igitur malo ut mederetur, jubet, ut tantum credant Christo se salvos fore per solam fidem, & negligant prorsus, non solum ceremonias, verum etiam opera bona quæcunque. Imo quo libentius oblectentur in libertate fidei, cognoscant, nihil nocere credenti qualiacunque scelera. Nulla enim peccata posse damnare Christianum, præter solam incredulitatem. O Sathan, Sathan, aperuit regi Deus astutias tuas, quas per os Lutheri moliris, ut Evangelica libertas nihil sit aliud, quam infrænata licentia, qua populus Christi præceps decurrat ad inferos.

Ut ipsum libentius sequantur plures.

UltimaLutheri latebra.

Dic Quintiliane colorem.

Taxat Lutheri improbam stultitiam, qui leges omnes censeat abrogandas.

CAP. XVIII.

NAM istius hæreseos, velut appendix quædam, est præclara ista sententia; qua leges omnes humanas vellet extinctas. Imo jam negat, earum omnium ullam obligare Christianum quenquam. Sic enim scribit in captivitate Babylonica.

Verba Lutheri.

Dico itaq́, neq́ Papa, neq́ Episcopus, neq́ ullus hominum, habet jus unius constituendæ syllabæ super Christianum hominem, nisi fiat ejusdem consensu. Quicquid aliter fit, tyrannico spiritu fit, ideo orationes, jejunia, donationes, & quæcunq́ tandem Papa, in universis suis decretis, tàm multis, quàm iniquis statuit & exigit, prorsus nullo jure exigit, & statuit, peccatq́ in libertatem Ecclesiæ toties, quoties aliquid horum attentaverit.

Hoc tibi percommodum esset ad hæresin.

Hanc nebulonis insaniam princeps his verbis attingit.

Verba Regis.

DE LEGIBUS verò, demiror hominem præ pudore, tam absurda potuisse cogitare, quasi Christiani peccare non possent, sed tam perfecta foret, tanta multitudo credentium, ut nihil decerni debeat, vel ad cultum Dei, vel ad vitanda flagitia. Sed eadem opera, & eadem prudentia, tollit omnem potestatem, & authoritatem Principum, & Prælatorum Nam quid faciat Rex, aut Prælatus, si neque legem potest ponere, neque positam exequi, sed populus absque lege, velut navis absque gubernaculo fluctuet. Ubi est ergo illud Apostoli. Omnis creatura potestatibus sublimioribus subjecta sit? Ubi illud: Obedite Præpositis vestris, sive regi, quasi præcellenti? & quæ sequuntur. Cur igitur ait Paulus: Bona est lex? Et alibi: Lex est vinculum perfectionis. Præterea, cur ait August. Non frustra sunt instituta, potestas regis, & cognitoris jus, ungula carnificis, arma militis, disciplina dominantis, severitas etiam boni patris? Habent omnia ista modos suos, causas suas, rationes, utilitates; & hæc cum timentur, & mali coercentur, & boni quieti inter malos vivunt. Sed de regibus dicere supersedeo, ne videar meam causam agere. Istud quæro; si nemo, nec homo, nec angelus, potest super hominem Christianum legem ponere, cur tot leges ponit Apostolus, & de Legendis Episcopis, & de viduis, & de velandis fœminarum capitibus? Cur statuit: ne fidelis conjux, ab infideli discedat, nisi deseratur? Cur audet dicere: Cæteris dico ego non Dominus? Cur exercuit tantam potestatem, ut fornicarium Satanæ juberet tradi in interitum carnis? Cur Petrus Ananiam & Saphiram, simili pœna percussit, quod è sua ipsorum pecunia, paulum reservassent sibi? Si multa statuebant Apostoli, præter speciele præceptum Domini, super Chri-

Verum, sed Lutherus hæc tolli velit, ut malus impune sit.

Nunquid hunc damnas Luthere?

Dissimulas ista Luth.

Christianum populum, cur non idem propter populi commodum faciant hi, qui successerunt in Apostolorum locum? Ambrosius Mediolanensis Episcopus, vir sanctus, & nihil arrogans, jubere non dubitavit, ut per suam diœcesin, conjuges in Quadragesima conjugalibus abstinerent amplexibus, & indignatur Lutherus, si Romanus Pontifex, successor Petri, vicarius Christi, cui Christus, velut Apostolorum principi, tradidisse creditur claves Ecclesiæ, ut cæteri per illum intrarent, & pellerentur, jejunium indicat ac preculas? Nam quod suadet corpore parendum esse, animo retinendam libertatem; quis tam cæcus est, ut strophas istas non videat? Cur ignem gerit, & aquam homo simplex & sanctulus? Cur jubet, velut Apostoli verbis, hominum servos non fieri? hominum statutis non subjici? & tamen parere jubet, Pontificis injustæ tyrannidi? An Apostolus hoc pacto prædicat, reges nihil juris habent in vos, injustum feratis imperium, Domini jus non habent in vos, feratis injustam servitutem? Si Lutherus parendum esse non putet, cur parendum dicit? Si parendum censet, cur ipse non paret? Cur homo versipellis talibus ludit technis? Cur in Pontificem, cui dicit obediendum esse, conviciis insurgit? Cur tumultum suscitat? cur in illum concitat populos, cujus vel tyrannidem (ut vocat) fatetur esse ferendam? Profecto non ob aliud, opinor, quàm ut favorem sibi conciliet improborum, qui suorum scelerum impunitatem cuperent, & eum, qui pro libertate eorum jam decertat, caput ipsis instituerent: & Ecclesiam Christi, tamdiu supra firmam petram fundatam, dividerent, & Ecclesiam novam, ex improbis & flagitiosis conflatam, erigerent, contra quam exclamat Propheta: O divi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo.

Hoc tantū agit: ut ne cogatur ipse parere

Acu rem tangit Rex

QUID ad hæc respondit iste? Profecto, id quod potuit, hoc est, omnino nihil. Quis enim color dici potest, aut fingi, pro re tam absurda? Et tamen hominem stolidissimum non pudet, eam toties asserere, tanto supercilio, tanquam aliter sentire sit nefas. At sibi visus est, præclare moderatus ineptissimam sententiam, quum Wormatiæ responderit, ita demum legem Evangelicam unam satis esse futuram, & leges humanas inutiles, si Magistratus essent boni, & fides verè prædicaretur. Quasi vel optimi Magistratus possent efficere, ut aut totus populus Christianus vivere vellet in communi, aut mali nolint furari, aut ulla fidei prædicatione posset impetrari, ut nulli usquam sint improbi. Si lex Evangelica furtum non permittit, certè nec inutilis est lex humana, quæ furtum punit, & obligat Christianos lex humana, quæ sola rerum proprietatem dividit, qua sublata, nec esse quidem furtum potest. Quod si dicat inde argumentum trahi, quòd utilius careremus ea lege, unde rerum proprietas nascitur, atque in communitate quadam naturali viveremus, sublata furandi materia, nihil adjuvat causam ejus, etiam si quis istud ei concederet. Nam in communi quoque, & si vivi posset multo paucioribus, tamen vivi non posset omnino sine legibus. Nam & certis ordinibus laborandi foret præscribenda necessitas, & legibus coercenda flagitia, quæ in illa quoque vita grassarentur. Nunc verò si verissimè prædicata fide, sicut verissimè prædicabant Apostoli: ad hæc optimis Magistratibus undique Præfectis populo Christiano: tamen & manere posset rerum proprietas, & multi manerent improbi, negare non potest, quin lex humana Christianos obliget, ne quid alius eriperet, quod lex alii diviserit, nec inutilis puniendo sit, si quis furtum admiserit.

Stolidissimum dogma stolide moderatur Lutherus.

NAM quod ait in Babylonica, Magistratus bonos & prudentes, naturæ ductu melius rem administraturos, quàm legibus: quis non videt, quàm sit absurdum? An bonus Magistratus minus æquus erit in lege condenda, quàm in reddendo judicio, in quo plura possunt occurrere, quæ corrumpant innocentiam? Ut non illud interim dicam, quod vix ullum juste redditur judicium, quod non ex aliqua lege lata redditur. Nam neque lex Evangelica dividit possessiones, neque sola ratio præscribit formas discriminandi proprii, nisi rationi consensus accedat, atque is in communi forma commercii mutui publicus, qui consensus aut coalescens usu, aut expressus literis, publica lex est. Leges ergo si tollas, & omnia permittas libera Magistratibus, aut nihil neque præcipient, neque vetabunt, & jam inutiles erunt Magistratus, aut naturæ suæ ductu regent, & pro imperio quidlibet exequentur, & jam nihilo populus erit liberior, sed servitutis conditione deterior: quando parendum erit non statis & certis legibus, sed incertis ac mutandis in diem voluntatibus. Atque istud oportet accidat etiam sub optimis Magistratibus, quibus, ut optima præcipiant, tamen populus adversabitur, atque obmurmurabit, utpote suspectis, quasi non ex æquo bonoque, sed ex libidine cuncta gubernent. Nunc vero quum Lutherus ipse fateatur, nullos usquam Magistratus inveniri posse, qui non sint homines, hoc est, nec civibus, nec sibi satis explorati, quales intra triduum sint futuri: quàm prudenter consulit homo sapiens omitti leges, & cuncta permitti Magistratibus, tanquam sic victuro in libertate populo.

Responde Luthere.

Istud Luthere dissimula.

JAM illud obsecro, quale est, quod ait: Neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum, habet jus unius constituendæ syllabæ, super Christianum hominem sine ipsius consensu. Taceo interim de Papa, & de ipsis, quibus Deus potestatem dedit, ut multas syllabas statuerent, quibus populum promoverent in cultum DEI, consideremus leges civium. Si nemo habet potestatem condendi unam syllabam super hominem Christianum, sine ipsius consensu: neque Rex, neq; totus populus, ullam potest condere, quæ valeat in quenquam, qui dissuasit, rogatam. Felices ergo sunt fures & sicarii, qui

O felices fures.

qui nunquam sic insanient, ut in legem consentiant, qua pœnas dent. Quin hac ratione non videt prudens Pater, quod si omnes ad unum consentiant, tamen diutius valere non possit lex, quàm donec novus civis natus sit, aut inscriptus in civitatem. Sed ille nihil aliud sentit verè prædicari fidem, quàm ita prædicari, ut sæpe jam prædicavit ipse, nempe solam fidem sufficere, non solum sine bonis operibus, sed etiam cum quibuscunque sceleribus, quæ nullo modo (ut ait) damnare possunt Christianum quenquam, modo stet, aut redeat fides: Hoc est nimirum, si vel interea, dum committit scelus, credat tamen id, propter fidem in promissione Dei, sibi nocere non posse: Aut si minus firmiter id crediderit in committendo scelere, atque ideo propter infirmam fidem, scelus commisit timidius, redeat saltem fides, peracto scelere; ne commisisse pœniteat, & frustra se conterendo torqueat. Certè si istius Lutheranæ fidei prædicationi populus haberet fidem, propediem verum diceret, quòd nullæ leges obligarent quenquam, sed populus absque lege, quævis provolaret in scelera.

Stolidum Luth. caput

Quid apertius?

JAM vides Lector, quàm sapienter homo prudens amoliri studeat omnes leges humanas, & quanto cum fructu populi Christiani. Vides item, quanta ratione, quibus Scripturæ testimoniis fulsit decretum suum, contra Doctorum omnium, contra bonorum omnium sententiam, contra publicum totius orbis consensum. Vides, ut in ea re, in qua vix ulla ratio potuit satis esse fortis, vir iste sagax nullam prorsus rationem afferat, nullum Scripturæ testimonium; sed qui aliis falso imputat, quod sibi solis credi postulent, ipse, ut sibi soli credatur, postulat, contra totum orbem, contra manifestas rationes, contra sacrarum testimonia scripturarum, idq; cum populorum omnium summa & inevitabili pernicie. Atque hæc in legibus humanis, quæ veræ sunt traditiones hominum. Nam ea, quæ in ipsius Catalogo recensentur, tanquam traditiones hominum, atque ideo, ut censet, tanquam pestes aliquæ tolerandæ sint, aut omnino tollendæ tanquam nocentissima scandala: jam ante probatæ sunt, esse traditiones Dei, partim Scripturis ipsis comprehensæ, partim vivo Dei verbo traditæ. Atq; id probatum est ratione, Scripturis, & quod fortissimum est adversus Lutherum, ipsius Confessione Lutheri. Nisi aut rursus neget, quod fassus est, hoc Ecclesiam habere à Deo, ut verba Dei decernat à verbis hominum, aut aliam proferat Ecclesiam Catholicam, qua docente cognovit Evangelium, aut probet nobis nihil Ecclesiam didicisse sine Scripturis, contra illud Evangelistæ: Non omnia scripta sunt in libro hoc. Et item illud Apostoli: Servate, quæ præcepi vobis, sive per sermonem, sive per epistolas. Item illud, ab eodem commemoratum Apostolo: Dabo leges in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas. Et illud item Christi: Spiritus Paracletus cum venerit, ille ducet vos in omnem veritatem. Aut nisi probet nobis Lutherus, tot ætates sanctorum Patrum temporibus, Christum Ecclesiam deseruisse, & fidem protinus ab Apostolis defecisse, contra illud: Oravit Christus, ne fides Ecclesiæ deficeret; & tanquam Luthero similis esset ac mendax veritas ipsa, quæ dixit, se cum Ecclesia futuram perpetuo, usque ad consummationem seculi. Hęc nisi nobis evertat omnia, quæ princeps ei objecit omnia, quæ Lutherus hactenus dissimulat omnia, nec ob aliud dissimulat omnia, quam quod sibi conscius est, nihil habere se quicquam, quod ad eorum quicquam omnium respondeat, hæc inquã omnia, nisi Lutherus planè faciat. Ego planissimum tibi Lector feci, imo regem fecisse, planè demonstravi tibi, id quod initio promisi tibi, istũ non tantum traditiones hominum tollere, etjam eas, quibus debet obtemperare: sed etiam tollere traditiones Dei, quas os impurum nebulonis insanissimi contumeliosa blasphemia pestes appellat, & nocentissima scandala.

Brevis author. epil.

Ostendit, Lutherum id unum agere: ut demoliatur Scripturas ipsas, pro quibus simulat se pugnare.

CAP. XIX.

NUNC videamus, annon Scripturam sacram ipsam, pro qua se pugnare simulat, quibus potest machinamentis oppugnet. Primum, ut omittam quàm passim pessime, quam passim stolide Scripturas torquet in defensionem perniciosorum dogmatum; quid magis potest aut manifestius evertere totam vim fructumq; scripturarum omnium, quàm id quod iste manibus pedibusq; molitur, ut nemo quicquam de Scripturæ sensu Doctorum cuiquam credat, nihil sanctorum cuiquam Patrum, nihil universis credat, nihil toti credat Ecclesiæ, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis in hunc usq; diem consentienti, sed opponat omnibus sensum quisque suum? Quem fructum afferent Scripturæ, si tantum sibi quivis arroget, ut in eis intelligendis suo innitatur sensui contra cæterorum omnium, ut nulla prorsus authoritate moveatur, quo minus ex affectu & libidine metiatur Scripturas? Hic plane aperit fenestram, qua se præcipitet populus in perniciem. Quæso te Luthere per furorem tuum, si tu in illa tempestate vixisses, qua procellis Arrianis agitata est Ecclesia, suasissesne, quod suades nunc: ut quilibet è vulgo se putaret idoneum, qui de illa lite judicaret, & sibi quisque crederet in Scripturis intelligendis, quas legeret? & floccifaceret sanctorum Patrum judicium, qui fuerunt in conciliis, in quibus damnatæ sunt hæreses? ut cum fateatis ibi Christum esse, ubicunque sunt duo vel tres congregati in ejus nomine: ibi neges esse, ubi sunt eodem nomine congregati sexcenti; idque ex omni parte Christiani populi? Sed quis tam cæcus est, ut hac in parte non videat, non aliud tibi consilium esse, quàm ut sublata prorsus authoritate consensus publici, possis

Lutheri consilium.

possis ex temeraria privatorum dissensione tumultum suscitare? quo tibi liceat aliquos invenire tam stultos, qui sibi liberum putent, impune contra fidem cæterorum omnium, uni fidere nebuloni tibi. Contra quem, ne quid scripturæ valeret authoritas, non id solum agis, ut sensum sacratum literarum quisque trahat in dubium, & contra sanctorum Patrum omnium, contra Catholicam totius Ecclesiæ sententiam, suum tueatur somnium, verum etiam contra sententiam beati Pauli Apostoli.

Id agit, quo magis licēter ipse suum tueatur errorem.

HÆC tu fortasse Lector sic intelligis, tanquam præbeat audaciam Lutherus, non agnoscendi, quid sentiat Paulus, & dicendi non hoc sentit, hoc aut illo loco Paulus, quod eum sentire credit Ecclesia. Imo longe aliud Lector, quanquam nec illud esset ferendum, sed iste non veretur, quum Paulus quippiam è Scriptura sacra pertinere docet ad Christum, nihil veretur inquam, rursus in dubium trahere, & controversam facere sententiam Apostoli, & dicere: Paulus illud fortasse non ex Deo dixit, sed ex sensu proprio. Itaq; recognosce nebulo, verba sacrilega, quibus in captivitate Babylonica, verè captivus in servitio dæmonum tu Scripturas invertis, & blasphemas Apostolum. Sic enim blateras.

Paulo non credit Lutherus.

Paulus Ephes. 5. verba illa de matrimonio, Gen. 2. dicta, vel proprio spiritu ad Christum trahit: vel generali sententia etiam spirituale matrimonium Christi in eo traditum docet.

Verba Lutheri.

O Satan, Satan, quanto sincerius adhuc Scripturam tractas tu, quàm discipulus tuus Lutherus? Etenim, quanquam uno textu, per fraudem conatus es abuti, tamen quæ Scripturæ verba pertinebant ad Christum, ea ad Christum retulisti. Scriptum est, inquis, de te: Angelis suis Deus mandavit de te. At Lutherus, quæ scriptura pertinet ad Christum, eam non ipse modo Christo non tribuit, verum etiam Apostolo tribuenti minuit, quoad potest, fidem. Exulta Satan, habes discipulum, qui Christi quoq; verbum faciat dubitabile. Nam quum ille dicat: Non est discipulus supra magistrum, sed sufficit ei, si sit, sicut magister suus: Luthero discipulo tuo non sufficit, si sit mendax, & sycophanta, Satan sicut tu, sed longe contendit superare te. Itaq; quum primum conetur elevare authoritatem Sacramenti, ex eo quod videri vult: si locus ille Geneseos quicquam pertineret ad Christum & Ecclesiam, non pertinere saltem, nisi tenuiter, quadam quasi generali sententia, ne quid ad eam rem putetur pertinere proprie, conscius tamen, Paulum non sic accipi posse, quum tam accurate tot modis exaggeret ejus Sacramenti magnitudinem, ex illo loco Geneseos de Adam copulato cum Eva, tam proprie, tam Germane relato ad matrimonium Christi cum Ecclesia, quid facit nebulo? quid? id quo nihil ad evertendam vim Scripturarum omnium potuit excogitare pestilentius. Paulus, inquit, locum illum, proprio fortasse sensu, ad Christum trahit.

Satan sincerius allegat scripturas, quam Lutherus.

Invenisti virum secundum cor tuum.

O nebulo, nebulo, scrupulum injicis, quasi non ex DEI spiritu, sed proprio, videlicet humano (quem toties appellas mendacem) scripturas interpretetur Apostolus, nec interpretatur modo, sed etiam trahit, tanquam in diversum obtorto collo, torqueat renitentes. Hoc est, quod scripturis defers, qui nihil te credere jactas, præter scripturas? Qui nihil aliud nisi Scripturas recipis, Scripturas recipis sic, ut de sensu earum nec ipsis credas Apostolis, qui scripturarum sensum didicerunt à Domino? At quædam, inquis, à Christo dicunt, quædam à capite suo, & illa credi necesse est, de his dubitari potest. Det ergo nobis regulam Reverende Frater, vestra fraternitas, qua discernamus illa, quæ Apostoli interpretantur è sensu DEI ab his, quæ trahunt ac torquent in scripturis sensu proprio. Audio vos, Domine Doctor, dare nobis regulam talem, quòd indubiè standum sit in sacris literis interpretationi Apostolorum & Evangelistarum, ubicunque addunt interpretamentis suis. Hæc dicit Dominus: Cætera verò, quæ dicunt, dicere se, imo trahere, vel torquere scripturas, quo volunt, ex sensu proprio, hoc est humano, neç illis in talibus esse credendum: quia omnis homo mendax, quemadmodum in isto furioso libro vestro blaterastis, prius de Hieremia, Esaia, Helia, & Joanne Baptista. Ergo loca omnia, quæ ex Prophetis, vel quocunque loco Scripturæ toties allegant Evangelistæ, toties producunt Apostoli, pro Christo, controversa facit unus nebulo, & viam aperit omnibus, ut negent hæc fuisse prædicta de Christo, sed quæ Prophetæ scripserunt de aliis, ea proprio sensu Evangelistas, & Apostolos ad Christum detorsisse. Quid hoc est Lector, si non est aperte scripturas oppugnare?

En quomodo scripturis deferat Luth.

Regula necessaria scripturis intelligendis.

Hieremiā, Esaiam, Heliam, Joan Bapt. Luthero mendaces videri.

SED age tamen, sit istud, si voles, nihil: permitto Luthere tibi, qui deterior es: quàm cui ullum pæne vitium sit. Permitto, inquam, tibi, ut leve sit, omnes Doctores sanctos contemnere. Permitto, ut documentum non sit hostilis in scripturas animi, quod niteris ac laboras, Apostolorum interpretationes reddere suspectas omnes. Illud saltem, nemo prorsus erit tam stupidus, ut non sentiat, quam aperte, quam recta tendat in expugnationem scripturarum omnium, quod scripturam indubie sacram, non dubitas impius, velut prophanam pellere. Imo, quod est adhuc detestabilius: si concesseris esse Canonicam, & Apostoli scriptam calamo, audes negare tamen, fidem adhibendam esse, & os in cœlum ponens, lingua maledica, blasphemare non vereris Apostolum. Rursus itaque recognoscere nebulo, verba sacrilega, quibus, quum te suis verbis urgeret Apostolus Jacobus, in Sacramento unctionis extremæ, tu velut cominus congressus cum Apostolo, in Apostolum DEI scurra turpissime, oris impuri latrinam exhauris.

Lutherus manifeste scripturas oppugnat.

Omitto, inquis, quod hanc epistolam non esse Jacobi, & apostolico spiritu dignam, multi valde probabiliter asserant, licet consuetudine authoritatem, cujuscunque sit, obtinuerit. Tamen inquis si esset Apostoli Jacobi, dicerem, non licere Apostolum, sua authoritate, Sacramentum instituere, id est, divinam promissionem cum adjuncto signo dare. Hoc ad Christum solum pertinebat. Sic Paulus sese accepisse à Domino dicit, Sacramentum Eucharistiæ, & missum, non ut baptizaret, sed ut evangelizaret. Nusquam autem legitur in Evangelio, unctionis istius extremæ sacramentum.

RELEGE quæso Lector, quid in hæc verba scripserit Princeps. Ibi statim reperies, in quam paucis Lutheri verbis, quam multa princeps repererit, atque revicerit absurda. Ostendit enim, quod Lutherus improbe reprehendit Ecclesiam, quod impie redarguit Apostolum, & ipse quoque stolide contradicit sibi. Atque hæc tria in tribus fere versibus omnia, ut nullius unquam fuerit tam admiranda prudentia, quam sit istius demiranda stultitia. Quid dices hic Luthere? Quem cuniculum prospexisti tibi, per quem possis effugere? Negabis eum, quisquis illam scripsit epistolam, manifeste Sacramentum describere; & ex tua ipsius Sacramenti finitione discedes, quod constare voluisti, ex sensibili signo, & promissione gratiæ aperte comprehensa in sacris literis? An quod fecisti, negabis illam epistolam in sacris literis numerandam? At eadem Ecclesia quæ inter sacras literas numerat Evangelia, eadem inquā Ecclesia inter sacras literas numerat hanc epistolam. Qua in re tu mentiris, sive falli potest Ecclesia, sive falli non potest. Si potest falli in dignoscendis Dei verbis, ipse mentiris, qui eam dicas, in eo falli non posse; si falli non potest, mentiris rursus, qui dicas probabile esse, hanc epistolam non esse apostolicam, quam Ecclesia probavit pro apostolica. Quid restat igitur: nisi ut dictum revoces, & neges rursus, Ecclesiam posse Dei verba discernere, & in dubium voces etiam Paulinas epistolas & evangelia? Et qui nihil contendis certum esse præter Scripturam sacram, jam ipsa Scriptura sacra nihil reddas incertius. Sed illud adhuc nocentius, quod ausus es etiam contemnere, si fatereris epistolam esse Apostoli videlicet, opinor quod nostri sunt Apostoli, non nos illorum, juxta illud quod tam stulte profers quam sæpe, omnia enim vestra sunt, sive Apollo, sive Cephas, sive Paulus. Non est ergo, inquies, nostrum judicari ab illis, sed illos judicare. Quomodo igitur dicis Luthere, hoc agere te, ut solis credatur Scripturis, qui manifestam scripturam non admittas pro scriptura? Quod si nullam scripturam rejiceres, tamen, quum universos interpretes floccifacias, eodem revolveris, quando nihil omnino credis, quod non clarescat scripturis evidentibus. Nam quæ unquam Scripturæ satis evidentes erunt, si possit effici, quod tu conaris, ut nihil valeat bonorum, atque eruditorum sententia, adversus interpretamenta, vel imperitorum stolida, vel vafra improborum? Quis non videt hoc facto fore, ut nihil omnino probari possit è Scriptura sacra, homini tam amenti, ut scripturæ mentem aut nequeat, aut nolit intelligere? Imo nihil tam absurdum esse, nihil esse tam impium, quod non aliquis tui similis, homo furiosus, & impudens, non possit contendere se probare Scripturæ sacræ testimoniis. Nam verbi gratia, si quis nebulo neget, Christum ad inferos descendisse, jactabit se nihil admittere præter evidentes scripturas, & illud negabit ulla probari satis evidenti Scriptura. Quod si quis alleget illud ex Psalmo: Caro mea requiescet in spe, quoniam non relinques animam meam in inferno: Afferet contra commentum quodlibet è Commentariis Judæorum, & negabit illud, ad Christum quicquam pertinere. Quod si quis rursus objiciat Apostolum Petrum, qui Psalmum illum de Christo loqui declarat, Actor. cap. 2. non dubitabit nebulo, dicere de Petro, quod iste nebulo dixit de Paulo, nempe Petrum illud ad Christum proprio sensu traxisse. Quod si quis alius nebulo volet opera bona non exigi ad salutem, afferet illud Evangelii: Quicunque crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: Nihil igitur ultra requirendum esse. Jam si quis neget sic intelligendum, & afferat genuinum sensum, cum testimonio Doctorum omnium, despiciet Doctores omnes, ac stabit interpretamento suo, tantum vociferans evidentem esse scripturam. Quod si quis illi quippiam objiciat è Scriptura sacra, nebulo protinus comento quopiam inepto, non dubitabit eludere. Utpote, si quis objiciat illud Jacobi: Fides sine operibus mortua est, dicet idem, quod dixit iste, epistolam non esse Jacobi, non esse cujusquam Apostoli, nihil habere dignum Apostolico spiritu. Postremo si probetur esse Apostoli, tamen dicet, Apostolum non recte dicere nimium arrogasse sibi, qui legem bonorum operum imponat Christianis, quos in sola fide, liberos ab omni bonorum operum jugo fecerit Christus. Nec quisquam possit ullam legem aut ullam syllabam legis, ponere super Christianum quenquam, præter unum Christum. Nam Apostolos non habuisse tantum authoritatis, ut judicarent nos, sed nostrum esse judicare illos. Nam omnia nostra sunt, sive Apollo, sive Cephas, sive Paulus. Sic enim se Lutherum docuisse. Si quis igitur, omittens discipulum tuum rursus Luthere, sic opponat tibi: Ecclesia judicavit hanc epistolam esse Apostoli, scriptam esse divino spiritu, & tua tibi verba objiciat: Hoc saltem Ecclesiam habere à DEO datum; ut DEI verba discernere possit, à verbis hominum, jam revocabis hoc protinus, ac dices, melius à te nunc rem esse perpensam: Ecclesiam nihil habere à DEO, sed Ecclesiam falli posse in recipienda scriptura. Quod si subinferet quispiam, incerta igitur esse ipsa Evangelia, hoc tu nimirum concedes etiam, Scripturas & Evangelia, quæ leguntur, non esse fortassis Evangelia vera, sed

Pudendus (si quis pudor esset) Lutheri lapsus.

Atqui nihil Luthero cum Ecclesia, cui jam pride renuntiat.

Lutherus utrinque stringitur.

Hic aurib. lupū tenes Luthere.

Luth. illud dictū vellet indictum.

Clavum clavo pellis Luthere.

Luth. scripturas arbitrio suo fingere ac mutare.

Sibi soli fidit in scripturis interpretādis.

Nimium arrogantet ipse faciens

Et is nonne exigit bona op.

Quoties sibi dissentit, melius rem perpendit scil. Illuc haud dubie tendit, ac perveniet pro pediem.

ſed illorum potius aliquod, quæ repudiavit Eccleſia. Atque his de rebus, unumquemque ſuo periculo credere.

QUOD ſi quis hic tibi objiciat inconſtantiam, quod tibi toties diſſideas, atque à temet-ipſe diſſentias; hic vero quantis tibi ſcommatibus, quantis cachinnis ac ronchis irrideretur, qui ſit tam rudis, & imperitus diſſerendi, ut neſciat, quid ſit hominem diſſentire ſecum: aut eum putet levem eſſe, atque inſtabilem, qui ſit conſtanter inconſtans: aut ſicut taurus ligatur cornibus, ita ligari poſtulet ſuis verbis hominem, uti, ſi quid unquam dixit bene, id ei non liceat poſtea revocare, cum ſit commodum, atque in malum vertere, modo nihil immutet in melius, ex iis, quæ unquam dixit male.

Lutherus conſtanter incõſtans.

VIDES hic Lector evidenter: bonus hic vir, quam bona fide, ſe clamare clamat Evangelion, Evangelion; quaſi quiſquam unquam fuerit hæreticus, qui non clamarit Evangelium, quum is interea viam ſibi ſtruat, qua vertat in dubium, an Evangelium eſſet Evangelium: & ſcripturas, quas ait ſolas regnare debere: falſis interpretamentis enervet, ac faciat cuilibet idem audendi licentiam. Quas ipſe libet, non agnoſcit pro ſacris; denique ſi res urgeat, agnitas etiam contemnit, ne quid dubitare poſſis, ipſum probaſſe pro nobis, id quod initio polliciti ſumus probaturos nos: illum id prorſus agere, ut ſcripturas etiam ipſas, pro quibus ſe fingit pugnare, ſubvertat.

Quã bona fide Luth. clamat Evangelion, Evangel. Hæretici omnes cũ Luthero hoc habẽt commune.

Declarat Lutherum, qui jactat Papiſtas, uti vitioſo diſputationis genere petendo principium, non ſolum falſo id objicere aliis, ſed etiam ipſi id diſputandi genus proprium eſſe atq; perpetuum: totum caput iſtud eſt amœnum.

CAP. XX.

AGE nunc, expendamus illud, in quo mire ſibi Lutherus placet, ac ſe feſtivum & diſertum putat, quum in Eccleſiam Catholicam ludat tanquam Papiſticam, & tam rudes cenſet omnes præ ſe, ut non intelligat quiſquam, aut qua de re ſit quæſtio, aut qua ratione res probari debeat. Eſt, inquit, apud eos ipſos, vitioſiſſimum genus diſputandi, quod vocant petitionem principii. Hoc diſcunt & docent, uſque ad canos, uſque ad ſepulchrum, tot ſudoribus, tot ſumptibus miſerrimi homines.

Non conatur probare, vult ſibi credi dicenti.

Verba Lutheri. Tu ſcil. felix es, qui ſine tuo labore de cœlo docearis.

Videamus ergo Lector, utra pars vitioſius petit principium? nam aliquod principium petit utraque. Nos petimus ab illo poſtulata quatuor.

Poſtulatio noſtra.

PRIMUM petimus: Lutherus ut credat ſacris literis.

Poſtulatũ primum.

PETIMUS, ut credat aliqua dicta, facta, tradita à DEO, quæ non ſunt comprehenſa literis.

Secundum

PETIMUS, ut credat Eccleſiæ datum à DEO, ut poſſit diſcernere verba DEI, à verbis hominum, & traditiones DEI à traditionibus hominum, Chriſto videlicet Eccleſiam ſuam regente perpetuo, Spirituque ſancto, Eccleſiæ conſenſum dirigente ſemper in rebus fidei.

Tertium.

PETIMUS denique, ut in controverſo ſacrarum literarum ſenſu, credat potius conſtanti ſanctorum Patrum ſententiæ, & fidei totius Eccleſiæ Catholicæ, quàm opinioni ſuæ.

Quartum.

HÆC poſtulata quanquam nos putemus, haud minus evidentia Chriſtiano, quam illa ſunt Euclidis Geometrica Philoſopho. Poſtulat tamen iſte poſtulatorum ejuſmodi rationes.

ATTULIMUS ergo poſtremi, & alias rationes aliquot: & quod facilius eſt ac ſimilius veri, unum falli atq; hallucinari quàm multos, malum virum potius male ſentire quàm bonos, hominem hæreticum potius errare, quam Eccleſiam Catholicam.

Ratio 4.

PENULTIMUM vero probamus, multis & evidentibus Scripturæ ſacræ teſtimoniis, multis præterea rationibus, & denique ipſius Confeſſione Lutheri.

Ratio 3.

PORRO quod aliqua dicta, facta, tradita ſunt à Chriſto, quæ ſcripta non ſunt, præter evidentes rationes alias, præter alia Scripturæ loca, probavimus authore Paulo, probavimus Evangelio.

Ratio 2.

Primum vero Poſtulatum, quod Scripturæ ſacræ credendum ſit, ſperaveramus haud exacturum quicquam probationis Lutherum, propterea quod toties per omnes libros clamat, nihil aliud exigere ſe, quàm ut ſoli credatur Scripturæ ſacræ.

Cur nulla ratio 1.

HÆC poſtulata noſtra, Lutherus deridet omnia. Nam poſtremum putat eſſe ſtultiſſimum, ſi quis hoc petat, ut Patribus, & Eccleſiæ potius credat ille, quam ſibi. Quum Patres (ut ait) & Eccleſiæ judicium, aliquando fallatur, ipſe falli non poſſit. Propterea quod certus eſt (ut ait) doctrinam ſuam habere ſe de cœlo.

Cur non concedit quartum.

PENULTIMUM vero quanquam olim ab ipſo conceſſum, nunc tamen ferme revocat. Cenſet enim illud eſſe ridiculum, ſi quis in fide, cenſeat Eccleſiam gubernari Spiritu ſancto, quoniam tale principium petentem Turca rideret. Itaque pius Pater, impius potius erit in Chriſtum: quam ſit ridiculus Turcæ.

Cur negat tertium.

SECUNDUM nihili plane facit; quia quæcunque dixit, fecit, aut tradidit Chriſtus, quæ ſcripta non ſunt, ea ſemel omnia Lutherus habet pro nihilo. Propterea (puto) quod niſi fuiſſent res nihili, non putaret Lutherus tam negligentem futurum fuiſſe Chriſtum, quin ea curaſſet comprehendi Scriptura.

Cur non admittit ſecundum.

PORRO primum propter authoritatem Scripturæ, tractat ambigue. Nam Scriptu-

Quomodo tractat 1.

ras sæpe citat perperam, & à genuino plerumque sensu detorquet in falsum. Ibi cum nihil habeat pro se, nisi verba sua, eademq; fere semper contra conscientiam suam, quum diversum sonent Scripturæ verba, Patres constanter interpretentur, & tota per tot ætates consentiat Ecclesia: ibi nos imperiti Thomistæ, petimus illud principium, ut credat potius universis quàm uni. Sed quia hæc est petitio principii, ab homine acuto & argumentandi callentissimo, risu repellimur, & cachinnorum cumulis obruimur.

At non est commodū.

QUOD si Scripturæ textum proferas, qui sit apertior, quàm ut de sensu possit esse controversia, tum necessitate coactus, prodit se, & Scripturam negat aperte. Ait enim (si res poscat) epistolam Jacobi, non esse apostolicam, aut etiam si sit Apostoli, Apostolum tamen sibi nimium arrogasse. Atque ubi Lutherus semel dixit istud: si quis in eo rursus instet, ut authoritati cedat Lutherus Apostoli; jam mille modis ridebitur homo disputandi rudis, quem non pudeat uti vitiosissimo genere disputandi, & principium petere, nempe ut Scriptura putetur, quam Lutherus negat esse scripturam, aut Apostolus credatur scripsisse recte, quum eum semel dixerit Pater potator errasse. Hunc igitur in modum Lector, nos vitiose principium petimus.

An non tu nimiū tibi nimis impie arrogas?

LUTHERUS contra, paulo modestior est; principium enim statuit etiam ille, sed duntaxat unum, quod sibi concedi postulat. Est autem illud hujusmodi. Omnibus de rebus soli credendum ipsi.

Lutheri postulatū unicum.

HOC principium, velut rem natura notam, non dubitat ubique petere, imo pro suo sibi jure sumere. Sic quæstio de Scripturæ sensu: profert primum, quod vel sentit ipse vel se sentire saltem simulat. Tu contra profer, quicquid unquam fuit Christianorum omnium, abigit omnes, velut muscas, & petit credi sibi. Negat leges humanas utiles esse: profer tu contra, quicquid unquam fuit mortalium, deridet orbem totum, & postulat credi sibi. Negat unctionis extremæ Sacramentum: profer tu contra, Apostolum Jacobum: contemnit Apostolum, & postulat credi sibi. Ita principium istud, nusquam fere non petit concedi sibi, ut omnibus in rebus uni credatur sibi.

HOC postulatum ejus, quanquam nemo non videt esse in speciem vehementer æquum, tamen, quia veremur laqueos, & hominis captiosi versutias, ægre ac difficulter adducemur, ut istud ei postulatum concedamus, maxime, quia sentimus hoc principio, & præclaro Lutheri axiomate, totum niti mirabilis Lutheranæ doctrinæ fundamentum. Nam eo principio concesso, mirum dictu est, quales & quantas conclusiones sic probabit tibi, ut prorsus negare non possis. At si neges illud axioma, nihil tibi probat omnino. Cunctamur ergo illi concedere tam callidum & captiosum principium: & quærimus ab illo. Qua ratione probas Pater soli credendum tibi? Ad hoc hanc reddit causam. Quia certus sum, inquit, dogmata mea habere me de cœlo. Rursum quærimus; Qua ratione certus es, dogmata tua habere te de cœlo? Quia rapuit me Deus, inquit imprudentem in medias has turbas. Rursus ergo flagitamus; Qui scis, quod rapuit te Deus? Quia certus sum, inquit, doctrinam meam esse à Deo. Quomodo id scis? Quia rapuit me Deus. Qui scis istud? Quia certus sum. Quomodo certus es? Quia scio. At qui scis? Quia certus sum.

Quo nitatur principio doctrina Lutherana.

QUÆSO te Lector, annon hic locum habet illa disputandi forma, qua, nisi mentitur Lutherus, mentitur Amsdorfius, Theologos disputare Lipsenses hoc pacto: cum respondens negasset assumptum opponenti, probabat idem opponens hoc pacto. Oportet sic esse. Illo iterum negante, denuo & ille: Et quomodo potest aliter esse? Oportet sic esse.

Amsdorfii fabula de Theologis

HUIC mendacio Lutherus, velut unum dictum, de dictis melioribus adjunxit coronidem. Pulcherrime, inquit, & Thomisticissime, quin & Lipsissime, & Henricissime.

Lutheri coronis.

NUNC quum Reverendus Pater, in hoc principio sua fundet omnia: Ego certus sum, quia ego scio; & ego scio, quia ego certus sum; & ideo certus sum, quia non possum errare; & ideo non possum errare, quia certus sum; & ideo certus sum, quia ego scio, annon nobis licet in Reverendum Patrem, Reverendi Patris coronidem recinere, pulcherrime, & Wittenbergensissime, quin & stolidissime, & Lutherissime.

Lepide retaliatur coronis Lutheri.

VIDES ergo hoc loco Lector, nihil illius ita recitare me; quemadmodum ex regis libro ille solet omnia. Qui nihil sincere citat, sed aut male mutat, aut ea commemorat inde, quæ ibi nusquam sunt: sed ipse dum narrat, fingit sibi monstra, quæ vincat. At nos ipsa re planum facimus, Scripturas ab illo sic allatas, sic detortas à suo sensu, sic ipsum sua somnia præferre Sanctorum omnium sententiis: sic totam Ecclesiam floccifacere præ se, sic aperte Sacram Scripturam negare, & agnitam manifeste contemnere, sic sua dogmata sine Scriptura & contra Scripturam statuere: ut dubitare non possis, illum ipsa re unum illud ubique principium petere, ut contra omnes & omnia, omnibus in rebus uni credatur sibi.

Ne videri possit, hæc tam absurda per calumniam fingere de Luthero, Lutheri verba ipsa commemorat, atque expendit: quibus clarum est, Lutherum, & dicere & sentire multis adhuc modis absurdius.

CAP. XXI.

TAMEN quo minus dubites, istud non ex ambiguis ejus verbis colligi, sed verbis meis prædicari. Verba ipsa nebulonis expende.

Certus

Verba Lutheri.

Certus sum, inquit, dogmata mea habere me de cœlo, qui etiam adversus eum triumphavi, qui in ungue novissimo plus habet virtutis & astutiæ, quam omnes Papæ, & Reges, & Doctores.

Item paulo post.

Rapuit, inquit, me Dominus imprudentem in medias has turbas.

Et rursus.

Neq; enim hic mihi patientiæ habenda ratio est, ubi mendaciis suis scurra levis, non me nec vitam meam, sed doctrinam ipsam impetit, quam certissimus sum non meam esse, sed Christi.

Atque hæc ubi tantum dicendo probavit, jam suo jure adversus Regem nebulo debacchatur, tanquam pro fide corripere hæreticum, hoc demum esset blasphemare Deum.

Lutheri verba Domino digna.

Indulgendum esset ei, si humano modo erraret. Nunc quum prudens & sciens mendacia componat, adversus mei Regis majestatem in cœlis, damnabilis putredo ista, & vermis, jus mihi erit pro meo Rege, majestatem Anglicam luto & stercore conspergere, & coronam istam blasphemam in Christum pedibus conculcare.

AH, ne sævi tantopere bone Pater: sed si satis debacchatus es, audi nunc jam leno. Meministi supra falso questum te, quod Rex nullum in toto libro, saltem exempli causa, locum ostenderit, in quo te tibi dixerit esse contrariũ. Hoc tu paulo ante mentitus es, quum Rex multa loca, tuæ tibi repugnantiæ demonstrarit. Hic Regem puta vicissim abs te quærere: cur ne unum saltem locum, exempli causa protuleris, in quo eum dicas blasphemare Deum. Hic locus omnino quærendus est, & paternitati vestræ proferendus. Interea vero, quamdiu constabit reverendam paternitatem vestram, tam impudenter ista mentiri, licebit aliis pro majestate Anglica, lutum & stercus omne, quod vestra putredo damnabilis egessit, in vestræ paternitatis os stercoreum & stercorum omnium, vere sterquilinium regerere, & in coronam vestram, Sacerdotalis coronæ dignitate exauthoratam, in quam non minus ac regiam scurrari decrevistis, omnes cloacas & latrinas effundere. Dabis mihi candide Lector, pro tua æquitate veniam, quod istius me nebulonis verba stolidissima coëgerunt respondere talia, quibus honor præfandus esset nunc, vero verius illud verbum sentio: Qui tangit picem, coinquinabitur ab ea. Etenim me necessitatis etiam hujus pudet, quod dum os hominis merdosum detergo, digitos mihi concacatos video. Verum quis ferre potest nebulonem talem, qui mille vitiis ostendat se possessum, atque agitatum à legione Dæmonum, & tamen ita se jactet stolide? Sancti Patres omnes erraverunt. Ecclesia tota sæpius erravit. Doctrina mea non potest errare, quia certissimus sum, doctrinam meam non esse meam, sed Christi, videlicet alludens ad illa verba Christi: Verba mea non sunt mea, sed ejus, qui misit me Patris. Quid istud? Papa cadet: dogmata mea stabunt: nonne certare videtur cum illo Christi? Cœlum & terra transibit, unum jota non peribit de verbis meis;

Cur hoc minus æquum ei in te erit, quam tibi in eum?

Hunc suo sibi gladio jugulat.

Parallelon I. Lutheri de se.

Secundum Parallelon

Nam quum ait; Rapuit me Dominus imprudentem in medias has turbas, hoc plus est, quàm tulit illum Diabolus, & statuit supra pinnaculum templi. Jam illud quam gloriosum est? Ego triumphavi adversus illum, qui in ungue novissimo plus habet virtutis & astutiæ, quàm omnes Papæ, & Reges, & Doctores. Quanto gloriosius triumphat iste, quàm Christus, qui de se dixit aliquanto modestius? Ego vici mundum. Et item illud. Venit Princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam. Iste vero quid dicit? Ego triumphavi non adversus mundum, sed magno intervallo sublimius, adversus Principem mundi Diabolum. Deinde triumphum suum buccinat, & magnificis ornat ampullis. Triumphavi (inquit) adversus illum, qui in ungue novissimo plus habet virtutis & astutiæ, quam omnes Papæ, & Reges, & Doctores. O gloriosum triumphum. Sed unde nobis compertum?

Tertium Parallelon.

Hic superat antiparallelon suum.

Videlicet juxta Proverbium; Is recte se laudat, cui nullus alius contingit laudator.

Quid hic nobis dicet, qui probat omnia scripturis manifestis? Quid aliud, quam illud Christi (nam cum illo certare conatur) Ego testimonium perhibeo de me ipso? Quod si quis respondeat, testimonium tuum non est verum, recurret illico ad novam scripturam suam. Ego certus sum, dogmata mea habere me de cœlo. Atque ibi, sistet in hoc suo principio, velut firmissimo fundamento: quod non omnes Papæ, Reges, Doctores, Homines, Angeli, poterunt evertere. Certus igitur, imo certissimus, dogmata sua habere se de cœlo, sicut certi sunt & certissimi, qui dormiunt, omnia vera esse, quæ somniant. Imo vero certus & certissimus mentiri se vigilantem, dogmata sua esse de cœlo, quæ sua sibi murmurat conscientia, dæmonum illi præstigiis immissa: hominibus maledicit, & Angelis, quicunque dogmatis ipsius contradicunt. Et eos clamat os in cœlum ponere, conspurcare Sacra, blasphemare Deum: quicunque non verentur arguere spurcissimas ipsius blasphemias. Tantummodo clamat anathema sint omnes, qui impetunt dogmata mea, quia certus sum, dogmata mea habere me de cœlo.

Nova Lutheri scripta.

Quam certus sit Lutherus, sua dogmata vera esse.

Cur non juras quoque, quo facias hominibus hujus rei fidem.

HOC igitur principio à Reverendo Patre petito, & à nemine concesso, sic arguit ulterius Reverendus Frater, Pater, potator Lutherus, extra ordinem sancti Augustini fugitivus, unus ex Magistris inertibus Wittembergensibus, utriusque juris bacchanalius informis, & in sacra Theologia Doctor indoctus. Ego certus sum, dogmata mea habere me de cœlo: ergo dogmata mea sunt cœlestia. Et tunc ulterius sic.

Lepida paronomasia.

Lutheri syllogismorum series.

Dogmata mea sunt cœlestia, ergo quicunq; contradicit dogmatis meis, os ponit in cœlum & blasphemat Deum. Quoniam quidem igitur contradicunt meis dogmatibus, Pontifex, Imperator, Reges, Episcopi, Sacerdotes, Laici, & omnes, in summa boni, mihi licebit pro Dei mei Majestate, Pontificem, Cæsarem, Reges, Episcopos, Sacerdotes, Laicos, omnes denique bonos, anathematizare, maledictis & conviciis incessere, atque in omnium coronas, & capita, licebit,

Justum facis assidue Luthere.

cebit,

cebit, ex ore meo, lutum, cœnum, stercora, merdas exspuere.

HÆ sunt Reverendi Patris conclusiones necessario deductæ, ex isto Patris ejusdem principio, per eum petito, ut ipsi credatur, certum esse se, sua dogmata esse de cœlo. Verum age Reverende Pater: si ego sic colligerem. Ego certus sum, reverendum Fratrem Patrem esse asinum; ergo reverendus Frater Pater est asinus. Hic si mihi concedat reverendus Pater, istud antecedens: quàm multas conclusiones mihi licebit inferre: nimirum comedendum ei fœnum: gestandas sarcinas: &, quod est gravissimum: carendum esse cerevisia: quod ægre foret Pater potator auditurus.

Atque ægrius laturus.

Verum potius quam eo traheretur, non dubitaret exigere, ut probem me certum esse, illum esse asinum: alioqui (ut est impudens) haud concessurus illud, quod omnes tamen vident esse manifestum. Verum ego protinus antecedens probare non dubitem, hoc modo. Ego certus sum, quod sicut nullum animal ridet præter hominem, ita nullum animal rudit præter asinum: sed ego certus sum, quod Reverendus Frater, Pater potator est aliquod animal, & rudit rudissime, ergo ego certus sum, quod Reverendus Frater, Pater potator est asinus verissime. Ecce Reverende Pater, ego probavi meum antecedens: nec postulassem mihi concedi, nisi probavissem.

Probate, precor, & vos Reverende Pater, illud assumptum vestrum, quomodo certa sit vestra paternitas, dogmata vestra vos habere de cœlo, quo deferente, recepistis illa? Nemo enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. Sed hic (ut audio) respondebitis, detulisse vobis dogmata vestra de cœlo, non illum quidem, qui descendit de cœlo, sed illum qui tanquam fulgur cecidit de cœlo. Bene respondetis Reverende Frater. Verum non sufficio vobis Magister, sed vos relinquo, cum cacodæmone dogmatum inspiratore vestrorum, cum quo manebitis in Tartaro per omnia secula seculorum.

Nempe phrenesi ministra ei sedula.

Epilogus eorum quæ probata sunt hoc primo libro.

NON sum profecto mihi tam iniquus Fautor, quin tibi facile Lector ignoscam, si minus interdum probes hanc levitatem meam, qua nonnunquam quædam intersero, quæ neque rei gravitati, neque tuæ severitati respondeant. Et tamen neminem esse usquam puto, tam torvum, qui non æquum censeat, vel connivere vobis interdum, vel ignoscere, quum ubique legat spurcissimam petulantiam stolidissimi nebulonis, in Principem prudentissimum: si nos ita commoveat indignatio, ut vel inviti, vicissim cogamur ineptire, & (quod ait Salomon) respondere stulto secundum stultitiam ejus. Præsertim quum ejus liber, prorsus omisso, negotio, totus in scurrilibus næniis oitefur. Nos, licet obiter, in ejus insaniam ludimus: tamen interim ita rem tractamus, ut tibi liquido constent omnia, quæcunque ab initio promisimus. Nam cum generale responsum ejus, in summa nihil complectatur aliud, quam nihil habendum esse pro certo, nisi quod comprehensum est, evidenti Scriptura, cætera vero universa (etiamsi non adversantibus sacris literis, perpetuo totius Ecclesiæ consensu firmata sint) vel extirpanda penitus, tanquam traditiones hominum (quod quidem censet optimum) vel ut minimum sic tolerari libere, ut cuique relinquatur integrum, eorum quodque probare, improbare, mutare, damnare, abjicere ubilibet, quando libet, quotieslibet. Quum in hac parte collocet omnes leges humanas, Patrum decreta, Ecclesiæ Concilia, & Sacramēta, Purgatorii metum, Sanctorum cultum, & cultum celebrandæ Missæ: nos & Scripturis clarissimis, & evidentissimis rationibus, effecimus perspicuum: esse verbum Dei absque Scriptura traditum, idque non minoris authoritatis esse, quam sit ipsa Scriptura. Probavimus authoritate Scripturæ, atque ipsius etiam confessione Lutheri, Ecclesiam in discernendo Dei verbo, in rebus fidei, prorsus errare non posse. Probavimus Ecclesiam, quam ille vocat Papisticam, esse veram Ecclesiam Christi catholicam. Probavimus ea Sacramenta, quæ Lutherus appellat Traditiones hominum, non hominū traditiones esse, sed Dei: atque ita illum, verbum DEI negare, non hominum. Probavimus illum, non stolide solum tollere leges omnes humanas, sed etiam oppugnare, & clanculum, & manifeste Scripturas ipsas. E quibus luce clarius ostendimus, illum quicquid è Scripturis attulit, pro sua causa sic allegare stolide, ut nullus morio possit allegare stolidius. Et quum de cujusquam Scripturæ sensu, neminem unum velit universis credere, sed unumquemque sibi, planum fecimus illum struere, ut universæ Scripturæ robur enervet, & fructum omnem vertat in perniciem. Denique quum Scripturam indubiam, non fateatur esse Scripturam, sed habere neget quicquam Scriptura dignum: & Apostolum non dubitet apostata reprehendere, clarissimum fecimus illum non occulte modo, sed etiam palam, Scripturas ipsas, pro quibus pugnare se fingit, evertere. Postremo, præter ejus improbissima mendacia, & stolidissimas repugnantias, & mille ejus insanias, quas hinc inde patefecimus, etiam vitiosum illud disputandi genus, in petendo principio, quod perquam facete sibi visus est exprobrasse cæteris, id inquam, ipsum probavimus illi unam, atque unicam disputandi formam esse. Sic igitur Lector, plusquam tibi sumus polliciti, persolvimus, idque fecimus probationibus, non aliunde fere, quam ex Regis libello desumptis. Et quoniam Luthero nunc, ut vides, belle processit generale responsum: nos jam accingimur ad ejusdem specialia, è quibus nihil videbis, in quo non ridebis hominis singularem stultitiam.

Summa Lutherani principii.

Conditio oblata à Luthero.

Quanto hic verius & modestius de se prædicat quam Lutherus.

Hæc Lector tibi tolle memor.

LIBER



LIBER SECUNDUS

Refellit ea, quibus Lutherus nugatur, dum ad illa respondet, quæ Rex obiter attigerat de Indulgentiis.

CAPUT PRIMUM.

QUum Rex, ut ipsius liber ostendit, nihil sibi aliud in indulgentiis, & Papatu proposuerit, quàm insanam Lutheri levitatem perstringere, qui quum utrobique desipuisset, potius quàm resipisceret, optavit furere: quumque hæc transeunter attigisset Rex, non aliud destinans, quam Sacramenta tractare, tamen ea ipsa quæ dixit obiter ita prostravere Lutherum, ut ne tantulum quidem, quod responderet, invenerit, præter insulsos risus in ridiculum ipsius caput redituros.

Apparet, hominem parum firmis vestigiis nixũ.

Verba Lutheri

Veniamus nunc ad particularia Henrici nostri, & videamus, quam feliciter aptet principia sua conclusionibus.

Et postea.

Imo magna tecum est nequitia.

Primum, indulgentias apprehendit Rex defensor, quas ego asserueram esse imposturas Romanæ nequitiæ. Has defendi, hoc modo; Si indulgentiæ sunt imposturæ, impostores erunt, non solum præcedentes Pontifices, sed & ipse Leo decimus, quem tamen Lutherus eximie laudat. O Regium, & Thomisticum acumen.

Et paulò pòst.

Itaq; nihil mihi respondet Rex Thomisticus, indulgentias damnanti, præter hoc verbum, indulgentiæ non sunt imposturæ, quia Leo est bonus vir: ergo oportet sic esse, non potest aliter esse.

HOC loco, nihil est opus respondere, Lector, sed ipsa Regis verba subjicere, quæ tu quum leges, & ab isto nebulone depravata, comperies, & illud oportet sic esse: non potest aliter esse: apud Regem nusquam invenies, sed tam sæpe quam stulte fictum ab Luthero, ut haberet de suo, in quod videretur festive ludere: tum vere oportet sic esse: & non potest aliter esse: quin si quis Lutherum dicat esse bipedem, stultiorem quadrupede, responsurus sis, oportet sic esse: non potest aliter esse. Hunc igitur in modum ait Princeps.

Verba Regis.

Quemadmodum animal omne potissimum ex facie dignoscitur, ita ex hac quoque prima propositione clarescit, quam suppuratum is habeat cor, cujus os amaritudine plenum, tali exundat sanie. Nam quæ de indulgentiis olim disseruit, ea plerisque multum videbantur adimere non modo de potestate Pontificis, verum etiam de bona spe, ac sancta consolatione fidelium: hominesque vehementer animare, ut in pœnitentiæ suæ confisi divitiis, Ecclesiæ thesaurum, & ultroneam Dei benignitatem contemnerent. Et tamen ea, quæ scripsit, omnia idcirco mitius accepta sunt, quia pleraq; differebat duntaxat, non asserebat. Subinde etiam petens doceri, seseque pollicens meliora docenti pariturum. Verum istud quam simplici scripsit animo, homo sanctulus, & omnia referens ad spiritum, qui fictum effugit: hinc facile deprehenditur, quod simul atque à quoquam salubriter est admonitus, ilicet pro benefacto regessit maledictum, conviciis & cõtumeliis insaniens, quibus operæ pretium est videre, quo væsaniæ tandem provectus est. Ante fassus est, indulgentias hactenus saltem valere, ut præter culpam etiam à pœnis absolverent, quascunque videlicet vel Ecclesia statuerat, vel suus cuique Sacerdos injunxerat. Nunc vero, non eruditione (ut ipse inquit) sed malitia tantum profecit, ut sibi ipsi contrarius, indulgentias in universum condemnet. Ac nihil aliud eas dicat esse, quam meras imposturas, ac nihil omnino valere, præterquam ad perdendum hominum pecuniam, ac Dei fidem. Qua in re, quam non scelerate modo, verum etiam furiose bacchetur, nemo est qui non videt. Nam si nihil omnino valent indulgentiæ, sed meræ sunt (ut Lutherus ait) imposturæ: tunc necesse est, impostores fuerint, non hic tantũ Leo Pontifex Decimus (cujus innocens & inculpata vita, moresque sanctissimi, ab ineunte ætate, per orbem totum, satis explorati sunt, quemadmodum in Epistola quadam ad Pontificem, Lutherus etiam ipse fatetur) verum etiam tot retro seculis, omnes Romani Pontifices, qui (quod Lutherus ipse commemorat) indulgere solebant, alius remissionem annuam, alius triennem, quidam aliquot condonare Quadragesimas, nonnulli certam totius pœnitentiæ partem, tertiam puta, vel dimidiam, aliqui demum remissionem indulserunt & pœnæ & culpæ plenariam. Omnes ergo (si vera dicit Lutherus) fuerunt impostores. At quanta magis cum ratione creditur hunc unum fraterculum, morbidam esse ovem, quam tot olim Pontifices, perfidos fuisse Pastores.

Quantam fenestram patefecerit Lutherus ad scelera.

Et paulo post.

Qui, quum eousque progreditur, ut neget Indulgentias quicquam valere in terris, frustra cum eo disputem, quantum valeant in Purgatorio. Præterea, quid profuerit cum illo loqui,

quibus subsidiis liberemur à purgatorio, qui totum ferme tollit purgatorium? Unde quum pati non possit, ut Pontifex quenquam eximat, ipse sibi tantum sumit, ut neminem ibi relinquat. Quid attinet cum eo pugnare, qui pugnat ipse secum? Quid argumentis promoveam, si cum eo agam, ut donet, quod negavit: qui nunc id ipsum negat, quod ante donaverat? Verum quantumvis disputentur indulgentiæ Pontificis, necesse est, inconcussa maneant verba Christi, quibus Petro commisit claves Ecclesiæ, quum dixit. Quicquid ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlo: & quicquid solveris super terram, erit solutum & in cœlo.

Item quorum remiseritis peccata, remittentur, & quorum retinueritis, retinebuntur. Quibus verbis, si satis constat Sacerdotem quemlibet habere potestatem à mortalibus absolvendi criminibus, & æternitatem pœnæ tollendi, cui non videatur absurdum, Sacerdotum omnium Principem, nihil habere juris in pœnam temporariam? Verum aliquis fortasse dicet: Lutherus ista non admittet, Sacerdotem ullum quicquam ligare, vel solvere, aut Pontificem summum plus habere potestatis, quam alium quemvis Episcopum, imo quemlibet Sacerdotem. At quid id mea, quid admittat, aut quid non admittat is, qui quorum nihil admittat, nunc eorum pleraque paulo prius admisit: quique omnia nunc rejicit solus, quæ tota tot seculis admisit Ecclesia. Nam (ut cætera taceam, quæ novus iste Momus reprehendit) certe indulgentias, si Pontifices peccavere, qui concesserunt: immunis à peccato non fuit tota congregatio fidelium, qui eas tam diu, tanto consensu, susceperunt. Quorum ego judicio, & observatæ Sanctorum consuetudini, non dubito potius acquiescendum, quam Luthero soli, qui totam Ecclesiam tam furiose condemnat.

Pontifex Luthero plebejo Sacerdote inferior.

Ecce Lector, quam scite Regem titigit Lutherus, quum Rex & Evangelio probarit, & ratione, successorem Petri condonare posse pœnam Purgatorii, quum Rex præterea dicat: Non solum Leonem Decimum (quem laudat ipse Lutherus) sed omnes retro Pontifices fuisse impostores, si indulgentiæ nihil sunt aliud, quam imposturæ, & totum fuisse Christianum populum, tot ætatibus obnoxium culpæ: & se meliori cum ratione crediturum, unum Lutherum vel stolidum esse vel impium, quam aut omnes Pontifices fuisse deceptores, aut totum tot ætatibus populum fuisse deceptum. Lutherus contra, ad Evangelium tacet: rationes dissimulat silentio, de cæteris tot sæculorum Pontificibus nihil respondet omnino: nihil respondet de populo, quem tot ætatibus defunctum, cum Episcopis & Clero, communi damnatione devolvit ad inferos. Quid ergo respondet? nihil respondet omnino. Tantum cachinnos tollit homo lepidus, & Sardonio risu ridet Regem, quasi nihil aliud dicat, quàm, Indulgentiæ non sunt imposturæ, quia Leo Decimus est vir bonus. Et tamen hoc ipsum, sic ab illo recitatum de industria, ut posset depravatum vincere, quum omnibus viribus oppugnarit, expugnare non potuit.

Si Lutherus, inquit, tantum habet authoritatis, ut tantus Rex ei credat, Leonem Decimum laudanti: cur non credat eidem, indulgentias damnanti? Verba Lutheri.

Hui, quam argute nobis arguit Reverendus Frater. Si negemus hoc Lemma: sic nimirum probabit à simili. Si Rex mihi credit vera dicenti: cur non itidem credit aperte mentienti? Nam quod ait, se, quum diceret, indulgentias nihil omnino valere, sed esse meram imposturam, munivisse sententiam suam scripturis, & rationibus, Reverendus Pater aperte mentitur. Nam in illis libris, quibus egit serio de indulgentiis, nihil dixit ultra, quàm eas valere duntaxat, ad tollendas pœnas, quas aut lex inflixisset, aut homo. At nihil omnino valere, & meras imposturas esse, id demum primum in captivitate Babylonica, sine Scripturis, & ratione, ex pectoris sui sentina, solo furore deprompsit. Illud quoque non minus præclarum, quod sic ait.

Hoc argumento regio, & Thomistico usus, potes dicere: Romæ in curia nihil agitur mali, quia Leo Decimus est bonus vir, & sic justificabis omnem illam abominationem, Romanæ perditionis. Verba Lutheri.

EN quam pulchre, quam similia connectat. Quasi, aut in Romana curia fierent omnia quæ bonus iste Pater mentitur: aut quæ facerent omnes, omnia sciret Pontifex: aut si quædam nesciret illorum, ideo nescire posset, quod ullas concedat indulgentias: aut non esset impostor, si sciens faceret imposturas: aut bonus esset, qui impostor esset: aut sibi non pugnaret stolidissime, prudentissimus Pater, qui dicit: Leo Decimus est impostor, sed tamen est bonus vir.

Obiter pulchre tractat Lutherum, stolide argutantem adversus Aristotelem, quod nemo sit bonus vir, nisi qui possit esse bonus Princeps.

CAP. II.

NAM quid obtusius est illa argutia, qua sibi videtur argute refellere. Aristotelis (ut ipse vocat) argutiam.

Si hoc loco, inquit, argutiam illam tractem: quod aliud sit, esse bonum virum, & aliud bonum Principem (ut Aristoteles eorum docet) frustra tractavero, coram tam stupidis & crassis truncis: quanto minus caperent, si secundum divinas literas, hac de re disputarem? Nam re vera bonus vir non est, qui bonus Princeps esse non potest. Spiritus enim CHRISTI (quo solo boni sumus) reddit hominem perfectum, ad omne opus bonum instructum, ut Paulus ad Timotheum docet. Id quod & historiæ probant Scripturarum. Coram hominibus locum habet argutia ista: aliud est, esse bonum virum, nempe in speciem: & aliud bonum Principem, æque in speciem. At Saul, ut desiit esse bonus vir, simul desiit esse bonus Princeps. Verba Lutheri. Aristoteles.

AN

AN nondum legis hæc tecum Lector cogitas illud Horatii: Quorsum hæc tam putida tendunt? Nam Leo Decimus, si fuit impostor, neque bonus Papa fuit, neque bonus vir: Quem Lutherus bonum virum fuisse confirmabat, donec se declaravit Leo mali viri non esse fautorem. Quamobrem extra locum suum prorsus, hanc argutatur argutiam, nec in aliud, quam ut suam declaret stultitiam. Quis enim præter Lutherum tam stupidus est, & crassus truncus ut id non videat esse verum, vel negante Aristotele, non modo non admonente, non idem esse bonum virum, quod bonum Principem? quantumvis id neget bipedum stultissimus Lutherus, qui ex illo Pauli: Spiritus Christi reddit hominem perfectum, ad omne opus bonum instructum. Concludit, neminem in hoc mortali statu bonum virum esse, qui non sic habet Spiritum Christi, ut sit instructus ad gubernandum regnum. Et nisi quis ita sit bonus, quomodo nemo bonus est, nisi solus DEUS, alioqui bonus vir vocari non possit, nec bonus vir sit, qui bene credit, & bene facit, pro ingenii sui captu, si sit aliquanto simplicior, quam ut sit idoneus gubernando populo. Docet ergo nos stupidos & crassos truncos, hujus Patris ingenium subtile, & tenui festuca tenuius, illud Pauli: Spiritus Christi reddit hominem perfectum: sic intelligi, quod nemo sit bonus, nisi idem sit optimus. Et quia Spiritus Christi, reddit hominem instructum ad omne opus bonum, ideo quemlibet, cui se aliquo modo infundit, instructum reddit ad quodlibet: ut nisi quis omnia omnium dona gratiarum receperit, nullius omnino receperit, nimirum juxta illud ejusdem Pauli: Divisiones gratiarum multæ sunt, & unusquisque proprium donum habet à DEO: alius quidem sic, alius autem sic, sed idem nobis egregie probat historiis Scripturarum. Nam coram hominibus locum habet, inquit, argutia ista: aliud esse bonum virum, nempe in speciem: aliud bonum Principem, nempe in speciem. At Saul, ut desiit esse bonus vir: desiit simul esse bonus Princeps.

Pulchre, bene, recte.

Inepte interpretatur Apostolum.

O præclarum argumentum. Sic accidit in Saule: ergo sic accidere necesse est in omnibus hominibus: velut si quis ita colligat: iste homo stultus est, ergo omnis homo stultus est. Qui impedit, quo minus is, qui privatim aliquo laborat vitio, tamen utilior esse possit in publicum, quam quispiam nullo laborans vitio, sed minus callens earum artium, quibus instructum oportet esse Principem. Neque enim Deus omnia impertit omnibus. Quod si maxime verum esset, neminem esse bonum Principem, nisi qui sit bonus vir: tamen altera parte non commearet ratio, neminem esse bonum virum, nisi qui sit bonus Princeps: nisi nobis persuadeat Reverendus Pater, hoc argumentum bonum esse: Omnis Rex est homo, ergo omnis homo est Rex. Et item istud. Omnis asinus est animal, ergo omne animal est asinus. Et hic vides Lector: quàm belle procedat huic Reverendo Patri, id quod ille extra necessitatem, extra occasionem, extra locum omnem protulit: non in aliud omnino, quam ut jactaret istud bellum inventum suum, & triumphum adversus Aristotelem, idem esse bonum virum, & bonum Regem.

Pergit retegere, & festiviter refellere nugas Lutheri, circa Leonem Decimum.

CAP. III.

RURSUS ad id redit, quo sua se stultitia dolet urgeri.

Itaq, nihil, inquit, contra me facit hoc, quod Leonis Decimi personam laudavi, & indulgentias damnavi. Duplex est hic judicium, Hominem non licet judicare, etiam si pessimus sit, coram DEO, donec foris sine crimine vivit. Hoc enim judicium ad eum pertinet, qui scrutator est cordis & renum. Aliud est de indulgentiis judicare, quod ad doctrinam pertinet, in qua ut errare possunt, tam boni quam mali, sive sint vere aut ficte boni, imo & electi, ita pertinaces in errore non sunt, nisi manifeste impii. Hoc judicium ad omnes & singulos pertinet, ut vocem pastoris, & alienorum discernamus. De Leone autem ipso, adhuc hodie incertus sum, quid senserit apud sese, & an sit pertinax in errore. Sed quid ista spiritualia, & pretiosa ante porcos projicio? Quid capiat harum rerum, qui hunc syllogismum non capit, longe insulsissimum esse? Leo bonus est vir: ergo indulgentiæ sunt veræ.

Verba Lutheri.

Quid ais Lector? non se pulchre expedivit Reverendus Pater, hac bella distinctione, qua videlicet effecit, ut recte laudarit Leonem, etiamsi vocet impostorem? Nam ut se excuset à repugnantia sic excusat Pontificem, ut quanquam Pontifex non solum concesserit indulgentias, sed etiam excommunicarit illum, qui reprehendit indulgentias, tamen dubitat, quid ille Pontifex apud se senserit de indulgentiis. De quibus si senserit idem, quod Lutherus, hoc est, si contra sensit, quam scripsit, fuit bonus vir. Et hæc est acuta responsio Reverendi Patris de indulgentiis: Ego certus sum quod sunt meræ Pontificis Romani imposturæ: sed quia de occultis non debeo judicare, & occultum est mihi, an Leo Decimus fuit pertinax, in contraria opinione, an & ipse quoque crediderit, eas esse meras imposturas, & eas credens nihil omnino valere, tamen velut multum valituras concesserit: & me, quod contra pertinaciter senserim, excommunicaverit, atque ita verus impostor fuit, ideo absque repugnantia & indulgentias, ut imposturas ejus reprehendi, & ipsum tamen imposturarum factorem, ut bonum virum laudavi, quia idem est bonus vir, & bonus Princeps. Et hoc est Lector ingenii Lutherani præclarum specimen: quod rationibus Regis omnibus omissis, frustum unum decerpserit sibi, & pro suo depravavit commodo, quo facilius posset vincere. Et tamen quum id depravasset maxime, tam stolidus est, ut non posset solvere.

Refellit deliramenta Lutheri: quibus respondit de Papatu.

CAP. IV.

Verba Lutheri.

VEniamus nunc, inquit, ad alium de Papatu: quem ego potentibus scripturis convulsi. Defensor autem ejus ad scripturas magis mutus quam piscis, regia fiducia præsumit, Lutherum ad solum ejus nutum scripturas deserturum, & suis mendaciis accessurum. Probat autem Papatum hoc modo; Oportet sic esse, quia audivi etiam Indiam sese Romano Pontifici subdere. Item Græciam. Item S. Hieronymus agnoscit Rom. Ecclesiam pro matre. Quid hic Lutherus dicere audebit adversus tam egregia & tam Thomistica?

Ecce Lector ubique similem sui Lutherum, hoc est, nebulonem improbe impudenterque mendacem. Nam quum adhuc extent libri, ex quibus ejus vanitas arguitur: tamen, tanquam homines prorsus essent cæci; audet scurra vanissimus ea dicere: quæ nemo nescit eum improbe stulteque mentiri. Quod quo tibi faciam clarius, ipsa Regis verba, quatenus ad hanc rem faciunt, adjungam.

Verba Regis.

Quam hoc sit probabile, considera Lector.

QUIS non hic quoque, nisi qui malitiam norit, miretur inconstantiam? Nam prius negaverat, Papatum esse divini juris, sed humani juris esse concesserat. Nunc vero secum diffidens, neutrius juris esse confirmat, sed Pontificem sibi mera vi sumpsisse, atque usurpasse tyrannidem. Sentiebat ergo pridem, humano saltem consensu, propter bonum publicum, Romano Pontifici, super Ecclesiam Catholicam, delatam esse potestatem. Idque usqueadeo sentiebat, ut Boemorum quoque schisma detestaretur, pronuncians eos peccare damnabiliter, quicunque Papæ non obtemperarent. Hæc cum haud ita pridem scripserit, nunc in idem, quod tunc detestabatur, incidit. Quin istud quoque similis est constantiæ, quod quum in concione quadam ad populum, excommunicationem doceat esse medicinam, & obedienter patienterque ferendam, paulo post excommunicatus ipse, idque meritissimo jure, sententiam tamen tam impotenter tulit, ut rabie quadam furibundus, in contumelias, convicia, blasphemias, supra quam ullæ possent aures ferre, proruperit: sic, ut suo furore plane perspicuum fecerit, eos, qui pelluntur è gremio matris Ecclesiæ, statim furiis corripi, atque agitari dæmonibus. Sed istud rogo, qui illa tam nuper vidit, unde nunc subito videt, nihil se tunc vidisse? Quos novos oculos induit? An acutiore cernit obtutu, postquam ad superbiam solitam, ira quoque supervenit, & odium, & longius videlicet prospicit, usus tam præclaris conspiciliis? NON tam injurius ero Pontifici, ut anxie ac sollicite de ejus jure disceptem, tanquam res haberetur pro dubia: satis est ad præsens negotium, quando inimicus ejus ita furore provehitur, ut sibi fidem deroget ipse ac dilucide se ostendat præ malitia, neque constare secum, neque videre quid dicat. Nam negare non potest, quin omnis Ecclesia fidelium, sacrosanctam sedem Romanam velut matrem Primatemque cognoscat, ac veneretur, quæcunque saltem neque locorum distantia, neque periculis interjacentibus prohibetur accessu. Quanquam si vera dicunt, qui ex India quoque veniunt huc: Indi etiam ipsi tot terrarum, tot marium, tot solitudinum plagis disjuncti, Romano tamen se Pontifici submittunt. Ergo si tantam ac tam late fusam potestatem, neque Dei jussu Pontifex, neque hominum voluntate consecutus est: sed sua sibi vi vendicavit: dicat velim Lutherus, quando in tantæ ditionis irruperit possessionem. Non potest obscurum esse initium tam immensæ potentiæ, præsertim si intra memoriam hominum nata sit. Quod si rem dixerit unam fortassis, aut duas ætates superare, in memoriam rem nobis redigat ex historiis. Alioqui, si tam vetusta sit, ut rei etiam tantæ obliterata sit origo, legibus omnibus cautum esse novit, ut cujus jus omnem hominum memoriam ita supergreditur, ut sciri non possit, cujusmodi habuerit initium, censeatur habuisse legitimum: veritum esse constat, omnium consensu gentium, ne, quæ diu manserunt immota, moveantur. Certe si quis rerum gestarum monumenta revolvat, inveniet jam olim, protinus post pacatum orbem, plerasque omnes Christiani orbis Ecclesias obtemperasse Romanæ. Quin Græciam ipsam, quanquam ad ipsos commigrasset imperium, reperiemus tamen, quod ad Ecclesiæ Primatum pertinebat præterquam dum schismate laborabat, Ecclesiæ Romanæ cessisse. Beatus vero Hieronymus, quantum Romanæ sedi censeat deferendum, vel inde luculenter ostendit, quod quum Romanus ipse non esset, tamen aperte fatetur, sibi satis esse, si suam fidem, quibusvis improbantibus aliis, comprobaret Papa Romanus.

Hiccine bonus vir sit, qui sic agat?

Age tu Formio.

Audin hæc Luthere.

Cui cum tam impudenter Lutherus pronunciet, idque contra suam pridem sententiam, nihil omnino juris in Ecclesiam Catholicam, ne humano quidem jure competere, sed Papam mera vi, meram occupasse tyrannidem: vehementer admiror, quod tam faciles, aut tam stupidos speret esse Lectores, ut Sacerdotem credant inermem, solum, nullo septum satellitio (qualem necesse est eum fuisse, priusquam eo potiretur, quod eum Lutherus ait invasisse) vel in spem venire unquam potuisse, ut nullo jure fultus, nullo fretus titulo, in tot ubique pares Episcopos, apud tam diversas, tam procul disjectas gentes, tantum obtineret imperium: nedum ut credat populos omnes quisquam, urbes, regna, provincias, suarum rerum, libertatis, juris, fuisse tam prodigos, ut externo Sacerdoti, cui nil deberent, tantum in sese potestatis darent, quantum ipse vix esset ausus optare. Sed quid refert, quid in hac re Lutherus sentiat, qui præ ira atque invidia non sentit ipse, quid sentiat.

Vides hic Regem Lector, non id agere, quod mentitur iste, ut tanquam res esset dubia, probet Papatum. Imo ex professo, abstinere ab ea quæstione, ne videatur habere potestatem Pontificis pro controversa. Tantummodo reprehendit

hendit insanam levitatem nebulonis, qui quod paulo ante sic asseverat esse legitimum, ut damnabiliter eos peccare fateretur, quicunque contradicerent: paulo post contradixit ipse, atque sua ipsius sententia in eandem damnationem incidit, affirmans Papatum, nullo jure quicquam habere ponderis, neque aliud esse quicquam, nisi meram tyrannidem, quam Pontifex invadens per vim atque injuriam occuparit. Quod quàm verisimile sit, pulcherrime tetigit Princeps. Quæsivit enim, quando, quibus invaserit viribus, quam verisimile sit, tot nationes adduci potuisse, ut tantum in se juris externo Sacerdoti, nullo jure coacti concederent. Nam planum esse omnes gentes populi Christiani, qui locorum distantia non prohibentur, neque vi distinentur, agnoscere Papam Romanum, pro generali Vicario Christi. Ad hæc omnia nihil respondet Lutherus. Quid enim posset in tam aperta re: sed quod Rex adjecit ex abundanti de Græcia & India, id vero vir disertus arripit avidè in quod caninam facundiam suam exerceat.

Et merito quidem.

Non enim potuit.

Verba Lutheri

Respondeo, inquit, si ideo stabit Papatus, quia Rex Angliæ audivit, Indiam & Græciam sese subdidisse, eadem ratione non stabit, quia Lutherus certus est, neque Indiam, neq; Græciam, sub Romano Pontifice unquam fuisse aut esse voluisse.

Et hic mentiris.

Eadem nimirum.

Primum si quis ab hoc Reverendo Patre quæreret, quomodo certus sit, neque Indiam, neque Græciam, sub Romano Pontifice unquam fuisse, aut esse voluisse, respondebit, sat scio nobis, eadem certitudine se certum esse, qua certus est, ut scribit, dogmata sua se habere de cœlo. Ergo, si ideo certus est Reverendus Pater se verum dicere, quia certus est, dogmata sua se habere de cœlo. Ego ideo certus sum, Reverendum Patrem falso mentiri, quia certus sum dogmata illum sua habere de tartaro. Et hæc est forma formalia consequentiæ, secundum regulam patris Lutheri, fratris extra regulam B. Augustini. Quam regulam Augustini, & D. Benedicti, & item Dominici, ac Francisci, receperunt & Indi & Græci, approbatam videlicet, authoritate sedis Rom. Per quod, & alia multa ex annalibus, & synodis, & Græcorum Patrum commentariis, & epistolis evidenter constare posset, utriusque gentis Ecclesiam, agnovisse sedis Romanæ præcellentiam. Si aut hoc probandum sibi sumpsisset Rex, aut nobis aliud esset propositum, quam ut ostendamus, quam stolide Lutherus respondeat Regi. Quod si ideo negat Papatum Lutherus, quia id quod etiam Rex fatetur, longius absunt Indi, quam ut possint, ob quodvis negotiolum Romam currere, negabit humano generi dominium tributum, in cætera animalia quando in illis desertis degunt multa, quæ hominibus sunt inaccessa.

Hoc verisimilius.

Quod si Græci perpetuo repugnassent Ecclesiæ Romanę, tamen ne sic quidem quicquam sustulisset argumentum Regis, cujus robur consistit consensu Ecclesiæ Catholicæ, quæ plane fuisset in reliquis nationibus, etiamsi perpetuo fecisset Græcia, quod nunc faciunt quædam rura Boemica. Nisi neget Lutherus Carolum esse Regem, totius Hispaniæ, propterea quod aliquot oppida rebellarunt. Jam ex India, & Græcia, tandem pervenit ad Hieronymum.

Verba Lutheri.

Deinde, inquit, gloriosus Dominus Rex, pro suo more, satis fortiter mentitur, dum Hieronymum facit assertorem Papatus, cum vir ille Ecclesiam Romanam, suam duntaxat, non nobis matrem appellasset.

Ubi est acumen tuum domine Frater.

QUÆSO Lector judica, quam syncere Pater potator hunc locum Hieronymi tractet: cum ille dicat, satis esse sibi, si suam fidem comprobaret Papa Romanus: nimirum aperte significans, non dubitandum esse illum recte sentire de fide, qui cum illa sede consentiat: quo quid potuisset dicere magnificentius? istud adeo dissimulat Pater potator Lutherus, ut etiam tenebras Lectori conetur offundere, & animos hominum verbis alio, ne quid recordentur abducere. Sed istud est impudentissimum: quod quum Papatum, nec humano saltem consensu robur accepisse contendat, sed meram vim esse Pontificis, occupantis tyrannidem, insectatur Principem scommatis: quod amentiam ejus taxans ac intemperantiam, ad potentes (ut ait) Scripturas, quibus ipse videlicet rem probaverit, magis mutus quam piscis fuerit. Quis non hunc impudentem nebulonem rideat? quando nemo nesciat, tantum abesse, ut aut scripturis, aut ratione probarit istud, ut ne conatus id quidem unquam sit, sed jactarit duntaxat furiosus per convitium, atque nec id quidem ante fecerit, quam excommunicatus è cœtu fidelium, correptus à cœtu Dæmonum, ira atque invidia frendens, nec amplius sui potens, sibi fidem sustulit.

De Communicatione Laicorum, sub utraque specie, profert ea, quæ scripsit Rex: & eadem comparat in genere, cum his quæ scribit Lutherus.

CAP. V.

POstquam dimidium libelli sui, aliis consumpsit nugis, incipit homo nugacissimus nugari tandem, in ipsis Sacramentis: & post deliramentorum & insanæ scurrilitatis abyssum, producit aciem argutiarum, si quis ipsi credat, invictam.

Verba Lutheri.

Age, inquit, revelemus sceleratam hanc & Regiam nequitiam in prima tyrannide, scilicet una parte Sacramenti. Ego, alteram partem esse impie Christiano populo ablatam, septem argumentis probavi: quæ & tum me vincebant: nunc autem & triumphant: postquam assertor Papistarum gloriosissimus, regia fortitudine illa transit intacta.

Audin Lector, thrasonis hujus magnifica verba, & celebres ab se sibi decretos, atque adornatos triumphos? ut argumenta sua septem, velut reformidantem, Regem reliquisse jactat intacta? Nos ergo Lector, argumenta ista Lutheri strenua statim producemus tibi, eademq; misere

misere (ut videbis) affecta. Sed interim: quia videri vult, non ausum ea Regem tangere nos tibi primum è Regis libro, quædam recensebimus, quibus abs te perpensis, fiet perspicuum, quum Lutheri septem illos Duces sigillatim videbis, à me produci mortuos, eos olim omnes, invictum Principem uno semel ictu, mactasse. Princeps igitur hac de re scribit, hunc in modum.

Verba Regis. Interim vero, libet excutere, quam fraudulenter per speciem favoris in Laicos, conetur eorum odium concitare in Sacerdotes. Nam quum decrevisset, Ecclesiæ fidem suspectam reddere, ne quid ponderis ejus haberet authoritas, atque ita facta via, præcipua quæque Christianæ Religionis evertere, ab ea re sumpsit initium, cui populum sperabat alacriter applausurum. Tetigit enim vetus ulcus, quo pridem ulcerata est Boemia: quod Laici sub utraque specie non recipiant Eucharistiam. Eam rem quum prius ita tractasset, ut duntaxat diceret, recte facturum Pontificem, si curaret, communi consilio statuendum, ut sub utraque specie Laici communicarent: Post, ubi nescio quis, illud ei negavit, non contentus in eo manere, quod dixerat: sic profecit in pejus, ut totum clerum condemnet impietatis, quod istud non faciant, non expectato concilio. Ego de primo non disputo. Cæterum, etiamsi causas non viderem, cur non decernat Ecclesia, ut utraque species ministretur Laicis, tamen dubitare non possem, quin sint idoneæ, quæ & olim fecerunt, ut id omitteretur, & nunc quoque faciant, ne redintegretur. Nec plane assentior, totum Clerum, per tot secula fuisse tam stolidum, ut se obstrinxerit ęterno supplicio, propter eam rem, unde nihil reportaret commodi temporalis: imo vero, quam nihil sit talis periculi, vel hoc evidenter ostendit quod eos, qui non tantum istud fecerunt, verum etiam qui scripserunt esse faciendum, Deus non modo suscepit in cœlum, verum etiam voluit esse venerandus in terris, & ab hominibus honorari, à quibus honoratur ipse. Inter quos fuit (ut de aliis interim taceam) vir eruditissimus, & idem sanctissimus, divus Thomas Aquinas: quem ideo libentius commemoro, quoniam ejus viri sanctitatem, Lutheri ferre non potest impietas, sed, quem omnes Christiani venerantur, pollutis labiis ubique blasphemat. Quanquam sunt permulti, qui etiamsi pro Sanctis recepti non sunt, tamen sive doctrina, sive pietate spectentur, tales sunt, ut Lutherus eis comparari non possit, qui hac in re contrarium Luthero sentiunt. Inter quos sunt Magister Sententiarum, & Nicolaus de Lira, & complures alii, quorum cuilibet magis expedit Christianos omnes, quàm Luthero credere. At vide quæso, quàm vacillat, ac sibi repugnat Lutherus: uno loco dicit: Christum in Cœna omnibus omnino fidelibus, non permittendo, sed præcipiendo dixisse: Bibite ex eo omnes. Postea vero, timens ne Laicos, quibus in Sacerdotum odium adulatur, offenderet, hæc verba subjungit;

Non quod peccent in Christum, qui una specie utuntur, quum Christus non præceperit ulla uti, sed arbitrio cujuslibet reliquerit dicens: Quotiescunque hæc feceritis, in mei memoriam facietis: Sed quod illi peccant, qui hoc arbitrio volentibus uti, prohibent utramque dari. Culpa non est in Laicis, sed in Sacerdotibus. Videtis aperte, quod primo dixit esse præceptum: hic dicit non esse præceptum: sed cujuslibet arbitrio relictum. Quid opus est ergo, non illi contradicere, qui sibi toties contradicit ipse? Et tamen quum dixit omnia, Laicos non satis defendit, si quis rem urgeret: & in Sacerdotibus, quos tam atrociter accusat, nihil probat esse peccati. Nam in eo dicit totum esse peccatum, quod Sacerdotes alterius speciei Laicis invitis adimerent libertatem. Hic igitur, si quis eum percontetur, qui sciat, istum ritum inolevisse, retinente populo, non potest (opinor) docere. Cur ergo totum condemnat Clerum, quod Laicis invitis, ademerit suum jus, quum id invitis esse factum, nullo possit documento probare? Quanto fuit æquius, si, nisi volentibus illis, recte nequivit institui pronunciare, pro tot sæculorum consuetudine, plebis intervenisse consensum. Ego certe, qui video, quas res à plebe Clerus obtinere non potest: ne tantum quidem, quin ferme, sub ipso altari suorum condant cadavera, non facile credo, populum fuisse passurum, ut inviti per contumeliam, in tanta re, ab ulla juris sui parte pellerentur, sed causis aliquot idoneis, è Laicorum voluntate constitutum. At istud miror, tam vehementer indignari Lutherum, Laicis ademptâ alteram, quum illum nihil permoveat, quod utraque species adimatur infantibus: nam illos olim communicasse, nec ipse negare potest. Qui mos si recte fuit omissus, quanquam Christus dicat: Bibite ex hoc omnes: Nec quisquam dubitat, quin causæ fuerunt magnæ, etiamsi nunc earum nemo meminisset, cur non etiam cogitemus bonis justisque rationibus, quantumvis nunc ignoratis, abolitam esse consuetudinem, qua Laici olim, nec id fortasse diu, sub utraque specie solebant recipere Sacramentum? Præterea si eam rem, ad exactam Evangelicæ narrationis formam revocet: neque quicquam prorsus permittit Ecclesiæ, cur Eucharistiam non jubet semper in Cœna recipi, imo vero post Cœnam? Denique non minus incommodi fuerit, in hoc Sacramento facere? si quid fecisse non debeas, quam si quid non facias, quod fecisse debueras. Ergo si totius Ecclesiæ consuetudo rectum non facit, ut in Laicis omittatur species vini, qua ratione aquam in vinum audet Lutherus infundere? Neque enim tam audacem puto, ut sine aqua consecret, quam tamen ut admisceret, neque exemplum habet ex cœna Dominica, neque ex Apostoli traditione compertum: sed sola Ecclesiæ consuetudine didicit; cui si putat hac in parte parendum, cur eam in altera tam arroganter oppugnat?

Infantes olim communicasse.

Qua de re, quicquid Lutherus obgannit, ego certe tutius opinor credere, Laicos recte sub altera

altera tantum specie communicatos, quam per tot secula totum Clerum (quod iste disputat) hac una de causa fuisse damnatum. Nam omnes appellat impios, & tales, ut in crimen inciderint læsæ majestatis Evangelicæ. Quod si utri sint (inquit) hæretici & schismatici nominandi non Boemi, non Græci, quia Evangeliis nituntur: sed vos Romani estis hæretici, & impii schismatici, qui solo figmento præsumitis contra evidentes Dei scripturas. Si Lutherus nihil admittit aliud, quam evidentes Dei scripturas: cur non jubet Eucharistiam (uti dixi) sumi à cœnantibus? Nam sic factum à Christo, Scriptura commemorat. Quanto melius crederet Lutherus, non humano figmento, sed eodem authore Deo, factum in Ecclesia, ne Laici sub utraque specie reciperent Eucharistiam, quo authore factum est, ut reciperetur à jejunis? Placuit, ut ait beatus Augustinus, Spiritui sancto, ut corpus Domini, quod post alios cibos ab Apostolis in cœna receptum est, ante alios cibos, à jejunis reciperetur in Ecclesia. Videtur ergo verisimile, quod Spiritus sanctus, qui Christi regit Ecclesiam, sicut Eucharistiæ Sacramentum mutavit à cœnantibus ad jejunos, ita Laicos, ab utraq; specie deduxit in alteram. Nam qui alterum mutare potuit, cur non alterare potuerit & alterum?

VIDES chariſſime Lector, hac in parte, quam modeste se gerat Princeps, adversus nebulonis istius immodestiam. Nam & modice reprehendit ejus malitiam, & in una atque eadem re, duplicem inconstantiam, semper se in deteriora mutantem. Arguit ejus impietatem, qui totam tot seculorum damnet Ecclesiam, & id dicat factum malitia Sacerdotum, quod factum est bonitate Spiritus sancti. Nam si stetisset in eo Lutherus, ut diceret Ecclesiam benefacturam sit comuni consilio, Laicis utramque speciem permitteret, Rex ea de re disputaturum negat. Quanquam ego non dubito, quin istud, quod per tot ætates jam factum est, Dei consilio factum sit: id quod luculenter ostendit Rex: & nisi Deo rursum idem placeat immutari, non passurum alioqui Ecclesiam, istud humano demutare consilio, nec in Sacramentis alio gubernari spiritu, quam sancto Spiritu suo. Sed Rex modeste se negat hac de re dissertu-rum. At quod jam discordiam Lutherus commovet, & hortatur, ut sua quisque authoritate audeat tot ætatum totius Ecclesiæ consensum contemnere & Christianos omnes, per tot secula defunctos, mittit ad inferos, quasi non Spiritus Dei sanctus gubernaret Ecclesiam, sed spiritus ille Diaboli, qui per os Lutheri spurcissimum, sanctam blasphemat Ecclesiam, & Ecclesiæ sponsum Christum: id vero ferre pius Princeps non potuit: & tamen absque conviciis, & contumeliis disputat, adversum hominem convitiantiſſimum, & omnibus conviciis & contumeliis digniſſimum, atque ostendit, neque causam esse, cur Sacerdotes tollere voluerint Laicis alteram Sacramenti speciem, & animas suas perdere, propter id, unde nihil prorsus essent lucraturi, neque Laicos id unquam fuisse passuros, ut alteram speciem iniquè præriperent Sacerdotes: quibus interdum æqua & justa petentibus, unde nec ipsi lucrifacerent Clerici, neque perderent quicquam Laici: populus tamen, velut pro titulo sui juris obsistit. Ostendit multa Princeps, quæ circa hoc Sacramentum, jam multis seculis Ecclesia tota fidelium, ab exemplo Christi Sacramentum instituentis, evariat, quorum nullum Lutherus ante reprehenderat. Quædam, ne nunc quidem, quæ tamen aut male fieri necesse sit, & damnabiliter: aut fieri, quod plane verum est, authore Deo. Ostendit igitur Princeps, ejus generis omnia consilio Spiritus sancti, Ecclesiam gubernantis esse mutata. Adversus hoc tam pium, tam verum, ac modestum Regis responsum, improbus atque impius nebulo, conviciis & stultitiis insanit.

Rem dignam fustuario.

Ego, inquit, alteram partem Sacramenti esse impie Christiano populo ablatam, septem argumentis probavi. Verba Lutheri.

REX sufficienter ostendit non ablatam per Sacerdotes. Ergo si per homines factum est, per ipsos factum est Laicos. Atque ita Lutherus, hanc impietatem à Sacerdotibus, in quos cupit trudere, depellit homo sapiens, in ipsos, quibus adulari studet, Laicos. Et depellit inexcusabiliter, suo ipsius dogmate. Nam si verum est, quod omnes Laici sunt ita Sacerdotes, ut habeant æqualem potestatem, super quodcunque Sacramentum: Postquam ad hoc duntaxat electi sunt, & elegi poterunt per alios Laicos (ut ait) Lutherus in Sacramento Ordinis, adeo non defendit Laicos, stolidiſſimus iste Patronus, ut etiam vehementer involvat damnatione, quod suæ salutis incuria, neglexerint eligere sibi Sacerdotes, qui sibi ministrarent utramque speciem. Nisi Laicos dicat, hactenus ignorasse mysterium. Nunc verò, missum de cœlo se, qui tam sacrum dogma revelaret hominibus, ut Deus, qui solet abscondere à sapientibus, & revelare parvulis, jam contra credatur, à parvulis abscondisse, quod revelaret superbiſſimo nebuloni.

An ideo dicet, per Sacerdotes ademptam Laicis, quia de ea re cautum est in conciliis? At si perpendas Lector, ea ipsa concilia, facilè videbis hanc rem, non ex illis natam esse conciliis, sed adversus eos esse statutum, qui, quod iste nunc facit, auderent mutare, quod jam tam diu ante, per omnem populum Catholicum fuerat observatum: nimirum Spiritus sancti, per totam Ecclesiam sese diffundente consilio. Quomodo enim in idem totus Christianus populus, per tam diversas gentes in ea re consensisset, quum verba Evangelii videantur in alteram potius partem vergere, nisi illo id agente, qui facit unanimes in domo: qui ducit Ecclesiam suam in omnem veritatem: qui cum ea semper est, usq; ad consummationem seculi. Qui scripturarum, ut Author est digniſſimus, sic est interpres veriſſimus. Quamobrem quum id, quod Lutherus ablatum quæritur, hoc est nihil rei: nam

& sanguis Christi est in corpore Christi: sed altera species, non id per Sacerdotes ablatum sit, non omnino per homines, sed per Spiritum Dei: Qui quod Rex, ut priore libro supra declaratum est, apertissime docuit, suo flatu in rebus fidei regit & gubernat Ecclesiam, Lutherus dum dicit, istud impie ablatum esse, non convitiator est in Regem, se blasphemator in Deum, per quem factum est, quod impie factum, homo ter impius asserit. Neque jam contra Regem pugnat iste bellus bellator, cum suis septem argumentis, sed velut Draco ille cum septem capitibus, insurgit adversus Deum: & quod Satan ausus est olim in deserto, scripturis pugnat adversus scripturarum Dominum.

Speciatim recitat ac refellit septem argumenta Lutheri.

CAP. VI.

AGE ergo producamus istos nunc Lutheri septem Duces claros, septem (puto) victores olympiacos, imo gladiatorum septem putrida, & fœtoribus abominanda cadavera.

Primum, inquit, argumentum meum erat authoritas Evangelistarum narrantium constanti & uno sermone, Christum instituisse utramq; speciem, his qui memoriam sui erant facturi, & signanter ad calicem adjecit: Bibite ex eo omnes. Ad hoc nihil dicit Rex defensor Ecclesiæ.

Verba Lutheri. Primus Achilles.

EN simium in purpura, Thersitem in Achillis panoplia. Non est argumentum tuum authoritas Evangelistarum Luthere: neque enim Evangelista quisquam, aut hæresis author est, aut schismatis, sed sensus adulterinus, quem tu ex Evangelio confingis, & quicquid ipse pestilenter assuis Evangelistarum verbis, illud est argumentum tuum. Nam ex eo, quod illi narrant Christum consecrasse sub utraque specie in Cœna, tu interpretamento capitis tui concludis, ministrandum esse Laicis, quum id neque exemplum Christi probet, nec ullum verbum Christi, vel Evangelistæ cogat. Nam licet tibi non libeat illud intelligere, nemo tamen est, qui nesciat, in Cœna Christum instituisse formam sacrificii, quod solum & unicum, loco sacrificiorum omnium legis Mosaicæ, Sacerdos Evangelicæ legis offerret, in memoriam passionis suæ. Atque idem sacrificium (quemadmodum vere scripsit Rex) quod offerendo consummavit in cruce, consecrando inchoavit in Cœna. Instituit item convivium, quo in memoriam ejus imposterum epularetur populus, ut de eodem Sacramento comederet, ac pane propositionis vesceretur, utique si mundus esset. Hoc institutum, Christus (quatenus ad sacrificii formam pertinet) perpetuo servari fecit in Sacerdotibus, ut simul & panis & vini speciem offerret, ut figuræ respondeat res, quæ olim adumbrata est in oblatione Melchisedech, qui panem & vinum obtulit Abrahæ. Populi verò convivium, alias apparavit aliter, non Sacerdos, non populus, sed convivator ipse Christus. Nam alias populum pavit, non corpore solum & sanguine, verum etiam sub utraque specie panis & vini. Alias vini speciem sustulit, rem tamen ipsam, suum videlicet sanguinem, eis reliquis in carne. Nec utrobique eadem ratio est.

Lutherum non rectè accipere verba Evangelistę.

Nam duæ illæ species, non unum tantum conficiunt Sacramentum, sed duo. Verum illa Sacramenta duo, non duo faciunt integra sacrificia, sed unum. Integrum est ergo Sacramentum sub alterutra specie, sed utramque requirit integritas sacrificii. Sed unde probas, inquit, alteram speciem, Laicis ab ipso sublatam Christo, quam ego prius contendi, sublatam populo, malitia Sacerdotum? Imo tibi Luthere, prius probandum fuit, quod ipse per malitiam finxisti, per vim, & tyrannidem sustulisse vini speciem Sacerdotes. Quod mendacium tuum impudens, & vipereum retexit, ac revicit Princeps. Sed id tu tuo more dissimulas. Verum probavit id Rex, à solo factum Deo, cujus unius spiritu, in Sacramentis & Articulis fidei gubernari probavit, Ecclesiam Catholicam, per quam universam, observatur id, quod reprehendis. Et probavit illud Princeps, non ratione solum, & sanctorum Patrum omnium sententiis, sed apertissimis etiam Scripturis. Denique (quod tibi turpissimum est) probavit ex verbis tuis, ad quæ omnia, ne verbum quidem respondisti tu: sed omnino surdus ab ea, quæ respondentur tibi, pulchre te litigare censes, si coccicis in morem perpetuo recinas, quod cœpisti semel occinere.

De Sacramento & Sacrificio notandū.

Nihil turpe homini per se impuro.

NAM quod videri vis, ex illo mire causam fulciri tuam, quod Christus ad calicem signanter (ut ais) adjecerit; Bibite ex eo omnes: quasi neminem prorsus excipi voluerit à bibendo sanguine, sub specie vini: quid habes ex Evangelio, quo possis ad alios illa verba trahere, quàm ad tum præsentes Apostolos, præsertim quum alius Evangelista commemoret idem, ac velut interpretetur aliis verbis, nempe his; Accipite & dividite inter vos? Quos, quæso, dixit, quum dixit inter vos? aliosne, quàm inter præsentes Apostolos? An non satis apertè declarat, quos omnes jubeat bibere, quum illud, quod bibi jussit, ostendat, inter quos jubeat dividi? An adhuc Luthere postulas, ut doceare clarius, quod omnes dixerit, quum dixit: Bibite ex eo omnes? Ecce, potes istud ex illo saltem discere, quod Evangelista subjungit; Et biberunt ex eo omnes. Dubitas adhuc bone vir, quibus omnibus dixerit, quum id quod omnes facere jussit, ab omnibus vides esse completum? Quin istud Luthere libenter abs te quærerem: Quid tibi vis, in eo quod ais, Christum signanter adjecisse ad calicem: Bibite ex eo omnes; Non opinor id sentire te, quod plures voluerit Christus recipere speciem vini, quàm panis. Quantumvis ergo signanter, omnes adjecit ad calicem, noluit tamen ad plures pertinere, quam illud, quod ante dixit de corpore: Accipite & comedite: ut utrumque dictum perinde valeat, ac si aut ibi dixisset: Bibite ex eo, nec adjecisset omnes, aut hic dixisset;

Accipite, & comedite omnes. At nec istud puto negaturum te, non aliis illud dixisse Christum: Accipite & comedite: aut, Bibite ex eo omnes: quàm dixit istud: Hoc facite in meam commemorationem. Ergo si illud; Accipite & comedite. Et illud item; Bibite ex hoc omnes, non dixit Apostolis, sed Christianis præsentibus & futuris, citra ullam prorsus exceptionem universis, sequetur nimirum, quod universis dixit & illud: Hoc facite in meam commemorationem. Recordare jam, quod ipse sic interpretaris hæc verba Christi: Hoc facite, id est, hoc totum facite, quod ego nunc facio, hoc est, consecrate corpus & sanguinem meum, & comedite, & bibite. Vides ergo bone vir, eo rem deduxisse te, ut necesse habeas aut illud, omnes bibite, restringere, ad præsentes duntaxat Apostolos, aut illud: Hoc facite, dilatare prorsus ad universos. E quorum altero, sequetur interitus argumenti tui fortissimi: ex altero sequetur illud absurdissimum: quod nemo prorsus erit, neque Sacerdos, neque Laicus, neque Vir, neque puer, neque Mas, neque fœmina, quin illi demandatum sit, ut Christi corpus & sanguinem non recipiat solum, sed etiam consecret. Quam rem omnium absurdissimam, quanquam te tam absurdum video, ut pro absurda non habeas, tamen quando non dubito neminem fore tam insanum, ut hac in parte dignetur furori tuo subscribere, mihi satis erit, eo traxisse te, ut aut necesse habeas fateri, id quod ex argumento tuo sequitur, perquam absurdum esse, aut eam rem neges esse absurdam, quam nemo plane nescit esse furiosam. Et hoc est Lector argumentum primum, quod tanquam fortissimum, dominus Doctor collocavit in fronte: ad quod ait, Regem nihil dixisse, qui tamen uno responso, & illud, & reliqua sex, perfodit penitissime, quum probavit, quòd licet in Cœna Sacramentum istud primo sit institutum, & sacrificium inceptum, tamen oblatum est, & consummatum in cruce: nec tam certam Sacramenti formam, in illa Cœna præscriptam esse fidelibus, quin & illius sacrosancti Sacramenti, sicut & cæterorum omnium observatio legitima, perpetuo petenda sit ab Ecclesia: quam & post illam Cœnam docuit Christus, per Spiritum sanctum, & per eundem Spiritum, quando vult in Ecclesia sua quædam, prout ipsi placet, immutat, causasque mutandi, ut solus Deus mutat, ita solus Deus novit. Hoc duntaxat nemo non novit, quicquid circa Sacramenta, per totam mutatur Ecclesiam, mutari illud non alio mutante, quam DEO, qui ne in rebus ejusmodi tota possit errare, promisit suum spiritum, illam ducturum in omnem veritatem, & se cum illa futurum usque ad consummationem seculi.

Tolle jam exanimem Luthere tuum Achillem.

Hic os comprime Luthere.

Secundus Achilles Lutheri.

Secundum erat hoc: Si solis Presbyteris dedisset Christus in Cœna Sacramentum, non licere ullam partem dare Laicis, quia non licet institutum & exemplum Christi mutare. Hic tacet gloriosus Defensor Rex Angliæ.

IMO hic, non tacuit Rex, sed ostendit tibi Luthere multa mutata, sed ea mutata per illum, qui potestatem habet mutandi omnia, nemper per ipsum Deum, sine cujus instinctu probavit, Ecclesiam nihil in Sacramentis mutasse. Nam argumentum istud tuum quam præclare procedit: Deus dedit Sacramentum solis Sacerdotibus, ergo non licet dare Laicis: Eadem ratione dicas licet: Christus dedit tantum viris: ergo non licet dare mulieribus. Quam si dicas, nihil in Christo differre mares à fœminis & contra Paulum; Permittas mulierem concionari, dicemus tibi, nec Laicum per te differre à Sacerdote, ut adhuc contra te procedat similitudo: ut si dari possit mulieribus, quod Christus legitur, solis dedisse viris: possit & dari Laicis, quod Christus legitur, solis dedisse Sacerdotibus. Præterea, quæro abs te Luthere: an quisquam in Cœna Sacramentum receperit, præter solos Apostolos? Si dicas alios: quæro, qua Scriptura probes id? Nam tu nihil admitti vis, absque manifesta Scriptura. Sin concedas, solos Apostolos: id quod concedere tibi necesse est, tunc quæro utrum, quando recipiebant Sacramentum, Laicos fuisse illos dicas, an Sacerdotes? nam nec erat alius aliud, nec quisquam utrumque simul. Elige ergo utrum libet: si vis, fuisse Laicos: jam ex ista præclara argumentandi forma quam affers tu, liceret dicere: Dedit tantum Laicis, ergo non licet dare Sacerdotibus, quia non licet institutum & exemplum Christi mutare. Sin fateare fuisse Sacerdotes: jam ex argumento tuo, Laicis, quibus utramque speciem deberi disputas, utramque sustulisti, nisi falsa sit tua collectio, quod non licet dare Laicis, quod Christus in Cœna dedit tantum Sacerdotibus.

Sed est omnino falsa ista, & furiosa collectio nisi valeat hæc quoque, Christus hoc modo fecit in Cœna, ergo instituit, ut idem eodem modo perpetuo fieret in Ecclesia. Et item hæc: Christus ita fecit in Cœna, ergo non licet Ecclesiæ, ipso jubente Christo, quicquam mutare. Christus dedit cœnantibus, ergo non licet Ecclesiæ, jubente Christo, dare jejunantibus, Christus in Cœna legitur, in calice consecrasse solum vinum, ergo non licet Christo jubere, ut in Ecclesia sua Sacerdos immisceat aquam. Et hoc est Lector secundum argumentum D. Doctoris: quod voluit videri tam validum.

Tertium est. Si potest una pars Laicis tolli hujus Sacramenti, poterit & Baptismi, & pœnitentiæ, eadem authoritate tolli, & quicquid Christus unquam statuit; potest partim tolli, & particulatim totum tolli. Si totum tolli non potest, nec ulla pars tolli potest. Ad hoc obmutescit gloriosus assertor Sacramentorum.

Tertius Achilles Lutheri.

REX ad istud respondit Luthere, alteram Sacramenti speciem ablatam esse Laicis, dispensatione Dei: & illud tibi probavit evidenter. Nec veretur asserere, Deum, qui unam speciem sustulit Laicis, auferre, si velit, utramque posse: Ecclesiam vero, nisi DEO sic volente, non posse: sed neque in id consentire posse: quod in

Sacramentis fieri Deo volente non liceat. Nam Deus Ecclesiæ suæ, talibus in rebus dirigit corda: & per Spiritum sanctum, ducit in omnem veritatem, ut eam reddat columnam, & firmamentum veritatis & fidei. At tibi contra, Rex ostendit pectus inspirare Diabolum, per quem ausus es & Baptismi Sacramento gratiam tollere, & fidem ejus, malorum operum securitate polluere. Pœnitentiæ vero duas partes tollere, tertiam stultissimis dogmatibus inficere. Eucharistię Sacramentum, non aliis modo substantiis miscere, sed omnium ceremoniarum honore spoliare: & (quod omnium sceleratissimum est) in conscientiam conspurcatam, quibuslibet inquinamentis immergere. Denique matrimonii Sacramentum, & confirmationis, & ordinis, & unctionis extremæ, nec authoritate, nec ratione fretus, abnegare. Et non pudet te Ecclesiam totam conviciis, & sycophantiis incessere? quasi Laici tollat unius Sacramenti partem alteram, cum tu nebulo miserrimus & quatuor tollas integra, & reliqua tria fædissimis hęresibus contamines. Et quum hæc omnia tibi Rex Sacramentorum Defensor, & vera dignus gloria, responderit, tu ad hæc omnia Sacramentorum furiosus impugnator, obsurdescis.

Nihil nebuloni sanctum.

Quartus Achilles Lutheri.

Quartum est, inquit, quod Christus dicit, sanguinem suum fundi pro remissione peccatorum nostrorum, eis non posse negari signum remissionis, quod illis Christus dederit. Ad hoc, inquit, mutus est larvatus Thomista Anglorum.

PRINCEPS ad hoc Luthere non erat mutus, sed tu larvate potista, surdus, qui semper nihil audis, quod non libenter audis. Alioqui recordare nebulo, quod probavit Princeps vini speciem non per homines ablatam Laicis, sed per ipsum Christum: & jam propone rursus istud argumentum tuum. Christus pro Laicis fudit sanguinem, in remissionem peccatorum: & hoc pacto concludas: Ergo Christus (quanquam sub specie panis, remissionis integrum signum relinquens in corpore) non potuit auferre Laicis speciem vini, quod est signum remissionis in sanguine. Nam sic necesse est inferas, sic quicquam velis inferre, quod tangat rem. Alioqui si concludas hoc pacto. Ergo homines non potuerunt auferre speciem vini, quod est signum remissionis: quid potest concludi stolidius adversus Principem, qui tam aperte probavit, non ablatam esse per homines, sed per DEUM? Ecce domine Doctor, quam belle vobis procedat istud argumentum quartum.

Quintus Achilles Lutheri.

Quintum est, inquit, si potuit vinum tollere, potuit & panem, ac per hoc totum institutum Christi penitus evacuare: si totum non potest, nec partem potest. Et invictus Rex, forte recordatus Proverbii; Silentio respondetur multis, & ipse mihi silendo omnia respondet.

TU potator invicte, neque meminisse potes, quid tibi responderit Rex, neque quid ipse in proximo pæne versu dixeris. Nam, quid est aliud stolidum istud argumentum, quintum, quam frustulum marcidum, ex furfuracea massa tertii argumenti decerptum? Nam quod hic colligis de uno Sacramento, ibi colligebas de omnibus: nec interim verbum facis ullum de eo, quod Princeps adversus te probavit, istud, quod tu impugnas, non ab homine factum esse, sed à Deo. Atqui Luthere, oportebat te, ad id respondere primum. Interea stolide facis, si dissimules illud: & dicas nobis: Homo non potest vini speciem tollere: sin fateris illud: & stolide facis, & impie, si dicas: Deus non potest mutare, quod potuit non instituere. En quali silentio tibi respondetur ad quintum.

QUID mirum si partem tertii ponas pro quinto, qui sextum omisisti totum, tam bellus Arithmeticus, ut ita numeres, primum, secundum, tertium, quartum, quintum, septimum? Sed ne quid tibi queraris interceptum, fugitiv⁹ ille servus in captivitate Babylonica repertus est, atque extractus huc, ut cadaver istud exangue, vel ex stigmate possis agnoscere.

Sextus Achilles Lutheri.

Obsecro, inquis, quæ necessitas, quæ Religio, quæ utilitas, Laicis negare utramq; speciem, id est signum visibile, quando omnes concedunt eis rem Sacramenti sine signo: si rem concedunt, quæ major est, cur signum, quod minus est, non concedunt?

OBSECRO te Luthere per stultitiam tuam, non sentis istud ipsum, quod tu torques in Clericos, Regem in te retorsisse? Nam quum tu nihil aliud clames, ob malitiam, quam alteram speciem impie sustulisse Sacerdotes, Rex declarans eam rem non esse imputandam Sacerdotibus, ostendit, non solum Laicos tantam injuriam non fuisse passuros, sed illud etiam, quod ipse quoque perquam prudenter fateris, nullam fuisse causam, cur Sacerdotes illud per injuriam facere voluerint. Quod enim commodum inde consequerentur ipsi? aut quæ fuisset invidia, quum nemini negent rem ipsam totam? nemini negent signum totius in corpore, signum etiam cuivis utrumque concedere? Aut quamobrem voluissent, eo concesso, quod est ultra modum omnem majus, id subtrahere, quod omnes sciant incomparabiliter esse minutius?

O prudentem virum, quam scite disputas adversus Regem. Ille dicit, id non fecisse Sacerdotes: tu probaturus eos fecisse, contendis nullam fuisse causam, cur facerent. Rex probat id fecisse Deum, & quod ipsi placitum est, non solum Sacerdotibus, sed populis insuper inspirasse fidelibus, qui Ecclesiam suam Catholicam (cum qua se futurum promisit, usque ad consummationem seculi) non patitur in Sacramentis errare. An tu adhuc quæres, quare fecit? Et non desines impugnare, quod Deus fecit, nisi tibi reddatur ratio, quare fecerit. An nobis respondere non licet: quis Consiliarius ejus fuit? Scio multas magnasque causas allegari posse, & prudentissimos quosdam viros allegasse permultas, quæ populum permovere potuerint, verum ego divinare non dignabor de causa, quum certus sum, neque populum

Dei

Dei sine Deo, neque in populo DEUM sine causa fecisse. Nam quod tu garris, hoc à Deo permissum, ut esset occasio schismatis, nempe sic est permissum à Deo, ut à Deo permissum est, Evangelium scribi, ex quo suscitarunt hæretici multa schismata. Nam boni viri nullam ex communione cœperunt occasionem schismatis, sed Ecclesia concors erat & unanimis. Neque quisquam fere fuit è populo, qui vel peteret speciem vini, vel tam rebellis esset spiritui, ut vel oblatam foret accepturus, donec unus aut alter similis tui, fax inferni, in segetem Domini immisit ignem, qui angulum aliquem depopularetur agri Dominici.

PORRO, quod ais his verbis, nos re Sacramenti jam dudum amissa, jam contra rem maximam propter signum pugnare recte sane & vere, nos illud, dicis. Nam Catholici re ipsa contenti, de signo solliciti non sunt: sed vos schismatici & hæretici, contra rem vere maximam, hoc est voluntatem Dei pugnantes, pro signo solo totam Sacramenti rem, fructumque ejus omnem perdidistis. Postremo, quod ais istam ablationem alterius speciei tunc temporis incœpisse, quo tempore pro divitiis mundi, cœpimus contra Christianam charitatem insanire, quàm frigidum est. Nam quid habet hæc res affine cum divitiis? an Sacerdotes, ut Laicis non ministrent utramque speciem conducuntur divitiis. O rerum solidarum inopem, verborum stolidorum divitem Lutherum.

Septimus Achilles Lutheri. *Septimum est, inquit, Paulus omnium obstruens ora, qui ad Corinth. undecimo, non Presbyteris, sed Ecclesiæ & omnibus fidelibus tradidit totum Sacramentum. Hoc, inquit, argumentum dixit assertori Sacramentorum; Noli me tangere.*

An ideo Luthere non tangeris, quia tam stupidus es, ut non sentias, quando tangeris? Certe stupidissimus es, si non sentis, quam parum causam tuam probet Apostolus. Nam primum, etiamsi locus ille nihil haberet ambigui, tamen vix æquum esset postulare te, ut ora omnibus obstruat Apostolus, quum apud te nullius Apostoli tanta sit authoritas, ut os obstruat tibi: ut qui linguam maledicam exercere non solum sis ausus in Apostolum Jacobum, & illi de authoritate sua movere controversiam, sed in ipsum quoque debacchari Paulum: qui quum te offendit, ad Ephesios quinto, quod ausus est matrimonium vocare Sacramentum, non dubitas in dubium vocare, utrum id ex Deo sit locutus, an ex sensu suo. Verum quoniam satis certum est, neminem tam impium esse, quam te: perge nihil veritus, cæteris Christianis omnibus Paulum allegare. Sed vide tamen, quatenus suffragetur tibi. Si quis aut negasset Laicos olim utramque speciem recepisse, aut id factum reprehendisset in Corinthiis, recte Paulum citasses, cum & factum probaret illic tantus testis, & recte factum tantus probaret Apostolus. Nunc vero quum concedant omnes, & illud factum volente Deo, & nunc illud ipsum Deo dispensante mutatum, tu stolide nunc allegas Apostolum: ex quo probas illud, quod nemo negat: illud, quod obstat tibi, non attingis: nisi te forte putas pulchre colligere, si rem hoc pacto concludas: Paulus utramque speciem dedit Laicis olim, quando Deus ita voluit: ergo perpetuo sic facere debet Ecclesia, sive velit Deus, sive nolit. An non Paulus quædam tradidit Corinthiis, quæ neque tum licebat negligere, neque nunc obligatur quisquam servare? nisi tu, qui libertatem prætendas, multis damnationibus involvas universum orbem? Paulus circumcidit Timotheum: nec dubito, quin id recte riteq; fecerit: & tamen idem paulo post interminatur aliis: Si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit. Olim ad Baptismum tantum admittebantur adulti: & Christus, non antequam adolevit, baptizatus est. Infantes baptizasse non leguntur Apostoli. Cur ergo non clamas institutum esse, ne baptizentur pueri, ut hac quoque parte calumniam struas Ecclesiæ. Olim contra, postquam baptizari cœperunt infantes, etiam communicati consueverant. Nunc illud videmus abolitum. Cur utramque speciem non redarguis, tot secula jam subtractam pueris, qui alteram tantum damnes ablatam Laicis? Forte quia non succurrebat. Jam istud ipsum de vini specie, an non Christus ipse prætermisit aliquando: nisi contra Sanctos omnes Cleopham neges, & socium ejus recepisse corpus in specie panis, cum in fractione panis cognoverunt eum: aut qui nihil admittis absque Scriptura, nobis probes absq; Scriptura, simul præbitam speciem vini, quum testetur Evangelista, protinus à porrectione panis, evanuisse Christum. An non Paulum ipsum legis, in actis panem consecrasse, porrexisse Discipulis, ne interim de vino verbum ullum? Quod si pergas quærere, quî sciam, quæ mutantur in Ecclesia, circa Sacramentorum formam, ea mutari placito & consilio Dei, quæram abs te vicissim, quî scias ipse, lotionem pedum licuisse prætermittere? nec eam sic institutam à Deo, sive Sacramentum fidei, sive Sacramentorum saltem ritum, talem qui nusquam licite posset aboleri, quum Christus lotionis illius exemplum præbuisse non minus accurate videatur, quàm Eucharistiæ: Imo hoc etiam magis accurate quod non dixit illis, hoc facite, sed meo exemplo hoc debetis facere. Quæ verba nullo modo suadere, sed necessitatem videntur imponere, presertim quum modestiæ causa recusanti Petro, tam humile ac prope sordidum erga se officium Domini, sic interminatus, non habiturum eum ullam partem cum ipso, nisi peragetur lotionis illius mysterium. Dic ergo Luthere: Quî scis istam lotionem, aut non institutam pro Sacramento aut tantum fuisse ritum temporarium? Qua Scriptura discernes istud? alia ne quam hac, qua Christus promisit Ecclesiæ: Spiritus Paracletus quem mittet Pater in nomine meo, ipse vos ducet in omnem veritatem? Et, Ego vobiscum sum, usque ad consummationem seculi: & si qua sit alia ejusmodi? Qui scis, licite paulo post esse mutata, quæ per Epistolam olim consti-

Cur magne Doctor non docuisti hoc nos stupidos.

conſtituerunt Apoſtoli? niſi putas Apoſtolorum quoque conſilio, quod communiter habuerunt Hieroſolymis, defuiſſe ſpiritum Dei. Qui ſcis, Apoſtolos absque peccato mutaſſe Baptiſmi formam, ab ipſo præſcriptam Chriſto, idque in re momenti (quicquid tu garrias) maximi? Neque enim tantum refert, an quiſquam baptizetur aqua, quantum refert, in cujus baptizetur nomine. Poteſt & martyr ſuo baptizari ſanguine. Poteſt aliquis & ſpiritu, ſed in alio nomine nemo poteſt, quam in quo præſcribit Deus. Quod ſi contendas, ſatis fuiſſe nomen Chriſti: ego Luthere, ut iſta fateor eſſe vera, ſic iſta vere video contra te facere omnia. Nam quum Chriſtus inſtitueret tria nomina, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, in quibus per lavacrum populus regeneraretur in fidem, nulla prorſus humana ratio potuit Apoſtolis eſſe ſufficiens, ut deflecterent à præſcripto Chriſti, neque potuerunt contra Chriſti tam aperta verba credere, magis referre, ut ſolius Chriſti nomen redderetur illuſtre, quam ut tota Trinitas inclareſceret orbi, & conſueſceret populus in ipſis Chriſtianiſmi foribus cognoſcere, & colere Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, quorum nominibus Baptiſma recepiſſent. Quod ſi reſpondeas, ut reſpondent quidam, Chriſti nomen, quum ſignificet unctum, & Patrem unctorem implicare, & unctionem Spiritum: retorquebimus in te carnem, quæ ſubeſt ſpeciei panis, non implicare tantum, ſed & vere continere ſanguinem, qui ſeorſum conſecratur in ſpecie vini, ſed tamen, ut tu non concedis id, ſatis eſſe cauſæ, cur Eccleſia relinquat in Laicis vini ſpeciem: ita nos non concedemus tibi, illud alterum ſatis fuiſſe cauſæ, cur Apoſtoli potuiſſent, in Baptiſmo nomina Patris, & ſancti Spiritus prætermittere: nec illud eadem ratione, quod Chriſtus Deus erat, & idem DEUS cum Patre & ſancto Spiritu. Nam ut tu Chriſtum dicis, duas inſtituiſſe ſpecies in Euchariſtia, ita nos Chriſtum dicimus, & Evangelio teſte dicimus, in Baptiſmo tria ſtatuiſſe nomina, nec illud obiter aut otioſe, ſed maxima de cauſa ſtatuiſſe, ut protinus in Baptiſmo perſonarum Trinitas innoteſceret. Vides ergo Luthere, nullam rationem Apoſtolos permovere potuiſſe ut ex Baptiſmi forma, Patris aut Spiritus nomen expungerent, quam formam non minus expreſſam vides in Evangelio, quam utramque ſpeciem in Euchariſtia. Quid affers igitur, cujus dum accuſas Eccleſiam, non accuſes Apoſtolos? An hoc videlicet intereſſe dices, inter hanc cauſam & illam? quod illorum factum Scriptura ſacra complectitur, cui tu ſtandum eſſe fateris: Eccleſiæ factum, nulla Scriptura nititur, ſed mera conſuetudine, quam tu & male inoleviſſe, & propere cenſes abolendam. At hic vide, quam nihil dicis: nam in Actis Apoſtolorum nihil aliud legis, quam Apoſtolos in ſolius Chriſti nomine baptizaſſe, ſicut hic vides, Laicos ſub altera tantum ſpecie per tot ætates communicaſſe: & in Evangelio vides magis aperta verba Chriſti, quibus juſſi

I nunc & nega, licuiſſe quicquam immutare.

ſunt, Patris & Spiritus ſancti nomen adjungere, quam ſunt omnia, ex quibus condendis Eccleſiæ præceptum à Deo, ut utramque ſpeciem daret populo. Rurſus ergo te rogo: quomodo non oppugnas Apoſtolos, eisdem machinis, quibus oppugnas Eccleſiam? Qui nunc maledicis Eccleſiæ, quomodo non blaſphemas Apoſtolos? quos quid aliud habes, quo defendas, quam quod in ſolo Chriſti nomine baptizarunt, ejus ipſius diſpenſatione, cujus ore prius aliam baptizandi formam ſuſceperant. Iſtud igitur idem Rex tibi reſpondit de Eccleſia, videlicet eam, quod hac in re facit, Chriſti Spiritu gubernatam facere. Sed ubi legit, inquis, iſtud Rex, Eccleſiam iſtud immutaſſe per ſpiritum Dei? Ubi legis tu Luthere, Apoſtolis aliud poſtea mandaſſe Chriſtum, quam quod ante mandaverat? An Apoſtolos in Sacramentis non patietur errare, quos delegit propter Eccleſiam? & Eccleſiam ipſam patietur errare, propter quam ipſos delegit Apoſtolos? An ad ſolos pertinet Apoſtolos illud Chriſti: Spiritus ſanctus, quum venerit, ille vos ducet in omnem veritatem? ut illud ad eosdem quoque tantum pertinere diſputes: Ego vobiſcum ſum, uſque ad conſummationem ſeculi.

Epilogus eorum, quibus Rex refellerat argumenta Lutheri: & ſimul quam incerta redderentur omnia, ſi cuiq; liceat è quovis Scripturæ verbo convellere fidem publicam.

CAP. VII.

NUNC igitur vides Lector: quam imbecillum ſit iſtud robur, omnium illorum ſeptem argumentorum: quibus iſte Satan conatur expugnare CHRISTUM: quam ſtulte nobis arguit, qui dicit: Homines non poſſunt iſtud facere, quum Princeps, & clariſſime dixerit, & non uno tantum loco clariſſime probaverit, non homines hoc feciſſe, ſed Deum.

Stulta Lutheri ratiocinatio.

Si Deum feciſſe Lutherus non fatetur, cur id non negavit? Cur id à Rege toties dictum, tot libri ſui locis inculcatum, tam ſæpe tam aperte probatum, ſilentio diſſimulat? Sin Deum feciſſe fatetur (fatetur autem, qui contra nihil reſpondet) quam ſtolida nunc atque impia ſunt omnia ſeptem argumenta, quæ nihil prorſus aliud valent, quam ſi diceret: Hoc Deus inſtituit, ergo peccat, quisquis aliter, ipſo jubente Deo, fecerit. Aut ſi ſic diceret: Hoc ſonat Scripturæ litera, ergo impii ſunt, qui obſequuntur Spiritui ſancto, contra ſpeciem literæ, quam Spiritus ille ſanctus melius intelligit, quam ſeptem millia ſpirituum nequam, qui Luthero miniſtrant ſua ſeptem argumenta. Quamobrem Lector chariſſime, quum iſtud, quod Lutherus reprehendit, velut Sacerdotum factum, Rex probavit eſſe factum Spiritus S. cujus occulto ſpiraculo gubernari probavit Eccleſiam: cui rei, Lutherus nihil adhuc invenire potuit, quod reſponderet. Vides jam, quam ſtolide bacchetur in Regem, quaſi non reſponderit ad argumenta ſua, tam fortia videlicet ac robuſta, ut uno

verbo

verbo veritatis prostrata sint omnia. Et tamen quum Rex sustulit omnia clarissime, probans videlicet, id quod Lutherus velut à Sacerdotibus factum, reprehendit, non ab illis esse factum, sed à Spiritu sancto recurrit adhuc stipes tam stupidus, ut plagam, qua ad cor usque vulneratus est, non sentiat: ac rursus in Regem torquet sua septem, septies redarguta, argumenta: quæ sua septem tela tam pulchre dirigit, ut septem millibus nunc aberrent à scopo. Nam quum res facta probatur à Deo, ille disputat in Sacerdotes. An postquam constat de authore Spiritu Dei, tamen resistet spiritui, propter corticem literæ? Cuperem ergo scire, quid sentiat de salute martyrum, quos proprio sanguine baptizatos credit Ecclesia: quibus antea corrigit occidi, pro fide Christi, quam Sacramentum possent Baptismi recipere. Non dicet (opinor) sanctissimos illos Martyres, omnes esse damnatos.

Nec video tamen, quomodo possit eorum salutem asserere, si nihil recipiat præter evidentes Scripturas. Quarum si quas reperias, quæ videantur illis promittere regnum Dei: non facile tamen inveniet ullam, quæ promittat apertius, quam hæc aperte videtur denegare: Nisi quis tentatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Verum, quoniam haud multum est curæ martyrum Luthero, ut quorum imagines, & cultum omnem contendat tollendum, cupio saltem scire ex eo, si nihil admittat omnino præter evidentes Scripturas, quidnam satis evidenter esset responsurus, si quis illi tam facilem ex sola fide pollicenti remissionem peccatorum omnium idque subitanea, & qualicunque unius momenti pœnitentia, objiceret illud de peccato in Spiritum sanctum, quod Christus aperte dicit, neque in hoc seculo, neque in futuro remittendum? Quid hic faciet Lutherus? Objiciet videlicet illud Prophetæ. Quacunque hora ingemuerit peccator, &c. Quid ergo dicet, si is, qui proposuit, dicat illud peccatum exceptionem esse, & aliquod saltem esse peccatum, quod quale sit, nemo adhuc satis explicuit, quod nulla deleri pœnitentia possit? Quis erit disputandi finis? Imo si quis objiciat illud Apostoli, voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. Terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Et illud item ejusdem: Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur.

Quid Luthero cum Apostolo.

Quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum dixerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Et item illud. Impossibile est enim, eos, qui semel sunt illuminati, & gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt rursus revocati ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimet ipsis filium Dei & ostentui habentes? Has, inquam, Scripturas si quis producat, & jam illud: Quacunque hora ingemuerit peccator, salvus erit: sic tamen hoc usquam Scriptura sacra habeat: dicat intelligendum esse, quacunque parte ætatis, peccatorem infidelem posse per pœnitentiam recipi, ad Baptismi gratiam, cæterum post Baptismum, rursus peccanti, denuo salutis locum non esse, quis erit hic Luthero finis, qui nihil admittit, præter evidentes Scripturas?

Quando faciet Scripturas tam evidenter concordes, ut non remaneant argumenta plus septem, Lutheri adversario, quæ nunquam poterit evidenter tollere, nisi recurrat ad Ecclesiæ fidem, Dei digitis scriptam in cordibus fidelium, neque minus veram, neque minus certam, quocunq; libro Scripturarum per quam fidem, certi sumus de fidei articulo, etiam quum de Scripturæ sensu sæpe simus incerti, è cujus Scripturæ textu, argumentis plus septem Christum oppugnabat Arrius. Argumentis plus septem Christi matrem sanctam impius oppugnabat Helvidius. Utriusque perfidiam expugnavit Ecclesia, sita nimirum super solidā petram fidei, qua docuit eam Spiritus sanctus adversus Arrium, concordare Scripturas adversus Helvidium, & ab ipso declarare productas, & citra ullum Scripturæ testimonium, perpetuam virginis integritatem credere. Quum igitur & Ecclesiæ Catholicæ publica fide, & consentiente Scriptura certissimum sit, Ecclesiam in fidei rebus, regi Spiritu Christi, non dubitamus id verum esse rectumque, quod Spiritus dicit Ecclesiæ, etiam si qua litera Scripturæ sit, in speciem contraria, scientes, aut de illa dispensasse Deum, aut certe non esse contrariam, sed videri, sicut duos interdum Scripturæ textus, qui pugnare videntur, nihil dubitamus, inter se concordes esse, etiamsi nobis discordare videantur.

Verum is non audiet nisi sua.

Quamobrem, aut illud Lutherus tollere debuit regi, mutationem, quam velut factam per Sacerdotes incessit, factam esse per Spiritum S. Et item illud, Ecclesiam in fidei rebus eodem gubernari spiritu, ad quæ duo, nihil omnino respondet: aut salva est Ecclesia Christi, non solum adversus argumenta septem Lutheri, sed etiam adversus septuagesies septies septena millia cacodæmonum, qui Luthero, velut aptissimo dæmonum organo, tam stolidas argutias adversus Ecclesiam, & Christum sponsum ejus inspirant. Igitur quum omnia Lutheri argumenta Princeps aperte solverit: Lutherus contra, suo more, quædam excerpens, cum quibus pugnet, validissima quæque dissimulat. Nam neque ad hoc respondet quicquam: quod Rex ostendit rem, quam ille reprehendit per eos factam non esse, quos reprehendit. Nihil ad illud respondet, quod Rex ostendit, eum Laicos non excusare, quos ille vult excusatos. Nihil ad illud respondet, quod utraque species nunc aufertur infantibus, de quo nihil queritur Lutherus.

Lutherus cacodæmonum organum.

Nihil

Memor ipse Proverbii; silentio respondetur multis.

Nihil respondet ad illud, quod Rex ait rem, quam ille redarguit, nam ab hominibus esse factam, sed à Deo, qui in fidei rebus regit Ecclesiam, qua in re, summa totius rei consistit. Quum hæc ita se utrinque habeant, tu nunc Lector æquus inter utrumque judica, quam impudens nebulo sit Lutherus, qui tam magnifice scurratur, & scurriliter gloriatur, Regem ei nihil respondere, se vero respondere ad omnia: quum uno verbo Rex, illius argumenta vere solvat atque evertat omnia: ille Regis contra fere dissimulet ac prætereat omnia.

Retegit ac refellit duplicem, imo triplicem Lutheri mendacissimam & stolidissimam sycophantiam.

CAP. VIII.

NAM illa, quæ velut firmissima delegit, cum quibus luctaretur, sic tractavit egregius palæstrita, ut perspicuum fecerit illa ipsa, quæ videri vult infirma, infirmis ipsius viribus esse firmiora.

Verba Lutheri.

Elinguis, inquit, defensor in rebus necessariis, videamus, quam linguax sit in suis nugis, ventrem distende Lector, ut magnalia ista Thomistica capere possis, probaturus licuisse alterā partem tollere quam regaliter incedit, quasi esset Rex. Ecclesia, inquit, mane communicat Sacramento, quod Christus fecit vesperi, deinde nos aquam vino miscemus, de quo nihil meminit Scriptura. Quare si Ecclesia hic potuit aliud facere, aut instituere, potuit & partem Sacramenti tollere.

ECCE Lector, quam nebulonice procedat nebulo. Nam si Rex loquutus de Ecclesiæ, vel institutione vel consuetudine, nihil eo loco prorsus adjecisset aliud: tamen quum tot libri sui locis, & ratione probaverit, & scripturis, Ecclesiam in Sacramentis gubernari Spiritu sancto: quis ita sine sensu viveret, ut non sentiret, quid senserit Rex? aut quis tam improbe faveret Luthero, ut non damnaret in re tam aperta, tam stolidam Lutheri calumniam? At nunc, ut vanissimum videas sycophantam, audi quæso Lector Princeps, illo ipso in loco, quid dicat.

Verba Regis.

SI Lutherus, inquit, nihil admittit aliud, quam evidentes Dei Scripturas, cur non jubet Eucharistiam (ut dixi) à cœnantibus sumi? Nam si factum scriptura commemorat. Quanto melius crederet Lutherus, non humano figmento, sed eodem authore Deo factum in Ecclesia, ne Laici sub utraque specie reciperent Eucharistiam, quo Authore factum est ut reciperetur à jejunis. Placuit enim (ut inquit Augustinus) Spiritui sancto, ut corpus Domini, quod post alios cibos ab Apostolis in Cœna receptum est, ante alios cibos à jejunis reciperetur in Ecclesia. Et protinus ita rem concludit Rex: Spiritus sanctus, qui Christi regit Ecclesiam, sicut Eucharistiæ Sacramentum mutavit à cœnantibus ad jejunos, ita Laicos ab utraque specie deduxit ad alteram.

Divus Augustinus.

Quid hic ais Lector? Per quem dicit Rex hæc esse mutata? per homines, an per DEUM? An non manifeste dicit mutata per DEUM? Quo ergo nomine dignus est frater scurra Lutherus, qui nusquam non mentitur, Principem disputare, hæc esse mutata per homines? Nam hæc est istius nebulonis perpetua forma, non disputandi, sed calumniandi scurriliter. Et nunc, quasi scirent omnes, Regem id dicere, quod sciunt omnes Lutherum mentiri, pergit scurrari strenue.

Sic rotari debet, inquit, ac ferri præceps & insana libido mentiendi, adversus Dominum gloriæ.

Verba Lutheri.

IMO Luthere, sic rotari debet & præceps ferri, furiosus fraterculus, & insana mentiendi libido, adversus agnitam veritatem, desiderio despuendæ gloriolæ. Nam id ridiculum est, quod videri vis Regem loqui adversus Dominum gloriæ. An hoc quicquam est contra Dominum gloriæ, quod Rex ait, Deum posse Sacramenta sua, prout ipsi libet, dispensare, & parendum esse Deo, sive per scriptum quicquam jubeat, sive sine scripto? Nam quod tu imputas Regi, quasi dicat homines posse mutare, quod statuit Deus, illud certe, tam impudenter & improbe mentiri convictus es, ut oculos posthac, si quis pudor esset, nunquam auderes attollere.

Ridiculum Lutheri commentum.

Quam vellem, inquit, modo possent asini & porci loqui, ut inter me & Henricum judicarent.

Verba Lutheri.

Hoc saltem recte facis Luthere, & in causam tuam commode: quam quoniam Deo & hominibus vides esse damnatam, ad porcos appellas & asinos, si forte tam spurcum aut stolidum ullum brutum possis invenire, ut tibi vel adgrunnire velit, vel adrudere. Quanquam ego profecto non dubitem, si vel asini possent vel porci loqui, quin facile judicarent, te & spurciorem esse porco, & stolidiorem asino, qui tam fœde mentiaris, & orbi te speres imponere, tam perspicuo & tam parenti mendacio.

Dignos Luthero arbitros.

Sed accipiam, inquis, alios asinos & porcos: Judicate ergo vos ipsi Sophistæ Parisienses, Lovanienses, Colonienses, Lipsenses quoque, & vestri similes ubi ubi sint, qua Dialectica valet, ista Henricissima & Thomisticissima consequentia? Nam & vos signastis ad marginem libelli hujus: Hic jacet Lutherus prostratus. Et Henricum vestrum approbastis.

Verba Lutheri.

ATAT hoc illud est. Hinc illæ lachrymæ. Hoc animum tuum percellit Luthere. Hoc vulnerat, laniat, lacerat, quod Principis liber passim probatur doctis, qui merito probant, & merito signant in margine: Hic jacet Lutherus prostratus. Jaces profecto prostratus turpissime, si prostratus jacet, qui nihil habet reliqui, quod contra possit hiscere, præter apertum, & nulli non compertum mendacium.

Et revera prostratus eras.

Dicite ergo, inquit, unde locus? unde regula istius consequentiæ? Aliquid fit extra Scripturam: ergo contra Scripturam est sentiendum.

Verba Lutheri.

TIBI Luthere quærenda est regula, qua tuearis istam consequentiam. Nam ista plane tua est. Quis istam consequentiam fecit tibi? Quis ita collegit nisi tu? Sic enim colligit Princeps, Christus per Spiritum sanctum multa jubet, ac docet Ecclesiam sine Scriptura: ergo Lutherus est hæreticus & Antichristus,

qui

qui nihil Ecclesiæ credendum prædicet absque Scriptura.

Verba Lutheri.

Unde, inquis, regula istius consequentiæ? Vinum miscetur aqua extra Scripturam: ergo Scriptura alteram partem statuens, est damnanda, pro hæresi habenda, & aliis blasphemiis vestris conspurcanda.

Et statim magnifice scurra subjungis.

Pudescitne tua frons Henrice, non jam Rex, sed sacrilege latro? Non sudatis virulenti sophistæ, vos miserabiles trunci, in reprobum sensum versi?

Sic libet ac licet nebuloni ludere, & aliis objicere capitis sui stultitias. Nam quis tibi sic argumentatus est? Quis damnavit Scripturam ullam? Quis habendam censuit pro hæresi? Quis conspurcavit blasphemiis?

Nemo certe, nisi tu, qui & Pauli rejicis interpretationem, & Epistolam canonicam reprobas, & Jacobum blasphemas Apostolum. Nam quod Rex ait, huc tendit: quod sicut Deus aquam vino miscendam docuit, absque Scriptura, sic & alteram speciem auferendam docuit, absque Scriptura. Quam, sicut ante monstratum est, nulla scriptura Laicis dare præcepit. Ego plus etiam dicere non dubitem: quod si quando, clarissime fuisset aliquid de sacris ritibus aut Sacramentis, in Scriptura mandatum, quo quippiam non dico credi, sed fieri, hoc aut illo modo mandetur: Deo tamen postea, aliter de illo dispensante mandato, & absque Scriptura jubente contrarium, id quod eum hac in causa fecisse probavit Rex, non erit impius, qui sine Scriptura paret, atque obtemperat Deo, quemadmodum facit Ecclesia: sed qui (quod Lutherus facit ac docet) Scripturæ prætextu Deum contemnit. Nec Ecclesia tamen Scripturam, si qua videretur adversari, damnaret, aut haberet pro hæretica, aut conspurcaret blasphemiis, sed honore servato Scripturæ, divinitus edocta cognosceret, mandatum illud fuisse temporarium. Alioqui dicat nobis elegantissimus porcus, & prudentissimus asinus: an quisquis lotionem illam pedum non servat hodie, quam Christus olim peregit in Cœna, damnat & conspurcat illud Evangelium? Et tamen Christus & exemplum dedit lotionis illius, &, si locum spectes cum interminatione, mandatum & servaverunt & tradiderunt Apostoli, & aliquandiu tota servavit Ecclesia, id quod disci licet è Cypriano martyre. Et nunc tamen, absque Scriptura nova, per Christi Spiritum ad eam lotionem Christianus populus desiit obligari, nisi tu, qui quinque sustulisti de Sacramentis septem, subito reponas octavum. Nec tamen quisquam damnat, aut blasphemiis illud conspurcat Evangelium. An Paulum dicis Apostolum blasphemiis conspurcasse Deum, & hanc damnasse Scripturam? Erit pactum meum in carne vestra, in fœdus æternum: Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Nam contra illam tam manifestam, tam rigidam, tam minacem Scripturam, non dubitavit dicere: Si circumcidimini, Christus vobis nihil

Hic Luthere, scrupulus tibi injectus est.

proderit. At Christus, inquis, baptizare jussit, & baptizatus est ipse. Fateor: sed circumcidi jam olim jusserat, & circumcisus est ipse: & se venisse dixit, non ut legem solveret: & circumcisionis legem Scriptura vocat fœdus æternum: nec per Scripturam Christus contra docuit Paulum. Nam & ipse circumcidit Timotheum. Quid aliud habes, quam ut Paulum dicas, absque Scriptura doctum à Spiritu sancto, ut contra Scripturæ verba, manifeste mandantia perpetuo circumcidi: contra exemplum Christi, qui circumcisus est ipse: contra tam apertum verbum Christi, qui se venisse dixit, non ut solveret legem, sed ut impleret: non dubitaret tamen auferre circumcisionem? Memineris ergo, Regem eodem modo respondisse tibi, quod Ecclesia Catholica, ab eodem docta Spiritu, quo doctus est Paulus, vini speciem non dubitavit auferre. Quam vini speciem præberi Laicis (quanquam aliquando factum est) nulla tamen Scriptura (qualem tu solam recipis) evidens, & manifesta præcepit. At (inquies) Paulum docuit Deus, & absque Scriptura, sed Ecclesiam nihil docet absque Scriptura. Ergo, quod Deus quicquid docet Ecclesiam, docet evidentibus Scripturis, hoc tu Luthere proba nobis evidentibus Scripturis, contra illud Evangelistæ; Non omnia scripta sunt. Et illud Apostoli; Collaudo autem vos fratres, quod omnia mea memoria tenetis, & quemadmodum tradidi vobis, instituta tenetis. Præterea illud; Hujus rei gratia reliqui te in Creta, ut quæ desunt, pergas corrigere, & constituas oppidatim Presbyteros, sicut ego tibi ordinaram. Et contra illud. Servate quæ præcepi vobis, sive per sermonem, sive per Epistolam. Et illud item. Ego, quum venero, cætera disponam. Nec non & illud Prophetæ. Ego dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum subscribam eas. Et quæcunque sunt ejus generis alia. At proba saltem Scripturis evidentibus, Christum, qui cum spiritu suo affuit Paulo, Ecclesiæ non adesse Catholicæ, contra Scripturam evidentem, qua contra promisit ipse, quum dixit: Ego vobiscum sum, usque ad consummationem seculi. Pudescitne nunc tua frons Luthere? Non sudas virulente sophista? Vere frons meretricis facta est tibi. Vere miserabilis truncus factus es, & sic in reprobum sensum versus, ut mendaciis, sycophantiis, hæresibus, & blasphemiis instupescens miseriam tuam, præ præsentium molestiarum mole, imminentium malorum terrore, & æternæ damnationis horrore, non sentias.

An non hæc satis est manifesta scriptura Luthere?

Jam obmutescit verbosus fraterculus.

Alludit ad verba Lutheri.

Verba Lutheri.

Dicat, inquit, nobis gloriosus assertor Sacramentorum, unde probet Missam necessario mane celebrandam.

Hoc nusquam non facit.

Ecce Lector, ut sui semper similis est. Ut rursus nebulo, mendacem se, ut rursum se declarat sycophantam. Dic reverende asine, ubi dixerit Rex, necessario mane celebrandum esse. Sic enim dixit Rex?

Verba Regis.

SI Lutherus, eam rem ad exactam Evangelicæ narrationis formam revocat: cur Eucharistiam non jubet semper in Cœna recipi, imo vero post Cœnam.

Ecce Luthere, Rex rem non restringit ad auroram, sed (ut sæpe jam dixi) ostendit Ecclesiam, Spiritu sancto doctam, ne se obligari putaret ad vesperum. Et Augustino teste probat, sanctum docuisse Spiritum contra Christi exemplum, sumendum esse jejunis, quod Christus dedit cœnantibus. Dic jam Luthere, dic, ubi sit illud, quod Regem mentiris dixisse, de mane. An idem est mane sumere, & jejunium sumere. Proba nobis evidentibus Scripturis, idem esse mane sumere, & jejunum sumere. An ideo idem est, jejunum sumere, & mane sumere, quia tu jejunus sumere, nisi summo mane, non potes, quia summo semper mane potas? Hic locum habet tua quæstio: dicite Sophistæ Wittembergenses, unde locus? unde regula hujus consequentiæ? Pater potator summo mane semper est ebrius, ergo nemo potest nisi mane recipere Sacramentum sobrius.

Alludit ad verba Lutheri.

Verba Lutheri.

Idem, inquit, quæro de aqua miscenda vino. Quis fecit hunc articulum fidei? quis audet dicere, peccatum esse, si sine aqua celebretur? An Henricus, dum credit sic esse, & non credit, Lutherum sine aqua celebrare?

Æquum est te Luthere veniam Regi dare, quod te non adeo putavit improbum, quàm tute temet esse gloriaris. Nam cujus de te cogitationem, tua non vincat impietas? Etenim, quid in sacris audeas, & nunc significas, & paulo post satis aperte declaras.

Verba Lutheri.

Quis fecit, inquis, hunc articulum fidei? Quis audet dicere peccatum esse, si sine aqua celebretur?

Ut celebretur à jejunis, & aqua fundatur in vinum, ista fideles suos docuit Author fidei, qui in rebus & Sacramentorum & fidei, docet Ecclesiam suam omnem veritatem, eique, quod ipsi placet, inspirat. Cujus voluntati, qui non obtemperat, peccet ne, an non peccet, tua te stultissime damnatio docebit. Non opus est, ista tibi dicat Henricus. Tota hoc tibi dicit Ecclesia Christi, ab annis plus mille præteritis. Cui quicquid tamdiu inspiravit sponsus, vere oportet sic esse, quantumvis id novus nunc neget, & contemnat hæreticus.

Jam illud non minus est ridiculum, quam cætera impia, quod è tuo phanatico cerebro natum Regem fingis dicere, his verbis.

Verba Lutheri.

Consuetudo (inquit) habet vim legis. Respondeo. Habet vim legis, sed in civilibus causis.

Ut tu semper Luthere, Lutherus es. Reperias nobis in toto Regis libro, ubi dicat hoc, quod tu eum dicis dicere: Consuetudo habet vim legis. Non te pudet istud fingere, ut possis videlicet pulchre solvere? respondeo, Habet, sed in civilibus causis. Quasi Rex tibi allegasset hominum consensum, ac non manifeste scripsisset, Christum ista suis inspirasse fidelibus. Nos igitur (ut videas, quam belle tibi procedat, ista tua tam impudens sycophantia) respondemus tibi, consuetudinem Christiani populi in rebus Sacramentorum & fidei, vim habere valentioris legis, quam ulla habeat consuetudo cujusquam populi, in rebus civilibus, quum hæc nitatur consensu duntaxat humano, illa concilietur, & coalescat inspiratione divina.

Bellus es Luthere rhetor extra controversiam.

Verba Lutheri.

Nos, inquis, in libertatem vocati sumus, quæ nec Legem, nec consuetudinem ferre potest, quum agamus in spiritualibus.

Verissime profecto pronuncias, de te & tui similibus, quos Diabolus vocavit in servilem libertatem suam. Nam ut legibus & moribus Christiani populi, Deo servire, regnare est, ita leges & mores abrumpere, quos populum suum Christus voluit observare, & suave jugum excutere, quod Christus voluit suum gregem portare, quid aliud est, quam servum Deo fugitivum esse, ut libere vivas Diabolo? Imo libertatis specie, servitutem servias miserrimam.

Cujusmodi sit Lutheri libertas.

Verba Lutheri.

Quare, inquit, dominatio & regalitas Henrici, suam Dialecticam male didicit, & hoc loco vitiosissime petit principium, arripiens hoc pro certo, probato, divino, necessario articulo fidei, quod est mere liberum, & humanum inventum.

Doctoralis magistralitas Lutheri non considerat, quod in hoc loco se declarat vitiosissimum nebulonem, qui sub nomine Regis blasphemet Augustinianus Augustinum, in cujus olim verba juraverat, à quo nunc, & Christo simul, perfuga perjurus aufugit. Nam illum allegavit Princeps, aperte pronunciantem id, quod iste clamat esse merum, & liberum inventum humanum, fuisse inventum Spiritus sancti. Et certe ex tot sanctis Ecclesiæ patribus qui ad hunc usque diem à Christo passo vixerunt, nullus unquam fuit, qui communes universæ Ecclesiæ mores, circa Sacramenta non crediderit, aut traditos esse Dei jussu per Apostolos, aut per Spiritum sanctum inolevisse in Ecclesia. Quos si quis interdum humana fragilitate transgressus est, inter peccata numeravit. Contra vero, ex tot impiis & insanis nebulonibus, qui ad hunc usque diem à Christo passo vixerunt, tu propemodum solus exortus es, qui communes universæ Ecclesiæ mores, circa Sacramenta blateres, sic esse prorsus liberos, ut quod universi tam sancte, tam perpetuo servant, & tot servarunt seculis, id jam cuique liberum sit, quando libet, quoties libet negligere. Et audes nebulo, sub Papistarum nomine totam tot ætatum Ecclesiam irridere.

At Luthero peccatum est eos servare.

Verba Lutheri.

Quare nos, inquis, Papistis istis sanctis libenter favemus, magnificos illos fidei suæ articulos, quæ credunt: Esse tantum mane communicandum: Esse tantum in loco sacro, aut portatili, quo vocant, celebrandum: Esse aquam vino miscendam, & alios gravissimos, & his sanctissimis Sanctis dignissimos articulos.

NEMO est petulantissime scurra, qui non sentiat blasphemas istas irrisiones tuas, recta contingere sanctissimos quosque Proceres Ecclesiæ Catholicæ, nempe Cyprianum, Hiero-

Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Basilium, Gregorium, Chrysostomum, atque id genus reliquos, quorum sanctissimi libri passim declarant, eos, quæ tu derides, serio sanctéque servasse, & execrabilem credidisse, si quis illa non per incuriam præteriret, sed quod tu facis, arroganter & contumeliose contemneret. Sed tu tibi conscius, omnibus Sanctis te esse execrabilem, velut desperatus nebulo, vicissim Sanctos omnes, amens & insanus irrides.

Verba Lutheri. *Nos autem, inquis, tales fideles mere fatuos, & stolidos affirmamus.*

NIMIRUM, quasi dicas, nos hæretici, nos infideles, tales fideles mere fatuos & stolidos appellamus. Sed quum dies illa venerit Luthere, in qua stabunt fideles in magna constantia, tum vos hæretici, & infideles videntes, turbabimini timore horribili, & gementes præ angustia spiritus dicetis: Hi sunt fideles & sancti, quos nos infideles & impii aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii. Ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei. Ergo nos erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis. Quid profuit nobis superbia?

Tum tibi Luthere excutietur ista jactantia verborum.

Verba Lutheri. *Nos, inquis, communionem Sacramenti liberam habemus, sive per diem, sive per noctem, sive mane, sive vesperi, libera sunt tempora, horæ, loci, vestes, ritus.*

OMNIA tibi libera sunt: nec tua refert, ubi, quando, quomodo sacrifices, noctu ne, an interdiu, in luce ne, an in tenebris, ebrius, an sobrius, vestitus, an nudus, cultus, an sordidus, super altare, an super foricam furcifer.

Verba Lutheri. *Apud nos, inquis, non peccat, qui modeste ederit, aut biberit ante communionem, quod & Paulus confirmat, I. ad Corinth. XI. dicens: Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis ad cœnam Dominicam.*

Utpote apud quos nullum sit peccatum, nisi incredulitas. QUI ante Communionem ederit aut biberit, non peccat, apud vos, hæreticos homines nimirum impeccabiles. Apud quos, nullum tam grande peccatum est, quod peccatum esse possit. Omnia peccata vestra, sic absorbentur in fide, quorum animas interim totas absorbet infidelitas. Jam quod affers ex Paulo: pone primum illic perspicue dici, quod tu illum dicis dicere: quid aliud ex eo loco probasti tamen, quàm quod id tum licuerit?

Concludes ne ex eo, postquam tibi probavit Rex, contra placuisse Spiritui sancto, annis jam plus mille, idem licere tunc? quia Apostolus, sic dispensante Deo, permisit illud tunc? quasi non quædam aliquando permiserit, quæ paulo post etiam ipse prohibuit, nisi tunc circumcisionem permittas omnibus, quia Paulus olim circumcidit Timotheum. Sed quæso te Luthere, qui nihil admittis præter evidentes Scripturas, quomodo facies illum Pauli locum tam evidentem pro te? Paulus ait: Si quis esurit, domi edat. An ideo manifestum facies, illum dicere id eis licere? nec ullum esse peccatum, si esurientes prius domi comedant, deinde saturi sumant Eucharistiam? Idem quum iisdem scribat Corinthiis: Qui contemptibiles sunt in Ecclesia, eos constituite ad judicandum, probat ne, ut constituantur contemptibiles? an id potius dicit, ad eorum verecundiam, qui neminem repererint satis sapientem in Ecclesia, qui dirimeret lites Christianorum, sed eos litigare permittant apud Ethnicos: quanquam velit eos potius apud quemvis litigare Christianum judicem, quam Christi nomen prophanare apud gentes. Tamen aperte pronunciat eos peccare, quod de pecunia litigent apud se. Omnino (inquit) peccatum est, quod habetis judicia inter vos. Et tu Luthere, si locum, quem affers diligenter expēdas, videbis eum forte potius totum contra te canere. Nam ibi manifeste reprehendit Apostolus eos, qui suas cœnas afferentes secum, præoccupabant eas edere, priusquam ederent cœnam Dominicam. Et ideo. Non licet (inquit) edere cœnam Dominicam, quia propriam quisque cœnam præoccupat. Ex quo non obscure colligitur, jejunos venisse ad communionem, sed cibum quenque suum cepisse portare secum: quem quia quidam prægustabant, Apostolus id reprehendit, præcipiens, ut domi corpus pascerent, in templo pascerent animam. Quod si tam effœminati essent, aut alias sic affecti, ut graventur tantisper durare jejuni, quoad conveniret concio: continerent se potius, & comederent domi, nec ad Communionem auderent, saturi & eructantes accedere, unde sibi damnationem accerserent. Relege ergo locum rursus Luthere, videbisque eum totum tibi potius adversari, quam suffragari. Siquidem haud ait, si quis esurit, domi manducet, ac dein veniat: sed si quis inædiam nequeat ferre, domi remaneat jubet, ac ibi famem sedet: nec ad templum Dei adeat, ut ventris negotium agat.

Audi nunc jam Luthere contra.

En Luthere testimonium tuũ contra te.

Verba Lutheri. *Non quod damnem usum, mane & locis sacris communicandi, sed necessitatem repudiamus. Volumus enim, si quis jejunare non possit, aut rheumate, vel gravedine levari jejunus non possit, ante comedat & bibat, quam participet mensæ Domini: & hoc libere agat, quo corpore & animo sit compositissimus. Nam quod Henricus Ecclesiam vocat, nos dicimus meretricem purpuratam esse; Ecclesia enim & si ritibus & ceremoniis carere non possit, non tamen leges & laqueos animarum ex ipsis facit, faciunt autem hoc, qui Ecclesiæ nomen jactant porci illi & asini, Henricistæ, Papistæ, Sophistæ, Thomistæ, & sui generis deceptores, & Antichristi.*

Vos, id est, hæretici.

D. Martinus plus millies declaravit aperte quam magnifice, & quam regaliter, imo quam nebulonice, & quam scurriliter, omnes Ecclesiæ consuetudines, omnes leges, omnes ritus, & ceremonias omnes contemnat. Nã leges exussit etiam, ne quis dubitet, quanti faciat reliqua, quibus hoc pro magno tribuitur, ut legibus, quas exussit, æquentur. At nunc subito cœpit esse circumspectus, & moderari sententiam suam.

Nam ante dixit sæpe, sic esse omnia ista libera, ut liceat omnia, quando libet, quoties libet, servare, mutare, probare, damnare, curare, negligere. Nunc non damnat usum, sed repudiat necessitatem communicandi mane, & locis sacris. Et qui in Babylone contendit, missam fore multo magis Christianam, si vestium, cantuum, gestuum, & cæterorum rituum, & ceremoniarum omnium, pompa tolleretur: contra nunc fatetur hic, Ecclesiam ritibus & ceremoniis carere non posse: Sed Ecclesiam veram, id est, Lutheranam, ritus & ceremonias habere liberas: Ecclesiam vero Papisticam, id est Catholicam, leges & laqueos animarum, ex ipsis facere. Videamus ergo Luthere, qui sint hi laquei, quos injicit Ecclesia Catholica: & quæ sit hæc libertas, in quam nos vendicat Ecclesia tua.

Animum Lector adverte.

Consideremus istud, in hac ipsa consuetudine qua communicamus jejuni. Ecclesia hunc ritum accipit, & alios ritus ejusmodi, perductos in consuetudinem, per occultam dispensationem Spiritus sancti, sicut sanctissimi quique patrum testantur, non tanquam Sacramentorum substantiam, sed qui in honorem Sacramentorum adhibentur, qui neque contemni sine peccato possunt, nec sine magna gravique causa debent omitti. Cæterum si quis decumbat ægrotus, aut alias sit in periculo, communicat non jejunus, communicat vel ter pastus, ne decedat absque viatico. Verum ubi neminem est communicandi necessitas, abstinendum potius censet Ecclesia Catholica, quàm ritum & consuetudinem divinitus institutam, temere præsumas infringere. Dic igitur Luthere, quis est hic animarum laqueus, ubi potes implere, quod præcipitur? & quod non potest implere, non exigitur. Sed hoc tibi tamen & Ecclesiæ tuæ, non satis videtur liberum. Sed si quis rheumate vel gravedine levari jejunus non possit, vis ut ante comedat, & bibat, quàm attingat mensam Domini, & hoc libere agat? Cur istud? ut sit (inquis) corpore & animo quam compositissimus. Valde profecto liberum facis illum Ecclesiæ ritum: si libere tibi licet eum solvere, de qualibet causa tam facile, ob rheumatis aut gravedinis paululum. Nam si talibus excrementis, corpus exuberet validius, nocuerit potius, quam profuerit cibus. Quin istud miror nunc placere tibi ut qui communicat, animum habeat compositum, quum in Babylonica placuerit, ut accedens ad communionem, haberet animum, quam maxime posset, confusum, per conscientias erroneas, & peccatorum vel morsu, vel titillatione turbatas. Præterea si rheumate vel gravedine molestetur, quare non potius differet communicare, quàm contra tam receptum totius Ecclesiæ morem communicet? Hoc videlicet te movet, quod tunc communicaretur rarius: & tu communicationem illam sanctissimam velles fieri frequentissimam. Hoc tu curas scilicet: qui in Babylone censes Eucharistiam sumendam, tantum semel in vita: nec id nisi in mortis articulo.

An non Luthere hoc satis est libertatis?

Nempe cui nulla sit libertas, nisi licentia.

SED tu adhuc liberiorem facis Ecclesiam tuam, nempe ut præoccupet edere, si quis jejunare non possit. Olim, qui communicabant, ad Cœnam usque jejunabant: Quam rem, quum aliquot aut ægroti, aut delicati non ferrent, Ecclesia docente Spiritu sancto, mutavit tempus. Et potius elegit à vespere ad auroram ducere, quam prætextum relinquere cuiquam, ut cogi videatur ante communionem edere. Et nunc tu tamen dicis: si quis non potest jejunare, posses fortassis istud dicere: si communicare non liceret ante vesperum. Nunc miseret me profecto tui, & Ecclesiæ tuæ, si perpotantes usq; ad mediam noctem, non potestis postea jejunare usque ad summum mane. Nunc vides Lector, quam belle Reverendus Pater temperat sermonem suum: & quam pulchre diffiniat, quatenus deferendum sit ritibus, & consuetudinibus Ecclesiæ.

Quam hęc cohæreat, tu Lector æstima.

Refellit solutiones Lutheri, quibus conatur illud solvere quod Rex objecit, de aqua infusa vino.

CAP. IX.

SED jam illud, quod aqua licite misceatur vino. Quæ res, ut ostendit Princeps, non magis potuit fieri, quam altera species omitti, nisi per Spiritum Dei. Per quem & dicit & docet, utramque rem esse receptam. Operæ pretium est videre, quum diu riseris, quam perplexe tractes interea, & quam ridicule tandem solveris. Ais, diversam esse rationem, de specie vini tollenda Laicis, & de aqua infundenda in vinum. Alterum enim Ecclesiæ non licere statuere: quia vini species est pars Sacramenti: de altero licite statuere potuisse: quia est res impertinens ad Sacramentum. Nam quicquid est impertinens: id plane liberum esse dicit, & de talibus homines posse statuere, utpote ritibus & ceremoniis, quibus Ecclesiam dicit non posse carere. Obiter ergo Lector quam festivum illud? quod ritibus ac ceremoniis fatetur Ecclesiam carere non posse, & tamen paulo post unumquemque liberum esse vult, eadem statuta vel observare vel transgredi, videlicet ut libera sit Ecclesia. In quam libertatem sic vocati sumus, inquit, è servitute, ut nec ulla lege, nec ulla consuetudine teneamur, sed ita videlicet liber quisque sit in rebus spiritualibus, ut quicquid libet, licere debeat: quid ni? ut dum unus natale celebrat, alius faciat Pascha, & dum religiosi jejunant Quadragesimam, Pater potator interea, cum suis compotoribus, celebret bacchanalia. Et hæc est una solutio, qua solvit illud argumentum Regis.

Non valet, inquit, similitudo: quia, ut tolleretur altera species, non potuit Ecclesia statuere: quia forma instituta à Christo: sed de aqua infundenda potuit, quia non est de forma Sacramenti, sed quiddam impertinens, & quicquid est impertinens, non solum Ecclesia, sed etiam quilibet potest libere pro suo libito facere, vel omittere.

Verba Lutheri.

Et

Et tamen paulo post, idem Reverendus Pater ait, non impertinens esse, sed malum, aquam infundere vino: atque ita non licere, quia habet inquit, malam significationem: nam significat, inquit, synceritatem Scripturæ, confundi traditionibus humanis. Vides igitur, ut homo sapiens, & nusquam sibi contrarius, unum Regis argumentum solvat duabus solutionibus, invicem sibi contrariis: Altera, quod cuilibet licet aquam infundere, quia non est prohibitum, sed tantum est impertinens, nec magis ulli parti Sacramenti contrarium, quam creationi mundi, aut nativitati Christi: Altera, quod licere non potest, quia malam habet significationem. Et certe licere non potest, si tam malum est, ut significet synceritatem Scripturæ confundi traditionibus humanis.

Unde ista regula Luthere?

HIC ego tuam fidem charissime Lector imploro. Id quod hic nebulo modo appellat impertinens, modo consuetudinem incertæ originis, modo etiam ritum malum: cogita quæso tecum, an ullam originem habere censeas, præter solam voluntatem immortalis Dei. Nam si mortales omnes convenissent in unum, putas ne tam audacem futurum fuisse quenquam, qui primus ausus esset proponere, aquam infundendam in vinum, qua de re nihil esset factum in exemplo Christi? Quod si quisquam fuisset tam audax, ut proponeret: quenquam ne putas futurum fuisse tam amentem, ut in re tanta ferret talia proponentem, ut homines ex aqua & vino rite se facturos crederent, quod Christum accepissent in solo fecisse vino? An non minus timuissent utramque speciem omittere, quam alteram, adjuncta tertia humana temeritate violare? etiamsi quid esset, quod omnes scirent habere significationem optimam. Quanto minus si (quod hic ait nebulo) res haberet significationem pessimam?

Non est verisimile.

Nam alioqui nihil censet esse periculi, si quis quum Sacramentum conficit, quicquam faciat quod sit impertinens, & non contrarium.

Ah sceleratum scurram, quem, hac ratione vident omnes non reveriturum cum pane mixtum consecrare caseum, aut sacrosanctum corpus Domini conscindere, atque infarcire farcimine.

SED tu Lector pie, quum videas neminem, qui quidem Christianus esset, id unquam fuisse ausurum, ut aliquid adjiceret venerando Sacramento: dubitare non potes, aquam sola sancti Spiritus ordinatione infusam: velut repræsentet illius aquæ memoriam, quæ simul cum sanguine de Christo fluxit in cruce, vel quia vinum in Cœna quoque miscuit Christus, etiam si nihil de ea loquantur Evangelistæ, qui non omnia scripserunt, quę fecit Christus, certe quacunque de causa Spiritus sanctus instituit, non alio receptum Spiritu, quam sancto, potes Lectorem esse certissimus. Quare nec id dubitare potes, quod Spiritus sanctus instituit, quisquis id malum significare dicit, illius spiritum à spiritu pessimo fortiter esse possessum. Quid ergo mirum est, si stolidus nebulo calumniatur Principem, quum & Apostolum Jacobum, & Ecclesiam totam Catholicam, jam olim contempserit, & nunc eo procedat impietatis, ut aperte blasphemet Spiritum sanctum? Quum id, quod nemo non videt Spiritum sanctum omnibus inspirasse fidelibus, hoc audet scurra, quovis infideli deterior, execranda lingua & radicibus execranda, blasphemare.

Is est Lutherus.

O sacrilegum nebulonem.

Ostendit, quam impeditus illo argumento Lutherus, de qua infusa in calicem: & simul duo illa genera stultorum, ab Luthero conficta facete retaliat.

CAP. X.

SED quam misere torqueatur illo argumento de aqua infusa vino, docet ejus perplexa fluctuatio. Huc atque illuc rotat se, nec usquam consistit secum: licet, inquit, hominibus statuere, ut infundatur aqua, quia est tantum ritus, & res impertinens ad Sacramentum. Et statim paulo post; Non licet aquam infundi, quia malam habet significationem. Rursus. Ecclesia non potest carere ritibus, & ceremoniis: ex quo sequitur, quod ritus & ceremoniæ servandæ sunt, & ex consequente, servanda est aquæ mixtio: quem ritum esse fatetur, & duntaxat impertinentem, & qualem dicit Ecclesiam posse statuere. At rursus, paulo post: Nemo tenetur ad ritus aut ceremonias, quia liberi sumus ab omnibus Evangelica libertate: Ergo aquam non obligamur infundere. Sed paulo post rursus: Si quis infundat aquam, malum significat: Atque hoc ratione, prohibemur infundere. Vide quo pacto se ex illo extricet argumento D. Martinus. Aquam tenemur infundere. Aquam non tenemur infundere. Aquam non tenemur infundere. Age, age nebulo: perge scelestе, sic perplexe loqui. Sic obscuratur cor insipiens. Sic caligant impii. Sic hallucinantur schismatici. Sic vertigine rotantur hæretici.

Et tamen affectat videri non rixator tantum strenuus, sed si Superis placet, etiam scurra facetus. Fingit itaque duo stultorum genera: quorum alter sit tam stultus, ut ex facto impertinente extra Scripturam, putet tolli Scripturam. Ut ex eo, quod fit adulterium, tolli putet Scripturas, prohibentes adulterium. Alter vero, tam stolidus, ut ex uno quolibet Scripturæ loco, quemlibet alium Scripturæ locum, quantumvis impertinentem putet hæreticum esse, ut ex eo, quod Jetro legitur consuluisse Mosi, ut statueret judices, credat omnes Scripturas falsas esse, quæ loquuntur de nativitate Christi. Deinde disputat suo more festive, hoc est scurriliter: utroque stulto stultiorem esse Principem, qui ex eo, quod homines licite statuerent, ut aqua vino misceretur in Sacramento: quæ res est (ut ait) ritus duntaxat impertinens, & ideo licite potuit ab hominibus institui, concludat etiam, licite ab hominibus institutum, ut vini species tolleretur Laicis. Quam rem talem esse contendit, ut ab hominibus institui

Stulta Lutheri stultorum fictio.

non potuerit; quia vini species non est res impertinens, sed pars Sacramenti.

Occasio hujus fictionis Lutheri.

VERUM quum hujus tam festive fictionis fundamentum sit, non ullum verbum Principis, sed stolidum ipsius Lutheri commentum, quo nemo non illum videt, id dictum imputare Regi, Rex quod nusquam dicit, quis adeo stultus est, ut non stultum istum, tam stulte stultos fingentem, rideat? Nam quod tam facile nobis fingit stultos, equidem nihil miror. Naturale est enim, ut stultus procreet stultum, similis similem, sicut asinus asinum. Nec dubito, quin stultus iste, postquam ei jam displicere cœpit in Sacerdote castitas, multos nobis stultos geniturus sit. Verum cum sua stultorum suorum generatione, sic glorietur, ut aut neminem stultitiam suam videre credat, aut id se saltem simulet credere: fingat nobis egregius iste stultorum figulus, unum saltem stultum hujusmodi, qui quum invenerit forte annulum ex Orichalco, per jocum deceptus à quopiam, persuadeat sibi, eum esse aureum illum annulum Gygis, qui olim imperitabat Sardibus, quo illum, ferunt, solitum ire quolibet invisibilem. Hac mirabili fortuna, superbus morio, quos ludos jocosque dabit, dum mille nugis faciet præstigii sui periculum? quam gestiet, quam ridebit? quam saltabit præ gaudio, spectatoribus in aliam partem avertentibus oculos, ut ejus foveant stultitiam? Jam ille, se interea mirabilem quempiam semideum his haberi putabit, quibus ridetur insanus. Non simius simio similior est, quam isti stulto stultus, & stulte stultifex Lutherus. Qui tanquam nemo stultitiam ejus videat, ita se superbus effert, & quasi jam persuaserit omnibus, id Regem hominibus tribuere, quod nemo nescit eum tribuisse duntaxat Deo: ludit ac gestit stolidus, velut omnibus omnium oculis novo perstrictis præstigio, ne se ludentem conspiciant, venuste scilicet in morem Cameli saltantem. Ipse tam stultus interea, ut sannas, cachinnos, ronchos, & Rhinocerotas non animadvertat omnium undique ridentium, tam ridiculam stolide sibi plaudentis insaniam.

Si tantum stultos gigneret, minus esset mali.

Hujusmodi quiddam se jam reperisse putat Lutherus.

Morionis videlicet ritu saltantis in rete.

Verum ne fors ægre ferat venerandus Pater, nomen stulti: age, fingatur alius, non plene stultus, sed pæne stultus. Cæterum plene nebulo, & plusquam plene scurra parasiticus, qui fuerit aliquando frater, post curtisanus, dein rursum frater, post apostata, tum leno rursus, postremo plagepatida, qui in aliquo Bohemiæ pago, rusticorum convivium ingressus, scurrari cœperit: qui quum turpissimis gestibus, & verbis obscœnissimis risum captarit: postquam ineptus minus, & improbus, imitatus est rusticum lenonem, ebriosum, meretricem furiosam, tandem cupiens exhilarare convivas, incipiat imitari morionem: & quo primarium stultitiæ specimen edat, nudus prodeat in convivium duntaxat opertus rete, quasi persuaserit ei quispiam, sic incantatum esse se, ut nemini possit conspici. Sic igitur ingressus, non morio stultus & innocens, sed improbus scurra, & lastaurus impudens, obscœnis gestibus laborat excitare risum, donec tam fœdum spectaculum detestantibus illius etiam ruris rusticis, qui publice coëunt in templis, ipso solo qui risum captat sic ridente, quo modo ridere solet irritatus canis, cæteris indigne ferentibus, avulso tandem rete, scurra flagris ejicitur.

Tacite tangit crebras Lutheri metamorphoses.

Hæc Luthere in te belle competunt.

Hic scurra, scio, non displiceret Luthero: neque enim sua cuiquam forma displicet: neque quicquam Luthero tam conforme, quam hujusmodi scurra: ita uterque pari modo scurratur. Nam nec illius nuditas magis conspicua est, quam Lutheri, cujus obscœna sic retegit, ac revelat Regis libellus, ut ipsius liber, quo se tectum simulat, non magis eum tegat, quam illum alterum scurram tegit rete: nec illius magis pudenda nuditas, nec magis impudens, quam nebulonis istius, qui sibi conscius, turpissimam sycophantiam suam omnibus ubique patere: neque quenquam esse mortalium, qui non illum sentiat idipsum aperte sentire: tamen scurra turpissimus, tanquam sibi persuaserit, nemini se posse conspici, sic se stultum simulat, ac sub persona stulti, non in rusticorum convivio, sed in totius orbis theatro, non in re levicula, sed in materia Religionis & fidei, tam imprudenter abutitur improbe scurrandi licentia, ut plane se demonstret dignum, quem non honesti solum cuncti, velut honestatis corruptelam publicam publice castigandum curent, sed omnes etiam scurræ virgis in foro verberent, quod tam improbe scurrando, scurrarum ordinem ex ridiculo reddat invisum.

Sic tractari debet Lutherus.

Hoc quo magis appareat ejus stultitia.

Ostendit Lutheri in causa diffidentiam, & dissimulationem earum rerum, quibus debuit respondere: nec non adversus beatum Ambrosium, stolidam & blasphemam sycophantiam.

CAP. XI.

DE TRANSUBSTANTIATIONE.

QVarto, quum ego demonstrassem, non esse necessarium credere, panem & vinum transubstantiari: insurgit in me Thomista Rex, duabus machinis. Quarum prima est Ambrosii verbum: Altera Thomisticus ille aries, qui vocatur; Oportet sic esse. Ambrosium inducit, asserentem nihil remanere nisi corpus & sanguinem post consecrationem. Quid ergo respondeam tam insulsis, & ineptis stultis? Si hic quæram, an Ambrosii verbum sit articulus fidei necessarius, dicet Rex, Oportet sic esse. Si dixero, quis dedit Ambrosio jus condendi articulos fidei, dicet, Oportet sic esse. Et non videt stolidum caput, tale esse Ambrosii verbum, quod se ipsum devorat, cum impossibile sit nihil remanere nisi corpus & sanguinem post consecrationem, nisi apud Thomistas subtilissimos viros, forma, color, frigus, & alia accidentia, nihil esse dicuntur. Nam hæc vere ut non sunt nihil, ita videmus ea remanere, ut Ambrosium hic errasse palam palpemus etiam.

Verba Lutheri.

Id quod tam insulsus quam tu es, vellet, convicia mera.

Et tu nequis tuum videre scelus.

Aut nunquam quisquam victus est candide Lector, aut hac in re profecto clarissime victus est, & turpissime cecidit impiissimus hæreti-

hæreticorum Lutherus: Cui, si tam aliquid esset frontis, quam nihil est omnino mentis, sic illum oppressisset pudor, ut in ignem potius fuisset conjecturus sese, quam in hujus articuli mentionem unquam venturus denuo. Sed quam nihil illum pudeat, vel hinc agnosce Lector. Rex illius argumenta recensuit omnia fideliter, atque adeo nihil imminuit, ut quædam etiam amplificet. Omnia vero tam aperte solvit, ut ne nunc quidem præter stulta convitia, sicuti statim videbis, quicquam potuerit invenire Lutherus, quod contra rursus objiceret. Denique totam rem ex ipsis Christi verbis probavit, quæ licet tam aperta sint, ut expositione non egeant, tamen exposuit tam dilucide, ut si cuiquam ante fuissent dubia, postea dubitare non posset. Postremo, ne videretur ex suo duntaxat capite quicquam dicere, sicut Lutherus è suo dicit omnia: profert magnam antiquorum patrum, & doctissimorum, & sanctissimorum catervam, eadem de re, idem omnino sentientium: quorum testimonio probavit, non modo se pro suo libito non torquere scripturam dubiam, sicut Lutherus in transversam torquere solet apertam, sed nec in clarissima quidem cito credere, nisi secum consentire senserit bonorum atque eruditorum sententiam. Quin eadem opera, probavit & illud: Nempe transubstantiationis fidem, quam Lutherus improbe mentitus est, natam esse intra trecentos annos: veterem fuisse Ecclesiæ fidem ante años plus mille. Quum ergo Princeps (ut dixi) luculenter hæc probarit omnia, Lutherus ita prostratus in lutum, pudoris dolore stimulatus, ex ira versus in furiam, hæc ferme dissimulat omnia. Et omissis ossibus ac nervis, conatur, mollioris hinc inde caruncula frustum aliquod arripere, quod rodat. Nec tamen quicquam invenit tam fragile, quin putridos ejus dentes infringat. Quemadmodum illud ipsum de Ambrosio, in quo spectare potes, & extremæ desperationis, & duplicis sycophantiæ Lutheranæ conscientiam. Ait enim Regem, tantum afferre duo, videlicet dictum Ambrosii, & Thomistarum (ut vocat) arietem, Oportet sic esse. Quæso te Luthere, quum tot veteres produxerit Rex, cur tu, qui sacrilegium clamas esse omitti tuorum quicquam, atque id clamas impudenter ibi, ubi nihil prorsus omittitur: cur inquam, hic reliquos omnes subtrahis, de solo fateris Ambrosio? Nemo tam stupidus est, qui non intelligat tam multorum, qui & eruditi fuerunt & sancti, consensum, tempore locoque distantium plus habere momenti, quam dictum unius Ambrosii. Cur tu tantus bellator, tam certus victoriæ, in causa (ut fingis) facili, non audes congredi cominus? Cur quæris tam pudenda suffugia, ut, quod fortius est, dissimules: quod minus forte est, id seligas, tanquam solum sit, cum quo pugnare debeas? Putasti quenquam esse tam stupidum, ut te non sentiat, quum ita rem tractas, pugnam detractare, & extremam desperationem tam male tegendo, manifeste prodere?

At Lutherus utitur diversa Rhetorica ut aliquid truncet.

Hos ne taceat, ridet Lutherus.

At Lutherus contra sese præfert omnibus.

Hoc pro suo more facit.

Solita Lutheri sycophantia.

Itaque Lutherus eos subticuit.

Ita credidit.

SED age, reliquos omittamus in gratiam tuam: videamus interim, quam belle viceris hunc unum, quem tanquam opportunum & obnoxium, ac superatu facillimum delegisti tibi comparem.

Si quæram, inquis, an Ambrosii verbum sit articulus fidei necessarius, dicet Rex, Oportet sic esse. Si quæram, quis dedit Ambrosio jus condendi articulos fidei? dicet, oportet sic esse, non potest aliter esse.

Verba Lutheri.

Horum Luthere, Princeps neutrum respondit. At si quæsieris, an qui talia quærit, absurde nugetur: an is, qui in tanta re tam inepte nugatur, sit improbus & absurdus nebulo: nemo non ad utrumque respondebit: oportet sic esse, non potest aliter esse.

Audin Lector hunc sycophantam?

Jam quid unquam legisti Lector, magis scurrile, quam id, quod sequitur, quo furiosulus iste bacchatur in beatum Ambrosium, quem vult haberi tam stultum, ut verbum ejus seipsum devoret, propterea, quod impossibile sit, nihil remanere, nihil corpus & sanguinem? scilicet quia remanent accidentia, quæ non sunt omnino nihil. Atque ex hac ratione concludit; Ambrosium illo dicto sic errare palam, ut id palpemus etiam. Refer adhuc manum palpator eximie. Ambrosium palpa diligentius: quum dicit hoc pacto. Licet figura panis & vini, in altari videatur, nihil tamen aliud quam caro & sanguis Christi credendum est, dicitne periisse prorsus accidentia? si dicat accidentia periisse, quomodo dicit restare panis & sanguinis figuram? An figuram sensit esse substantiam? Quomodo potuisset apertius dicere, remanere accidentia, mutari substantiam, quam quum diceret, adhuc ea manere, per quæ manere viderentur panis & vinum: sed non manere quicquam, quod esset aut panis aut vinum? An duntaxat oculorum visu, manet species panis & non idem reliquis item sensibus videtur?

Et non immerito.

Pulchra scilicet ratio Lutheri.

Ambrosii verba.

Ubi sunt Luthere illa verba sui devoratricia?

Igitur quum dicit adhuc videri panem & vinum: an non aperte dicit accidentia manere, per quæ efficitur, ut panis & vinum esse videatur? Quomodo igitur, hic palpat palpator, beatum Ambrosium errare? Itane cujusquam digiti stupent, ut non palpet hunc palpatorem non errare palpando, sicut erravit Isaac: sed maligne calumniando bacchari, nec sese devorare beati Ambrosii verbum, sed furias devorasse Lutheri cerebrum.

Lutherus quam certus palpator.

Sed esto, inquit, Ambrosius voluerit non manere panem & vinum, dicam, Ambrosium suo sensu abundare permitto. Neq; sanctus vir, hoc verbo conscientiam ullius ceu articulo fidei voluit obstringere, quum id non possit è Scripturis demonstrare, sed sicut ipse libere hoc modo est opinatus: ita permisit aliter aliis opinari, exceptis Thomistis, quos etiam veternosis somniis suis ceu articulis fidei, justum est illaqueari & vexari.

Verba Lutheri.

Cur ergo tu iniquior es Ambrosio, cum nihilo sis certior?

Quam acute solvit: quum non ex unius Ambrosii, sed cæterorum quoque Sanctorum omnium libris clarescat, publicam Catholicæ Ecclesiæ fidem (quam vel absque Scriptura certam esse, veramque, nec falli posse Scriptura testatur) multa secula fuisse talem: quum eandem

dem fidem probent etiam aperta verba Christi, non debent hæc satis esse Luthero, qui fidem hanc natam esse mentitur intra trecentos annos. An adversus Lutherum ideo non debent hæc valere, quia Lutherus Ambrosium permittit abundare in suo sensu, & idem Ambrosius tantum suum sensum aperuit, nec Luthero præcepit aperte, ut idem crederet: quia nunquam putavit, nasciturum tam improbum hæreticum, qui id, quod CHRISTUS Ecclesiæ pro indubitato tradidit, tracturus esset in dubium.

Lutheri commentum de fide.

Comparat & expendit verba Regis, cum verbis Lutheri, & ex Evangeliis responsum Lutheri convincit.

CAP. XII.

Verba Lutheri.

Jam aliud Regis robur, quod oportet sic esse, quia clara sunt, inquit, verba Christi, dicentis: Hoc est corpus meum. Non dicit cum hoc, aut in hoc, est corpus meum. Hic iterum non tam lethargum Regis quam nequitiam accuso. Sic enim detruncat latro verba Christi, & meum argumentum regaliter transilit, ac si jus haberet verba Dei rapere, & ponere pro libidine. Ipse, juxta rudem & asininam Thomistarum Philosophiam, aptat pronomen, Hoc, ad prædicatum, corpus meum. Deinde mox (quasi hoc vicisset) clamat; Aperta sunt verba. Hoc est corpus meum. Sed interim totum pondus, quo larvalem illam Philosophiam urgebam, tacet subdolus sophista. Hic enim, tota Disputatione egi, ne pronomen, hoc, ad corpus meum aptari possit in eo loco. Neque enim opus erat mihi tam crassis porcis, qui mihi dicerent, nihil esse nisi corpus ibi, si pronomen, hoc, non nisi corpus demonstrat. Sed quum vitiosissimus petitor principii (ut est mos omnium sophistarum) debeat primum ostendere pronomen, hoc, ad prædicatum pertinere, & meas rationes diluere, horum nihil facit, & garrit ridicule Christum non dixisse in hoc, vel cum hoc, sed hoc est corpus meum. Nonne & ego ista subtilissima subtilitate Thomistarum, possem dicere, Christus non dixit panis substantiatur in corpus: ut vos fabularum Magistri fingitis?

Imo tu emotæ mentis es nebulo.

Imo omnia facit Lutherus, quæ tu eum negas facere.

Sed hic fuerit Regi laborandum, ubi ex filo sermonis ostendi, pronomen, hoc, ad panem aptari: & sic sonare aperte verba. Hoc est corpus meum, id est, hic panis est corpus. Nam textus sic habet. Accepit panem, benedixit, fregit, & dixit, Hoc est, &c. Vides hic, ut omnia illa verba, accepit, benedixit, fregit, de pane dicantur. Et eundem demonstrat pronomen, hoc; Quia illud ipsum, quod accepit, benedixit, fregit, hoc inquam acceptum, & benedictum, & fractum, significatur, quum dicitur: Hoc est corpus meum, non prædicatum, sed subjectum demonstrat. Non enim corpus suum accepit, benedixit, & fregit, sed panem: ideo non demonstrat corpus, sed panem. Hæc sunt clara verba, quæ Rex nequitiosus occulit, & nudam illam propositionem urget. Hoc est corpus meum, & pronomen, hoc, ad corpus temeritate propria aptat.

Egregie sane demonstratis.

At jam apparet vos male intelligere Grammaticam vestram.

Si quis usquam locus est Lector: cujusmodi sunt supra mille qui manifeste probent, Lutherum esse mortalium omnium maxime impudentem, hic certe locus id docet clarissime; Queritur Principem, Christi verba temerasse, ipsius argumenta præteriisse: quum Rex integre Christi verba recenseat, ex Evangelistis omnibus: Lutheri argumenta melius recitet, quam Lutherus. Deinde sic rem tractet, ut hoc libello plane se demonstret Lutherus, suam se causam prorsus habere pro victa, ita Regis argumenta prorsus relinquit intacta: cum uno duntaxat aut altero argumenti frustulo rixatur, nihil prorsus affert, quo labantibus argumentis suis succurrat. Quamobrem hac in re nihil erit mihi cum Luthero negotii: subjungam tantum quædam ex libello Principis, quæ quum Lector, cum Lutheri responso contulerit, facile deprehendet, quam deploratam causam Lutherus habeat. Quam nunc, post tam gloriosam jactantiam, tandem sic reliquerit indefensam. Sic igitur inquit Rex.

Quomodo Rex prætereat Lutheri argumenta.

Lutherus ipse id facit, quod Regi exprobrat.

SECUNDAM captivitatem facit, quod quisquam vetetur credere verum panem, verumque vinum restare post consecrationem. Qua in re, contra quam, totus jam credit Christianus orbis, ac multis retro seculis credidit, persuadere conatur Lutherus, in Eucharistia sic esse Christi corpus & sanguinem, ut tamen substantia veri panis, verique vini remaneat, posthac, opinor, quum libebit, corporis aliquando substantiam sanguinisque negaturus, tanquam post in melius mutata sententia, quemadmodum ter, ante jam fecit, nempe in indulgentiis, in potestate Pontificis, & communione Laicorum. Interea se fingit ista docere, motum videlicet misericordia captivitatis, qua populus Israëliticus serviat Babyloni. Ita totam Ecclesiam appellat Babylonem: Ecclesiæ fidem vocat servitutem: & homo misericors offert libertatem omnibus qui velint ab Ecclesia separari, & istius putridi & abscissi membri contagione corrumpi. At quibus modis invitat in hanc plusquam servilem libertatem, operæ pretium est cognoscere. Magnam censet ac primariam rationem: quod verbis divinis non est ulla facienda vis, neque per hominem, neque per Angelum.

Verba Regis.

Is sibi captus videtur, nisi quidlibet liceat facere.

Quam Lutherus proponat libertatem.

Sed quantum fieri potest (inquit) in simplicissima significatione servanda sunt, & nisi manifesta circumstantia cogat, extra Grammaticam, & propriam, accipienda non sunt: ne detur adversariis occasio, universam Scripturam eludendi. At vis fit verbis divinis, si quod Christus ipse vocat panem: hoc nos dicamus intelligi panis accidentia, & quod ille vinum vocat: hoc nos dicamus esse tantum vini speciem. Omnibus ergo modis, verus panis, ac verum vinum restat in altari, ne verbis Christi fiat vis, si species sumatur pro substantia. Nam quum Evangelistæ clare scribant, Christum accepisse panem, ac benedixisse; Et Actuum liber, & Paulus, panem deinceps appellent, verum oportet intelligi panem, verumque vinum, sicut verum calicem. Non enim calicem transsubstantiari etiam ipsi dicunt.

Verba Lutheri.

Hæc

Verba Regis.

HÆC est ergo magna, & (quemadmodum ait ipse) primaria Lutheri ratio: quam ego me spero facturum, ut omnes quam primum intelligant, nihil magni habere momenti. Nam primum, id quod ait, Evangelistas clare dicere, quantumvis clare dicant, pro Luthero tamen nihil clare probat: contra vero, quod pro illo probarat, hoc nusquam dicunt. An non scribunt, ait, accepisse panem & benedixisse? quid tum postea? Accepisse panem & benedixisse, etiam nos fatemur. Panem vero dedisse Discipulis, postquam inde suum corpus confecerat, hoc & nos instanter negamus, & Evangelistæ non dicunt. Quæ res quo fiat apertior, & tergiversandi minus pateat locus, Evangelistas ipsos audiamus. Matthæus ergo sic narrat. Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, & fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur, in remissionem peccatorum. Marci vero verba sunt ista; Et manducantibus illis, accepit Jesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis & ait: Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis; Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur. Lucas denique narrat hoc pacto; Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis detur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens: Hic est calix, Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

Lutheri argumentum diluitur.

EX omnibus Evangelistarum verbis, nullum video locum, in quo post consecrationem, sacramentum vocetur panis, aut vinum, sed tantum corpus & sanguis. Dicunt, in manus Christum sumpsisse panem: id quod nunc fatemur omnes: at quum reciperent Apostoli, non panis nominatur, sed corpus. At Lutherus Evangelistæ verba, in suam partem conatur interpretatione torquere. Accipite, Manducate. Hoc, id est, hic panis, (inquit) is quem acceperat, & fregerat, est corpus meum. Sed hæc est interpretatio Lutheri, non verba Christi, neque verborum sensus. Si panem, quem accepit, quemadmodum accepit, sic tradidisset discipulis, nec ante convertisset in carnem, ac porrigendo dixisset: Accipite & manducate: recte diceretur porrexisse, quod in manus acceperat: nihil enim fuisset aliud, quod porrigeretur. At quum, priusquam daret Apostolis manducandum, panem converterit in carnem, non jam accipiunt panem, quem ille susceperat, sed corpus ejus, in quod panem converterat. Quemadmodum, si quis, quum semen accepisset, alii daret inde natum florem, non id dedisset, quod acceperat: quanquam naturæ communis ordo, alterum fecisset ex altero: ita multo minus porrexit Apostolis id, quod in manus acceperat Christus, quum panem susceptum, in suam ipse carnem tanto vertisset miraculo, nisi quis contendat, quoniam Aaron virgam sumpsit in manum, & virgam ejecit è manu, ideo cum colubro quoque, virgæ extitisse substantiam, aut colubri denuo, cum recepta virgula. Quod si cum colubro, virga restare non potuit, quanto minus restare potest panis, cum carne Christi, tam incomparabili substantia? Nam quod argutatur, imo nugatur Lutherus, pro suæ simplicitate fidei facere, quum de vino dicat Christus, non, hoc est sanguis meus, sed, hic est sanguis meus: miror, quid homini venerit in mentem, quum istud scriberet. Quis enim non videt, quam nihil omnino facit pro eo, imo contra: videretur magis pro eo fecisse, si dixisset Christus: Hoc est sanguis meus. Habuisset enim ansam saltem Lutherus, qua demonstrandi Articulum referret ad vinum. Nunc vero, quum vinum sit neutrius generis: Christus ait: non hoc, sed hic est sanguis meus: & quum panis sit generis masculini, ait tandem: Hoc est corpus meum, non hic: ut uterque ostendat Articulus, Christum, neque panem propinare, neque vinum, sed suum ipsius corpus & sanguinem.

Argutula Luth. interpretatio.

Comparatio elegans

Comparatio efficax.

Lutheri nugax argutia eluditur.

NAM quod videri vult Lutherus, pronomen, hoc, ad corpus referri, non Christi proposito, sed occasione linguarum, nempe Latinæ & Græcæ, ac proinde nos remittit ad Hebraicam, an non ridiculum est?

Nam Hebræa lingua, si neutrum genus non habet, non potest tam aperte declarare, ad utrum Christus retulit Articulum, quàm Latina vel Græca. Nam in Hebræa lingua, si Articulus fuisset masculinus, tanquam diceret, hic est corpus meum: tamen res relinqueretur ambigua, quia potuisset ea locutio videri coacta, necessitate linguæ, non habentis neutrum. Sed quum apud Latinos, panis & corpus sint diversi generis: is, qui transtulit è Græca, Articulum conjunxisset cum pane, nisi apud Evangelistam reperisset demonstrationem factam de corpore. Præterea quum Lutherus fateatur idem generis discrimen esse, & Græcis facile potuisset cognoscere Evangelistas, qui scripserunt Græce, Articulum fuisse posituros, qui referretur ad panem, nisi quod conscii mentis dominicæ, voluerunt admonere Christianos Articulo corporis, Christum non panem communicasse discipulis, sed corpus. Quamobrem, quod Lutherus interpretatur in suam partem verba Christi; Accipite & manducate, hoc est corpus meum: id est, hic panis, quem acceperat: non ego, sed ipse Christus contra docet, sua verba intelligi: nempe hoc, quod eis porrigebat, non esse quod ipsis videbatur panem, sed suum ipsius corpus (si recte Christi verba recensent Evangelistæ) Nam alioqui poterat dicere, non hoc (quod exponeretur) id est hic, sed aperte potius, hic panis est corpus meum: quo sermone docerentur Discipuli, id quod nunc Lutherus docet Ecclesiam: nempe

in Eucharistia pariter & Christi esse corpus & panem. Nunc vero sic loquutus est, ut ostenderet manifeste, corpus duntaxat esse, non panem.

JAM quod tam magnifice transfert ad se Lutherus: quod Christus etiam loquitur de calice, quem nemo dicat esse transsubstantiatum, miror hominem non pudere tam intemperantis ineptiæ. Quum dicit Christus, Hic calix Novi Testamenti in meo sanguine, quid facit pro Luthero? Quid enim significat aliud, quam id, quod discipulis propinabat in calice, suum esse sanguinem? An ex his Christi verbis ostendet nobis Lutherus, manere vini substantiam, quia Christus loquitur de sanguine? aut vinum in sanguinem non posse mutari, quia adhuc restat calix? Utinam præludium delegisset sibi Lutherus ex alia materia, in qua minore periculo potuisset ludere. Nam quum Bohemos & Græcos sic excuset ab hæresi, ut hæreticos clamet omnes esse Romanos: multo magis ostendit se Lutherus hæreticum, qui non solum fidem abnegat, quam tota credit ecclesia, sed etiam deteriora credi suadet, quàm aut crediderunt Græci, aut unquam credidere Bohemi.

Argumentum Lutheri ineptissimum.

QUID ais Luthere? quid in te credis, dum hæc legit, interea rogitare Lectorem? an non mirari, ac detestari tuam impudentiam? Dixisti, regem argumenta tua regaliter transilire: sed Lector te videt hic scurriliter valde mentiri. Dixisti, regem Christi verba truncare sed Lector te dignum censet, cui mendacissima lingua secari debeat, & stolidum truncari caput. Dixisti regem nihil afferre, nisi Oportet sic esse: Lector eum videt tua argumenta tam vere solvisse, ut nihil habeas, quo possis ferre subsidium.

Catalogus mendaciorum Lutheri in regem.

ET tu, quo fugam tuam turpissime dissimules, excerpis è tam multis unius argumenti partem, & illam quoque, quantum potes, depravas, quam nec sic effugis. Sed nusquam tutus, huc illuc trepidus cursitas, sicut fugientes solent. Debuit, inquis, ostendere pronomen, hoc, ad corpus pertinere: quasi non omnes eum videant id clarissimis argumentis fecisse, & exemplis etiam illustrasse, de semine & inde nato flore, de virga & inde facto serpente. Quibus tuum illud præsidium de circumstantia plane prostravit. Et tamen illa dissimulans, rursus redis cum eadem circumstantia. Accepit panem, benedixit, fregit, ac dixit: Hoc, id est, hic panis est corpus meum. At interea de responsione regis, verbum nullum: de exemplis illis magnum silentium.

Lutheri vitatio.

Vides hic, inquis, ut omnia illa verba, accepit, benedixit, ac fregit, de pane dicantur. Et eundem demonstrat pronomen, hoc. Quia illud ipsum, quod accepit, benedixit, ac fregit, hoc inquam, acceptum, & benedictum, & fractum, significatur, quum dicitur: Hoc est corpus meum, non prædicatum, sed subjectum demonstrat. Non enim corpus suum accepit, benedixit, & fregit, sed panem: non ideo demonstrat corpus, sed panem. Hæc sunt, inquit, clara verba, quæ rex nequitiosus occulit.

Verba Lutheri

O suavem interpretem.

Sed quid rex ad ista responderit, & hoc tam aperte stultum sophisma, quam aperta ratione diluerit: hoc nequitiosus occulit Lutherus. Et tanquam omnium clausisset oculos, ne quis illud posset legere: sic rursus stultissime jactat idem sophisma, rursus oculis subjiciens, & prædicans subjectum, & prædicatum, & catenam nobis longam faciens è glacie, Panis erat, quem accepit, ergo panis erat, quem benedixit. Panis erat, quem benedixit, ergo panis erat, quem fregit. Panis erat, quem fregit, ergo panis erat, quem dedit Discipulis. Sic Luthere soles vigilanti stertere naso, ut te non sentire simules, quum hanc fragilem catenam tuam tibi rex infringeret, negans Christum dedisse, quod in manus acceperat, postquam id, quod accepit, mutavit in aliud: quemadmodum pulcherrime demonstrat exemplum illud, de flore nato ex semine. Quod exemplum, tu non es ausus attingere. Sed si teneret hæc præclara catena tua, nec virga Aaron ex virga versa fuit in serpentem, nec ex serpente rursus in virgam, si sic sophisticari pergamus. Aaron, quod in manus sumpsit, hoc projecit, sumpsit autem virgam, projecit ergo virgam. Deinde, quod projecit, hoc ante Pharaonem jacuit, sed non nisi virgam projecit, ergo non nisi virga jacuit ante Pharaonem. Aut si simul fuisse vis, & virgam & serpentem, licebit saltem eodem modo colligere. Quod in terra jacuit, hoc Aaron sustulit, & secum retulit, sed serpens jacuit in terra: ergo serpentem è terra sustulit, & serpentem retulit domum. Quin eodem sophismate probabis nobis Evam perpetuo fuisse costam, si quis hoc sophismatis genus admittat. Quod Deus de latere tulit, hoc Adæ conjunxit, in uxorem, sed de latere ejus costam tulit, ergo costam illi dedit uxorem. Quod si quis hoc sophisma tuum rideat: hic serius, ut soles, cum eodem redibis insaniens, & rem conaberis obtinere conviciis, exclamans: Vos asini, nunquid costam tulit Deus ex Adam, & ædificavit in mulierem, & adduxit ad Adam, & ei dedit in uxorem? Nunquid igitur costa fuit, quam de Adam tulit? & quod tulit, id ipsum ædificavit? & quod ædificavit, id ipsum adduxit? & quod adduxit, id ipsum conjunxit? Ergo à primo ad ultimum, costam ex Ada tulit: ergo costam Adæ conjunxit. Jam si quis audeat hujus sophismatis aperire mysterium, ac neget Deum adduxisse costam, quam ædificavit in mulierem, sed mulierem, quam ædificavit ex costa, sicut Christum, respondit rex, dedisse discipulis, non panem, quem acceperat, sed corpus, quod ex pane fecerat, illum ridicule ridebit Reverendus pater, & negabit argumentum suum bene solutum esse, neque quicquam dicet esset responsum, præter, oportet sic esse. Nec interea verbum faciet ullum, de his, quibus tam apertè revincitur.

Collectio argumenti Lutheri.

Lutheri argumentum derogare certis scripturis.

Cynicus Lutheri mos.

Hoc Luthere tuum sonat argumentum.

Non enim opus est, ulcus tangere.

NAM quæso te Luthere, per stultitiam tuam, cur non es ausus resumere præclarum illud

lud argumentum tuum de articulo? Credo profecto, omnes articulos tuos concepisse chiragram & prodagram, ex frigore illius unius articuli, quem, quum Babylonem tuum contuli cum responso regis, ita stolide reperi tractasse te, ut nec insanus potuisset insanius: ita tractasse regem contra te, ut illud unum vulnus, quo tute causam tuam vulneraveras, mortiferum effecerit, atque totam hæresin tuam, illo uno vulnere peremerit: etiam si nullum addidisset ulterius. Atque ideo minus miror, si dolor te non est passus, iterum tam lethale vulnus, tua tibi stultitia factum, refricare: nec illud item de non transsubstantiato calice, quod argumentum plane reperisti, nimium bene potus in calice. Nunc ubi illorum te pudet, satis est omnia tacere, & clamare, nihil aliud afferri contra te, quam, Oportet sic esse: verba sunt clara & aperta.

Illic fere discit esse disertus.

Verba Lutheri.

Nam hoc est, inquis, insigne sapientia Thomistica, quod postulatus rationem hujus articuli fidei (cum nullum articulum sciat à me admitti, nisi apertis scripturis munitum) ipse tamen nihil aliud affert, quam Oportet sic esse: verba sunt clara & aperta. Quis autem tam insanus est Grammaticus, qui ex hoc sermone, Hoc est corpus meum, intelligat, aut colligat id, quod est panis, transsubstantiari in carnem, nisi Thomistarum fæx: qua etiam Grammaticam nos dedocuere?

Sed nec eos quidem omnes.

NON dubito Luthere (quanquam sis impudens) quin hic tamen sudes satis, quum sentias apud te, quid Lectores sentiant de te, tam stolide dissimulante omnia, quæ te videre vident omnes. Nam quod ita quæris. Quis tam insanus est Grammaticus? nos hoc Luthere quærendum relinquimus tibi, qui assidue versaris, cum insanis Grammaticis, qui tuas hæreses insanas & agrammatas, sua picturant insana Grammatica. Sed qui sic illa verba intelligunt, quomodo qui intelligunt, tu bis insanus appellas insanos: illi sunt, inquam, & doctissimi quique veterum, & sanctissimi. Quorum Rex tibi multos adduxit, qui panem asserunt non manere, sed in carnem verti, tot seculis nati, non ante Thomistas modo, sed & ante Thomam, quos à Rege nominatos impudenter dissimulas, ut eos licentius blasphemes, & insanus appelles insanos.

Quisquis te dedocuit, tu plane videris nescire Grammaticam.

Ita nihil habet pro sancto nebulo.

Verba Lutheri.

Quin eximius nostralis Rex Henricus, stropha Thomistica, ausus est etiam à me exigere, ut probem non transsubstantiari. scilicet insulsissimus Thomista, docendus etiam est elementa disputationis, qui quum affirmativam debeat probare, contendat ab adversario, ut negativam probet. Hos doctissimos viros ad hæreticos mittamus, & ad Turcam, ut fidem nostram defendant: sic, ut non sit necesse rationem fidei reddere, sed solum dicere, proba negativam.

Ita ne vos doctus estis Doct. ut nesciatis, quid cui sit probandum. Disce hic Luthere tuum officium.

EN rursus Lector stropham Luthericam, hoc est, stolidam prorsus impudentiam. Debuisset reverendus Pater, principis verba referre, quibus ab illo dicit exigi, ut probet non transsubstantiari. Nam quum sciat Lutherus, se omnibus compertum esse mendacissimum, potuit scire, neminem ei quicquam crediturum, nisi quatenus probaret, quod diceret. Nunc vero quum Lectores Regem videant, tale nihil exigere, sed ipsum quæ debuit, ipsa luce clarius probasse, facilè ridebunt, ac rejicient hoc stolidum Lutheri commentum, cum cæteris ejusdem Patris vanitatibus. Verum divino quid sibi velit. Postquam videt ea soluta, quæ protulit adversus fidem publicam, nec amplius habet quicquam, quo jam possit tam stolide dicta defendere, cupiens à necessitate disceptationis absolvi, sic interpretatur, quasi exigere ab eo, ut reddat rationem, cur adversus tam constantem, tam perpetuam totius ecclesiæ fidem, clarissimis Evangelii verbis firmatam, impiam tueatur hæresin: hoc demum sit exigere: ut probet negativam. Et hæc est eximia stropha Reverendi patris, qua se diversurum sperat, ac fugiturum, ne comprehendi possit à tardis & crassis Thomisticis.

Stropha Lutheri

Ostendit, quam stolide Lutherus conetur refellere solutionem principis, qua respondit ad ea loca, qua Lutherus allegavit ex Apostolo, quibus Eucharistiam probaret esse verum panem.

CAP. XIII.

SED hactenus, philosophatus sit Thomista noster regius; Jam videre dignum est, quam Thomistice, theologisetur adversus meas rationes. Cum ego adversus Thomisticum illum fidei articulum, posuissem fulmen illud cœleste, Pauli verbum, 1. Corinth. 10. ubi tam aperte panem appellat hoc sacramentum, ut nec Regis ruditas, nec Thomista nequitia ullum mentiendi & ludendi effugium invenire posset: cum stent verba Pauli luce clariora. Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini? Non ait, Corpus, quod frangimus, non ait nihil illud consecrationis reliquum, quod frangimus, aut accidentia, qua frangimus, sed panis, quem frangimus, utique jam benedictus & consecratus. Hic igitur panis benedictus est participio corporis Domini, &c. Simile est 1. Cor. 2. Qui manducat hunc panem, &c. Hoc bonus & suavis Thomista, nihil neque Scripturarum, neque rationis afferens, sed ex mero suo, Oportet sic esse, dicit Scripturam sanctam solere aliquando id appellare, quod fuit, vel quod simile sit, ut Exod, 7. Devoravit virga Aaron virgas magorum, id est draco, qui fuit virga Aaron. Hæc ille.

Verba Lutheri.

Quomodo Lutherus intelligat sacras Scripturas. Adverte quæso Lector, quid Lutherus vitio det.

ECCE Lector, ut bonus & suavis satanista noster fratralis, ait, regem nihil afferre Scripturæ, quo probet Scripturam aliquando, aliquid appellare, non id quod est, sed quod ante fuit. Et tamen idem bonus & suavis Lutherus noster fratralis, affert, & commemorat eam Scripturam, quam ad id probandum attulit Rex: & affert eodem ipso in loco, in quo negat, Regem ullam attulisse: & sic reverendus Pater nunquam sibi contrarius, simul dicit: rex ad istud probandum affert Scripturam, & nullam affert Scripturam. An ideo non est Scriptura sacra, quia est in Exodo? Aut ideo non affert id Rex, ut probet propositum, quia reverendus Pater explicare se non potest, dum valde se versat, ac torquet, ut probet Regem

Lutheri ars disputandi.

per illam ſcripturam, non ſatis probare propoſitum? Sed hoc in loco Lector, ne quid aut ſubducere videamur, aut affingere: ſicut Lutheri verba retulimus, ita regis quoque verba ſubjungemus.

Verba Regis. HACTENUS iſta diſſerui, duntaxat ut oſtenderem ex ipſius Chriſti verbis, & Evangeliſtarum, oſtendi non poſſe, quod iſte ſe jactat oſtendere, imo contra liquere perſpicue, in Euchariſtia panem non eſſe.

QUOD in Actis Apoſtolorum ait, Euchariſtiam appellari panem, vellem, protuliſſet locum, ego nullum reperio, qui non ſit ambiguus, & potius videatur de communi convivio dicere, quàm ſacramento. Apoſtolus tamen (fateor) panem non ſemel appellat, vel Scripturæ ſecutus in ſermone morem, quæ ſolet interdum vocare quippiam, non id quod eſt, ſed quod ante fuerat, ut quum ait: Virga Aaron devorat virgas magorum, quæ tamen tunc virgæ non erant, ſed ſerpentes: vel contentus fortaſſe vocare, quod ſpecie præ ſe ferebat, quum ſatis haberet, rudem adhuc in fide populum, lacte paſcere, nec primum aliud exigere, quàm ut quocunque modo crederent in ſacramento eſſe corpus Chriſti, poſtea paulatim, ſolidiore cibo paſturus, poſtquam adoleviſſent in domino. Idem potuit, & in Apoſtolorum Actis contingere, ubi nec beatus Petrus alloquens populum, & illis Chriſti fidem inſinuans, auſus eſt adhuc aperte quicquam, de ejus Divinitate dicere, ita abdita, & populis dubia myſteria non temere proferebant. At Chriſtus Apoſtolos ſuos, quos tam diu ſua doctrina formaverat, ipſo ſacramenti inſtituendi principio, docere non dubitavit, panis vinique non amplius reſtare ſubſtantiam, ſed manente utriusque ſpecie, utrumq; tamen, & panem & vinum, in corpus & ſanguinem ſuum eſſe converſum. Quod tam aperte docuit, ut mirandum ſit, exortum quenquam poſtea, qui rem tam claram, rurſus vocaret in dubium. Quomodo enim potuiſſet apertius dicere, nihil illic remanere panis, quam quum dixit: Hoc eſt corpus meum? Non enim dixit; In hoc eſt corpus meum, aut cum hoc, quod videtis, eſt corpus meum, tanquam in pane, aut ſimul cum pane, conſiſteret, ſed hoc eſt (inquit) corpus meum, nimirum declarans manifeſte (ut os cujusque gannientis obſtrueret) hoc totum, quod porrigebat, ipſius corpus eſſe. Quod ita porrectum Apoſtolis, etiamſi (quod non fecit) nomine panis appellaſſet, tamen quum ſimul admoneret audientes, idipſum, quod vocaret panem, nihil aliud eſſe, quàm ſuum corpus, in quod totus fuerat, ipſo mutante, converſus. Nemo potuiſſet dubitare, quid Chriſtus vellet panis appellatione ſignificari: eoque circumſtantia ipſa (nam circumſtantiam Lutherus admittit) declarat evidenter vocabulum panis, quum panis mutatur in carnem, absque ulla violentia facta verbo divino, panis ſignificare ſpeciem, non ſubſtantiam: niſi Lutherus adeò inhæreat proprietati verborum, ut Chriſtum credat in cœlis quoque fuiſſe panem triticeum, aut hordeaceum, propterea quod ipſe dicit de ſe: Ego ſum panis, qui de cœlo deſcendi: aut veris uvis onuſtam vitem, quia dixit ipſe: Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt: aut electos denique remunerandos in cœlo voluptate corporea, propterea, quod Chriſtus ait: Ego diſpono vobis, ſicut mihi diſpoſuit Pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam, in regno meo.

Contra Lutherum ex ipſis Christi verbis.

Contra Lutherum ex circumſtantia.

Lutheri facetа illuſio.

NUNC judica lector, quam neceſſarium argumentum ſumat Lutherus ex Paulo, quum Evangeliſtæ probent, panem in carnem verſum. Quid affert Lutherus, quo doceat, non ſic à Paulo vocatum panem, quod jam non ſit panis, ſicut in Exodo vocatam virgam, quæ tamen virga non erat, ſed ſerpens. SED quam male urat Patrem reverendum, quod iſtum nodum neſcit ſolvere: bene declarat ira reverendi Patris, per quam, ſicut meretrices, ubi quid objicitur, quod nulla ratione poſſunt refellere, reſpondere ſolent impudenter, Tu mentiris: Sic venerabilis Pater, in eam conjectus anguſtiam, unde nullum videt exitum, arma ſua ſumit ſibi, & viam ſibi vi facere tendit per convitia.

Meretricius mos reſponden di Lutheri.

Mentiris, inquit, in caput tuum Rex ſtolide, & ſacrilege, qui fronte impudenti auſus es verbis Dei infallibilibus tribuere, ut aliud ſonent, quam ſignificent. Quantam obſecro feneſtram blaſphemandi, aperuerit furor iſte Regis univerſis hæreticis, & fidei hoſtibus, ſi ſemel admiſſum fuerit, Scripturæ authoritatem lubricis & fallacibus verbis niti? Quid tum, non probare, improbare, tueri & defendere poterunt omnes omnium dogmatum magiſtri. Quanto rectius ſanctus Auguſtinus, ne jocoſum quidem mendacium, nec officioſum in ſacris literis recipere voluit.

Verba Lutheri.

Cur ergo tu ſemper ſerio mentiris.

O ſapientem & ſanctum Patrem Lutherum, & unicum orbis miraculum, mentiendi neſcium nebulonem, qui verecundia vere virginea vereatur, Dei verbis infallibilibus tribuere, ut aliud ſonent, quam ſignificent, tam aperte, præſertim contra morem & exemplum Chriſti, cujus omnes omnino parabolæ ſignificant nihil aliud, quam ſonant. Et quis non videt, quantam feneſtram blaſphemandi aperuerit Rex univerſis hæreticis, & fidei hoſtibus, ſi ſemel admiſſum fuerit Scripturæ authoritatem lubricis & fallacibus verbis niti? quid non tum probare, improbare, tueri & defendere poterit malorum omnium dogmatum Magiſter peſſimus? Ut exempli cauſa, ſi mortui cadaver Scriptura vocaret (ut ſæpe vocat) hominem: jam Lutherus, qui negat Purgatorium, ſic formaret argumentum: omnis anima moritur cum corpore, ergo nullum eſt purgatorium: & (ut eſt acutus) hoc pacto probaret aſſumptum. Qui mortuus eſt, adhuc homo eſt, ſed homo non eſt niſi quiddam compoſitum, ex anima & corpore, ergo mortuus eſt compoſitus ex anima & corpore, ſed utroque mortuo. Jam ſi quis illi reſponderet,

Lutheri etſi non aperta, tamen tacita collectio.

deret, Scripturam, quum cadaver appellat hominem, populi more loqui, nec id vocare, quod jam est, sed quod ante fuit: Ibi statim reverendus pater irasceretur, & pio zelo clamaret fervidus; Mentiris stolide & sacrilege, qui fronte impudenti ausus es verbis Dei infallibilibus tribuere, ut aliud sonent, quàm significent. Verba sonant cadaver esse hominem, ergo idem vere significant, & sic mortua est etiam anima, & sic invicta stat hæresis mea, quod nullum est Purgatorium: & sic per hanc fenestram, quam aperit Rex, reverendus frater Lutherus, & hæretici similes, qui sunt acuti Sophistæ, saltu se præcipitant ad inferos: & ideo Augustinus, nec jocosum mendacium, nec officiosum in sacris literis recipere voluit. Nam is mentitur scilicet, qui in sermone utitur iisdem figuris, quibus utitur populus.

Verba Lutheri.

Sed esto. Rex Thomisticus non dignetur Creatorem suum tanto honore, ut sensum suum in verba ejus captivet, fassus sese potius nescire, quomodo virga virdam vorarit, quam temere ea depravet. Sitque verum, quod virga dicatur draco, qui fuit virga. Qua consequentia sequetur, & hic panem dici, qui panis non sit, sed fuerit. An hoc est sine scriptura omnibus locis scripturæ aptandum, quod uno loco reperitur? Scilicet hac Thomistica sapientia fretus, sic argues, Scriptura semel dicit virginem esse matrem: ergo oportet multas alias quoque esse matres: licet Scriptura de his nihil dicat: quemadmodum hic facit, panem non esse panem oportet, quia virga non est virga.

At tu mavis omnia pervertere qui ne scire videri. Non, sed scriptura semel dicit, virginem esse matrem, ergo virgo est mater.

QUANTUM hæreat in randicis Lutheri dentibus, istud serpentis corium, in quam versa est virga Aaron, vel illud bene declarat, quod tot solutionibus tam sollicite quærens, nullam potest invenire, quæ non sit prorsus absurda. Nam primum vult, adhuc virgam esse, quæ sit in serpentem versa, eadem ratione facturus, ut maneat etiam serpens, quum denuo facta sit virga: deinde etiam, si illic virgam appellet Scriptura, quæ virga non sit, sed fuit, tamen id exemplum frustra protulisse principem, quia ex uno loco non cogimur credere Scripturam, eodem modo loqui in omnibus. Quid non potest reverendus frater facile solvere: si hoc est solvere, fingere, se non intelligere, quid debeat solvere? Nam videri vult hoc pacto regem dicere: Quia sic aliquando loquitur Scriptura, ideo scripturam semper ita loqui, quasi adversus Lutherum urgentem, ex uno aut altero loco Scripturæ, corpus Christi vocantis panem, necessario verè panem esse, propterea quod panis ibi vocaretur non satis regi fuerit, si alio Scripturæ loco probaret, id nulla necessitate consequi, quia Scripturæ non sit perpetuum id appellare, quod verissime sit: sed aliquando ex humana consuetudine id appellare, quod videtur esse, vel quod paulo ante fuit, sicut virgam Aaron appellavit, quum jam serpens esset, non virga: & hominem appellat interdum quod homo non est, sed cadaver: interdum fortasse quod est pictura vel statua. Quum rex ergo, tantum probat illud Pauli vocantis panem, non cogere, ut vere sit panis: sic rem tractat Lutherus, tanquam rex ex illo loco probare vellet, quod non sit panis, quum illud non ex Paulo probet rex, sed ex Evangelio: simul id probans, quod Pauli verba non probant contrarium, id quod regis proposito abunde satis est. Et quum facile sentiat reverendus frater, hanc stultam sycophantiam suam omnibus esse conspicuam, tamen velut nemo posset intelligere tam acutam stropham, per duas fere paginas, mire sibi plaudit in illa. Et tandem, velut aculeo acutissimo, regem pungit in fine.

Rex, inquit, blaterat, virga dicitur virga, & tamen non est: ergo Paulus panem vocat, quod non est panis, quasi panis & virga idem sint. Verba Lutheri.

Et jam post tantam victoriam triumphat gloriosus frater.

Quæ Barathra, inquit, non induceret Sathan in ecclesiam, postquam Sophistæ in cathedras recepti, hac forma docendi & disputandi uti cœperunt? Quis ita disputat nisi tu?

QUÆSO te Lector, quis morio non rideret morionem, tanto cum tumultu se tam ridicule commoventem, quod dicat aliquis, eodem locutionis modo, Paulum appellasse panem, id quod ante fuit panis, licet jam non sit panis, sed caro, quo sermonis tropo, virgam vocavit Scriptura, id quod jam virga non erat, sed draco. At istud, velut apprime ridiculum, ridet homo ridiculus. Ergo si dicas Lector, asini cadaver asinum sic appellari posse, quemadmodum cadaver hominis appellatur homo, quanto cachinno ridebit te Lutherus, & negabit admittendam similem figuram sermonis, propterea quod res ipsæ sint dissimili specie. Quia non sunt, inquiet idem homo & asinus, sicut non sunt idem, panis & virga. Quid, si sic solvamus argumentum: quando sic arguit mihi reverendus Pater? Non sunt idem, homo & asinus: concedo de aliquo asino, & aliquo homine: sed respondeo, quod qui se sanum putat, quum sic argumentatur, idem omnino sunt asinus, & ille homo. Et sic cadaver illius asini, potest appellari asinus, sicut cadaver illius hominis, potest appellari homo: quum prorsus idem sint ille asininus homo, & cadaverosus asinus. Sic Luthere argumentaberis à simili?

Sed & aliam, inquit, ostendit rex dexteritatem suam in hac re, ut nihil nisi Thomista credi possit. Si, inquit, Lutherus tam rigide captat verba Scripturæ, dicet & Christum esse panem triticeum in cœlo, dum dicit; Ego sum panis, qui de cœlo descendi. Item naturalem vitem, ubi dicit: Ego sum vitis vera. Dixi ante, nihil crassius & insulsius esse sub Sole natum, Thomisticis monstris. Quis enim puerorum hunc delirum regem non rideat? Non est in ipso sensus aut vigilia, ut videat, quid intersit inter sua somnia & hæc verba Christi. Ipsa enim consequentia verborum, absurditas rerum, pugnantia intelligentiarum, tum ipsiusmet interpretatio, cogunt eum de pane spirituali loqui sicut dicit; Verba mea spiritus sunt vita, quorum nihil est in verbo Pauli, de pane

Verba Lutheri.

Tu rides: quia nil aliud potes

Adde & calicem cerevisiæ pater.

ne Sacramenti loquentis. Imo omnia urgent Paulum de pane triticeo intelligi.

ECCE Lector, aliam dexteritatem Lutheri, & talem, ut nihil nisi potista credi possit: neque quicquam sub Sole natum est, crassius & insulsius potisticis monstris. Nam quum ebrius ante balbutisset verba Scripturæ, non nisi in proprio & Grammatico sensu sumenda, rex ejus insignem stultitiam elusit, quod ex eo sequeretur, Christum esse panem triticeum in cœlo, & vitem onustam uvis, & Sanctos olim epulaturos & bibituros in regno Dei. Nunc D. Lutherus ægre ferens, stultitiam suam sic attactam, ridet valde iratus, & reverendus Pater pro sua reverentia, valde verniliter scurratur, postulans, ut scurrilitas sua valeat pro solutione, quæ alioqui per se tantum valet, quantum culex. Nam quum ait, satis apertum esse ex circumstantiis, quo pacto Christus accipi voluerit, quod ipse se panem vocavit, & vitem, ita rex probavit, quod Lutherus dolet, & dissimulat, ex circumstantiis esse perspicuum, quomodo Paulus accipiat panem in Sacramento, quum aperte declaret, ex illo pane factum esse Christi corpus: nisi non satis declarat Scriptura, quomodo accipiat virgæ vocabulum in Exodo, quum eam ante narrarit ex virga versa in colubrum. Nam ille coluber, adhuc male ebrium potistam, qui vigilans dormit, & dum omnia distinguit, atque (ut ipsi videtur) acute discriminat, inguinis & capitis quæ sint discrimina nescit.

Dolor Lutheri

Et miror, inquit, sapientissimum hunc Thomistam, cur non & accidentia transsubstantiet.

Verba Lutheri.

Et paulo post nebulo rursus irridet Ambrosium: deinde quærit;

Quæ necessitas perimendæ substantiæ, & servandorum accidentium.

NON est, cur quæras à rege, cur non transsubstantiet accidentia. Quærere debes istud à Deo: nam ille substantiam transsubstantiat, non rex: qui & ideo credit Deum panis mutasse substantiam, relictis accidentibus, quia sic fieri ecclesiam suam docet idem Deus qui fecit, qui & intus docet & extra verbis Evangelii, cum occulto ejus flatu conspirantibus, ex pane fieri corpus ipsius, hoc est, panis substantiam verti in substantiam corporis. Quod si verba, quæ sunt clarissima, quicquam haberent ambigui: imo vero, si viderentur in diversam partem potius aliquantum vergere, tamen quum Christus se promiserit, per Spiritum Sanctum Ecclesiam suam esse docturum, & se cum ea futurum, usque ad consummationem seculi, quumque rex probarit tibi, tot Veterum testimonio, tot recentium, hanc transsubstantiationis fidem, non esse, quod tu mentiris, novam, sed à Christo passo totius ecclesiæ perpetuam, quis non videt, aut tot seculis, Ecclesiæ suæ Christum defuisse, hoc est, veritatem falsa promisisse, aut Spiritum veritatis falsa docuisse, aut te arrogantissimum esse nebulonem, qui, quomodo Scriptura sit intelligenda, jubeas orbem totum tuæ potius stultitiæ credere, quam qui scribentibus inspiravit, Deo: nec illi sis crediturus, mutatam esse substantiam, nisi rationem reddat tibi, quare non transsubstantiet accidentia? Hoc est, Deo te non habiturum fidem nisi sic agat tecum, ut res fiat palam, & tollatur fides. Nam Christus, ideo videri potest accidentia reliquisse, ut rectius esset corporis mysterium ne aut meritum fidei tolleret evidentia rei: aut populus reformidans edere, non perciperet fructum Sacramenti.

Lutherum mentiri de fide transsubstantiationis.

Sed & hæc pulcherrima Lutheri sycophantia est, quod quum princeps dicat, indignam esse panis substantiam, quæ cum illa misceatur substantia, quæ creavit omnes, ibi Lutherus in campo suo spatiatur, nugatur, scurratur, irridet, tanquam rex, quod obiter dixit, probabile id attulisset, loco demonstrationis necessariæ. Deinde vociferatur & clamat, esse ter hæreticum, quod rex panem dicat indignum, qui cum ea misceatur substantia, quæ substantias omnes condidit. Nam hic videri vult, tam rudem esse principē, ut putarit corpus Christi non esse creaturam, sed Creatorem. Et quum ubique, reverendus frater affectet videri mire sapiens, hic subito videri studet, ita stupidus, ut non senserit principem ita loqui, propter Divinitatem Christi, quæ per concomitantiam (ut vocant) semper adest corpori: nec intellexerit homo simplex, per communicationem idiomatum, sic homines passim loqui de Christo, ut hominem dicant creatorem, & æternum, & Deum, vicissim dicant & natum esse & mortuum.

Nam Lutherus non hærebit vel cum stercoribus miscere.

Prætereo hic rhetoricissimum illum contemptum, dum duas urgentissimas similitudines apposui de ferro ignito, & Deo incarnato, ubi neque igni ferrum neque Divinitati hominem necesse est cedere. Mihi enim etiam, si non necesse sit, mea asserere, tamen satis negotii fecero assertori, si suum figmentum aliter se posse habere demonstravero. Itaque possum dicere, corpus Christi, sic salvo pane in Sacramento esse, sicut est ignis in ferro, salva ferri substantia: & Deus in homine salva humanitate, utrobique sic mixtis substantiis, ut sua cuique operatio, & natura propria maneat, & tamen unum aliquod constituant.

Verba Lutheri

FINGIS hic, Regem tuas istas similitudines dissimulasse silentio. Sed qui librum principis legerit, videbit, te dissimulare principis responsum: quanquam similitudines tuæ tam dissimiles veri sunt, ut operepretium non fuerit ullum respondisse. Nam primum de ferro, quod affers, & igne, vide quam pulchre coaptes. Aut ignis est, ut sensere quidam, qualitas & fervor excellens in ferro, aut ignis congestus in poros. Si illud primum, nihil simile de corpore Christi, quod non est qualitas: Si secundum, ne sic quidem quicquam quadrat similitudo tua. Nam (ut princeps prudenter annotavit) Christus non dixit: In hoc est corpus meum, aut simul cum hoc, sicut in ferro vel cum ferro est ignis, sed simpliciter dixit: Hoc est corpus meum. At nec ferrum illud ignis est, sed ignitum. Illud vero, quod por-

porrexit Christus, Christi corpus erat, si Christo credimus: si tibi credimus, non erit Christi corpus, sed panis (ut ita dicamus) Christi corporeus: sicut ferrum tuum non est ignis, sed ferrum ignitum. O caput ferreum, & frontem dignam, cui ferrum ignitum longas infigat literas. Quam si velis sic esse, corpus Christi cum pane, sicut corpus glorificatum est, aut potest esse cum alio corpore, aut sicut anima est cum corpore, tamen in eodem luto hæsitabis. Nam neque recte loquetur, qui dicet corpus esse animam, sed animatum: neque qui sic loquetur, hoc corpus, puta, lapis est hoc corpus glorificatum, puta, corpus Christi, jam januis clausis ingredientis marmoreum parietem, sed in hoc lapide aut cum hoc lapide est hoc corpus Christi. Sed Christus, ut tam istam similitudinem ostenderet esse dissimilem, non dixit, in hoc, aut cum hoc, sed dixit, hoc est corpus meum. Jam altera similitudo tua, de Deo incarnato, non est absurda modo, sed impia quoque atque sacrilega, ut ex qua sequatur, quod deprehendit prudentissimus princeps: quod sicut Deus assumpsit hominem, ita Deus & homo in unitatem suppositi, assumant panem & vinum: ut Deus, qui quod semel assumpsit, nunquam reliquit: nunc tot panes, tot pocula, tam cito relicturus, assidue sumat in unitatem suppositi, neque enim aliter quadrat similitudo, ut cum corpore Christi sit panis, sicut ibi Deus cum homine. Sic Deus rotari sinit hæreticos, & præcipites ferri dementia, ut in stultitiam ruant, & in insanias falsas. Et jam postquam tibi probatum vides, sensum Pauli non probare pro te, nec illum sic vocare panem, quomodo tu contendis, quum similes formas loquendi videas, è Scriptura sacra productas: quum Evangelium videas manifeste probare contra te: quum Evangelio nemo dubitet Pauli sensum esse conformem: quum sanctos Patres omnes, omnes fidei Proceres, omnes omnino fideles à Christo passo, tot seculis videas, una voce contra te testari: quum cogaris ipse fateri, totius ecclesiæ fidem falli non posse: denique, quum te manifeste videas turpissime victum esse: jam præ furore frendens, & ringens, & sardonium interim risum ridens, buccinas te victorem, & clamas te habere nunc hunc Articulum præclare confirmatum: & ut ostendas te more tuo aliorum opera bona reddi deteriorem, plus quam furiosus adjungis.

Lutherus stigmate dignus.

Altera Lutheri parabola æque absurda.

Verba Lutheri. Hic jam se allegat repugnantiæ

Antea posui, nihil referre, sive sic sentias de transsubstantiatione, sive sic. Nunc autem decerno, impium esse & blasphemum, si quis dicat panem transsubstantiari.

DICUNT istud, sicuti scis, non solum populus ubique Christianus hodie, sed & Eusebius, Gregorius, Cyrillus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, & si quis unquam fere literis, & sanctitate claruit in Ecclesia Christi. Hos tu potator impius, & blasphemus, impios & blasphemos audes appellare. Sed sic impius in terra blasphemas sanctos Dei, quomodo apud inferos damnati, ipsum blasphemant Deum. Sed ut omnes videant, quo superbiæ tuæ furore detrusus sis in hoc barathrum deploratissimæ perditionis, ut à malo te mutares in pessimum. Verba regis, quibus quum levari potueras, tua te superbia pessundedit, subjungam.

Verba Regis.

MIROR, ex hoc dogmate, quid fructus populis spondeat Lutherus. An (quod ait ipse) ne quis propterea semet credat hæreticum, quod fors ita cum Luthero sentiat? At Lutherus ipse fatetur nihil esse periculi, si quis hac in re sentiat, quod tota jam sentit ecclesia. Sed contra, tota ecclesia censet hæreticum esse eum, qui sentiat cum Luthero. Non debet ergo Lutherus animare quenquam, cui bene cupit, ut secum sentiat, cujus sententiam tota condemnat ecclesia: sed debet his suadere, quos amat, ut accedant illis, quos ipse quoque judicat in nullo versari periculo. Falsa est ergo ista Lutheri via contra publicam fidem, non hujus modo temporis, sed etiam omnium. Nec liberat captivitate credentes ei, sed educens è libertate fidei, hoc est è loco tuto (quod Lutherus ipse fatetur) captivat, in errorem ducens, in præcipitium, & vias invias, incertas, dubias, eoque plenas periculi: & qui amat periculum, peribit in illo.

Numquid Lector (amabo te) hoc non extremæ dementiæ est? quod quum fateatur ipse Lutherus, nos omnes, qui Catholicæ obsequimur ecclesiæ, via tutiori insistere (sicuti rex ex ipsius verbis ostendit) tamen audet execrabiles ac diris devovendos proponere, si quis ejus ter execrandæ se non adjungat hæresi. Nam ut daremus ei, ipsum non pessime sentire, tum de religione publica, tum de salute Christianorum omnium, tamen insignis stultitia merito posset appellari, incertam spem pro certo præmio captare. Atque ex illa via exilire, qua tot sancti viri eo pervenere dubio procul, quo ipse non satis certo ausit promittere se perducturum, si velimus sequi. Nunc ergo, quum nemini non liqueat, nisi qui simili atque ille glaucomate cæcutit, eum in certum atque manifestum exitium tendere, & sequentes trahere, ut in aliorum vita nomen sibi comparet, quis cui anima sua chara sit, non adversetur, ac totis viribus operam det, talem ducem è medio tollere, ne posset aliquando per imprudentiam ab eo seduci. Cæterum audi nunc iterum, quam magnifice tamen interim cunctis maledicat, qui ejus gloriolæ causa, sese nolunt prudentes in barathrum injicere.

Aggressurus stolida Lutheri sophismata, argutantis Missam non esse bonum opus, retegit ac refellit primum sycophanticam illius ineptiam, qua nugatur ita regem colligere, populus pro missa dat sacerdotibus pecuniam, ergo missa est sacrificium & opus bonum.

CAP. XIV.

QUintum adest capitale, & summum, & angulare assertionis Henricianæ opus, Missam esse

Verba Lutheri.

At non hic demum Lutherus est Lutherus & hæreticus.

esse opus bonum & sacrificium. Hic demum D. Henricus est Dominus Henricus, & Thomista est Thomista. Ac primum ex aliquo semirhethore forte audivit: sicubi adversarii senserit robora, nimium invicta, oportere, rugato naso, illum rideri & contemni, ut stupidus Lector, credat antea victum adversarium, quam impugnetur à tanto Rhetore. Sic & Dominus noster rex magnificis ampullis præfatur, ut sese belle fingat tædere confutationis tam stulti & indocti Lutheri, negantis, missam esse opus & sacrificium scilicet, Satanas vulnus sentit, ideo præ morbo animi, incertus quid agat, mera ægritudine & impotentia me tentat irrisione, & contemptu irritare. Sed ille, qui dedit nobis scire cogitationes Satanæ, dabit etiam nobis irrisionem irridere, & contemptorem contemnere, suaq; insipientiæ fragiles ampullas cum fiducia traducere.

Quam ægre ferat contemptum elatus nebulo

Quemadmodum in comœdia, ultimus actus debet esse optimus; Ita Lutherus curavit, ut esset in fine stultissimus. Venit enim nunc ad summam hæresin, propter quam excogitavit reliquas. Hanc quoniam ita sibi funditus videt eversam, ut nulla possit arte reficere, relicta spe defensionis, totus est in suis nugis. Indigne fert, quod ita rideatur ejus tam seria & severa sententia, quam nec Heraclitus quidem legere potuisset absque risu, nisi quod ausus est ea scribere furiosus nebulo, quæ non minus impia sunt & scelerata, quam stulta. Quæ quum qualia sint, talia jam per eruditissimum regem comperta sunt, vere Satanas vulnus sentit, ac per os electi sui Lutheri rugit ac rudit, & simul ingressus porcorum gregem voluptariorum semi-Rhetorum, qui inter pocula componunt libros ejus, cogitationes suas inspirat illis, non ut terrenum regem solum, sed cœlestem etiam irrideant: & postquam in profundum venerint, homines execrabiles, omnia sacra contemnant. Sed qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.

Is grex est Lutheranorum.

Verba Lutheri.

Ne nihil dicat tam insignis assertor, unam affert rationem plane potentissimam, qua, hactenus omnibus satisfactum est, Missam esse opus & sacrificium. Ea est hujusmodi. Si missa non esset opus bonum, laici certe pro ea nihil tribuerent clericis, temporalis beneficii. Obstupesce Lector, regia & Thomistica est hæc ratio, & (ut dixi) plane potentissima. Nam plurimos permovit hactenus, & permovet hodie. Hic jacet Lutherus prostratus, & nemo tam dextre eum confecit, atque rex Anglorum, in hoc libro, ipsa ratione. Nam (ut nolim) cogor tamen confiteri hæc ita habere. Vere, inquam, Missa ideo est sacrificium, & opus bonum, quod, ut rex dicit, laici tribuunt opes sacerdotibus pro ea.

Imo Lutherana & hæretica fictio.

VIS videre Lector, exemplar insigne singularis sycophantiæ: Nusquam videbis insignius, quam in hac magnifica Lutheri jactantia, si modo eam, ad principis verba collatam, relegeris. Nam, quum Lutherus pro magna captivitate posuerit, quod Missa credatur esse bonum opus, oblatio, aut sacrificium, nec quicquam attulisset, ex quo moveri se diceret, in tam absurdam hæresin, præter id unum, quod jam tandem solus repetisset, Missam esse testamentum, Rex in illo tria redarguit: Primo gloriosam vanitatem, qua, velut inventum suum jactat id Lutherus, quod nusquam non prædicant gregarii fraterculi. Deinde temerariam stultitiam, quod quam rem, tam multi tractant inepti, id ipsum tractat ineptius, quam quisquis illorum fuit ineptissimus. Postremo detestabilem malitiam, quod odio sacerdotum, potius quam illis relinquat fructum temporalem: studeat laicis è Missa tollere fructum omnem spiritalem. Itaque rex dum hunc in modum ista tractat, his verbis obiter attingit rabidam Lutheri malitiam.

Una ex multis, sycophantia Lutheri.

Quædam in Luthero à rege redarguta.

FRATERCULI, testamentum illud inepte prædicantes, multis tamen in rebus, meliores Luthero, hoc uno tantum, Luthero sunt impares, quod mirabiles, & hactenus inauditos Missæ fructus, non invenerunt, quibus & Clerus præsentis vitæ fructum, & populus futuræ perderent.

Verba Regis. Inauditi missæ fructus inventi à Lutero

DEINDE rex, ut ostenderet Lutherum, non ob aliud hoc insanum dogma statuere, quod sacerdotis missa, non prodest populo, quàm odio, quo prosequitur clericos, declarat quid providerit & captarit Lutherus. Nempe ut laici persuasi, nihil sibi missam profuturam, nihil ipsi vicissim prodessent sacerdotibus. Nam nihil (inquit) sacerdotibus temporalis boni conferrent ob missam, è qua persuaderentur, nihil se spiritualis boni relaturos. Quod unum spectasse Lutherum docet, ut clericis auferret corporalem victum, etiamsi populo simul auferret animarum vitam.

Vides Lector, quantum intersit, inter bonitatem principis, & istius scurræ malitiam. Nam quum iste nomen suum dederit in clerum, jam ecclesiam scindens, laicorum ordinem in clerum provocat, & eos indignatur de altari vivere, qui altari serviunt, tam obstinatæ malitiæ ut quum intelligat non esse causam, cur quemquam alat altare, si nihil cuiquam prosit altare potius quàm inde vivat sacerdos Dei, altare Dei funditus conatur evertere Et dummodo corporale subsidium auferat Presbyteris, animæ fructum omnem laborat eripere omnibus omnino laicis. Hanc istius tam execrandam malitiam, quum rex & sagacissime deprehenderit, & aperte prodiderit, & pulcherrime redarguerit, æstuans ira Lutherus, & jam manifeste furens, tanquam nemo lecturus locum esset, ex libello principis, & stolidam Lutheri sycophantiam deprehensurus, fingit calumniæ figulus, ita regem colligere, Sacerdotibus laici conferunt victum, ergo missa est sacrificium. Et postquam istud tam belle finxit, tum demum regnat in stultitia, & integras paginas implet insulsis dictis, quæ nihil attingunt aliud quam quod ipse ridicule finxit, ex ridiculo cerebello suo, cui nunc non possum magis imprecari dedecus, quam ut ipsius tam bella scommata, quibus sibi videtur belle in regem ludere patefacta jam calumnia, frequenter Lector & accurate relegas. Nullius enim verba, queunt illum manifestius aut majore cum oppro-

Lutheri consilium demissa.

Lutheri figmentum.

Lutherum suis dictis satis coargui.

probrio traducere, quàm, quibus alios traducere se jactat, sua.

Pulcherrime refellit vanissimam Lutheri jactantiam, qua decies gloriatur, principale fundamentum suum regem ex professo relinquere.

CAP. XV.

AUdisti jam Lector, admirandam sycophantiam, cum non minore stultitia conjunctam. Audi nunc aliam Lutheri magnificam gloriam, quæ tam gloriosa est, ut sive sycophantia spectetur, sive stultitia, prorsus obscuret priorem.

Verba Lutheri. *Non minor est amentia, quæ sequitur, ubi cum multis verbis me contempsisset (Hoc enim in Rhetorica potissimum didicit) tandem protestatur sese relicturum intactum, id quod maxime omnium confutandum ei fuerat, nempe robur meum principale, & argumentum capitale: Ubi ex verbis Christi probavi missam esse testamentum, & promissionem, ideo non posse opus aut sacrificium dici. Hic infelix assertor, victus fortitudine hujus roboris, misere dissimulata conscientia, non solum transit, sed protestatur etiam, sese transiturum, & aliis dimissurum. O assertorem Sacramentorum. O defensorem Ecclesiæ Romanæ, bis Thomisticum, & omnibus indulgentiis Papisticis longe dignissimum. Ignosci poterat, si transisset hoc robur meum silens, at protestari sese transiturum, qui audiat, in hoc me unice & maxime fidere, & inde omnia illius profligari, hoc sic ridiculum est & stultum, ut nihil supra.*

Audisti Lector egregias istius glorias: audi nunc vicissim verba regis, ex quibus gloriandi ansam sibi prebitam videri vult, quæ quum legeris, sat scio miraturum te, gloriosi Thrasonis infamem pudendamque sese traducentis amentiam. Principis ergo verba sunt hujusmodi.

Verba Regis. NON contendam cum eo de testamento & promissione, & tota illa diffinitione & applicatione testamenti ad sacramentum. Non ero tam modestus ei, quam alios fortassis inveniet, si qui bonam ei partem istius fundamenti subruerint, qui & testamentum novum dicant, promissionem esse legis Evangelicæ, quemadmodum vetus fuit Mosaicæ: & testamentum istud negent à Luthero satis scite tractari, neque enim testatori nuncupandum esse nominatim, quid relinquat hæredi, quem ex asse instituat: neque remissionem peccatorum, quam pro hæreditate nuncupatam Lutherus ait, idem esse quod regnum cœlorum, sed viam potius ad cœlum. Quas res atque alias item aliquot, quisquis urgere volet, ac premere, posset fortassis fundamenti Lutherani structuram, machinis aliunde concutere. Verum istud eis permittam, qui volent. Ego istud ei fundamentum, quod immobile postulat esse, non movebo, tantum ostendam ædificium, quod superstruxit, facile per se corruere.

(Lutherus adulteratur Christi testamentum.)

Intelligis ista Luthere? aut, si intelligas, potes sustinere, ut perpetuo tuo cum dedecore tam stolide te jactes? Nam rex hic fundamentum tuum nullo modo concedit, sed ostendit esse infirmum, & quod facile possit everti, si quis hoc sibi desumpserit. Interim vero se pollicetur, diruturum præclara illa ædificia, quæ superstruxisti: quibus dirutis, frustra tibi restaret fundamentum. At tu hic tanquam triumphator exultas, quod nactus sis tam rudem antagonistam, ut non intelligat, se nihil agere, quicquid respondeat, quamdiu non expugnavit id, quod adversarius sumit pro fundamento. Atque hac in parte, tibi tam impense places, ut idem terque quaterque, alio atque alio tui præclari libelli loco, repetas, tanquam inde traducturus admirabilem regis inscitiam, ac ruditatem, qui non everso fundamento, strenue se rem gessisse putet, quod duntaxat expugnavit, atque evertit ædificia. Age, fingamus interea Luthere, fundamentum tuum esse firmissimum, missam videlicet esse testamentum, & promissionem hæreditatis, ac nuncupationem hæredis. Tenesne memoria, quare hoc fundamentum jeceris? utrumne, ut nullius ædificii basis esset, & sic ne fundamentū quidem esset? cui nihil esset superstructum? An ideo potius jecisti, ut illam turrim inexpugnabilem superstrueres, qua totam demolireris ecclesiam, & altare Christi subverteres? Nempe, Missam bonum opus non esse, sacrificium non esse, non esse oblationem. Igitur quum tu propter has turres vere Babylonis propugnacula, quibus in cœlum vi parabas ascendere, struxeris illud fundamentum, an tibi videtur imperitus bellator esse, qui castella illa, ex quibus solis erat periculum, sic everterit, ut neque nocere quicquam neque unquam refici possint, etiamsi fundamentum reliquerit validum & forte, sed tamen innoxium? An tu tam stolidus es, quam te fingis esse, ut eum censeas nihil agere, qui talia ædificia sic dejecerit, relicto fundamento? Ergo tam stultus es, ut eum neges esse victorem, qui mœnia perruperit, atque diruerit, hostes subegerit, ac diviserit spolia, quamdiu non eruerit fundamentum mœnium, ac ruinæ lapides avexerit? O si quis stultorum figulus hic esset tui similis, quam multos ei liceret stultos fingere similes tui. Tu nobis duos finxisti, quorum persona rideres stultitiam, non quam in regis libello, sed in capite tuo reperisti. Huic tres stultissimos stultos liceret effingere, quorum nemo stultior esset Luthero. Nam si quis substernat fundamentum lapideum, deinde conetur superstruere ædificium ex pulvere: an Lutherus tam stultus est, ut hunc non intelligat esse stultum? At idem nihilo stultior est, quam Lutherus noster, qui ædificium putat dirui non posse, quamdiu durat fundamentum.

(Istam scilicet ob causam.)

(Ita sane stultus est Lutherus.)

Secundus stultus sive Lutherus. QUID si quis adeo stolidus sit, ut cum fundamentum jecerit mire profundum, & passus aliquod, si volet, latum super solidissimam rupem: post ædificet murum in palustri loco, cujus nullus lapis per aliquot stadia tangat illud quod jecit fundamentum? An non & hunc plane rideret stultum Lutherus noster, si eum

(Nempe qui frontem jam diu perfricuerit.)

gloriantem videret muri sui fortitudine, quem dicat, neque subsidere posse, neq; dirui, propter fundamenti firmitatem, tam procul à muro distantis? Hunc, opinor, rideret pro stulto Lutherus, & tamen hic stultus, nihilo stultior est Luthero nostro, qui putat absurdum esse, quod rex aggrediatur ædificia sua diruere, relicto fundamento valido, cujus nullum saxum quicquam pertinet ad ædificium.

Tertius stultus sive Lutherus.

SED age, sit adhuc tertius, utroque stultior, qui & in arena fundamentum ponat ex pulvere, & inde procul, in lacu murum ædificet ex glacie: hunc stultum (sat scio) rideret Lutherus, & tamen illo stulto stultior est Lutherus. Nam & fundamentum ejus magis caducum est, quovis pulvere, & ædificium ejus fragilius, quavis glacie, nec magis inter se cohærent, quam (ut est in fabulis) Ethioclis & Polynicis flammæ. Nam neque validam fuisse conclusionem, neque cum assumpto cohæsisse, apertissime probavit rex: id quod Lutherus respondendo fecit apertius.

Fundamentum Lutheranum à rege subrutum.

AT fundamentum, ex quo se gloriatur conclusionem deducere, quod velut robustius, quam ut expugnari possit, iterum atque iterum exprobrat, Regem velut ex professo relinquere, quam sit invalidum, rex ipse monstravit. Neque enim, tantum dixit, facile ab aliis posse destrui, sed etiam, uno fere verbo, obiter, & aliud agens ipse destruxit, cum dixit: Testamentum istud novum, ita referri posse ad Novum Testamentum, quemadmodum Testamētum vetus, ad legem Mosaicam: quibus verbis, quid aliud significavit princeps, quam id ipsum, quod aperte dicit Apostolus, ad Heb. 11. cum ait de Christo? Novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Ubi enim testamentum, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioqui, nondum valet, dum vivit, qui testatus est: unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est; Lecto enim omni mandato à Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccinea, & hyssopo, ipsumque librum, & omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Et paulo post. Contestatur autem nos & Spiritus Sanctus. Postquam enim dixit. Hoc autem Testamentum quod testabor ad illos, post dies illos dicit Dominus. Dabo Leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas, & peccatorum, & iniquitatum eorum jam non recordabor amplius. Vide Lector, ut mirum præstigiatorem putet se Lutherus, qui sic se credit omnium oculos perstringere, ut nemo possit cernere, quam absurde totum hoc Testamentum Christi, ad hæresis suæ fundamentum detorqueat. Nam, quod Apostolus aperte docet, esse totam legem Evangelicam: id iste restringit ad solam Cœnam dominicam: quasi Sacramentum altaris, institutum in Cœna duntaxat, sit Christi Testamentum, quod Christus (ut ait) moriens reliquit distribuendum suis fidelibus. Sic solent Lector (ut scis) non facultates ex testamento, sed testamenta distribui. At Paulus aperte docet, quod sicut lex Moysaica Testamentum erat vetus, sic Testamentum novum lex est Evangelica, & sicut Deus ratum fecit illud, fuso sanguine vituli, atque hirci, sic istud confirmavit fuso sanguine Christi. Cujus rei manifeste Christus admonuit Discipulos, quum diceret: Hic est sanguis Novi Testamenti, qui pro multis effundetur: tanquam diceret: Hic sanguis, quem bibitis, est idem sanguis, qui in remissionem peccatorum, paulo post effundetur in cruce, sanguis (inquam) Novi Testamenti, quo confirmabitur Novum Testamentum meum, mea lex Evangelica, sicut olim hircino sanguine & vitulino confirmatum est Testamentum Vetus, lex Mosaica.

Testamentum, quibus sit concessum.

Mos testandi in veteri lege

Paulus de testamento.

QUÆSO, quam ansam apprehendit hic Lutherus, cur Testamentum Christi restringeret ad hoc sacramentum? Nam, quanquam Christi mors operatur, & perficit redemptionem nostram, cujus hoc Sacramentum corpus est & sanguis: eadem tamen mors, ex æquo perficit sacramentalem vim cæterorum sacramentorum omnium, secundum cujusque mensuram & Deo cognitum modum.

VIDES ergo Lector, quam detorte detraxerit Scripturam, hunc in locum Lutherus, ut inde strueret sibi fundamentum, ex quo superstrueret arcem, unde more gigantum Superos è cœlo depelleret. Vides, ut idem fundamentum, Rex Angliæ dissimulans, illud se tangere, ita totum subruerit, ut ne lapidem quidem super lapidem reliquerit. Et tamen Lutherus fundamenti sui eversionem, vicissim dissimulans, nunc miris modis illudit regi, quod tam validum ejus fundamentum non sit ausus attingere, sed assumptum suum habuerit pro confesso.

QUÆSO te Luthere, si quis ita dicat: ego Lutherum stolidum esse non dico: quanquam (ut videtis) tam stolide sibi contraria, tam sæpe, non subito quidem dicit, sed per otium, magno scribit studio, ut morionem pudeat similia somniare: Hoc tantum dico, hæreticum eum esse, & plusquam sacrilege blasphemum: Utrum is, qui hoc pacto loquitur, stultitiam tuam relinquit intactam, & te fatetur esse sapientem? Mihi profecto non videtur, non hercle magis quam si quis in mulierem venefi-cii ream, quam impudicam esse constet, dicat hoc pacto: ego mulierem istam judices meretricem esse non dicam, quanquam qui id vellet dicere, facile probare posset, vel ex eo, quod jam quartum nullo marito peperit: Hoc tantum dicam: quod satis est in præsentem causam, illam esse veneficam. Is opinor, non negat, sed negando confirmat, illam esse meretricem. Eodem modo, princeps negat se fundamentum tuum moturum, quum illud prius uno verbo

Disce hinc stolide fraterculeloqui.

bo funditus evertisset. Sed age, gratificemur tibi: patiamur vulnus tuum dissimulare te. Ridere te sinamus, & jocari foris, dum intus gemis, & pudorem tuum ploras in sinu. Fingamus regem fundamentum tuum prorsus concessisse, videlicet, Missam esse Testamentum. An illo assumpto tibi concesso, non licet illi negare, quod ex illo concludis: nempe, quod ideo non possit esse sacrificium? Siccine disputatur Wittenbergæ, ut si quis concedat antecedens, ideo non possit negare consequentiam? Si hæc disputandi forma præscribitur, ut impudentis sit negare conclusionem, postquam concedis assumptum: vicit nos plane Lutherus: & facilem sibi invenit viam, qua Missam probet bonum opus non esse, non esse sacrificium. Sic enim licebit ei argumentari. Lutherus est patrator & patronus malorum operum, ergo Missa non est opus bonum. Lutherus est asinus, & asinus non potest offerri in sacrificium, ergo Missa non est oblatio, nec sacrificium. O quot asinos, quot porcos, invocaret asinus & porcus Lutherus: quot stultos fingeret, stultorum stultissimus, si quid tale reperisset in libello principis, quale nunc in suo ingerit iterum atque iterum, tanquam semel stultum esse parum sit. Sed operæ precium est videre, quam belle conjungat cum hac stultitia sycophantiam, sed tam nudam atque conspicuam, quam auriculæ sunt in asino.

Hic concedimus antecedens.

Verba Lutheri. An non ita fecit, cum reddiderit id tibi inutile?

Protestatur, inquit, rex, sese relicturum intactum id quod maxime omnium confutandum ei fuerat, nempe robur meum principale, & argumentum capitale, ubi ex verbis Christi probavi, Missam esse Testamentum & promissionem: ideo non posse opus aut sacrificium dici.

DISPEREAM Lector, ni mihi fere vocem adimat admiratio, cogitanti, quam aut vere saxum sit iste nebulo, aut omnes homines pro saxis habeat: Ait fundamentum suum fuisse, Missam esse Testamentum, & ideo opus aut sacrificium esse non posse: & ait regem victum fortitudine hujus roboris, ex professo transire hoc fundamentum. Quæso te Luthere, revome cerevisiam istam, quæ tibi caput occupat. Redige (si potes) in memoriam, quod fuerit fundamentum tuum. Si regi turpe fuit transire, an non tibi turpius est oblivisci? Fuit ne istud pars fundamenti tui: quod Missa bonum opus esse non potest, aut sacrificium? Si istud erat fundamentum, quænam erat conclusio, si ista reliquit Rex intacta, quomodo tu rursus respondes ad ea, quibus Rex illa dissolvit? Atque ita respondes, ut quum sudaris satis, nihil aliud facias, quam ut constet omnibus, nihil te reperire, quod contradicas. Sed quid mortuo verba facio? Redeo Lector ad te.

Nihil est turpe impuro.

Quum nullum fundamentum probarit ex Scriptura, sed tantum probare conatus est, quod Missa sit testamentum, quod ipsum Testamentum ex Scriptura confutatum est: ex eo fundamento, sua collectione conclusit illas præclaras, nihil cohærentes conclusiones: quod Missa bonum opus & sacrificium esse non possit.

Lutherum nullum probasse fundamentum ex Scriptura.

Quas conclusiones Rex probavit ex illo fundamento (etiamsi necessarium esset) nullo tamen pacto consequi: & cum fundamentum illud evertisset, in transitu, simulans id se relinquere, sic tractavit conclusiones, tanquam fundamentum concederet, ut Lutherum tanto stultiorem ostenderet, qui fundamentum jecisset, quod nullam partem ædificii aut sustineret aut tangeret. Lutherus ergo, dolens ita patefactam esse fatuitatem suam, conatur subsidium ferre per sycophantiam, sed tam apertam, ut nihil aliud sit, quam conduplicata stultitia. Dicit Patrem fundamenti fuisse, quod nemo non vides fuisse conclusionem. Dicit id reliquisse Regem, quod solum ex professo egisse regem, docet ipsius etiam Lutheri responsio. Ita belle sibi constat, homo nunquam sibi contrarius, ut dicat regem ex professo præterire tacite, quod Missa non potest opus esse, aut sacrificium. Et tamen ad illa, quibus probat, etiamsi maxime Testamentum esset ac promissio, opus tamen & sacrificium nihilo minus esse, Lutherus ipse respondet, nisi forte sibi conscius est, ea, quæ respondet, esse tam inepta, ut responsum suum pro responso non habeat. Et sunt haud dubie Lector, id quod illico videbis ineptissima: quod quo videas clarius, non imitabor Lutherum, ut illius verba (sicut ille solet in rege) narrando depravem. Sed integra, sicut se habent, ascribam. Quæ quum legeris, videbis esse tam prava, ut nemo depravatius narrare potuerit.

Quomodo Lutherus succurrat suæ stultitiæ.

Sorex suo proditur indicio

Postquam vero Dominus Henricus, Thomista noster, hac argentea & aurea ratione probarat, Missam esse opus, pergit in fortitudine sua, etiam Lutheri rationes diluere, & primo Thomisticatur in hunc modum. Qui lignum cædit, facit opus, ergo qui consecrat, facit opus. Quare Missa etiam opus erit. Si autem est opus, non est malum, ergo bonum. Hæc ille gloriosus assertor sacramentorum. Hic jacet quoque Lutherus prostratus,

Verba Lutheri.

Non est difficile Luthere tuas diluere rationes

Quam male urat gloriosum nebulonem se videre victum.

AUDISTI Lector, nihil illius omisimus: nunc audies vicissim verba regis, quibus & Lutheri fidem deprehendes, aliena tam syncere narrantis, ut inde gratiam comparet suis. Et illud simul intelliges, quanta rerum urgeatur inopia, qui cogitur ad nugas divertere, & potissimam partem eorum, quibus respondendum fuit omittere, illiusque verba antequam regis retulimus, ut cum eas vanas ac stolidas gloriolas efflare aliquandiu impune permiserimus, quibus se victorem ipse buccinat, à sperata victoriæ laude, turpius excidat, quum regis verba prave de industria retulisse (ut est impudens) redargui palam se viderit, quo facilius ipse superior è pugna discedere videretur. Verba regis ita se habent.

POST longas (inquit) ambages, diffinit Missam: deinde separat à Missa, Missæ ceremonias: excutit Cœnam Dominicam: & verba Christi trutinat, quibus usus est, quum institueret Missæ Sacramentum. Ibi quum Testamenti verbum, rem videlicet tam abstrusam reperisset, jam (tanquam profligatis hostibus)

Verba Regis.

[P] 2 cœpit

cœpit ingeminare victoriam, & verbis adornat inventum (ut jactat) suum, & tanquam mysterium, hactenus inauditum, magno supercilio docet, quid sit Testamentum. Notandum esse clamat, ac memoria tenendum, Testamentum esse morituri promissionem, qua nuncupat hæreditatem, & instituit hæredes. Hoc igitur Sacramentum (inquit) Missæ, nihil est aliud, quam Testamentum Christi: Testamentum nihil est aliud, quam promissio hæreditatis æternæ, nobis Christianis, quos suos hæredes instituit, corpus & sanguinem suum (velut signum ratæ promissionis) adjiciens. Hoc igitur decies repetit, inculcat, infigit, utpote quod haberi vult immobile fundamentum, super quod ædificet fœnum, ligna, stipulam. Nam hoc fundamento jacto, quod missa Christi sit testamentum, omnem sese jactat impietatem eversurum quam impii (ut aiit) homines invexerunt in hoc sacramentum, & dilucide probaturum ad communionem recipiendam, sola fide veniendum esse, de operibus cujusmodi sint, non admodum esse curandum, conscientia quanto magis erronea sit, ac peccatorum, vel morsu, vel titillatione moveatur, tanto sanctius accedi. Quanto serenior, purior, & errore purgatior, tanto sumi deterius. Ad hæc, Missam bonum opus non esse. Missam non esse sacrificium. Missam sacerdoti tantum, non autem populo etiam prodesse. Nihil prodesse defunctis, nihil cuiquam viventium. Impium esse errorem, si Missa canatur pro peccatis, si pro cujusquam necessitate, si pro mortuis. Inanem esse rem & impiam, fraternitates & annuas defunctorum memorias. Abolendam esse, talem omnem sacerdotum, monachorum, canonicorum, fratrum, religiosorum denique (quos vocamus) omnium alimoniam. Hæc igitur tot & tam immensa bona, se reperisse gloriatur, in eo solo, quod hoc sacrosanctum Sacramentum comperit, esse Christi Testamentum. Jam in sententiarios protinus (quos vocat Doctores) invehitur. Exclamat in omnes, qui declamant apud populum, quod quum illi tam multa scribant, hi tam multa loquantur & prædicent de Eucharistiæ Sacramento, neutri tamen attingant quicquam de Testamento, sed impie celent populum, bonum illud incomparabile (quod tamen jam olim scisse profuisset) ex Missa, nihil unquam boni Laicos, neque vivos neque defunctos esse consecuturos. Ob cujus rei ignorantiam, denunciat universos hodie sacerdotes & monachos, cum Episcopis, & omnibus suis majoribus, idololatros esse, atque in statu periculosissimo versari.

Discite hic omnes ex Luthero, quid sit testamentum.

Concedite hanc arcem tam præclaro Duci.

Quot & quæ sit probaturus Lutherus ex suo fundamento.

Hoc nimirum Luthere satis tibi servatum est.

VIDES Lector, ut Lutheri omnia robora princeps bona cum fide commemoret, ac ne dogmata quidem omittat, ne quid sibi sui roboris queratur interceptum. Sed istud interim exacte pensiculandum est: in quo periculo versentur omnes hi, qui Lutheri dogmatibus non credunt. Profecto in periculum veniunt (quod superos precor, ut contingat mihi) ut excludantur ab inferis, ne ibi cum Wiclefo, Husso, Helvidio, Arrio-Montano, & iis omnibus pestilentiori Luthero, æternum ardeant, sed in cœlo beati sint perpetuo, cum Christi Sanctis, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Cypriano, Basilio, atque id genus aliis, viris beatissimis, qui ea crediderunt & docuerunt de Missa, quæ Lutherus execratur: ea sunt execrati, quæ Lutherus docet credenda non credit; Sed paulo post ita pergit rex.

Periculum eorum qui Luthero non sunt audientes.

SED OPERÆ pretium est videre, qua ex arbore tam salutares fructus colligat Lutherus. Postquam ergo sæpius inculcavit, Eucharistiæ Sacramentum, signum esse: Testamentum vero nihil esse aliud, quam promissionem hæreditatis: inde continuo censet consequi: ut Missa neque bonum opus esse possit, neque sacrificium. Quod quisquis ei concesserit, jam illi statim admittendus erit totus ille pestium catalogus, quo totam Ecclesiæ faciem confundit. At quisquis negnaverit illi, jam tam magno molimine nihil egerit. Nam argumenta (quibus ea docere præ se fert) pudet propemodum recensere, ita sunt in re tantæ majestatis, nugacia prorsus & frivola. Sic enim colligit (nam ipsius verba recitabo) Audisti Missam nihil aliud esse, quam promissionem divinam, seu Testamentum Christi, Sacramento corporis & sanguinis ejus commendatum. Quod si verum est, intelligis eam, non posse opus esse ullo modo, nec alio studio à quoquam tractari, quam sola fide. Fides autem non est opus, sed Magistra & via operum. Mirum est, quanto nixu parturiens, quam nihil pepererit, nisi merum ventum, quem quum ipse tam validum velit videri, ut montes possit evertere, mihi profecto videtur tam languidus, ut agitare non possit arundinem. Nam si verborum tollas involucra, quibus rem absurdam, velut simiam purpura vestit: si tollas exclamationes illas, quibus jam velut re dilucide probata, toties in totam bacchatur Ecclesiam, & nondum collata manu, tanquam ferox victor insultat, nihil aliud restare videbis, quam nudum & miserum sophisma. Quid enim aliud dicit tanto verborum ambitu, quam Missa est promissio, ergo non potest esse opus? Quem non misereat hominis, si tam stupidus sit, ut ineptiam suam non sentiat: aut quis non indignetur, si sibi conscius, tam stupidos tamen omnes æstimet Christianos, ut tam manifestas insanias nequeant deprehendere? Non contendam cum eo de Testamento, & promissione, & tota illa definitione, & applicatione Testamenti ad Sacramentum. Non ero tam modestus ei, quam alios fortassis inveniet, si qui bonam ei partem istius fundamenti subruerint: qui & Testamentum novum dicant, promissionem esse legis Evangelicæ, quemadmodum vetus fuit Mosaicæ: & Testamentum istud negent à Luthero satis scite tractari: neque enim testatori nuncupandum esse nominatim, quid relinquat hæredi, quem ex asse instituat: neque remis-

Verba Regis.

Unde collegerit Lutherus missam bonum opus non esse.

Nempe juxta proverbium; parturient montes nascetur ridiculus mus.

missionem peccatorum, quam pro hæreditate nuncupatam Lutherus ait, idem esse quod regnum cœlorum, sed viam potius ad cœlum.

Veniamus ergo nunc ad præclaras istas Lutheri rationes, quibus probat, Missam neque bonum opus esse, neque sacrificium: Et quanquam præstaret, prius tractare de sacrificio, tamen, quoniam ille primam quæstionem fecit de opere, sequemur illum. Quum igitur ita colligit: Missa est promissio, ergo non est bonum opus, quia nulla promissio est opus: dicemus Missam, quam sacerdos celebrat, non verius esse promissionem, quam fuit consecratio Christi: & simul quæremus ab eo, an aliquod opus tum fecerit Christus? quod si neget, mirabimur profecto, si quum is opus faciat, qui imaginem facit ex ligno, Christus nullum opus prorsus fecerit, quum carnem suam fecerit ex pane. Quod si ullum opus fecerit: quin id bonum fuerit, nemo, opinor, dubitabit. Nam si bonum opus fecit mulier, quæ caput ejus perfudit unguento, quis potest ambigere, an bonum opus fecerit Christus, quum corpus proprium, & in cibum exhiberet hominibus, & in sacrificium offerret Deo? Quod si negari non potest, nisi ab eo, qui in re maxime seria, valde velit nugari, bonū opus fecisse Christū; nec istud etiam negari potest, in Missa bonum opus facere Sacerdotem: quippe qui non aliud faciat in Missa, quam Christus in Cœna fecit & cruce. Hoc enim declarant verba Christi: Hoc facite in meam commemorationem. Quibus verbis quid aliud volebat, ut in Missa repræsentarent, ac facerent, quam quod ipse faciebat in Cœna & cruce? Instituebat enim, & inchoabat in Cœna Sacramentum, quod cruce perfecit.

Quomodo probet Lutherus Missam non esse bonum opus.

Ostenditur missā opus esse ex ipsius verbis Christi.

NUNC relege quæso Lector, Lutheri nugamenta. Vide, quanta cum fide recenseat argumenta regis: quam pulchris rationibus occurrat. Quas iste nobis nugas garrit. Rex ait, Christum aliquod opus fecisse, dum suum corpus faceret ex pane, & Patri offerret in cruce, nec obstitisse, quo minus fuerit opus, quantumcumque fuerit Testamentum. Atque ita breviter, uno verbo demonstrat, & quam ineptum sophisma sit, Lutheri Lemma illud insolubile: Hoc Sacramentum est Testamentum, ergo non potest esse opus. Deinde rex ostendit, ac probat ex Evangelio, idem facere sacerdotem in Missa, quod Christus in Cœna fecit, & cruce, in qua complevit, quod inceperat in Cœna: præsertim quum Missa potius mortis memoria sit, quam Cœnæ, secundum illud Pauli, quod rex etiam commemorat. Hæc quotiescunque feceritis, mortem Domini annunciabitis. Quamobrem, quum Lutherus negare non possit, quin vere opus fuerit, quod à Christo factum est: quanquam maxime fuisset Testamentum, nec aliud est, quod à sacerdote fit, quam quod factum est à Christo, nonne cogitur homo prudentissimus fateri, stultissimā esse sophismatis sui sapientiam qua velut irrefragabile, sic argumentatur? Missa est Testamentum & promissio, ergo non potest esse opus. Sed hic manifeste se victum sentiens, mirabili prorsus ingenio, reperit exitum, ne quod omnes videre vident, ipse fateri cogeretur. Quia rex dicit eum, qui consecrat, aliquid facere: ibi deprehendit homo Lynceus regem dicere, Missam esse bonum opus, ratione operantis, non operis operati: Quasi, qui diceret aliquid quenquam facere, is non diceret aliquid ab eodem fieri, aut quasi re non essent idem, id quod aliquis facit, & quod ab eo faciente fit, etiam si aliter consideretur quatenus tale, aliter quatenus factum abs tali. Ut cautum esse oportet, cui cum homine tam acuto sit negotium. Nam si quis dicat has scalas esse sursum versus, illico Lutherus jurabit, eum negasse easdem scalas, viam esse deorsum versus, quia sursum & deorsum sunt opposita. Sic disputant acuti Dialectici. Nos homines simplices, & idiotæ, putamus eandem esse viam & Athenis Thebas, & Thebis Athenas: & eandem Missam putamus esse tam opus operatum quam opus operantis. Cæterum bonitatem ejus & fructum, qui ex illo opere pervenit ad populum, pervenire censemus ratione operis operati non operis operantis, hoc est, quia ipsum tale est, non quia talis operatus est.

Pauli de missa sensus.

Quam acute scilicet Lutherus differat.

SED hic aliud etiam acumen reperit Reverendus Pater: quod si Missa esset opus aliquo modo Sacerdotis consecrantis, jam quum omnis Missa sit opus bonum, malus sacerdos consecrare non possit, videlicet, quia malus non potest opus bonum facere. Et hoc argumentum illi videtur tam acutum, ut etiam eo mire glorietur, atque ita se jactet: Istud argumentum male vexabit assertorem Sacramentorum. At ego potius suspicor, imo certo scio, talem argumentatorem male vexari à dæmonio, qui eum ita dementat, ut non sentiat, etiam quantumvis malum hominem, posse facere opus, aut natura bonum, aut moribus, aut alii utile & meritorium, etiamsi damnosum sibi. Nisi forte bonum opus non est eleemosyna, aut fieri non possit à malo. Aut si quis cum Luthero credat, Baptismum bonum opus non esse, aut malum sacerdotem non conferre Baptismum alteri. Sit illud acumen Lutheri. Nos homines rusticuli credimus, ministri malitiam Dei benignitatem non claudere: Sed sicut furtivum semen cum opere seminantis furis cooperatur Deus in frugem, sic in Sacramentis, qualiscunque sacerdos sit, cum ejus opere cooperatur Deus opus bonum, & gratia definita perfectum. Quod insita bonitate, salutare sit illis, pro quibus fit, etiam si noceat illis, à quibus fit. Nam is, qui fecit, bonum opus male fecit, & temere tractando Sacramentum, prodest alteri, licet noceat sibi.

Stulta Lutheri gloriatio de nihilo.

Acumen Lutheri.

Opus ex se bonum non deteri à malo patratore.

QUUM regis librum legissem, & Lutheri responsum simul: & quam potui, diligentissime considerassem: vehementer admiratus sum, quid sibi Lutherus vellet in illo tam absurdo sophismate; tandem cœpi eundem locum ex ejus Babylone perpendere, ex quo fonte con-

confusionis hic rivulus, inferni fluminis effusus est. Et ecce, quemadmodum istic nugatur in Missa, sic ibi nugacissime nugatur, in opere: scilicet ut argutia duplici rem intricaret, & duplici stultitia sese involveret. Sic enim illic ascribit.

Verba Lutheri. ex Babyl. Capt.

Nullus audeat tantum insanire, ut dicat bonum opus facere eum, qui pauper & indigens venit, accepturus de manu divitis beneficium. At Missa, ut dixi, beneficium est promissionis divinæ, per manum Sacerdotum omnibus hominibus exhibitum.

EN rationem Lector, Missa non potest esse bonum opus, nempe quod in Missa beneficium accipimus à Deo, non ei conferimus.

QUÆSO te Lector, an tu hunc putas vel reminisci verborum suorum, vel sua interim verba audire, dum loquitur? Nam si nihil esse potest bonum opus hominis, quo quis beneficium accipit à Deo, non præstat: quid illi necesse fuit, incassum tot verba fundere, ut probaret, in quolibet opere bono esse peccatum? Quanto fuit ei facilius dicere, nullum est opus bonum? Nam id aperte nunc dicit, quum nullum esse dicat opus bonum, in quo quis accipit à Deo beneficium. Nam nec martyrium quidem, hoc pacto, bonum opus fuerit. Siquidem nec martyr quicquam in Deum confert, sed accepit ab illo. Quod enim beneficium Deo præstat martyr moriendo? An non ille quoque pauper & indigens venit accepturus de manu divitis Dei beneficium? dum cum illo nummum exiguum æreum, grandi permutat aureo, imo suum illum æreum reddit, ut reportet aureum. Nam quam ab illo vitam commodato recepit miseram & momentaneam, eam illi reddit, ut beatam recipiat, eandemq; nunquam finiendam. Ergo per te Luthere, bonum opus non facit martyr, dum vitam impendit pro fide. At Deus, quod rex objecit tibi, Magdalenam pronuntiat bonum opus facere, cujus opus, opinor, pro beneficio non habuit, sed mulieri magnum beneficium contulit, quam dignatus est ad illud officii genus admittere. Nos miseri, quum omnia fecerimus, adhuc servi inutiles sumus, quod enim debuimus facere, fecimus, nihil Deo damus, sed in omni opere bono, à Dei beneficentia recipimus. Quod, quum omnes fateantur, solus Lutherus asserit, nullum esse: quod qui facit, beneficium accipit à Deo, non præstat. Et istud asserit is, qui dicit justos in omni opere bono peccare. Et sic homo sapiens, & nunquam sibi contrarius, asserit pariter istas duas conclusiones. Omne bonum opus hominis habet peccatum: & nullum est bonum opus hominis, quod possit habere peccatum.

Lutheri sententia ne martyrium quidem bonum opus esse.

HIC te quæso Lector, ut relegas illa Lutheri verba magnifica, quibus regem ait ea cogitare de Missa, quæ videlicet ipse, neque per febrem, neque per phrenesin cogitare unquam potuisset. Quantam sibi gloriam his comparavit ampullis, quando nunc omnes aperte sentiant principem, & de Missa & de bono opere loquutum prudentissime: quum interim de utroq; per suas febres, & phreneses, talia nobis excogitavit Lutherus, ut nunquam cogitare vel ipsa febris tam febrilia, vel ipsa phrenesis tam phrenetica potuisset.

Refellit illas ineptissimas argutias, quibus Lutherus conatur probare, Missam non esse sacrificium.

CAP. XVI.

HOC igitur egregio triumpho, triumphat malorum operum Patronus, adversus opera bona: nunc videamus, quam strenue se gerat furiosus fraterculus, & sacrilegus sacrificulus, adversus sacrosanctum sacrificium. Quod quo tibi fiat Lector dilucidius, principis verba, quibus obblaterat nebulo, præponemus. Ea igitur hunc in modum se habent.

Verba Regis. Quod missa non sit sacrificium

SED Lutherus satis sentit ipse, facile destrui, quicquid adstruxerat, si Missa possit esse sacrificium, aut oblatio, quæ offeratur DEO. Hunc igitur obicem se pollicetur amoturum: quod quo fidelius facere videatur & efficacius, objicit sibi ipse prius quædam, quæ sibi sentit obstare. Jam & alterum (inquit) scandalum amovendum est, quod multo grandius est, & speciosissimum: id est, quod Missa creditur passim esse sacrificium, quod offertur Deo. In quam opinionem & verba canonis sonare videntur, ubi dicitur: Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia. Et infra: Hanc oblationem. Item clarissime postulatur, ut acceptum sit sacrificium, sicut sacrificium Abel, &c. Inde Christus hostia Altaris dicitur. Accedunt his dicta sanctorum Patrum, tot exempla, tantusque usus per orbem constanter observatus.

Verba Lutheri.

Irridetur Lutherus.

Audisti Lector, quas obices ipse sibi sentit objectas? Audi nunc vicissim, quam Herculeis viribus aggreditur amovere: His omnibus, inquit, oportet constantissime opponere verbum & exemplum Christi. At quæ sunt igitur illa verba Christi, quæ tot olim sanctis Patribus, ac toti Christi Ecclesiæ tot ignorata seculis, velut novus Esdras, nobis Lutherus invenit? Hoc declarat ipse, quum dicit. Nisi enim Missam obtinuerimus esse promissionem, seu Testamentum, ut verba clare sonant, totum Evangelium, & universum solatium amittimus. Verba nunc audivimus, restat, ut videamus exemplum. Exemplum ergo subjungit, Christus (inquit) in cœna novissima, quum institueret hoc Sacramentum, & condidit Testamentum, non obtulit ipsum Deo Patri, aut ut opus bonum pro aliis perfecit, sed in mensa sedens, singulis idem Testamentum proposuit, & signum exhibuit. Ista sunt ergo verba Christi: istud est exemplum: è quibus nunc demum Lutherus, unus perspicue videt, missam non esse sacrificium, nec oblationem. Mirum est igitur, ex tot sanctis Patribus, ex tot oculis, quot in Ecclesia tam multis seculis, idem legerunt Evangelium, nullum fuisse unquam tam perspicacem, ut rem tam apertam deprehenderet: imo omnes etiamnum tam cæcos esse, ut ne

Lutherus novus Esdras. Verba Lutheri.

Argumentum Lutheri ab exemplo ut ipse putat Christi.

Respondetur argumento Lutheri de sacrificio.

ut ne adhuc quidem queant, id quod cernere se Lutherus jactat, quanquam ipso monstrante, perspicere. An non Lutherus hallucinatur potius, & aliquid se videre putat, quod non videt: & digito conatur ostendere, quod nusquam est? Nam obsecro, qualis est ista probatio, quum docere nititur, Missam non esse sacrificium, ex eo, quod sit promissio, quasi promissio & sacrificium ita sibi mutuo pugnarent, quemadmodum frigus & calor? Quæ Lutheri ratio adeo prorsus friget, ut nec responso digna videatur. Nam legis Mosaicæ tam multa sacrificia, quanquam essent figuræ, omnia futurarum rerum tamen promissiones erant & ipsa. Promittebant enim ea, propter quæ fiebant, non modo futura quondam illa, quorum, erant figuræ, sed etiam liberationes, expiationes, Purgationes, purificationes populi tunc præsentis, pro quo more solenni quotannis offerebantur. Quæ res, quum tam aperta sit, ut nemo prorsus eam possit ignorare, ridicula plane dissimulatio est ista Lutheri, quum nunc argumentetur, fieri id non posse, quod non ipse tantum, sed populus quoque novit tam sæpe factum.

Promissiones sacrificiorum veteris Testamenti.

AUDISTI Lector verba regis: Audi nunc vicissim verba nebulonis, ut judicare possis, quam scite scurretur fraterculus.

Verba Lutheri.

Deinde, pro sacrificio Missæ defendendo, sic Thomisticatur. Esto, inquit, Missa sit promissio, non hinc sequitur, non esse simul sacrificium, quando in veteri Lege erant sacrificia, quæ simul erant promissiones. Respondeo. Hujus Thomisticæ assertionis debuit Rex vel unum exemplum producere. Nunc vero pro more suo, satis esse putat, si tantum scribat in veteri Lege sacrificia fuisse promissiones, tum mox, Oportet sic esse. Sed tam stolido assertori (ut video) proponendus esset aliquis vocabularius: quo disceret primum, quid significet, tam sacrificium quam promissio. Siquidem promissio est verbum, sacrificium est res, ut etiam pueri infantes intelligant, impossibile esse, ut promissio sacrificium, aut verbum res sit. Me miserum, qui cum talibus stultitiæ monstris, tempus perdere cogor, nec dignus sum, ut ingenio aut eruditione præstantes mecum certent. Error itaque manifestarius est, dicere in veteri Lege fuisse sacrificia promissiones. Nisi rex assertor, lubricitate Thomistica, figurate voluerit loqui, quod sacrificia promittebant, id est, significabant futura in Christo. Verum, hoc non est asserere sacramenta, sed ludere & nugari verbis. Si quidem, hoc modo, promissio est signum, seu res, non verbum. At nos in Missa potissimum vocamus promissionem, ipsa scilicet verba Christi, sine quibus, panis & vinum essent, neque signum, neque sacramentum, neque Missa. Nam quod per sacrificia, in fide oblata, promissiones impetrabantur, aliud est. Non enim hic, vel de fructu, vel significatione sacrificiorum disputamus, sed de ipsa substantia, ut sciamus, quid sit, & quid non sit sacrificium.

Vere istud ait, Luthere, non es dignus.

Tu vere nugaris verba.

Lutheri argutatio de missa & sacrificio.

NUNC expende Lector, quam belle rationes principis solverit nebulo. Nam quum rex inter alias istius ineptias, hoc quoque miserabile sophisma, quo sic colligit. Missa est promissio, ergo non potest esse sacrificium: ex eo confutarit, quod etiam veteris Legis sacrificia sic erant promissiones, sicut arguatur Lutherus Missam esse promissionem: recurrit nunc Lutherus, & negat sacrificia veteris Legis fuisse promissiones, nisi sophistice; Missam vero nihil aliud esse omnino, nisi veram & meram promissionem. Quid facias Lector isti stipiti, qui sic disputat, tanquam auditores omnes, plane stipites essent. Solet ille vir, gravis ac severus, scholasticorum argutias ridere, quum cogatur ipse sæpissime ad ineptissima sophismata confugere. Nam, quis nescit in sacrificiis Mosaicæ legis, manifestas fuisse promissiones Dei? Cujusmodi est illud Levitici, capite sexto. Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum, de grege, & dabit eum Sacerdoti, juxta æstimationem, mensuramque delicti, qui rogabit pro eo coram Domino: & dimittetur illi, pro singulis, quæ faciendo peccavit. Vides hic Lector tam manifestam esse promissionem, ut nusquam possit esse manifestior. At Lutherus fortasse dicet, in talibus remissionis indulgendæ per sacrificia promissiones esse, non esse tamen promissiones ipsa sacrificia, sed Missam non habere promissionem adjunctam, sed ipsius missæ substantiam, nihil aliud esse, quam meram promissionem, propterea quod missa sit testamentum, quod nihil est aliud (ut Lutherus ait) quam promissio hæreditatis. Age igitur, accedamus propius ut videas Lector, quam misero dedecoris sui conscientia, talia deblateret nebulo. Consideremus illud sacrificium, quod isti ipsi sacrificio velut figuram quandam præviam Paulus copulavit Apostolus: Lecto, inquit, omni mandato legis à Mose, universo populo, accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo, ipsum quoq; librum & omnem populum aspersit, dicens: Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad nos Deus. Quid dicitis nunc Domine Doctor, ubi est vocabularium vestrum, quod scurramini proponendum esse principi? Inspicite vocabularium sacrificii veteris. Inspicite vocabularium sacrificii novi. Nunquid in utroque vocabulario legitis idem vocabulum? Nunquid sicut sanguis Christi vocatur in altero sanguis testamenti, sic vituli sanguis, sanguis testamenti vocatur in altero? An non igitur (si quid habetis cerebri) facile videtis consequi: ut aut testamentum non sit promissio (& tunc perierit vobis totum fundamentum, quod male collocastis, super testamentum, qui contendatis idem esse prorsus adæquate, missam & testamentum) aut, si testamentum sit promissio, tunc verum esse, quod vos negatis, nempe illud sacrificium fuisse promissionem. Et sic Domine Doctor, ego docui vos tam plane, quam pueros docere solent pædagogi, quod sacrificia veteris Legis fuerunt promissiones, non solum eodem modo, quo vos dicitis missam esse promissionem, in lege nova, sed eodem etiam verbo quantumvis acute disputetis, sacrificium esse rem, & promissionem esse verbum: & sic

Paulus Apostol.

Cape tu Luthere vocabularium tuum

& sic videtis nunc, quam pulche vobis procedat vester vocabularius. Nec tamen hæc eo dico, quod aut ibi contendam in Exodo, aut hic tibi assentiam in Evangelio, testamentum esse meram promissionem: quippe qui plane videam, id verum esse, quod Rex obiter tibi tribus verbis ostendit, merum est commentum, quod tu affers de testamento: quod revera & illic legem veterem, & hic significat novam, juxta illud Propheticum, quod Apostolus commemorat. Ecce dies veniet, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Juda, testamentum novum, non secundum testamentum, quod feci Patribus eorum, in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel, post dies illos dicit Dominus, dando leges meas, in mentem eorum & in corda eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum, quoniam omnes scient me à minore usque ad majorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor. Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.

Volve Luthere diligenter hoc vocabularium.

QUID hic dicit Apostolus esse testamentum vetus? quid hic appellat novum? an non legem veterem, & legem novam? idque tam aperte multis modis enuncians, ut nullum habas tergiversandi locum, aut vanissimum commentum tuum tuendi: quod nulla neque ratione, neque Scriptura fretus, mero arbitrio tuo statuis stolide, & velut pro imperio jubes orbem credere.

Quamobrem (ut dixi) non hæc eo protuli, quod in Exodo contendam, testamenti verbum significare promissionem: sed & ex aliis sacrificiis ostenditur promissionem, nec obstare, nec repugnare sacrificio: quemadmodum ipse blaterasti, & ex illo probavi, quod satis est adversus te; si testamentum foret mera promissio, sicut tu contendis, tunc aliquod saltem sacrificium fuisse promissionem in lege Mosaica, quod tu homo absurdissimus, & absurdum esse jactas & impossibile.

Verba Lutheri.

Miratur etiam Dominus Henricus, qualesnam ego concionatores audierim, quod scripserim, nihil esse in concionibus de promissionibus his unquam dictum, ipse vero ad tædium usque audierit de testamento, de promissionibus, de testibus, &c. Respondeo. Et ego miror, regis esse tam rude caput, & tantam amentiam, qui tam insignes conciones audierit, & adeo nihil didicerit, neque intellexerit verbum Dei, nostrum opus aut sacrificium esse non posse, quin contrarium sine fine blaterat.

Et jure optimo miratur.

MIRATUR (opinor) Dominus Henricus, Lutheri caput tam stolide gloriosum esse, ut ex fæce trivialium & rancidarum concionum, dogma ipsum tam insanum hauserit, quod velut novum & inauditum prius, toti propinaret orbi, quum hoc duntaxat habeat novi, quod idem stultius tractatur ab illo, quam quisquam ante tractavit. Nec pudet eum, jam toties victum atque revictum turpiter, summo cum probro suo, stolide nugari rursus illo despuendo sophismate.

Verba Lutheri.

Si enim ulla scintilla rationis humanæ in eo vigeret, utique negare non posset signum Dei, opus Dei esse erga nos. Sic sacrificium, & promissiones Dei esse verbum Dei, non opus nostrum.

Vide quam hæc consentiant superioribus.

IMO si in Luthero vigeret ulla scintilla rationis humanæ; nunquam secum posset in tam paucis versibus, tam insane pugnare. Numquid hic dicit manifeste nobis, tam sacrificium quam promissiones esse verbum Dei: atque usque adeo confirmat istud, ut eum censeat, ne scintillam quidem humanæ rationis habere, quisquis id negare fuerit ausus? Nullam ergo scintillam rationis humanæ prorsus habet Lutherus. Nam id ipsum in eadem pagina, prorsus negavit.

Ideo enim negavit sacrificium posse promissionem esse, quia omnis promissio verbum sit, & omne sacrificium res, atque ob id verbum esse non possit, quum nulla res verbum sit. Verum ne fingere possit, me per calumniam sua verba depravare pro meo commodo, sua illi verba licet tam nuper dicta, quoniam illum oblitum esse video, non gravabor commemorare denuo.

Verba Lutheri.

Tam stolido assertori (ut video) proponendus esset aliquis vocabularius, quo disceret primum, quid significat tam sacrificium, quam promissio. Siquidem, promissio est verbum, sacrificium est res, ut etiam pueri infantes intelligant impossibile esse ut promissio sacrificium, aut verbum res sit. Me miserum, qui cum talibus stultitiæ monstris, tempus perdere cogor, nec dignus sum, ut ingenio aut eruditione præstantes mecum certent.

EN hominem Lector dignum, qui cum Minerva disputet: quem miserandum sit, ita cogi tempus cum stultis perdere, quum sit ipse tam sapiens, ut in uno versu stolidos clamet esse, qui sacrificium putent verbum esse, aut esse verbum posse, quum sit res; & post in proximo fere versu contra clamet, stolidos esse, nec ullam scintillam humanæ rationis habere, qui negarent sacrificium esse verbum. An non isti sacramentorum impugnatori, foret opus non vocabulario, sed cauterio, quo tam stolidæ fronti, ad perpetuam rei memoriam, stultitiæ nota inureretur.

Verba Lutheri.

Deinde Rex iste mendacii, qui hoc loco scribit, sese usque ad tædium audisse de testamentis & promissionibus ejusmodi, postea de Sacramento ordinis garrit, in tota cœna Christi nullam esse promissionem, non modo sibi ipsi turpissime contradicens, sed impudenti mendacio in cœnam Domini insaniens. Sic præcipitat Papistas furor, & amentia, ut prorsus nihil videant, quid dicant, aut contra quid statuant.

Male

Lutherus nugas suas aliis invidet nugatoribus.

Male habet Lutherum, quod ei tam præclari inventi gloriam fratres interciperent: non potest adhuc concoquere, quod rex eadem prius audivit ab aliis, ejusdem farinæ fraterculis: id, inquam, Lutherus ferre non potest. Nam, qui volet ingenio cedere, rarus erit; sed clamat regem esse mendacem, certe si me audiret princeps, potius quam Lutherum habeat inimicum, totam tam stulti inventi laudem solidam reddet Luthero. Sed addit tam iratus, ut sese loquentem non audiat, regem qui se mentitur tantum audisse de testamentis & promissionibus, postea garrire in tota Cœna Christi, nullam esse promissionem, atque ita & sibi contradicere, & in Cœnam Domini insanire. Primum Lector, expende mirabilem Reverendi Patris prudentiam, qui ex eo quod rex ait, se plus millies audisse fraterculos aliquot indoctos, ea prędicasse stolide, quæ nunc Lutherus jactat, sese primum sapienter invenisse, colligit regem sibi contradicere, si dicat utrosque nugari, & illos stultos, & hunc stultiorem esse; hanc videlicet vocat Rev. Pater potator repugnantiam. Deinde (salva Rev. Patris reverentia) Reverendus Pater impudenter mentitur, quum dicit regem dicere, nullam esse promissionem in Cœna Dominica. Nam id non dicit, quippe qui fateatur esse promissionem, sed non ejus generis promissionem, quæ juvet Lutheri causam. Neque enim ullam illic promissionem esse factam cuiquam, propter Sacramenti receptionem, quod Christus instituit in Cœna, sed per sanguinis effusionem, quem Christus effudit in cruce. Quod, quo videas Lector apertius, audi rursus verba principis.

Quid Luth. sit sibi quẽquam contradicere.

Verba Regis.

SED tangemus tamen Lutherum aliquanto propius. Eucharistiam concedit esse Sacramentum, quod nisi fateretur, insaniret. At ubi reperit in Scriptura, promissam in illo Sacramento gratiam? Nam ille nihil recipit, nisi Scripturas, & easdem claras. Legatur locus de Cœna Dominica; non reperiet apud ullum Evangelistarum, in susceptione Sacramenti promissam gratiam. Legitur à Christo dictum: Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur, in remissionem peccatorum. Quibus verbis significavit, semet in cruce per passionem redempturum genus humanum. Sed quum dixit ante: Hoc facite in meam cõmemorationem, nullam hoc facienti, i. e. Sacerdoti consecranti, aut Eucharistiam recipienti, gratiam ibi promittit, nullam peccatorum remissionem. At nec Apostolus in Epist. ad Corinthios, quum interminetur male manducantibus judicium, ullam mentionem facit de gratia bene manducantium. Quod si quid ex capite sexto Joannis, gratiam promittat suscipienti Sacramentum carnis & sanguinis Domini, ne id quidem quicquam juvare Lutherum potest, quippe qui totum illud caput neget, ad Eucharistiam quicquam pertinere. Videtis ergo, ut istam promissionem gratiæ, quam pro totius Sacramenti fundamento, magnifice nobis in toto promisit opere, non potest in eo tueri Sacramento, quod fere solum relinquit, nisi quod necesse habet, præter Scripturæ verba, recurrat ad Ecclesiæ fidem.

Luth. non potest tueri suã sententiam.

NUNC vides Lector, hujus Rev. Patris impudentem calumniam, & non minorem stultitiam. Nam id imputat regi, quod nusquam dicit: Ad id vero, quod dicit, Lutherus nihil contradicit, quum tamen sit ejusmodi, ut totum Lutheri fundamentum subruat: illud inquam fundamentum, quod habet pro firmissimo, nempe nihil credendum esse necessariò, nisi probetur evidentibus Scripturis: Princeps locum explicuit, ac fecit planum, quod dixit, nempe Lutherum non posse, ex illo loco probare evidenti Scriptura, illud Sacramentum habere promissionem gratiæ, quum Evangelium ibi non dicat: Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui bibetur in remissionem peccatorum, sed qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. At quid respondet ad hæc tam aperta Lutherus? Certe nihil aliud, nisi, tu mentiris. Nam hoc illi frequens est, quum ipse mentitur. Quamobrem, non alio opus est responso, quam ut idem ei totidem verbis respondeat Echo.

Lutheri responsatio.

Audet etiam asserere, manifestum esse, fieri à Sacerdotibus, non modo id quod Christus in Cœna, sed quod & in cruce fecit. Respondeo. Quando hoc Dominus Henricus tantum dicit, & non probat; Dico ego contra, manifestum esse, Sacerdotes in Missa id omittere, quod Christus in Cœna fecit, & id facere, quod Judæi fecerunt in cruce Christo. Nec ideo hoc solum, sed probo quoq;. Nam qui verbum DEI pervertit & extinguit, is vere crucifigit filium DEI, id quod faciunt omnes, qui ex promissione opus faciunt, quum hoc vere sit veritatem Dei mutare in mendacium.

Verba Lutheri.

Nunc Dn. ego dico, tu mẽtiris.

Ait regem istud dicere, & non probare, sed interim illa dissimulat omnia, quibus id rex probavit. Tacet illud Apostoli, quod testamentum mortem testatoris involvit. Tacet & illud ejusdem: Quotiescunque manducaveritis corpus Domini, & sanguinem ejus biberitis, mortem Domini annunciabitis, quę in cruce peracta est, non in Cœna. Mors ergo pertinet ad illud Sacramentum, per quam se Christus obtulit. Item illud tacet, quod Rex docuit, à Spiritu S. ideo Ecclesiam doctam infundere aquam in vinum, quia aqua cum sanguine fluxit è latere Christi, morientis in cruce. Hæc omnia dissimulans, censet se egregie oculos omnium festiva illa perstrinxisse blasphemia, qua Sacerdotes omnes ait, iterum crucifigere Christum, quicunq; Missam dicunt esse bonum opus, aut sacrificium. At quum satis constet, id nunc facere totam Ecclesiam Christi: quum constet idem fecisse totam Ecclesiam tot ætatibus: quum illas ipsas Missas quas celebrasse feruntur, & B. Clemens, & Apostolus Jacobus, oblationem appellent & sacrificium: nec ullum unquam Canonem quisquam legit, tam vetustum, in quo venerandum illud Sacramentum non sit appellatum sacrificium. Quis est usquam tam tepide Chri-

Cur in Missa aqua vino misceatur.

Christianus, qui ferre possit in tot millia Sanctorum, qui usi sunt illo Canone, per quem Sacramentum corporis & sanguinis Dominici offertur in sacrificium, istum tam scurrili petulantia scurrantem scurram, ut eos dicat cum Judæis rursus Christum crucifigere, quorum plerique pro Christo, sanguinem suum non dubitarunt effundere, pro quo Lutherus, nisi talis esset nebulo, qui gravaretur effundere unum scyphum cerevisiæ, nũquam posset in animum inducere, ut tam stolida scurrilitate baccharetur in Sanctos, & in Sanctorum blasphemiis blasphemaret DEUM.

Blasphema scurrilitas Lutheri.

Verba Lutheri.

Post hæc urget me Canone illo Missæ, in quo Missa sacrificium nominatur, cujus authoritate ideo me vult teneri, quod ejus verbis usus sim. Nam ista verba, Quotiescunq; feceritis, &c. non in Evangelio reperiri dicit, sed ista, Hoc facite, In Paulo vero esse alia. Hic vide infelicem Satanam, ut reptat, ut captat, ut quæritat effugia, sed frustra, non effugiet. Canonem ego rejeci, & rejicio. quod prorsus aperte contra Evangelion, vocat sacrificia, quæ sunt signa DEI, promissionibus adjecta, nobis oblata, à nobis recipienda, non offerenda. Nam quod Rex dicit, in Evangelio non esse ista verba, Quotiescunq; feceritis, quis puer non videt, Grammaticam assertori tanto deesse? quasi vero necesse fuerit Evangelistas, per omnes syllabas concordare, & formam illam Sacramenti statuere, quam nobis Papistæ sic immutabilem & necessariam statuerunt, ut peccati mortalis reum faciant, & inferno tradant. Qui dictiunculam illam enim, omiserit, scilicet Rhadamanti & Aeaci illi, liberrimarum conscientiarum carnifices, sic delirant. Igitur testibus Grammaticis, & communi omnium sensu dico, idem esse, quod Evangelistæ de Cœna dicunt, quantumvis paucis verbis variant, idemq; esse. Hoc facite, quod quotiescunq; feceritis, Cavisseq; credo Spiritum sanctum singulari consilio, ut Evangelistæ eandem rem paulo aliter scriberent, & peccarent peccatum illud irremissibile in formam Sacramenti Papisticam, quo nos à futura superstitione & tyrannide impiorum hominum tutos redderet. Neq; enim minus vere consecraret, qui forma Lucæ, Marci Matthæi, Pauli uteretur, quam qui Canonis istius impii, & falsi utitur.

Hi te delirum vel potius furiosum reddunt.

VERE urget te Canon Missæ, quem tu uno loco probasti, & usus es pro te: sed hoc nihil est contra te, qui nihil censeas esse stultius, quam ut quisquam exigat abs te, ut verbis tuis debeas stare, cui perpetuus mos est, quicquid dixeris, quumlibet, rursus indictum dicere, sed miror, quid hic loci fuerit tibi garriendi, de Evangelistarum concordia, quasi Rex eos negasset diversis verbis idem dicere, aut quasi quisquam Evangelistarum habeat ea verba, quæ tu ad confirmanda tua sumpsisti, de tibi toties improbato Canone. An ita nugando sperasti fucum te facturum lectoribus, ne sentire possent, quam belle respondeas? Nam te festive putas in regem ludere, cui Grammaticam deesse, quemlibet ais puerum videre: deinde tu tantus Grammaticus citatis in testimonium Grammaticis omnibus, & communi omnium sensu, dicis idem esse. Hoc facite, quod hoc facite, quotiescunque feceritis. Si tantum disputasses illo loco, sic sensisse Christum, & aliqua loquutum alias, tali genere locutionis, ad quæ propositum ei non erat quenquam obligare, potuisset res utcunque tolerari. Nunc vero, quum dicis ex Grammatica, & communi hominum sensu, idem esse, hoc facite, quod hoc facite, quotiescunq; feceritis, ego neminem esse puerum puto tam rudem Grammaticæ, qui non rideat tuam Grammaticam, & tibi censeat neque communis hominum sensus, neque peculiaris, quicquam esse, sed magis pecuinum quam sit in ulla pecude, per quem doceamur ex Grammatica, & communi sensu sic perpetuo Scripturas intelligere: Hoc facite, quotiescunque feceritis, Eleemosynam date, quotiescunque dederitis. Jejunate, quotiescunque jejunaveritis: & ad eundem nimirum modum deducet: ne furtum facias, quotiescunque non feceris: Deum diligite, quotiescunque dilexeritis: & non mœchaberis, quotiescunque non mœchatus fueris: & cætera simili ratione, & hæc est regula Reverendi Patris intelligendi Scripturas, & ex Grammatica, & sensu communi, per quam possit effugere, ne quis probare possit evidentibus Scripturis, aut ullam virtutem præceptam esse, aut vitium ullum prohibitum: & tunc facilius poterit sustinere, quod bona opera nihil prosunt, nec mala nocent, sed sola fides sufficit ad salutem non ex promissione Christi, sed ex promissione Lutheri.

Perpetuus mos Luth.

Luth. Canon ad interpretandum Scripturas.

Refellit illud absurdissimum Lutheri sophisma, quo sic argutatur, Sacerdos in Missa recipit Eucharistiam, ergo non potest offerre.

CAP. XVII.

Verba Lutheri.

UBI vero ego scripsissem, sacrificium & Missam pugnare, cum sacrificium offeratur, Missa vero recipiatur, hic audet audax Dominus Henricus Lutherum ad Biblia provocare, dicens: Ubi est in veteri Lege uspiam, ullum sacrificium, quod non simul offeratur, & recipiatur? Plane hic Lutheri jactitat summum argumentum corruere, securusq; triumphat gloriosus assertor. Respondeo. Non est hoc meum summum argumentum, sed illud, quod supra Dominus Henricus pro Thomistica benignitate mihi donavit, scilicet Missam esse testamentum & promissionem, hoc inquam, capitale meum argumentum est. Tamen ut triumphatori aliquid suggeram, si Dominus Henricus solum Biblia semel aperuisset, & inspexisset, imo si meminisset Psalmi quinquagesimi, quem puer olim legit (si Christianus est) non jactasset triumphum tam Thomisticum. Siquidem illic legisset holocaustum, quo nullum celebrius & majus sacrificium est in lege. Hoc certe totum soli DEO offerebatur, nihil ex eo recipiebatur.

Et hoc tibi non dedit rex, si satis intelligis.

HIC saltem sentiens Lutherus, infirmam esse istam aciem, quam tectissime potest, dat signum receptui, & ait, istud non fuisse fortissimum fundamentum suum, sed illud potius, quod Missa sit testamentum, quod ait regem illi

pro

pro Thomistica civilitate donasse, sed quod omnes vident prius confutatum esse, quam donatum: post ita donatum, ut quo magis id Luthero donaverit, eo stultiorem Lutherum probaverit, qui stolide sibi fundamentum sumpserit, quod ei donari sine ullo incommodo potuerit, donatum nihil ei prorsus profuerit. Et tamen adhuc tam stupidus est, ut id non sentiat, sed ita nitatur illius argumenti validissimo robore, ut jam istud, quod idem non possit offerri, quod recipitur, habeat propemodum pro derelicto, nec tamen video, cur alterum sit altero firmius. Nam hæc duo, Missa est promissio; ergo non potest esse opus, & Sacramentum recipitur, ergo non offertur, sunt perquam similia sophismata, velut ejusdem mali corvi mala ova. Verum fugiens velitatur tamen, ne se fugere fateatur. Nam quum sic fuisset argutatus in Babylonica, Sacramentum altaris recipitur à sacerdote, ergo non offertur Deo: nam idem & recipi & offerri non potest: Princeps admiratus Sophisticationem, quærit, annon omnia sacrificia in lege Mosaica, & offerebantur, & tamen recipiebantur ac manducabantur. Hic mirifice videtur sibi respondere Lutherus, quum profert unum sacrificium, quod totum incendebatur: quasi satis esset ipsi, aliquod unum tale reperiri, ac non potius satis esset regi adversus Lutheri sophisma, vel aliquod unum fuisse sacrificium, quod & offerebatur & manducabatur. Verum Lutherus, egregie videlicet tetigit regem, quia rex de omnibus dixit, quum iste doceat excipiendum unum. Tanquam si rex ita quæsisset, quis tam impius est, ut neget sacrosanctum Sacramentum, à sacerdotibus oblatum, prodesse, populo? Quis tam absurdus hæreticus, ut putet solam fidem sufficere, & opera bona non exigi? Quis tam stolidus est, ut censeat populum Christianum nullis obligari legibus? & mille quæstiones hujusmodi: Prosiliat illico Lutherus, ac suo more, sic derideat principem. Quam obliviosus est iste rex, qui tam impium & stolidum asserit esse neminem, ut dicat talia? Ergo ut huic assertori suggeram; si Dominus Henricus solum semel aperuisset, & inspexisset libellos meos, non tam fortiter asseruisset, neminem esse tam impium, neminem esse tam hæreticum, neminem esse tam stolidum, siquidem illic, tam impium ac stolidum hæreticum facile vidisset me.

Lutherum ipsum jam propemodum suis diffidere dictis.

Quam pulchre Luth. tangat regem scil.

NESCIO quid hic pro se reperiat rex: ego certe nihil reperio, sed fateri cogor hac parte plane sane victum esse. Nec enim mihi hoc desumpsi, ut si quid parum caute scriptum sit à rege, defenderem: aut per calumniam vellicem, si quid forte veri dicat Lutherus. Imo cupio potius, ut uterque quicquid erravit, emendet. igitur, quemadmodum Luthero suaserim, ut tam multas, tam stultas, impie suscitatas hæreses, revocet, atque recantet, ita plane regi consuluerim, ut imposterum calamo temperet, ac scribat circumspectius, & quoties dicit, nullum sacrificium fuisse oblatum illum, quin idem manducaretur, excipiat holocaustum: Si neget quenquam quicquam creare posse de nihilo, semper excipiat Deum. Si neget, ullam virginem esse quæ peperit, excipiat tamen Mariam. Si neget, quenquam esse tam impium, aut stolidum, ut hoc aut illud asserat, immanis absurditatis hæreticum, meminerit in talibus, excipere semper Lutherum.

Candidum authoris institutum

Quin si rex meus paululum haberet humani sensus, verterem triumphi quæstionem in eum, & dicerem. Ubi est in lege ullum sacrificium, quod recipiebatur, & non penitus totum offerebatur? An mihi sacrificium hic faciet, armos, pectuscula, & alia quæ in usum sacerdotum cedebantur? Aut offerre, rex illusor æquivocus denuo vocabit, quod per populum & sacerdotes ex agris afferebatur, & applicabatur coram Domino? Scilicet idem est offerre & afferre apud Dominum Henricum. Verum quid hoc ad me, quid nugigerulus fingat? Mihi satis est in lege, quicquid offerebatur DEO, totum incendebatur. Quod autem non incendebatur, sed partim sacerdoti, partim populo tribuebatur, non offerebatur, sed de oblatis separabatur & edebatur. Verum quid ista sacra cum prophanis? Igitur in calice meretricis Babylonicæ nullum est sacrificium, quod solum offertur, illa enim sunt Biblia nostri Domini Henrici, Biblia nostra referta sunt talibus sacrificiis.

Verba Lutheri.

Hic vos videmini non satis tenere vestra Biblia.

HIC sibi videtur acutus, & mirum se reperisse putat effugium, dum distinguit inter afferre & offerre: atque id solum disputat esse sacrificium quod incenditur Domino; cætera vero, quibus vel sacerdos vescitur, vel hi, pro quibus offertur, negat esse sacrificium; hic regnat, hic ridet, hic subsannat Papistas, & velut prophanos, arcet ab his tam sacris distinctionibus, quibus distinguit argute inter afferre & offerre. Sed interea miror istum Reverendum Fratrem, qui miratur esse quenquam, qui illum provocet ad Biblia, non tenere memoria caput secundum Levitici, ubi ita legimus: Anima quum obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit ejus oblatio. Funderque super eum oleum, & ponet thus, ac deferet ad filios Aaron sacerdotis. Quorum unus tollet pugillum plenum similæ & olei, ac totum thus, & ponet memoriale super altare, in odorem suavissimum Domino. Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron & filiorum ejus, Sanctū Sanctorum de oblationibus Domini. Quum autem obtuleris sacrificium coctum in clybano de simila, panes scil. absque fermento conspersos oleo, & lagena azima oleo lita, si oblatio tua fuerit de sartagine similæ conspersæ oleo, & absq; fermento, divides eam minutatim, & fundes super eam oleum. Si autem de craticula fuerit sacrificium, æq; simila oleo conspergetur, quam offerens Domino, trades in manibus sacerdotis. Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, & adolebit super altare, in odorem suavitatis Domino. Quicquid autem reliquum est, erit Aaron & filiorum ejus, Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini. Omnis oblatio, quę offertur Domino, absq; fermento

Hiccine Pater, totū offerebatur?

Hic liquet non totum sacrificium adoleri solitum.

mento fiet, nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini. Primitias tantum eorum offeretis ac munera: ſuper altare verò non imponentur in odorem ſuavitatis. Quicquid obtuleris ſacrificii, ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo. In omni oblatione offeres ſal.

ANNON hic Reverende Pater, manifeſte dicit Scriptura, id quod cedet in partem ſacerdotum, primum fuiſſe partem oblationis ſacrificii? Deinde idem vocat reliquum de ſacrificio: quod, quid aliud eſt, quàm eam partem ſacrificii, quæ ſupereſt? quod etiam appellat Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini. An ideo vocat Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini, quia (ſecundum præclaram rationem paternitatis veſtræ) nunquam fuit oblata Domino? An paternitas veſtra ſic intelligit Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini, id eſt, ſic ſeparatum ab oblationibus Domini, ut nunquam fuerit pars illius oblationis, quæ tota fuit oblatio Domini? Paternitas veſtra ſæpe jactat Grammaticam ſuam, ſed ſi hæc ſit Gramatica veſtra, tunc ſi vultis dicere, quòd non eſtis aſinus, vos habetis neceſſario concedere, quòd eſtis de aſinis, i. e. per Grammaticam veſtram ſeparatus ab aſinis, ſed per cæterorum omnium, id eſt, unus ex aſinis: & hic ſenſus eſt communior, & verior. Idipſum etiam oſtendit, quod ita legitur in ejusdem capitis fine. Sin autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino, de ſpicis adhuc virentibus, torrebis eas igni & confringes in morem farris, & ſic offeres primitias tuas Domino, fundens ſuper eas oleum & thus imponens, quia oblatio Domini eſt, de qua adolebit ſacerdos, in memoriam muneris, partem farris fracti, & olei, ac totum thus. In his verbis videtis Pater, quam manifeſtè Scriptura dicit, totum eſſe oblationem Domini, quanquam inde partem duntaxat abolebit ſacerdos. Quid illud? Reliquam autem partem ſimilæ comedet Aaron cum filiis ſuis abſq; fermento. Ideo non fermentabitur, quia pars ejus in Domini offertur incenſum. At quare non poſſet fermentari, poſtquam illa pars ſeparata eſt, & incenſa, niſi quia id quoque, quod reliquum eſt, & non adoletur in incenſum, tamen offertur Domino. Nam & ante fuit præceptum, quod omnis oblatio, quæ offertur Domino, abſque fermento fiet. Manifeſtum eſt ergo, hanc quoque partem, quæ non incenditur, ſed manducatur à ſacerdotibus, oblationem eſſe, quæ offertur Domino. Eamque ob cauſam, illam quoque partem manducare jubentur, abſque fermento, quam alioqui poſſent fermentare, ſi ſacrificium non eſſet, ſed quod tu dicis ſeparatum. Vis adhuc Luthere locum apertiſſimum? Iſta eſt inquit, lex hoſtiæ pro peccato. In loco ubi offertur, holocauſtum immolabitur coram Domino, Sanctum Sanctorum eſt, ſacerdos, qui offert eam, comedet eam: & rurſus, ſicut pro peccato offertur hoſtia, ita pro delicto, utriuſque, hoſtiæ lex erit una. Ad ſacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit. Et iterum: Omne ſacrificium ſimilæ, quod coquitur in clybano, & quicquid in craticula, vel in ſartagine præparatur, ejus erit ſacerdotis, à quo offertur. Hic vides, etiam ſi pars duntaxat incenditur, tamen ita Scriptura teſtatur, quòd totum offertur, & quod à ſacerdote manducandum eſt, ab eo manducari debet, à quo offertur. Et hujus rei teſtimoniis, tam plena eſt Scriptura ſacra, ut penè pudeat iſta proponere, tanquam res egeret probatione, & tamen admiror, ſi deeſſent cætera. Quid dicet veſtra fraternitas ad illud ſacrificium, de quo ſcribitur Exodi c. 12. in quo agnus immaculatus maſculus immolabatur totus, & totus manducabatur, & Dominus Doctor Lutherus, docet nos, nullum ſacrificium manducari ſolitum apud Judæos, quia non eſt idem offerre & afferre. Et hæc eſt illa ſacroſancta ſapientia, quam non poſſumus capere, nos qui ſumus hebetes & prophani Papiſtæ, quam ſuos docent perfectos acuti iſti & ſacroſancti potiſtæ.

Grammatica Luth.

Mirum qui non hæc meminiſtis Dn. Luth.

Hic Luth. videas non tenere conſequentiam tuam; recipitur ergo

non offertur.

Redarguit ridiculam arrogantiam Lutheri, qui ridiculum putet, objicit adverſus ſe authoritatem omnium ſanctorum Patrum.

CAP. XVIII.

ULtimo dicta Patrum inducit pro ſacrificio miſſario ſtatuendo, & ridet meam ſtultitiam, qui ſolus velim ſapere præ omnibus, quod ſit ſtultiſſimum, &c. Hic dico confirmari hoc nomine meam ſententiam, nam hoc eſt, quod dixi. Thomiſticos aſinos nihil habere, quod producant, niſi multitudinem hominum, & antiquum uſum. Deinde ad proferentem Scripturas dicere. Tu es ſtultiſſimus omnium. Tune ſolus ſapis? Tunc oportet ſic eſſe. Mihi autem ſtultiſſimo omnium hoc ſatis eſt, quòd ſapientiſſimus Henricus nullam ſcripturam contra me poteſt producere, nec productas contra ſe diluere. Deinde cogitur concedere ſuos Patres ſæpius erraſſe, ſuum antiquum uſum non facere articulum fidei, in quos fidere non licet, niſi Eccleſiæ illi multitudinis, cujus ipſe defenſor eſt cum indulgentiis.

Verba Lutheri.

Quin & arrogantiſſimus omnium, & gloriæ avidiſſimꝰ.

EN iterum, quàm magnifice nunc de Scripturis à ſe productis, tanquam aliquid produxiſſet ad propoſitum, aut quaſi rex illam unam, quam detorto collo, ſecum traxit invitam, uno verbo non ſuſtuliſſet ſacrilego ac plagiario, & Germano ſenſui reſtituiſſet: quaſi rex illius abſurda ſophiſmata non diluiſſet evidentibus Scripturis: ita nunc impudens audet dicere, Scripturas contra ſe productas non eſſe, quas ipſe pro ſe produxit non eſſe ſolutas. Sed illud videlicet abſurdum eſt, quòd quum verſetur in quæſtione, quisnam ſit Scripturæ cujuſpiam propoſitæ ſenſus, audiat aliquis dicta ſanctorum Patrum omnium in idem conſentientium præferre dicto unius fraterculi, & ſibi diſſentientis hæretici. Nam illud eſt, quo video ſic uri (nec ſanè miror) Lutherum, quòd rex ait, mirum eſſe ex tot ſanctis Patribus, ex tot oculis, quot in Eccleſia tam multis ſeculis, idem legerunt Evangelium, nullum fuiſſe unquam tam perſpicacem, ut rem tam apertam, quàm hanc

Audax mendaciũ, & manifeſtum Luth.

hanc videri vult Lutherus, potuerit deprehendere. Neminem ergo, qui sapiat, crediturum esse Luthero, nisi primum doceat, aut aliud Evangelium legisse se, quàm sancti illi Patres legerunt, aut illud idem vel legisse diligentius, vel intellexisse melius, aut sibi denique majorem esse curam fidei, quàm ulli unquam hactenus mortalium fuerit. Hæc verba regis absurda videlicet sunt Luthero. Ad quæ non miror, si cupiat obsurdescere. Nam certè, quantumvis ille sibi perfricuerit frontem, fieri tamen haud potest, quin ista mordax veritas, homini mendaci male perfricet auriculas etiam quantumvis asininas. Nam quid hic habes Luthere, quod dicas? Producitur ab alterutro vestrum Scriptura, quam uterque agnoscit pro sacra, sed de sensu non convenit inter vos, quid hic fiet? quis judicabit, uter vestrum veriorem afferat illius Scripturæ sensum. Uter nunc petit æquius? Tu petis tibi credi, rex vetustis patribus. Quid affers causæ, cur hos recuses judices? Si lis difficilis est judicatu, talibus judicibus opus est; sin facilis, non est aliis facilior, quàm fuit illis. Quid illos ab hoc judicio rejicis, qui maximè debent recipi? Nam ex his, qui hodie vivunt, alii boni sunt, alii mali. Mali tibi propter vitia favent. Boni propter eadem tibi sunt infensi. Sic utrosque ab hoc judicio diversus affectus submovet. Antiqui Patres odisse te non poterant, qui tot ætatibus ante defuncti sunt, quàm quisquam suspicari posset, quòd te merdam talem cacodæmon aliquis, aliquando foret excacaturus in terram. Annon, hoc indicium est conscientiæ tuæ tuo ipsius judicio damnatissimæ, quòd recuses tales judices? At idem prius objecisti, sicut appellas, Papistis, quòd illi postulent sibi solis credi, quum tu credi postules apertissimis Dei Scripturis. Primum te quæso Vir prudentissime, quibus sibi solis postulant credi Papistæ? videlicet solis Italis, Hispanis, Germanis, Anglis, & denique solis omnibus, non modo qui vivunt hodie, sed & quicunque boni, à Christi morte vixerunt? Tam absurdi sunt, ut postulent credi solis omnibus. At tu credi postulas apertissimis DEI Scripturis: sed quomodo, precor, apertum vocas, quod in tot seculis, nemo tam oculatorum virorum potuit cernere? Deinde quum jam controversum sit, in utram partem apertæ sint illæ Scripturæ, in tuamne, an in diversam, quum pro tua parte neminem afferas tuæ sententiæ vel patronum vel testem, quum Ecclesia contra te proferat publicum Christianorum omnium consensum, atq; antiquorum Patrum dictis probet, idem etiam per tot secula omnes sensisse fideles? quis absurdum censet, nisi tu (qui omnium es absurdissimus) si malint omnes sibi solis omnibus fidere, quam uni duntaxat infideli tibi? Atque hæc quum tam aperta sint, ut ea vel cæcus aperte cernat, nec suum casum Lutherus (quo turpissime dejectus est) aut sentire possit, aut tegere, tamen (sicut ebrii solent) vigilans somniat deliria, & magnifice sibi decernit triumphum.

Respondit se utpote doctum cœlitus.

Vide Lector: quod Lutherus iniquum postulatū vocet.

Hoc non putas absurdum Luthere?

Hic, inquit, sedeo. Hic sto. Hic maneo. Hic glorior. Hic triumpho. Hic insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, Sophistis, & omnibus portis inferi. Neq; curo si contra me stent mille Augustini, & mille Cypriani.

Verba Lutheri.

Non est opus insultare, nam hæ portæ tibi patent.

NUNC tibi Luthere videris, te gessisse strenuè; quasi vero magna res sit, ad istum modum furiosum furere, & (quod deploratis hæreticis accedit miserrimum, postquam in profundum desperationis deciderint) jam cuncta prorsus humana & divina contemnere. Utinam misellе super te non urgeret os suum puteus. Tum te videres miser, & deplorares infelicem fortunam tuam, ac sermone verso clamares: Heu miser huc cecidi, huc detrudor, hic jaceo, hic derideor, hic crucior, hic trucidor in profundo barathri, hic super me clauserunt portas suas omnes inferi, hinc in illa tremenda die me producent dæmones ad judicium: heu miserum me, quàm miserandum spectaculum. Ibi tunc insultabunt mihi, quibus ego nunc insulto, Papistæ, Thomistæ, Henricistæ, Augustini, Cypriani, & omnes superi. Tunc me contemptum à Christo, quem ego prius in Ecclesia sua sanctisque contempseram, rursus reducent cacodæmones, & portas rursus occludent inferi. Ibi jacens pauper cum damnato divite, cruciatus flamma multis frustra gemitibus implorabo millies, ut unus Augustinus, aut unus Cyprianus, quorum prius demens millies, mille contempsi, vel uno digitulo in aquam tincto, linguam mihi maledicam, & blasphemiæ pœnas ardore dantem, refrigeret; atque hæc ut vera Luthere futura sunt, nisi resipueris, ita DEUM precor, ut mente reddita resipiscas miser, ac falsa facias.

Turpissimum est tanto regi tantum librum scribere, & hoc caput meum, nempe quod missa sit testamentum, nolle tangere. Nec est repertus, qui unquam ausus sit tangere. Quotquot huc appropiant, fugiunt per septem vias retrorsum, qui magno impetu & clamore triumphali, per unam viam irruerunt. Mirum est, quàm vellent hic nocere, quàm grave sic hoc spectrum in oculis eorum. Sed nullus prudentius sese hic gessit, rege Henrico, qui Lutherum vastaturus, protestatur sese hoc robur non tacturum. Sed nec habeo nec ago gratias tantæ benevolentiæ, imò malè valeat ira, & furor ejus, si nocere potest, & non facit.

Verba Lutheri.

Quale spectrum sit Lutherus.

Ecce jam decimo Lector, istam ridiculam gloriam, quod neque rex, neque quisquam ausus sit illud insanum Lutheri caput tangere, sed tam terribile & furiale spectrum sic horruerint omnes, ut quicunque per unam viam ingressi sunt, per septem fugerint retrorsum. O terribilem furiam. Imaginatur (opinor) se nunc apud inferos esse Cerberum, & suis se catenis jactantem, umbras illic rictu & latratu territare. Sed Rex, quem Lutherus ait prudenter esse protestatum, se caput illud insanum non tacturum, ita tamen illud uno ictu contudit, ut prorsus in frusta disciderit. Tum reliquum corpus ita

Lutheri cerbereū caput à rege comminutum.

ita concussit, ut nulla paralysis ullum corpus posset solvere.

Verba Lutheri. Ergo quid sibi vult, qui bene egerũt,&c.

Furorem verò ejus, quo invehitur in me, quòd docuerim fidem sine operibus optimam præparationem ad Sacramentum, & Christianos non oportere legibus astringi ad percipiendum, contemno. Sunt enim verba hominis, qui putet homines apud Deum legibus fieri bonos, minus sciens, quid sit fides, & opera, & quid leges operentur malorum in conscientiis, quàm insensatus iste stipes. Non enim Papistarum est hæc nosse, sed (ut Petrus & Judas dicunt) ignorata tantum blasphemare. Conscientiis enim non legibus, sed sola gratia consulitur, legibus, præsertim humanis, miserrime conficiuntur.

Hic in media furia Lutherus, lucido saltem gaudet intervallo, dum locum hunc salebrosum transilit per contemptum. Nam facilius est ei rationes principis contemnere, quàm sua deliramenta defendere. Siquidem Christianos omnes, omnibus legibus solutos esse, nec ullis quenquam legibus obligari posse, & quoniam conscientiis gratia consulitur, ideo leges abrogandas esse, ne quis gratiæ negligens, saltem cohibeatur à scelere, & velut ovis errabunda pastorali baculo retrudatur in viam, ista certè tam admiranda paradoxa, nunquam intellexit princeps, sed nec Apostolus Ecclesiæ Papisticæ Paulus, qui legem esse bonam dicit & justitiæ vinculum. Sed nec illud unquam Rex (opinor) quivit intelligere, quòd optimum sit ad Sacramentum accedere, bonis operibus quàm maximè fieri potest vacuum. Nam sicut Ecclesia Confessionem præmittit, ut recepturus quisque veniat liber à vitiis. Ita Lutherus confessione contempta, reservatis vitiis, cavet, ne quis veniat segnior impeditus virtutibus, & solam fidem prædicat sine bonis operibus sufficere. Sed hæc sacrosancta mysteria, non est Papistarum nosse, imo nec hominum, nec angelorum, nec ipsius etiam Christi, nisi forte nunc tandem didicit à Luthero. Nam olim certè nescivit, quum per os Apostoli Jacobi dixit: Fides sine operibus mortua est, & suo ipsius ore pronunciavit; Qui bene fecerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero male, in ignem æternum. Quamobrem candide Lector, qui jam tandem docet, tam stupenda dogmata, non est ille certè stupidus & insensatus stipes, sed homo sensus eximii, planeque dignus, cujus tam sensatum caput sentiat insensatos stipites.

Hunc facile vincet Luth. contemnendo

Nunquid hic Luthere exigit bona op.

Refellit stolidam Lutheri calumniam, qua Regis argumentum quoddam depravat, ut videatur vincere.

CAP. XIX.

Verba Lutheri.

SED in fine hujus loci, operæ precium est videre quàm anxiè laboret, ut traditiones hominum necessarias statuat adversus meam sententiam, qua statui extra Scripturas nihil esse statuendum, aut si statuitur, liberum & non necessarium habendum, cum simus Domini etiam Sabbati per Christum liberatorem. Arguit itaq; Rex. Primo sic. Si nihil servandum est, nisi quod Scripturis proditum est, quum scriptum non sit, Sacramentum esse à Christo sumptum, sequetur, nec sacerdotes posse Sacramentum sumere. Hac Thomistica hypothesi fretus, sic reducit syllogismum contra me. Sacerdotes sumunt Sacramentum necessario, & hoc non habet Evangelion, ergo & alia extra Evangelion sunt observanda necessario. Hoc Thomistice concluditur per regulam consequentiarum illis familiarem, quæ vocatur petitio principii. Nam quod necessarium sit, sub peccato mortali sumi à sacerdotibus Sacramentum, Rex primum probare debuit. Ego enim liberum esse dico sumi, & non sumi à sacerdotibus. Necessarium autem est per traditiones hominum & usum multorum. Quare Thomisticus Rex valde bene probat traditiones per traditiones, negatum per negatum, talibus enim non aliis probationibus niti debet assertio Sacramentorum, & tota Henricalis Ecclesia.

Miror, cur tibi tam odiosus sit D. Thom.

Quàm scurratur hic scurra.

PROFECTO Lector, Lutherus esset hoc loco non inamœnus nebulo, si regis ratio fuisset redargutioni tàm commoda, quàm Lutherus eam fingit in suum commodum. Nam quæ jam respondet, non sunt irridicula, sed omnino nihil ad rem. Nam (ut Horatius ait) nunc non erat his locus: id quod tu facile videbis Lector, quum verba Regis audieris, ad hunc enim modum se habent.

Verba Regis.

NUNC veniamus ad exemplum Christi, quo nos arbitratur Lutherus vehementer opprimi, propterea quod Christus in cœna Sacramento non usus est pro sacrificio, nec obtulit Patri. Ex quo probare conatur, quòd Missa, quæ respondere debet exemplo Christi, quo fuit instituta, non potest esse sacrificium, nec oblatio. Si Lutherus tam rigide nos revocet ad exemplum cœnæ Dominicæ, ut nihil sacerdotes permittat facere, quod ibi Christus fecisse non legitur, Sacramentum, quod consecrant, nunquam recipient. Suum enim corpus Christus in Evangelio non legitur recepisse. Nam quòd Doctores aliquot, eum recepisse tradunt, & quòd idem canit Ecclesia, nihil potest pro Luthero facere: quum illi neque Doctores omnes, neque totius Ecclesiæ fides, ullam faciat fidem: neque credendum censeat quicquam (nam ita scribit in Sacramento Ordinis) nisi firmatum Scripturis, & iisdem etiam claris, cujusmodi certè Scripturas, non opinor, inveniet, quòd suum corpus in cœna receperit Christus. Ex quo sequetur (ut dixi) nec sacerdotes debere, quod consecrant, ipsi recipere, si tam rigide nos obstringat Lutherus, ad exemplum cœnæ Dominicæ. Quòd si ideo concedat recipiendum sacerdotibus, quia receperunt Apostoli: & eos contendat id jussos facere, quod tunc Apostoli fecerunt, non quod Christus: hac ratione nunquam consecrabunt sacerdotes. Consecrabat enim Christus non Apostoli.

VIDES

VIDES hic Lector, quod Lutherus argumentabatur ab exemplo Christi: Sacerdotem offerre non posse corpus CHRISTI, propterea quod Christus, cujus exemplo Missa debet respondere, corpus suum in cœna non obtulit. Rex (ut audisti) respondit: quod si Lutherus nihil permittet, sacerdotem in Missa facere, quod Christus, ex Evangelio, fecisse non probatur in Cœna, non licebit sacerdoti recipere corpus Christi, quod ipse consecravit, quia in cœna non legitur Christus recepisse, qui consecravit. Quod si Lutherus diceret ideo sacerdotes recipere, quia jussi sint id facere, quod Apostoli tum fecerunt, non id quod Christus, hac ratione non consecrarent sacerdotes. Nam Christus consecrabat, non Apostoli. Ubi est igitur iste syllogismus, quem Lutherus ait Regem contra se colligere. Nihil est prorsus apud Regem tale: nec erat apud Regem tali syllogismo locus, quum non hoc ageretur, quod Lutherus agi finxit: an sacerdos necessario reciperet, sed quod ei recipere fas non esset, à semetipso consecratum corpus Christi, si Lutheri valeret ratio, quæ ideo prohibebat, ne offerret sacerdos, quia non obtulit Christus, quæ Lutheri ratio etiam prohibet, ne recipiat sacerdos, quia non recepit Christus. Ubi nunc ergo reperit illud argumentum Lutherus, quod Regem scribit facere? Annon manifestum est, ipsum ex se finxisse, nimirum ut haberet aliquid, in quod lepide posset ludere? I nunc, & nega, Lutherum esse lepidum & facetum scurram. Jam & id, quod sequitur, est altera pars ejusdem festivæ dicacitatis.

Regis Dilemma adversus argumentũ Lutheri.

Secundo, inquit sic, Christus Sacramentum consecravit, non Apostoli, ergo non licebit Apostolis aut sacerdotibus consecrare, quia non licet aliud statuere aut facere, quàm Scriptura habet. Quod si, miser ille Lutherus, hic velit effugere, & dicere. CHRISTUS mandavit Apostolis consecrare, ubi dicit: Hoc facite, præoccupat impropitius meus Dominus Henricus, dicens: Hoc esse dictum de recipiendo, non de consecrando, Christe servator, quam inaudita cæcitas, & amentia est in istis hominibus.

Verba Lutheri.

CHRISTE servator, quantus nugator & calumniator est Pater potator. Nam neque sic potest effugere per id quod Christus jussit Apostolos consecrare. Nam hoc jubendo, jussit eos tantum facere, quod ipse fecerat. At hoc erat consecrare tantum quod aliis darent. Nam Lutherus, qui nihil recipit, nisi Scripturas evidentes, probare non potest, quod Christus suum corpus receperit, ergo adhuc nihil probat Lutherus, nisi quòd ex sua ratione tantum consecrabit sacerdos, non recipiet, quod consecrabit. At Apostoli, dices, prius jussi manducabant. Verum dicis, sed non quod ipsi consecrabant, ergo nullo modo potes exire Labyrinthum hunc, quin, si restringas sacerdotes ad exemplum Cœnæ Dominicæ, sacerdos non recipiet Sacramentum, quod ipse consecrat. Nam hoc nemo fecit in Cœna: sed sicut nemo sua manu baptizatur, nemo sua manu absolvitur, ita nemo sacerdos recipiet Sacramentum, quod ipse consecravit. Et sic adhuc procedit argumentum Regis, penetrans nebulam, quam nebulo conatur offundere.

Mimesis verborum Lutheri.

Collectio ab exẽplo.

JAM quod ait, Regem præoccupare hoc verbum: Hoc facite, dictum esse de recipiendo, non de consecrando, verè præoccupat istud Pater potator, mentiendo. Neque enim dixit istud usquam Rex: quod quum ita sit, flaccet plane Reverendi Patris illa faceta scurrilitas, qua sic interrogat ineptus Regem. Domine Henrice, qua Grammatica didicit Dominatio vestra? quis vocabularius vobis dixit: Hoc facite, id esse, quod accipite. Et deinde respondet ipse pro Rege. Respondebit, inquit, oportet sic esse, quia nomina sunt ad placitum.

Insulsi sales D. Doctor. Mart.

PROFECTO Domine Luthere, quando nihil serio disseritis, sed tantum tam stulte luditis, & cum aliorum calumnia inventum vestrum proprium deridetis, nomen vestrum ex Luthero fiet Luderus; quia oportet sic esse, idque non per Aristotelem, per quem nomina imponuntur ad placitum, sed secundum Cratilum Platonis, de recta nominum ratione; aut (quem video magis familiarem vobis) secundum Albertum, de modis significandi, qui scripsit etiam vobis illum tractatulum, de secretis mulierum. Nam sicut apud illum, lapis est quasi ledens pedem, si vos Luderus eritis, quasi ludens herus. Sed in hoc demiror stultitiæ vestræ mirabilem dotem, quòd nunquam fere prodit, nisi duplex. Alii fuisset satis, stolidum sic risum captasse, ex eo dicto Regis, Rex quod nunquam dixerat. At vobis non fuit satis, nisi id dictum rideretis, quod etiam si quis diceret, ridiculus esset, non qui diceret, sed qui rideret. Nam quæso vos Domine, qua Grammatica didicit Dominatio vestra? quis vocabularius vobis dixit, eum non rectè loqui? qui, quærenti quid fecerit, respondeat, manducavi, aut bibi. Imo ut planè videas istum risum te captasse stolide, vide Apostolum apertè referentem verbum istud: Hoc facite, ad receptionem. Sic enim recitat. Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix Novum Testamentum est, in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim, &c.

Quin ajunt hoc esse illi patrium nomẽ forte fatis inditum, ut Hippol. & ejusmodi.

Apostoli verba in sententiam Regis.

QUID apertius, quàm hæc verba: Hoc facite, referri per Apostolum ad receptionem? De quo tamen Rex, quantum ego video, ne verbum quidem dixit, sed Dominus Luderus, illudit Apostolum. Irascitur ei credo, quia timet, ne præclaræ divisionis suæ, quæ sequitur, præoccupare videatur Apostolus, & tollere partem

partem alteram. Ita enim pergit Pater Luderus ludere.

Verba Lutheri.

Sed jam dimissis istis porcis, dicamus, Christus sumendi usum instituit, quando dixit: Accipite & manducate, ut verba ipsa apertissima testantur, non quidem Henricis istis & truncis, sed quibusvis pueris & fatuis. At consecrandi officium instituit, dum dicit: Hoc facite. Facere enim, est hoc totum imitari, quod ipse tunc fecit.

HIC Reverendus Pater, dimissis porcis Papistis, vertit se ad asinos Lutheristas, videlicet electos discipulos suos, dicens: Sed nunc dimissis porcis dicamus; quasi dicat, non sunt margaritæ meæ projiciendæ ante porcos; sed vos, quos elegi, quos luto lavi, quos purgavi stercore, quos hæresibus inflavi, quos sanctificavi schismate: vobis inquam, datum est nosse mysteria mea. Et jam incipit eis exponere scripturam, & vitans morem Thomisticum & Scholasticum, sequitur simplicitatem Evangelicam, & Christi verba partitur in duo, docens Christum duo docere, usum sumendi, & officium consecrandi. Primum ibi, Accipite & manducate. Secundum ibi, Hoc facite, &c. Circa quæ (secundum doctrinam Reverendi Patris) notandum, quòd Christus instituit omnibus, usum istius Sacramenti, in memoriam sui, ut quilibet secum statueret, utrum vellet uti, an negligere, & ideo Christus dixit: Hoc facite in commemorationem meam, id est, eligite vel facere vel non facere: in cujus confirmationem, Christus, quum dixisset: Hoc facite, protinus adjecit in memoriam mei, quasi diceret, permitto vobis liberum, utrum velitis esse memores, an immemores mei, sicut & liberum permitto mihi, utrum velim esse memor, an immemor vestri. Et hanc doctrinam ubique docuit Reverendus Pater, in Babylonica, in Assertionibus, in isto libello contra regem, iterum atque iterum inculcans, & regi objiciens, etiam extra propositum, nempe nihil tale dicenti.

Instituti Christi interpretatio Lutherana

ERGO postquam ita dilucide docuit suos discipulos, illico spaciatur in campo suo. Nam peregrinatur animus illi, quamdiu ratione res agitur: at quum perventum est ad convitia, tum demum redit domum.

Verba Lutheri.

Quid dicam, inquit, istis sacrilegis portentis, qui talibus argumentis indicant, quàm ex impotentissima invidia sic scripserunt, ut nihil ineptius & insulsius fingi possit. Si enim hoc argumentum stolidi Regis valet, in nulla re licebit Christum imitari. Finge enim Christum non instituisse, consecrasse Sacramentum, quod impossibile est, tamen exemplum consecrandi ostendit, & scribi voluit, nisi Rex noster id contendat, nos neque orare, neque benefacere, neque pati oportere, quia nihil de nostris orationibus, operibus & passionibus scriptum est. Vincit me tædio plane, Regis stolidissimi immensa stoliditas.

STRENUE profecto convitiatus es, sed in caput tuum omnia. Nam id, quod insectaris, ipse dixisti, non Rex. Quæso te, ubi dixit Rex, nos tam rigide obligari, ad exemplum Christi in Cœna? Imo tota ratio ejus militat adversus stultitiam tuam, qua tu volebas omnes tam rigide obstringere ad exemplum Christi, ut quia Christus illic non obtulit corpus suum Patri, ideo nec sacerdos nunc possit offerre. Rex contra probavit, & ostendit ex hoc stulto commento tuo, quanta sequerentur absurda. Nam eo modo sequitur, ut Sacerdos aut consecrare non debeat, aut non debeat manducare, quod ipse consecrarit. Præterea docuit, vel te fatente, licere aquam vino miscere, quod non quadrat ad exemplum Cœnæ Dominicæ. Et tu nunc scommata jactas in eum, tanquam nimis nos stringentem ad exemplum Cœnæ Dominicæ, quum id solus facias ipse. Et interim omnes tibi portenta sumus & porci.

Luther. in alio ridet, quod is in se admittit

Probat Luthero certum esse non posse, quomodo sit consecrandum corpus Christi, nisi per fidem Ecclesiæ.

CAP. XX.

SED quoniam tibi Luthere nos Papistæ porci sumus, quid si quispiam ex porcis his ingrediatur asininum gregem vestrum, & tibi, tuo gregi mysteria tua rudenti, obgrunniat hoc pacto. Salvete grex asinorum, tuque adeo salve Luthere, Magister & Dux asinini gregis, asine maxime. Audio te jam dudum multa rudissime rudentem de Missa.

SED hic, tæ quæso, Magister asine, quoniam solus sapis in Missa, quoniam ea vidisti, quæ (si vera jactas) vidit ante te nemo, qui reperisti Missam non esse sacrificium, & qui sacrificium vocat, damnasti Canonem, qui cum Canone falso, ut vocas, & erroneo falsitatis & erroris damnasti Christianos Sacerdotes omnes, quicunque ferè à Christo passo Missam celebrarunt, qui nihil credis Dei Spiritui sancto, qui Christi regit Ecclesiam, qui Ecclesiam facis omnino nullam, si illa non sit, cujus Canon Missam appellat oblationem & sacrificium, qui omnia vis esse libera, quæ probari non possunt evidente Scriptura, quam ipsam, quum libet, vel dubiam fingis esse, vel ad evidentem torques absurditatem, nec de evidentia ejus, velis cujusquam stare judicio, ne totius orbis quidem, sed solius tuo, ut Scripturam evidentem esse, nihil aliud sit, quàm evidentem abs te dici, quæso te tante Missator, quid tu nobis probare potes de Missa, si quis interim prætereat authoritatem Ecclesiæ, & tuis te petat artibus? Dic mihi, quomodo scire potes, aut quid sit Missa, aut quomodo celebranda, aut quibus omnino verbis peragatur consecratio? Doces Missam esse verba Christi, cum signo visibili, & addis; Verba illa Christi sunt ista. Cœnantibus verò eis, &c. Primum quàm scitè istud, quòd verba Christi vocas

Scit enim neminem pro se sententiam laturum.

vocas, quæ sunt Evangelistæ, cujus generis si quid dixisset Rex, qui tot stultorum genera ibi finxisti stolide, ubi nulla fuit stultitia nisi tua, quot & quales stultos lepide finxisses hic, ubi tam vera daretur occasio? Sed omissa ista stultitia tua, quæro, qua Scriptura probas illa verba Evangelii, esse de substantia Missæ? Sed hic memini, respondebis non esse. Nihil enim referre, cujus Evangelistæ verbis peragatur. Hac de re tecum non contendam, sed interim tamen memineris, ne (quod in Rege facis) posthac fingas esse concessam; nam hoc ego integrum mihi servari volo, qui probare non dubitem, potius ex Canone, quàm omnibus Evangelistarum libris esse consecrandum. Sed interim istud quæro, qua Scriptura probas esse de substantia Missæ, ut ullum legatur Evangelium? Nam si non est, falsa esset tua finitio, qua Missam esse definis promissionem, & Evangelii verba cum sensibili signo adjuncto. Sin contendis esse de substantia Missæ, ut aliquod in Missa legatur Evangelium, quum nihil valere dicas, præter evidentem Scripturam: proba nobis per evidentem Scripturam, quod hoc sit de substantia Missæ, ut aliquod in Missa legatur Evangelium. Docet nos Doctor Martinus doctrinam Christi, circa Missam, & rem dilucide dividit, dicens Christum instituisse usum sumendi illic: Accipite & manducate, & officium consecrandi illic, quum dicit: Hoc facite. Ergo si ad officium consecrantis pertinet, in Missa legere Evangelium, continetur in illis verbis, quibus Christus tradidit illud officium. At illa verba nobis exponit Clarissime Doctor Martinus. Facere (inquit) est hoc totum imitari, quod ille fecit. Ergo præsidere debet aliquis, qui panem accipiat, benedicat, ac frangat, donetque discipulis. At interim nihil hic video Scripturæ, quæ vel evidenter, vel obscure jubeat Evangelium legi, quo tu Luthere vis contineri promissionem, quæ cum adjuncto Sacramento constituat Missam. Nam quum dicit, Hoc facite, quod ego facio, non jussit Evangelium ullum recitari: ipse enim nullum recitabat.

Perperam definiri Missam à Dn. Mart.

VIDES hic Luthere Missator egregie, qui veterem Missam rejicis, reperire te nusquam posse quicquam, unde nobis istam tuam novam defendas.

AN dices, necessaria ratione recitandum Evangelium, quia nisi per aliqua verba illius Evangelii, non fieret à Sacerdote consecratio? Ego istud fateor esse verum, quia sic me docet Ecclesia, quia sic Christus docet Ecclesiam. At tu, qui nihili facis Ecclesiam, qui Christum blasphemas, qui docet Ecclesiam, qui te protestaris nihil habere pro certo, præter evidentes Scripturas, nunquam facies evidens ex Scriptura, præsertim si quis tuo tibi more respondet, quòd per nulla Evangelii verba fieret consecratio. Nam ut interim omittam, quod possem illud verbum: Hoc facite, referre ad receptionem, idque ex authoritate Apostoli: posito tamen (ut tu rem peritior Apostolo tenedia bipenni divisisti) referatur illud ad officium consecrandi; quid habes tamen illic, quod probet consecrationem peragi virtute quorumcunque verborum illius Evangelii? An ista videlicet, Hoc est corpus meum? Quo pacto probas istud? Præceptum ibi non legis, ut illa verba dicantur, sicut in Evangelio recitantur, per modum narrantis historiam. Si vis ibi facere, quod ille facit, tum sicut jubet Christus, cum dicit: Hoc facite, debet Sacerdos in Missa, non per modum recitantis historiam, sed admonentis & affirmantis, dicere, hoc est corpus Christi, sicut ipse non narravit, sed admonuit, & affirmavit, quum dixit: Hoc est corpus meum. Quid hic dices, si contemnis Ecclesiam? Quando facies hanc Scripturam evidentem pro Missa ut probes, necesse esse, illud Evangelium in Missa legi? Atque hæc possem defendere contra te, etiamsi probasses, Christum in illis verbis: Hoc est corpus meum, peregisse consecrationem. Nunc verò ne hoc quidem potes probare tu. Nam si dicas, illico post illa verba, fuisse corpus ejus, mihi licet dicere fuisse, priusquam frangeret, sicut Apostolus dicit: Panis, quem frangimus, participatio corporis est. Nam quum ita recitant Evangelistæ: Accepit panem, benedixit, ac fregit, & dedit Discipulis, dicens: Hoc est corpus meum, qua Scriptura vel ratione posses refellere, si contenderem in illa benedictione peregisse mutationem, & jam existens suum corpus, fregisse & tradidisse, & id, quod res erat, dixisse: Hoc est corpus meum; quippe quod corpus fuerit antequam illa verba proferre cœpisset. Hæc adversus te facile possem defendere. Facile possem tueri, sine ullo prorsus verbo Evangelii, posse consecrari solo proposito & benedictione. Imo tolle, quod tu conaris, authoritatem Spiritus sancti, gubernantis Ecclesiam, & faciam, quod ante dixi, ut sudes satis, priusquam Sacramenta relinquas, Baptismum & Eucharistiam, cur alterutrum eorum ex finitione tua, Sacramentum sit, potius quàm illa lotio, qua Christus lavit Apostolorum pedes? Nam & illic etiam erat signum sensibile lotionis, sicut in Baptismo, & adeo necessaria promissio, ut recusanti Petro minaretur: Nisi te lavero, non habebis partem mecum. Deinde sicut in Cœna dixit, Hoc facite; ita hic quoque dixit, accurate, proposito ipsius exemplo, debetis & vos alter alterius lavare pedes. Quid posses hic dicere: si quis tibi, qui tantum ponis duo, contenderet ex Scriptura tibi sumendum tertium, cui competat definitio tua, promissio videlicet gratiæ, cum sensibili signo, qua Scriptura posses istud evitare? nec hoc posses repellere, nec Missam ipsam statuere. Nam postquam mihi licet, contra vocabularia tua, ex authoritate Pauli, verbum illud: Hoc facite, referre ad receptionem; jam tu, quum volo, detruderis ab altera parte divisionis tuæ, qua doces in illo verbo,

Jam videas Luthere tuam Missam consecrari non posse.

Quomodo vitabis hoc, definitor eximie?

Id quod solet, alias tu mētiris.

tradi consecrationis officium, & absurdum esse, si quis illud referat ad receptionem: Et jam pro authoritate consecrandi retrudam te, ut quæras quidlibet. Quod si concedam illa verba referri ad officium consecrandi, nihilo tamen magis effeceris, ut probare possis evidente Scriptura, quibus modis, aut verbis, Missa peragenda sit. Neque hæc perinde dico, quasi res ita sit, sed quod tu nunquam possis refellere, quin ita sit, si quis tuo more tecum disputet. Nos verò qui certum esse scimus, Christum per Apostolos suos Ecclesiæ tradidisse Sacramenta sua: certi sumus de numero, de forma, de ritu: nec essemus incerti, etiamsi nullum unquam Evangelium scriptum esset. Sic enim tradidit Paulus Corinthiis, sicut acceperat à Domino. Atque istud per sermonem tradiderat, ante scriptam Epistolam, ex nullis Evangelistarum codicibus. Neque cuiquam dubium est, etiam Missam celebratam esse millies, antequam scripsit Matthæus. Hæc ex prima traditione perpetuo more servata est. Hanc spiritus Christi servat in Ecclesia. In illa inquam ipsa Ecclesia, quæ docet, quodnam verum sit Evangelium. Ab hac Ecclesia, tibi discenda est Missa, si rectè Missam voles dicere. Alioqui dubius & incertus circumfereris, omni vento doctrinæ, & omnia perduces in dubium, quod plane solum paras, nec aliud moliris omnino, quàm ut Missam, & Sacramentum, & omnia sacra, velut incerta tandem omnes missa faciant.

Christi fidem constituram, etiamsi nullum extet Evangelium scriptum.

Ostendit pulchre, quomodo Lutherus irretitus confessione propria, frustra jam conatur elabi, variè versans verbum Augustini, & argutans inepte interius judicandi dogmata, & jus condendi jura.

CAP. XXI.

Verba Lutheri.

QUARE ad summum principium perfidiæ, ejus calamum vertamus, quod est verbum Augustini. Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ authoritas commoveret, hoc verbum sacrilegi eo torquent & depravant, ut Ecclesiæ, hoc est, meretrici Romanæ (cui præter titulum nihil est Ecclesiasticum, aut Christianum) tribuant jus, leges condendi. Huic addit Dominus Henricus, ut ejusmodi verbi authoritate, etiam me urgeat per propria verba, ubi dixi, apud Ecclesiam esse jus judicandi, qualibet dogmata. Ego nulla re video huic rudissimo capiti Regis opus esse, quàm vocabulario Gemma, vel Breviloquo, ut vocabula cum pueris inciperet discere, nisi id ex mera Thomistarum nequitia facit, ut omnia vocabula, omnia significare cogat, ut etiam hic jus judicandi idem sit, quod jus statuendi vel condendi leges. Breviter, si Augustinus, etiam rotundis verbis asseruisset, jus esse alicui in Ecclesia leges condendi, quis est Augustinus? Quis nos coget illi credere? Qua authoritate ejus verbum est articulus fidei? Fateor, receptum est ejus verbum, sed non satis tutum neque firmum. Divino edicto probandum est jus legis condendæ, non humano. Nunc autem Augustini verbum non simpliciter vitiant. Ille enim loquitur de Ecclesia per orbem diffusa, cujus est de dogmatibus judicare. Illi hoc tribuunt Papæ, quem ipsimet confitentur membrum diaboli sæpius esse, & errare. Nec solum ei judicandi, verum etiam & condendi jus copiam faciunt. Proinde opus est, ut rudibus istus Sophistis hic declaremus, quid intersit inter jus judicandi seu cognoscendi, & inter jus condendi seu imperandi. De doctrina cognoscere & judicare, pertinet ad omnes & singulos Christianos, & ita pertinet, ut anathema sit, qui hoc jus statuit invictis & variis sententiis, Matth. 6. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium. Hoc verbum certè dicit ad populum, adversus Doctores, & mandat eis, ut falsa dogmata eorum vitent. At quomodo vitare possunt, nisi cognoscantur? quomodo cognoscere, nisi jus habeant judicandi? Nunc autem non solum jus sed præceptum judicandi statuit, ut hæc sola authoritas satis esse queat adversus omnium Pontificum, omnium Patrum, omnium Consiliorum, omnium Scholarum sententias. Quæ jus judicandi, solis episcopis, & ministris tribuerunt, & impiè ac sacrilege populo, id est, Ecclesiæ reginæ rapuerunt. Stat enim Christus, dicens: Attendite à falsis Prophetis. Huic subscribunt ferme omnes omnium prophetarum syllabæ. Quid enim agunt Prophetæ, nisi quòd populum monent, ne falsis Prophetis credat? At quid est, hoc monere, nisi judicandi & cognoscendi jus, penes populum esse declarare, & confirmare, ipsumque suis operis monefacere, & excitare, adversus omnes omnium suorum Sacerdotum, & Doctorum doctrinas? Quare hic concludimus, quoties Moses, Josue, David, omnesque Prophetæ in veteri lege populum à falsis Prophetis vocant, & monent, toties clamant, mandant, confirmant, excitant, jus cognoscendi & judicandi omnium omnia dogmata. At hoc infinitis locis faciunt. Habet hic Henricus noster, aut ullus impurus Thomista, quod istis obganniat? Nonne obstruximus os loquentium iniqua? Redeamus ad novam legem. Christus, Joan. 10. dicens: Oves meæ vocem meam audiunt. Vocem verò alienorum non audiunt, sed fugiunt ab eis. Nonne hic oves facit judices, & jus cognitionis transfert ad Auditores? Et Paulus, cum 1. Cor. 4. dicit: Unus dicat, cæteri judicent. Quod si, sedenti revelatum fuerit, prior taceat. Nonne & hic judicium, penes auditorem esse vult? Sic quicquid Christus, Matth. 24. & ubique de falsis Doctoribus, quicquid Petrus & Paulus de falsis Apostolis, Magistris, & Joannes de probandis spiritibus præcipiunt, eo pertinet, ut judicandi, probandi, damnandi authoritas, apud populum sit, idque justissime.

Et ego nulla re tibi video opus esse, quam mēte sana.

Adversus Doctor tales, qualis est Luther. Ex Eccles. Catholicæ doctrina judicat quisque docentes hæretica.

O pestiferam glossam, ut quilibet unus judicet adversus universos.

Minimè verò, nam tuum os hiat adhuc

IN HOC passu pulcherrimo Dominus Doctor duo facit; Primo, respondet ad id, quod nusquam dictum est. Secundo, respondet id, quod stultissimum est. Circa primum notandum est, quòd Dominus Luderus suo more conatur ludere Lectorem, ut credat totam Ecclesiam Christianam, priusquam doceretur à Domino Doctore, non rectè intellexisse illud dictum Beati Augustini: Non crederem Evangelio, nisi Ecclesiæ authoritas me commoveret. Non enim Ecclesiam intel-

intellexisse sic, quod nisi doceretur per Ecclesiam Catholicam, nescisset Augustinus, quodnam Evangelium esset Evangelium verum, sed potuisset aliquod Pseud-Evangelium habere pro vero,& verum repudiare pro falso: sed illud Augustini dictum hactenus Ecclesiam intellexisse hoc pacto,quòd B. Augustinus,etiam comperto, quòd esset Evangelium verum, etjamsi Deus id ore ad os fuisset ei testatus, tamen nollet credere Evangelio, nisi jussus à Papa.

Quomodo Luth. intelligat Augustini verba.

Et iste est unus error,quem Dominus Doctor Luderus in Ecclesia deprehendit.

Secundus error Eccl. à Luthero castigatus.

Alius error est,quod ex isto dicto Augustini, Pontifices Romani sumpserunt sibi authoritatem condendi jus, quum illud dictum Augustini tantum pertineat ad potestatem cognoscendi, & judicandi dogmata,& eadem judicanda per populum,nec aliud B. Augustinus senserit. At Ecclesia nunc tot annis sic intellexit, scil. quasi sensisset Augustinus de potestate condendi jura: & ex illo dicto male intellecto,potestatem sibi sumpsit Ecclesia condendi jura. Et in hac re Lector, facilè videbis Doctorem Luderum dicere verum. Nam nunquam videbis aliquod concilium, in quo aliqua jura condita sunt, quin super illud dictum Augustini posuerit fundamentum potestatis suæ, & maxime videbis hoc in illis conciliis,in quibus jura condita sunt, ante Augustinum natum, & præsertim in Concilio Apostolorum, in quo conditi sunt Apostolorum Canones, & in Concilio, quod Apostoli celebrarunt Hierosolymis, ubi statuerunt pro tempore, de quibusdam legalibus observantiis.

Irridetur Lutherus.

Tert. error à Luthero castigatus.

Tertius error est, quod Rex Angliæ male intellexit illum textum Augustini,& glossam Doctoris Martini, qui confessus est, Ecclesiam hoc habere à Deo, ut possit discernere verbum Dei à verbis hominum: ex qua Lutheri glossa,Rex objecit Luthero,quòd Ecclesia non habet hoc à Deo,nisi quia Deus non vult pati Ecclesiam suam, in rebus necessariis errare, cum periculo. Ex quo conclusit Rex, confitendum Luthero,quòd Ecclesia hoc etiam habeat à Deo,ut verum Scripturæ sensum possit à falso discernere, quoniam alioqui frustra discerneret veras Scripturas, si non posset discernere verum sensum à falso. Et præterea concedendum esse Luthero,ex suo dicto,quòd Ecclesia hoc habeat à Deo, ut discernat traditiones Dei à traditionibus hominum: & falsa dogmata discernere possit à veris, quia in his non minore periculo falleretur,quam in recipienda Scriptura humana,loco divinæ. Atque ex his consequi, ut Ecclesia non possit errare in Sacramentis, & necessariis articulis fidei,sed possit damnare Lutheri falsa dogmata, & falsis interpretationes Scripturæ. Hoc argumentum Regis, visum est Patri Ludero tam absurdum, quòd non voluit recitare, quia non valuit refutare, sed tacitè confessus omnia,dimisso Rege, revertitur ad Papam: & distinguit potestatem cognoscendi, à potestate condendi: tantum rhetoricatur suo more, hoc est, more meretricum,lenonum,potatorum, aurigarum, scurrarum: & rursus citat vocabularia: nam illa sunt ei vice DEI cujuspiam, ex machina propitii, quoties aliter explicare se non potest, & absolvere suam tragœdiam. Rursus ergo,velut ex vocabulario, docet Dominus Doctor, quid intersit inter jus judicandi,& jus condendi: tamen interim fatetur Ecclesiam, sicut habet à DEO jus discernendi Scripturas, sic & dijudicandi dogmata.

Quid intersit inter jus judicandi & condendi D. Luthero.

Videamus igitur,quid lucrifecerit Dominus Luderus ex hac distinctione. Differamus paulisper, illam partem, qua quæratur, an ullus Pontifex, ulla Synodus, ullus Princeps,ullus populus,ullum habeat jus condendi jura. Accipiamus interim, quod dat Luderus. Habeat Ecclesia jus discernendi Scripturas & dogmata. In hoc saltem, mane Luthere. Jam Reverende Doctor sic arguo vobis cum favore. Ecclesia habet jus judicandi dogmata per vos, sed Ecclesia damnavit dogmata vestra,ergo per vos dogmata vestra vere damnata sunt, quia in Scripturis & dogmatibus, fatemini Ecclesiam hoc habere à DEO, ut non possit errare. Hic non dubito, quin ut soletis, irascimini & jurgetis: sed rogo vos Domine Doctor, respondete ad argumentum. An provocabitis ad vocabularium, & dicetis, Ecclesiam, quæ damnavit vos, esse Ecclesiam Papisticam: & hæc Ecclesia,quæ habet jus judicandi dogmata, est Ecclesia Catholica, per totum orbem diffusa? Ad istam responsionem, tacito interea jure Pontificis, ego sic argumentum redintegro: quòd in nullo actu multitudinis requiritur, quòd omnes ad unum consentiant, sed ista Ecclesia, quam vos appellatis Papisticam, quæ damnat ubique vestra dogmata, est multo maxima pars orbis Christiani,ergo adhuc per vos dogmata vestra mala sunt, quia damnata sunt per Ecclesiam Catholicam, quæ in talibus male judicare non potest. Præterea ad eandem Ecclesiam pertinet judicare, quæ sint falsa dogmata, ad quam judicare pertinet, quæ sint veræ Scripturæ. Sed eadem Ecclesia,quæ docet & judicat, quæ sunt veræ Scripturæ, illa inquam eadem Ecclesia docet & judicat, falsa esse dogmata vestra. Ergo omni modo dogmata vestra damnata sunt.

Luth. damnatur ab his, penes quos fatetur esse judicandi authorit.

Quid rursus dicitis Domine Doctor, quod effugium præstat vobis vester vocabularius? Mirabile certè. Nam invenit jus judicandi dogmata,non pertinere ad Pontificem, non ad Sacerdotes,non ad Synodum,& Concilia, sed per hanc authoritatem Christi: Attendite à falsis Prophetis,probat authoritatem tributam populo, adversus omnes sanctos Pontifices, omnia Concilia, & omnes sanctos Patres,quasi aliam fidem docuerint sancti Patres: aliam crediderit fidelis populus. Docet nos igitur Dominus Doctor, idem esse attendite à falsis Prophetis, quod attendite à sanctis Patribus: & di-

& didicit ex vocabulariis, idem significare falsum Prophetam,& sanctum Patrem. Igitur, postquam uno atque altero loco, ex Scriptura sacra sic allegato, probavit dilucide, quibus oportuit judicibus judicium dogmatum non ad Clerum pertinere, sed ad populum. Tandem sic gloriosus victor insultat. Habet hic Henricus noster, aut ullus impurus Thomista, quod istis obganniat? Nonne obstruximus os loquentium iniqua? Non certè Domine, nondum obstruxistis os omnium loquentium iniqua, quia adhuc os vestrum non obstruxistis, quod loquitur iniquissima.

Igitur sedulo cavet ipse, ne sit S. Pater.

SED agite Domine Doctor, nolo vobiscum contendere, tantum quæro, quid profecistis, quum à Clero provocastis ad populum? certè ex fumo fugistis in flammam. Nam sicut nullus est Clerus in aliqua Ecclesia, per totum orbem diffusa, qui non damnat dogmata vestra de Ordine,& Missa, sic nullus est usquam populus, neque Christianus, neque quem vos longe pluris æstimatis, Turcicus, qui non damnat dogmata vestra de jure condendi jura. Quamobrem quum omnis undique populus, ad quem (per vos) pertinet jus judicandi dogmata, judicat hoc vestrum dogma, quòd nullus habet jus condendi jus, non solum esse impium, sed etiam stolidum; adhuc non effugitis, quin hoc dogma rectè sit damnatum, & vere sit impium, & vere stolidum. Tunc reduco sic syllogismum contra vos Domine Doctor. Illi, quos vos dicitis habere jus judicandi dogmata, judicant omnes unanimiter, illud dogma vestrum, quo docetis, nulli jus esse condendi jus, impium esse dogma & stultum, ergo per confessionem alterius partis, quòd Ecclesia potestatem habet judicandi dogmata, probata est altera quoque pars illa, quam negastis, quòd eadem Ecclesia jus habet condendi jura: quia quæ potestatem habet judicandi dogmata, judicat falsum esse & stolidum dogma quod vos docetis, illam jus non habere condendi jura. Nam si ullum jus est ulli, certè jus est Ecclesiæ super Ecclesiam, sicut cuique potestas est super seipsum. At vestra negat prudentia, non solum Ecclesiam Romanam habere jus condendi jura, sed etiam illam Ecclesiam, quam conceditis habere jus judicandi dogma, id est Ecclesiam (ut dicitis) toto orbe diffusam. Et sic videtis Prudentissime Pater, vos tam perite distinguere, ut vestræ distinctionis altera pars, alteram perimat.

Luth. impie sentire etiam sua Confess.

Ostendit Lutheri sententiam, omnium absurdissimam, qua docetur unusquisq; sibi ipsi credere, contra authoritatem cæterorum omnium.

CAP. XXII.

Verba Lutheri.

NAM *unusquisq; suo periculo rectè aut falsè credit, ideoq; cuiq; pro se curandum est, ut rectè credat, ut etiam communis sensus, & salutis necessitas, urgeat necessario judicium doctrinæ penes auditorem esse. Alioqui frustra dicitur: Omnia probate, quod bonum est, tenete. Et iterum, Spiritualis omnia judicat, & à nemine judicatur. At quilibet Christianus est spiritualis, à spiritu Christi. Omnia vestra sunt (inquit) sive Apollo, sive Paulus, sive Cephas, id est, de omnium dictis & factis judicandi jus habetis.*

At quilibet Christianus te judicat hæreticum

NUNC audis Lector, admirabilem sapientiam. Fortassis addubitasti prius, an Rever. Pater esset semifatuus: nunc non dubitabis amplius, quin sit plusquam sesquifuriosus. Authoritatem judicandi dogmata, primum sustulit Pontifici, videri potuisset transferre ad Concilium. Transtulit à Conciliis, putasses ad Cleri totius multitudinem. Transtulit prorsus à Clero, transferre videbatur ad populum. Nunc transfert à populo, & defert ad quemlibet. Hunc tu sanum putas? Atqui nunc (sentio) sapit certe maxime. Res est altioris Consilii quàm putabam. Nam Catilina, si potuisset uti provocatione tali, salvus esset. Si damnatus à Patribus, provocaret ad populum, damnatus à populo provocaret ad quemlibet, nec valuisset omnium justa damnatio, quamdiu in populo reperiretur similis illi quispiam, qui damnatum absolveret. Atqui hac provocatione se protegit Luderus. Olim Pontifici permisit judicanda, quæ scripsit de indulgentiis: & statim præ-timens sibi, sicut fugit impius nemine persequente, primum ex dimidio cœpit appellare, tollens ei potestatem de jure divino. Paulò post provocavit in totum, testatus ejus Pontificis potestatem jure prorsus nullo fulciri, sed tamen provocavit ad Concilium, ibi saltem fassus, esse judicandi jus: & tamen cautus adjecit, non simpliciter proximum, sed proximũ, quod in Spiritu S. foret congregandum. Idque eo fecit Consilio (sicut bene deprehendit princeps) ut in quocunque Concilio damnaretur, ibi negaret esse spiritum homo (ut Rex lepide scribit) nimirum spiritalis, qui nusquam fatetur esse Spiritum S. nisi in sinu suo. Verum adhuc fatebatur, aliquod saltem Concilium esse, quod per Spiritum S. judicaret dogmata. Sed nunc omnia rursus damnat Concilia, etiam Nicenum. Quod, homo nunquam sibi contrarius, & simul damnat, & fatetur optimum. Igitur à Concilio provocat ad populum. Ibi multis verbis disputavit residere, quam, tam sæpe aliunde alio transtulit, potestatem judicandi dogmata. At quum populum quoque, vel maxime sentiat ejus damnare dogmata, nec unius cujusquam nationis populum, sed omnem omnium gentium toto orbe diffusum, eo rem deducit denique, ut judicandi potestatem relinquat apud quemlibet unum. Sperat enim nihil dici tam absurdum posse, ut non unum saltem aliquem, aliunde reperiat assensorem. Illum igitur si quem forte tam stolidum possit invenire, ne totius orbis consensu vacillet, armat impudentia,& furore præmunit. Tollit omnem scrupulum, jubet unumquemque sibi fidere.

Callidum Lutheri Consilium

Deprehensam à rege Luth. calliditatem.

Hoc demũ pacto habeat Luth. jus judicandi.

fidere. Nam alioqui (inquit) frustra diceretur, omnia probate, quod bonum est, tenete. Et ideo videlicet, quid bonum sit, quid malum, in dogmatibus adversus universos, unusquisque sibi credat ipsi. Quidni? Nam spiritualis (inquit) judicat omnia, & à nemine judicatur. At quilibet (inquit) Christianus est spiritualis, à spiritu Christi. Nam omnia vestra sunt (inquit) sive Apollo, sive Paulus, sive Cephas, id est, de omnium dictis, & factis judicandi jus habetis.

VISUS sum mihi profecto, Luderi stultitiam bene tangere, quum ista Apostoli, Omnia vestra sunt, ostendissem afferri, ab isto stolidissimè; quum ex ejus argumento sequeretur, nos judices esse, non solum Papæ, sed etiam Petri & Pauli. At nunc video, nihil tam absurdum fingi posse, quod non possis efficere, ut ille pro absurdo non habeat, sed & absurdiora proferat, & dicat esse meram sapientiam. Nam ante fecerat judices Petri & Pauli totum populum: Nunc verò judicem Petri facit & Pauli, è populo singulum quemque Sic igitur arguit nunc Doctor Luderus. Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Cephas, & sic de singulis, id est, de omnium dictis habetis jus judicandi. Et hoc dicitur non universis, sed singulis, sicut & illud: spiritualis omnia judicat, & à nemine judicatur. At quilibet Christianus est spiritualis, ergo quilibet Christianus habet jus judicandi, hoc est, sentiendi, quicquid videtur sibi, de doctrina Petri & Pauli, & Marci, & Matthæi, & Joannis, & Lucæ, & Apostolorum, & Christianorum omnium. Nam ista ratio non magis facit, nec Lutherus eam magis objicit adversus Doctores, Scholas, & Concilia, quàm adversus Petrum & Paulum, quorum in hoc nomina citat, ut & eorum quoque doctrinam, judicio cujusque subjiciat, tanquam idem sentiente Paulo, quum scripsit: Omnia vestra sunt, sive Apollo, sive Paulus, sive Cephas. Et ista Lutheri ratio, qua nihil est absurdius, tam valida tamen videtur Luthero, ut inde sibi sumpserit authoritatem Doctor Luderus judicandi, quòd Epistola Jacobi Apostoli, nihil habeat dignum Apostolico spiritu. Sed ad quem finem affert hanc rationem Doctor Luderus? Nempe ut quoniam unusquisque (ut ait) suo periculo rectè aut falsè credit, atque ob id cuique pro se curandum est, ut rectè credat: ideo non curet quisquam Pontificem, aut Concilia, aut Ecclesiam, aut sanctos Patres, aut populum, aut Petrum, aut Paulum, sed de universis audacter judicet quilibet, & quia suo periculo credit, ideo sine periculo sibi credat adversus orbem totum, juxta consilium illud Sapientis. Fili, ne innitaris prudentiæ tuæ, & ne sapiens videri velis in oculis tuis.

Quanto se hic secus gessit quã Lutherus.

VIDES hic Lector, istius absurdissimi Viri manifestas insanias. Vides ipsius verba, tibi bona fide numerata, nihil à nobis, aut recitando curtatum, aut interpretatione detortum. Satis scio, si nos ejus verba summatim essemus complexi, subituram fuisse nonnullis suspicionem: quasi quæ is rectè scripsisset, essent depravata narrando, & ipsius telis in eum pugnatum esset, qui nihil sincere recenset. At ego quum scirem nemini futurum credibile, quemquam tam absurda cogitasse (ne stultitiam hominis cuiquam linquerem dubiam) statui ejus ipsius verba recitare, & sua manu illi notam furoris inurere. Quamobrem quo minus adhuc dubites illum nihil cogitare sapientius, sed vere velle quemq; suo stare judicio: Audi, quid dicat paulo post.

Verba Lutheri.

At hic dicent, si singulorum est jus judicandi & probandi, quis erit modus, si judices dissenserint, & unusquisque secundum suum caput judicarit, quare necesse est unum esse, cujus judicio stent cæteri contenti, ut salva sit unitas Ecclesiæ. Respondeo. Hoc cavillum nullos rectius decet, quàm Thomistas. Quæro enim & ego, quis hodie modus est, ubi omnes judicio unius Papæ stant? ubi hic est unitas salva? An hoc est unitatem esse salvam, externo Papæ nomine uniri? Ubi manet unitas cordium? Quis est certus in conscientia sua, Papam rectè judicare? At nisi certitudo sit, nulla est unitas. Ideo sub Papa est quidem pompa externæ unitatis, sed intus non nisi confusissima Babylon, ut nec lapis super lapidem sit, nec cor cum corde sentiat. Ut videas, quàm fœliciter medeatur rebus spiritualibus, humana temeritas suis statutis. Alia igitur via unitas Ecclesiæ quærenda est.

Quòd non sit, acceptũ referimus tibi.

VIDES quàm solicitè hoc agat Luderus, ut nemo timeat fidere sibi ipsi. Nam & pro cavillo habet, quod omnia sic essent incerta: & tot diversitates in fide, quot capita forent in populo. Et velut simili cavillo deridet: si quis in fidei rebus Pontifici malit acquiescere, quàm fluctuare, & omni vento doctrinæ circumferri, aut soli prorsus inniti sibi. Et loquitur tanquam Pontifex aliam doceat fidem, quàm eam, quæ populo Christiano publica est; imo negat esse ullam fidem, in qua consentiunt Christiani, qui parent Pontifici. Sed sic mentitur esse alii aliam, ut nec cor cum corde sentiat, & hanc vanitatis iniquitatem, cor ejus congregavit sibi, ut dum persuadeat omnibus nihil usquam esse certi, sed unumquemque suo periculo credere, perducere posset unumquemque metu sui periculi, ut nihili faciens authoritatem totius Ecclesiæ, nihili faciens sanctos Patres, & Doctores & veteres omnes interpretes, interpretetur è suo quisq; sensu Scripturam sacram, & sibi, quam libeat, fidem formet novam. Nam quum Petri quoq;, & Pauli judicem facit quemque Lutherus, conscendat quisque tribunal in corde suo, & utrumque judicet: Hic bene dicit Paulus, hic male. Hic probe Petrus docet, hic docet perperam. Hic rectè consulunt Ecclesiæ, sicubi suadent credere: hic Thomistice, sicubi jubent benefacere. Jacobus verò, quum sit Apostolus, nihil habet omnino spiritus Apostolici, quem non pudet scribere: Fides sine operibus mortua est. Unus duntaxat est, cujus nemo judex est, qui quicquid dicit, certum est: is Do-

Id videlicet Pontif. impingẽs, quod ipse facit.

Ratio judicii feredi de veterib. ex sententia Luth.

is Doctor Luderus est, qui certus est, sua dogmata se habere de cœlo, de cujus adventu Propheta prædixit, dicens: Tertius è cœlo cecidit Cato. Et item alius. Jam nova progenies, cœlo demittitur alto. Et idem Propheta prophetavit, quo demittendus sit, quum ait: Facilis descensus Averni. Nam ille textus, de Doctore Ludero loquitur ad literam.

Verba Lutheri.

Alia igitur via, Ecclesiæ unitas quærenda est. Hæc est, quam Christus ponit Joan. 6. Erunt omnes docibiles DEI, Omnis qui audivit à Patre meo, venit ad me, ille inquam internus spiritus solus, unanimes habitare facit in domo. Hic docet, idem sapere, idem judicare, idem cognoscere, idem probare, idem docere, idem confiteri, idem sequi. Ubi ille non fuerit, impossibile est, ut unitas sit. Et si qua fuerit, externa & ficta est. Quare & DEO nihil curæ est, ut impii homines unum vel non unum sint, qui unitate spiritus inanes sunt. Suis filiis ad externam unitatem sufficit, unum baptisma, & unus panis, tanquam communes characteres & symbola, per quæ fidei suæ, & spiritus unitatem profitentur & exercent. Papistica Ecclesia suam unitatem in unitate externi sui idoli Papæ locat, internæ autem, confusionis erroribus dispersa in omnes voluntates Satanæ.

Et hic docet omnes, quòd tu impie erres.

NUNC in mentem mihi Lector venit illud Evangelium, quo dæmones ex ore furiosi, Christum inviti, tortique confessi sunt: JESU Christe, fili David, quid ante tempus venisti torquere nos? Nam hic plane dæmoni, qui Lutherum possidet, veritas extorsit invito responsum id, quo totam Lutheri sectam funditus evertit. Etenim hoc ipsum est Luthere, quod tibi toties ad aures inclamavimus, & noluisti audire, sanctum DEI Spiritum Ecclesiæ intus inspirare veritatem. Illum internum spiritum, omnes reddere docibiles DEI, illum solum facere, ut habitent unanimes in domo. Illum docere, ut idem sapiant, idem judicent, idem cognoscant, idem probent, idem confiteantur, idem sequantur, idem doceant. Illum internum spiritum solum esse, qui faciat, ut habitent unanimes in domo, ut qui extra domum sunt, non sint unanimes, sed per hæreses & sectas dissideant. Hæc Ecclesia Catholica, quam tu appellas Papisticam, quam tu sic dissentire mentiris, ut cor cum corde non sentiat, ita per hunc internum DEI spiritum consentit in articulis fidei, ut unanimiter infidelitatis tuæ dogmata condemnet. Tota Ecclesia, per totum orbem diffusa matrimonium habet pro Sacramento: Ordinem habet pro Sacramento: Pœnitentiam habet pro Sacramento: & quid opus est commemorare singula? Hæc unanimiter & nunc sentit Ecclesia, & per tot sensit secula. Quod si tu ac tuus grex aliud creditis, nihilominus Ecclesia unanimis est in domo. Nam purgavit, ac depuravit, quum te purulentam vomicam lancinavit, atque ejecit è corpore. Fateris nunc, ubi DEI spiritus est, ibi consensum esse. Illum intus docere, quæ vera sint. Profer ergo Ecclesiam, quæ consentit tecum: dic, quibus in terris, Ecclesia sit vere malignantium: ubi populus, aut tam impius usquam sit, aut stolidus, ut contra spiritum DEI, qui per tot secula docuit Christianos omnes, idem contra te credere, nunc tandem credat homini furioso tibi, Ordinem non esse Sacramentum: qui spretis Apostoli minis suscipiat Eucharistiam, quam maxime potest peccatorum titillatione turbata conscientia, solam fidem sufficere, bonis operibus non opus esse, Apostolum, qui neget illud, nihil sapere spiritus Apostolici, Christianum quemquam legibus obligari non posse, & mille absurdissimas impietates ejusmodi. Potes ne ullam Ecclesiam nominare, cui tam stulta persuaseris, quæ sibi fas esse censeat recalcitrare Magistratibus, & utile credat esse, vivere sine legibus? Sat scio nullum populum potes. Ergo quum Dei spiritum fatearis esse, qui populum faciat unanimem in domo: & eadem de rebus necessariis sentientem, velis nolis, tibi fatendum est, illam Ecclesiam esse Catholicam & DEI domum, in qua per tot secula censerunt omnes unanimiter, adversus insensatam sententiam tuam, & tibi DEI spiritum prorsus deesse, qui detrusus è domo toti dissentis Ecclesiæ, in qua contra te totus per orbem populus, tot seculis operante DEO consentit. Tecum consentit nullus. Quid dico populus? imo demitor, sic tecum sentiat quisquam unus homo. Nam hoc certo scio, tecum non consentis ipse. Nam primum confessus es, Ecclesiam hoc habere à DEO, ut falli non possit, in discernendis DEI verbis à verbis hominum. Deinde adactus rationibus Regis, fassus es, Ecclesiam idem jus habere in dijudicandis dogmatibus. Quid ergo sibi vult, quod postea dicis, unumquemque suo periculo credere? quasi DEUS optimus, quemquam perplexum redderet, nec aperiret exitum. Quæso te, si verum est, quod ante dixisti, quo suo periculo credit, qui toti credit Ecclesiæ, de quopiam articulo fidei consentienti? quum Ecclesiam fatearis hoc habere à DEO, ut in dijudicandis dogmatibus falli non possit, quippe quæ per te quoque ne consentire quidem posset in articulum fidei, nisi intus illo docente spiritu, qui facit habitare unanimes in domo.

Luth. concedere id jam quod maxime ei adversum sit.

Hi sunt Lutherani.

Catalogus hæresum Lutheri.

Hoc nō est infrequens Luthero, ut à se dissentiat.

ECCE Luthere, quibus ambagibus insanienti tibi, tandem invito veritas extorta est, qua fateris ignarus, eas, in quibus Ecclesia tota tot consensit seculis, quas tot libellis hactenus insectatus es, tanquam traditiones hominum, nunc, inquam, subitò fateris ignarus esse traditiones Dei, sine cujus occulto flatu, tam latè fusus DEI populus, in unum conspirare non posset: quum ille solus sit, qui quod fateris, habitare faciat unanimes in domo. Et inde, quàm hæc exciderint, ignaro. Nam protinus perinde ac si nihil horum prorsus audisses unquam, quæ jam ipse dixisti, dicis illico talia, ut

istis

istis, quæ dixisti modo, non aliter pugnent, ac pugnant cum luce tenebræ.

Verba Lutheri.

Tununc vide, cujus spiritus fuerint sacrilega illa, & abominanda concilia, quæ adversus tanta totius Scripturæ fulmina, apertissimasq; sententias ausa sunt, sibi Pontificibus arrogare jus judicandi, & cognoscendi, insuper & imperandi, & condendi. Absq; dubio Satanæ istæ fuerunt cogitationes, quibus in orbem inundavit operationes erroris, & abominationem in loco sancto statuit securissima tyrannide, postquam populo erepta est authoritas judicandi, qua pavere cogerentur falsi Doctores, & patefacta via per stolidam populi superstitiosamq; obedientiam & patientiam universis erroribus & abominationibus irruendi.

At mihi nemo videtur plura arrogare, quam tu.

NON tibi videntur Lector, per istud os impium, inferæ spirare furiæ? Nam quæso te Luthere per istos, qui te exagitant infernos dæmones, quum tui similes pestes, cacodæmon aliquis immittat in Dominicum gregem, dum rex excutitur, censes totum Christianum populum ex toto orbe, velut ad comitia Consulum convocandum simul in campum Martiũ, & viritim exquirenda suffragia? Quæ arrogantia est, si de gregis periculo potissimum tractent pastores? Quibusnam id negotium potius cupiat delegatum populus, quàm episcopis, ad quos maxime spectat, esse de populi salute sollicitos? Si, quod tu sæpe jactas, DEUM adesse concedis in medio eorum, ubicunque sunt duo vel tres congregati in ipsius nomine, ibi negabis esse, ubi in ejus nomine, maximis de causis sint congregati tam multi? Recordare rursus eorum, quæ dixisti proxime, Deum esse, qui in Ecclesia sua consensum operatur. Ex omni parte Ecclesiæ late per orbem diffusæ, congregati sunt ad concilium: & quod paulò post nec ipse negas, Viri optimi plerique ac sanctissimi consenserunt inter se, redierunt quisque domum: consensit in eadem fere totum per orbem fusus populus. At per quem consentit populus Christianus? annon fassus es id per illum fieri intus docentem DEUM, qui habitare facit unanimes in domo? Ergo quod ante fassus es esse DEI, debaccharis fuisse cogitationes Satanæ, quibus patefieret via per stolidam populi superstitiosamque obedientiam universis abominationibus irruendi.

Imo potius ex omni sylva congerenda ligna, ad cremandũ Lutherum

VIDES nunc Lector Lutheri constantiam: vides mala, quæ nasci reperit ex optimorum Patrum in DEI nomine congregato concilio. Sed quomodo malis istis occurramus, hoc ante docuit, quum dixit: Unumquemque suo periculo rectè aut falso credere. Igitur si statuatur, ut quisque credat, quicquid velit: jam vera inventa est via, qua nullus error possit irrepere.

Verba Lutheri.

Et ut hic mei Henrici & Sophistarum recorder, qui à longitudine temporum & multitudine hominum pendent cum sua fide: Primum negare non potest, hujus rapti juris tyrannidem ultra mille annos durasse. Nam in ipso Concilio Niceno omnium optimo, jam tum incipiebant leges condere, & jus istud sibi vendicare. Atq; ab eo tempore hactenus invaluit, ut nihil receptius sit, nec firmius aliquid multitudine hominum & diuturnitate probari possit, quàm hoc jus, adeo ut nemo id non putet hodie sanum, rectum, ac divinum esse. At hic vides sacrilegium & impietatem esse adversus evidentissimas & invictas Scripturas DEI. Quare si tantus error & tale sacrilegium, tanta longitudine temporis, tanta multitudine hominum, vel consentiente, vel seducta, vel probante regnavit adversus veritatem DEI, semel volo hic omnibus Sophistis & Papistis capitale eorum argumentum de longitudine & multitudine ad pulverem usq; contritum, & os obstructum, ut videant, cur Deus nolit nos ulli creaturæ quantumvis longæ & multæ & magnæ credi, sed soli suo infallibili verbo.

VEL istud quis non sentiat insanum esse, qui scripsit, nisi is sit insanus, qui legit? Nam & Nicenum Concilium fatetur optimum: & tamen illud ait initium fuisse omnium malorum, & incepisse jam ipsos optimos & sanctissimos Viros sacrilegium & impietatem, adversus evidentissimas & invictas Scripturas DEI, quod facere non potuissent, nisi aut stultissimi aut pessimi. Nam si evidentissimæ Scripturæ sunt, cæcissimi fuerunt, si non viderunt: si viderunt, impii, qui contempserunt. Et tantum sacrilegium & impietatem improperat homo sacrilegus, & impius tanto numero Virorum talium, quos ipse quoque fatetur optimos, ut semel se, tam sanctis Patribus impietatis pœnas dare ostendat, & manifesto furore plecti, qui tam stolide pugnantia cogitur ore sacrilego delirare quam nemo posset, non agitatus furiis. Ut illud omittam, quod ibi quoque mentitur, quum ait: In Concilio Niceno primum cœpisse condi leges, quum satis constet Apostolos, & Concilio communiter, & seorsim singulos condidisse leges sicut & Rex objecit, ad quæ nihil omnino Lutherus respondet.

Verba Lutheri.

Habemus itaq; absq; omni controversia, jus de doctrina cognoscendi, & judicandi, seu probandi esse penes nos, non penes Concilia, Pontifices, Patres, Doctores. At hinc non sequitur esse simul penes nos jus condendi leges. Nam hoc solius DEI est. Nostrum est legem & verbum ejus cognoscere, probare, judicare, & secernere ab omnibus aliis legibus, sed nequaquam condere aut mandare. Neq; enim sequitur ex verbo Christi: Attendite à falsis Prophetis, ergo vestrum est prophetare, imo ut Petrus ait: Nunquam voluntate humana est allata prophetia, & nulla interpretatio Scripturæ fit ex propriis, sed inspiratione Spiritus sancti, locuti sunt sancti DEI homines. Ita non sequitur. Oves meæ vocem meam audiunt, ergo oves vocem meam condent vel facient, imo contrarium sequitur. Vocem meam ego condo, oves autem conditam agnoscunt, probant, & sequuntur.

Vide, si nõ omnia pro suo dicat commodo

Eccequam spectantia ad negotiũ proferat.

HIC video, magnum jus esse non penes Con-

Concilia, Pontifices, Patres, Doctores, sed penes vos, quos quæso vos? Ego putabam Martinum Luderum esse Reverendum Patrem, esse Doctorem, nunc vos negatis utrumque. Esse quidem dicitis illud jus cognoscendi, non penes Patres, neque Doctores, sed penes vos. Quos ergo vos? non vos Patres, sed Fratres: vos non Doctores, sed indoctos. Bene dicitis profectò Domine. Tunc ego video per vos, quod Patres & Doctores habuerunt doctrinam penes se: sed vos qui estis indoctus frater habetis penes vos, non doctrinam, sed jus judicandi doctrinam sine doctrina. Nam doctrinam non cognoscitis, sed habetis jus cognoscendi.

SED nullus habet (ut dicitis) jus condendi leges. Nam hoc solius DEI est, & sic non solum reges, & populi condentes leges, sed & Apostoli, qui fecerunt idem, eodem spiritu, more Luciferi sibi usurparunt potestatem Dei. Sed tamen mitior est in Babylonica Reverendus Frater. Nam ibi dicit, neminem posse ponere unam syllabam super Christianum quemquam, sine ipsius consensu, sed cum ejus assensu posse. Atque ita per illam regulam Reverendi Fratris potest saltem concedi lex, quæ tantisper valeat, donec aliquis alius veniat in regionem, qui nunquam consensit in legem, id quod ubiq; fere fiet intra biduum. Nunc vero nulla condi potest omnino, ut plane se doceat in re tam seria Luderus inepte ludere. Igitur postquam tam mirabili sapientia se gessit Luderus in hac materia, magnifice statim concludit.

Verba Lutheri. Igitur vos estis lupus & satanæ minister, & falsus Propheta.

Quare videmus hic, omnes Pontifices, omnia Concilia, omnes Scholas, qui aliud in Ecclesia sonant, quam verbum DEI solius, esse lupos, Satanæ ministros, & falsos Prophetas. Simul intelligimus insignem Henrici nostri, & omnium Thomistarum stoliditatem, qui os suum impudens in cœlum ponunt, & dicere audent, in hoc sacrilego libello. Etiam si Sacramentum Ordinis non esset in Scripturis institutum, tamen penes Ecclesiam esse jus instituendi ejus. Et quam stulte verbum Augustini, quod de Evangelio per Ecclesiam toto orbe cognito & probato loquitur, aptarit ad jus traditionum, arbitrio impiorum hominum statuendarum. Iste est modus intelligendi dicta Patrum, & Scripturæ. Hi sunt, qui scribunt assertiones Sacramentorum. Horum multitudo & diuturnitas est potestas faciendi articulos fidei, tam stupidi & hebetes, ut inter cognoscere & imperare nihil discernant.

JAM decies declaravimus verbum Dei, tam illud esse, quod DEUS absque scripto suæ dicit Ecclesiæ, quam quod Scriptura comprehensum est. Sed quando manifestum est, Luderum loqui tantum de Verbo DEI scripto: Manifestum est, quod mentitur plane Minister iste Satanæ, qui clamat, omnes Ministros esse Satanæ, quicunque sonant aliud in Ecclesia, quam verbum Dei scriptum, in Scriptura sacra Nam hac ratione Minister iste Satanæ Ministrum Satanæ pronunciat Apostolum, qui dixit: Servate, quæ præcepi vobis, sive per sermonem, sive per epistolam, qui multa & docuit, & instituit, non ex verbo DEI scripto, sed ex non scripta traditione Dei. Nam & illud ipsum de Eucharistiæ Sacramento. Paulus non ex verbo Dei scripto, sed ex non scripta DEI traditione tradidit Corinthiis. Quin & Evangelistam pronunciat, ista ratione Ministrum esse Satanæ, qui non solum docuit verbum Dei non scriptum, sed etiam scripsit ipse, omnia Dei verba, neque scripta esse, neque scribi posse. Quamobrem quum Evangelista scribat, nec omnia scripta esse, nec scribi posse: tibi nec Ludere Scriptura quærenda est, quæ probet, quicquid ex dictis, factis, institutis Christi, non potuere Scriptores comprehendere, velut erychthonium quempiam deformem ac monstrosum partum, æternis esse tenebris damnatum, & eum Ministrum Satanæ, qui eorum omnium quicquam sonet in Ecclesia, quæ Scriptura quidem non sunt quæ tamen fecit, quæ tamen docuit Jesus, & à Patre missus Spiritus. Tu nunc Luthere, qui nihil admittis, nisi Scripturas, profer Scripturas, quibus vetitum probes talia quemquam scribere.

Quoties hoc dictū tibi vis Luthere?

Is proferet suam doctrinam.

AT si quis (inquis) talia scribat, quæ pro Dei verbis asserat, atque affirmet, ille Satanæ Minister est.

INTERIM extorsimus isti Ministro Satanæ, non esse protinus Ministrum Satanæ, qui præter DEI solius verbum scriptum, hoc est, præter solum Scripturæ verbum, aliud sonet in Ecclesia.

AT ut non sit (inquiet) Minister Satanæ, qui loquitur aliud Dei verbum, præter id quod in Scriptura sacra scriptum est, tamen est Minister Satanæ, qui non solum sit locutus, aut scripserit, sed & asseruerit.

AT hic quoque mentitur iste Minister Satanæ. Nam si fas est scribere Christi verbum, quod dictum est, certe fas est & affirmare, quod verum est. Tandem huc paulatim detrudetur iste Minister Satanæ, ut discedens ab eo, quod dixerat prius, nunc eum duntaxat asserat esse Ministrum Satanæ, quicunque alios cogat ad credendum ullum Dei verbum, quod non habetur in Scriptura Canonica. Respondeat ergo nobis iste Minister Satanæ: Si quicquam ex illis, quæ quidem scripta non sunt, quæ tamen fecit, docuit, tradidit Jesus: quid si ex his (inquam) aliquid aliquis referat Luthero, & relatum jubeat credere; sed referat is, de quo certus sit eum, qui referat, errare quicquam, aut falli in ea re discernenda non posse? Utrum peccaret ille, qui juberet credere, an Luderus, si recuset credere? non dubito, quin hic fateretur se teneri, ut credat revelationi tam certæ. At Luderus ipse fatetur, Ecclesiam falli non posse in judicando verbo DEI, ergo Ecclesiæ narranti quicquam eorum, quæ fecit, quæ docuit, quæ tradidit JESUS, credere tenetur Luderus. Ipse Satan apud inferos, non tenetur

Quam in omnem partem se vertit iste Proteus.

Quoties vincitur Luth. sua confess.

tenetur sua catena fortius, quam hac catena stringitur ejusdem Satanæ minister Luderus. Nam si dicat se, quum fateretur Ecclesiam habere à DEO, ut possit Dei verba discernere à verbis hominum, hoc sensisse duntaxat de verbo scripto, non etiam de eo dictum, quod esset quidem, aut factum, aut dictum à DEO, sed tamen non scriptum in Scriptura Canonica, jam ante detrusus est ab illo præsidio, postquam rationibus Regis adactus, fatetur Ecclesiam habere hoc quoque, ut possit dijudicare non solum Scripturam, sed etiam quælibet dogmata. Neque enim idem censet Scripturas esse, quod dogmata, præsertim homo tam frequens apud vocabularios. Quod si id fassus non esset, tamen quantumvis impudens fuerit, necessario fatebitur, nisi nobis probet, quòd Deus qui potuit Ecclesiam docere, quis verum scriberet, non posset eam docere, quis verum diceret, aut DEO demum id fuisse curæ, ne falleretur Ecclesia mendacibus chartis, voluisse vero, ut falleretur mendacibus linguis.

Quomodo Lutherus à Rege coactus sententiam mutarit.

Solve Luthere hoc dilemma.

NUNC ergo vides Lector, quod iste Minister Satanæ, qui scribit omnes esse Ministros Satanæ, quicunque in Ecclesia loquuntur aliud, quam solum verbum Dei, solus exemplo Magistri sui Satanæ, solus (inquam) torquet, invertit, & blasphemat verbum Dei.

Refellit apertissimam Lutheri sycophantiam, qua Regem mentitur dicere Ecclesiam habere jus instituendi Sacramenti Ordinis.

CAP. XXIII.

SIMUL intelligimus insignem Henrici nostri & omnium Thomistarum stoliditatem, qui os suum impudens in cœlum ponunt, & dicere audent in hoc sacrilego libello, etiamsi Sacramentum Ordinis non esset in Scripturis institutum, tamen penes Ecclesiam esse jus instituendi ejus, & quam stulte verbum Augustini, quod de Evangelio per Ecclesiam toto orbe cognito & probato loquitur, aptarit ad jus traditionum arbitrio impiorum hominum statuendarum. Iste est modus intelligendi dicta Patrum & Scripturas. Hi sunt qui scribunt assertiones Sacramentorum. Horum multitudo & diuturnitas est potestas faciendi articulos fidei tam stupidi & hebetes, ut inter cognoscere & imperare nihil decernant.

Verba Lutheri.
Quanto impudentior tu qui, quod Deus instituit, maledictis insectaris.

Tu ita discernis, ut omnia imperes, cognoscas nihil.

DE verbo Augustini, quam rectè scribat Lutherus, opinor esse dictum satis. Nunc de eo dicendum, quod Rex scripsit penes Ecclesiam esse jus instituendi Sacramenti. Legi Lector atque relegi totum Regis librum, ut viderem, quomodo, quibus verbis istud diceret, quod Ecclesia posset instituere Sacramentum Ordinis, etiamsi institutum non esset à DEO, certe non invenio id aperte dictum per asseverationem, sed tantum repetendo, quæ probaverat, dicit obiter quiddam, non tamen prorsus idem, quod ei Lutherus imputat, sed ex quo reor eum arripuisse ansam, qua illud, ut solet, colligat. Nam verba Regis ista sunt.

Quod nihil solidi habet Luther. levissima queq; sectatur.

NUNC quoniam probavimus ex ipsius Lutheri fundamento, Sacramenta, quæ credit Ecclesia, non aliunde quam à DEO potuisse constitui, etiamsi nihil inde prorsus in Scriptura legeretur: videamus tamen, an Scriptura tam nullam omnino mentionem faciat hujus Sacramenti.

Verba Regis.

EN Lector candide, quibus verbis Rex in Sacramento Ordinis dicit Ecclesiam potuisse instituere Sacramentum Ordinis, etiamsi non fuisset institutum à DEO. Sic intelligit verba Regis Luderi sapientia, sic recenset Luderi sinceritas. Sic orbis judicium Reverendi Patris virgineus reveretur pudor. Hic est, cujus verbo, contra sanctos Patres, & verbum Dei stare debeat mundus, & quia dicit ipse se certum esse dogmata sua se habere de cœlo: ideo scilicet certi sunt omnes, quod frater mendacissimus non potest mentiri.

Taxat lepide Lutheri gloriosum triumphum de Missa.

CAP. XXIV.

REvertamur ad propositum. Missam itaque extorsimus, & triumphamus adversus assertorem Sacramentorum, non esse opus neque Sacrificium, sed verbum & signum gratiæ divinæ, quibus erga nos utitur pro fide in eum erigenda, & firmanda. Videmusq́, quàm sit infatuatus Satan, ut quo diutius & magis in nos furat & scribat, eo insulsius & ineptius deliret. Nam iste liber regis, ut omnium, qui contra me scripti sunt, fere est latinissimus, ita est certe omnium ineptissimus & stolidissimus, ut pene nostris Lipsensibus Scriptoribus, eum tribuerim, qui sic solent argutari, quando argutantur optime.

Verba Lutheri.
Quanta est Luth. calliditas, qui jam Satanā magistrum suum deprehendat stultitiæ.

Quàm mirabilis rerum novator est D. Martinus, postquam fecit nobis novam religionem, & novam fidem, nunc novo more triumphat ante victoriam. Solebat ægre triumphum impetrare, qui sæpe vicisset. Sed is decies jam triumphat, quia ter decies victus est. Verum idcirco minus est istud mirandum, quia Veteres ab aliis impetrabant, Luderus vero triumphum suum sibi decernit ipse. Sed quidni facile triumphet de tam fatuo libello, quam fuit libellus ille principis, qui ut omnium, qui contra Luderum scripti sunt, fere fuit Latinissimus, ita fuit omnium, si credimus Luthero, stultissimus. Quidni? Nam & ideo id, quod ipse fatetur, illis maxime placuit, qui maxime cupiunt scilicet, quicquid adversus illum scribitur, maxime esse stolidum: & ideo etiam D. Luderus tam vehementer irascitur, quia illum librum facile potest per ludum jocumque refellere, utpote cujus stultitia Lutheri sapientiam deprehendit, & impietates ejus ostendit, & publice traduxit stolidæ solertiæ consilia, quibus sibi visus

Nova ratio triumphādi Luthero usurpata.

visus est callide viam ingressus, qua Christi Sacramenta omnia, omnem fidem religionemq; subverteret.

Verba Lutheri.

Triumphata vero Missa, puto nos totum Papam triumphare. Nam super Missam ceu rupem nititur totus Papatus cum suis Monasteriis, Episcopatibus, Collegiis, Altaribus, Ministeriis & doctrinis, atque adeo cum toto ventre suo. Quæ omnia ruere necesse est ruente Missa eorum sacrilega, & abominanda. Sic Christus per me cœpit abominationes in loco sancto stantes revelare, & destruere eum, cujus adventus fuit per operationem Satanæ in prodigiis, & signis mendacibus. O miserum illum defensorem Ecclesiæ Papisticæ. O miseram Ecclesiam, quæ frustra indulgentias suas pro tanto libello profudit. Nisi quod digna merces reddita est tam defensori, quàm libello. Quales enim sunt indulgentiæ, talis est Ecclesia; talis defensor, talis & libellus.

Is tu es Luthere omnibus modis.

Tanquam diceret, postquam nunc in cœlum conscendi, subvectus alis anseris, possum jam quolibet radiis prodeambulare solaribus, & ex alto tanquam formicas despicere Papas omnes, & omnes Episcopos, Collegia, Monasteria, Sacerdotes, Equites, Duces, Principes, omnia subjeci pedibus meis, postquam ad Aquilonem posui solium meum, & factus sum similis altissimo. Sic Satan abominationem statuit in loco sancto, dum abominandum fraterculum suscitat in Ecclesia Dei, dum sacrilegum ac detestabilem nebulonem furiosis inflat furiis, qui Sacramentorum ignavus hostis, tumore vano pugnet adversus eum, cujus adventus fuit cum humilitate, qui post veniet cum potentia, quum spiritu oris sui in pulverem difflabit istum, superbiæ & diffidentiæ filium, qui jam gloriatur stolidus in malitia, & sibi videtur potens in iniquitate, dum secum dicit insipiens in corde suo, non est DEUS.

Lutheri fatuosa gloriatio.

Tantum non hoc dicit Luth.

O miserum adversarium Sacramentorum, quem tunc Sacramentorum gratia destituet. O miserum illusorem characterum, quem tunc Baptismi character & character Ordinis, velut inusta stigmata traducent transfugam, tradentque supplicio. O miserum irrisorem Ecclesiæ Catholicæ, quæ tunc vicissim miser in tuo ridebit interitu. Tunc illusor indulgentiæ, heu quibus suspiriis optabis indulgentiam, quum negata venia recipies meritam iniquitatis mercedem in æternis ignibus, qui diabolo & angelis ejus tui similibus præparati sunt.

Refutantur Lutheri nugamenta adversus Sacramentum Ordinis.

CAP. XXV.

Verba Lutheri.

HÆC mihi pro defensione primi Sacramenti satis sint. In quo asserendo maximè laboravit assertor Dominus Henricus, ut qui non ignoravit in hoc esse sitam summam salutis Papistici regni. Cætera cogor differre obrutus multis aliis occupationibus, cum maxime transferenda Biblia, necessaria scilicet opera. Ne Satanæ studia ipse prosperem nimio.

Certe prosperas, quantum vales.

Hactenus satis laboratum sit. D. Ludero, pro impugnatione primi Sacramenti. Jam lassatus in via iniquitatis, cætera cogitur differre, totus obrutus in transferenda Biblia, necessaria scil. opera, ut Satanæ studia prosperet nimio, dum Scripturam sacram sic vertat, ut invertat sensum, ac faciat fucum illiteratæ plebeculæ, quæ ad hæretici versionem examinet hæreses, ad quas probandas, plumbea illa regula jam inflexa sit de industria.

Quomodo Luth. vertat Biblia.

Satanas per hos insulsos libellos me impedire cogitat, sed nihil efficiet. Neque magni operis fuerit stolidos Thomistas, in reliquis sex Sacramentis confutare.

Verba Lutheri.

Satanas excogitavit suo militi causam, quam prætendat fugæ. Nam ad se eum vocat, alio missurus militatum: ubi magis ei necessariam navet operam, si quid præstare possit in evertendo Biblio. Nam quod in Sacramentis tentavit apud mentis compotes, videt conatum frustra. Interea solvens obsidionem, minatur eo rediturum se, postquam everterit Biblion: neque magni operis fore, reliqua sex expugnare Sacramenta, victori tanto, qui in eo, quod primum oppugnavit, operam luserit, & rejectus cum dedecore victus turpissime fusus fugatusque decesserit.

Nihil proferunt responsione dignum per tota sex Sacramenta, præter illud unum, quod de Sacramento Ordinis adducit Paulum, scil. ad Titon, jubentem, ut per Ecclesias ordinet Presbyteros. Hoc loco enim vult institutum Ordinis Sacramentum.

Verba Lutheri.

NUNC Doctor Luderus non habet otium ludendi, currit enim celeriter amissis copiis, & insequentes timens, trepidus, velut canis, è Nilo bibit & fugit. Reliqua præterit omnia, velut contemptim, quæ tu quum ex ipso regis libello legeris, videbis facile, cur prætereat. Interim arripit illud Apostoli ad Titum. Nam regem sentire dicit, quod ibi Sacramentum Ordinis fuit institutum.

Hoc erat facilius quam confutare ea.

HIC tuam Lector imploro fidem, adversus istius nebulonis stolidissimam perfidiam Quoties quam aperte dicit, & inculcat rex, imo quoties quàm aperte probat, nullum Sacramentum aut institutum esse, aut institui posse nisi à Deo: quam evidenter idipsum iterum atque iterum nominatim repetit in Sacramento Ordinis? & nunc ait iste nebulo stolidissimus regem dicere, Sacramentum Ordinis institutum esse ab Apostolo. At in Sacramento Unctionis extremæ, quum iste scurra blasphemus adversus Apostolum Jacobum, diceret se non crediturum Apostolo de Sacramento Unctionis extremæ, quippe qui non haberet jus instituendi Sacramenti, hoc est, promittendi gratiam cum signo visibili. Rex ita respondet, Apostolum tradidisse populo, quod ipse acceperat à Christo. Sicut & Apostolus Paulus tradidit Corinthiis, quod

Non considerat Luth. quæ loquitur.

Vides Lector hic quam nihil pro sano dicat Luth.

quod acceperat à Christo. Neutrum dicit instituisse. Quod si Rex dixisset, id quod iste mentitur ab eo dictum, nempe quod Sacramentum Ordinis institutum fuit à Paulo, quare non hic rursus idem elatravit in Paulum: quod illic rabidus elatravit in Jacobum, se non crediturum Paulo, de Sacramento Ordinis, etiamsi esset Apostolus? Nam nullum Apostolum habere potestatem condendi Sacramentum, id est, promittendi gratiam cum signo visibili. Cur hic dissimulat istud nebulo, si Rex illud scripsit, quum illic se cohibere non potuit à blasphemia, ubi scripsit adversus alios, quorum nescio, an id quisquam scripserit? Quomodo potuit Rex sentire, Sacramentum Ordinis institutum ab Apostolo, quum toties aperte dicat, Apostolos institutos esse Sacerdotes à Christo? & tamen hoc eum dicere dicit Pater Luderus, qui toties mentitur se nunquam mentiri. Nunc vides Lector solers stratagema fugientis Luderi, quo fumum offundat, qui fugam tegat.

Luth. tergiversatio.

Verba Lutheri.

Sed non videt larva Thomistica, quid vel ego dicam, vel ipsemet respondeat. Egor Odinem negavi Sacramentum esse, id est, promissionem & signum gratiæ adjectum, quale est baptismus & panis, non negavi, imo asserui esse vocationem & institutionem ministri & concionatoris, sive hoc fiat authoritate unius Apostoli, vel Pontificis sola, vel populi eligentis & consentientis simul, nihil refert. Quanquam rectius fiat populo eligente & consentiente, quomodo Apostoli Actuum 6. c. septem dracones instituerunt. Nam ut Paulus Titon jubet Presbyteros ordinare, non tamen sequitur, solum Titon sua authoritate id fecisse, sed exemplo Apostolorum, per suffragia populi eos instituisse, alioqui pugnabunt verba Pauli cum exemplo Apostolorum. Quæ vero de impositione manuum ad Ordinis Sacramentum trahit, vident pueri, nihil ad Ordinis Sacramentum pertinere, sed more suo Papistico, sic è scripturis facit quodcunque visum fuerit. Impositio manuum tunc erat donatio visibilis Spiritus sancti.

Imo tuus hic mos est, torquere scripturam, quò lubet.

Vere non vides larva Ludere, quid vel dicas ipse vel respondeat princeps: neque enim Rex probavit tibi Sacramentum Ordinis, esse tantum vocationem & institutionem ministri, & Concionatoris, sed tam vere Sacramentum esse quam Baptismus est, aut Eucharistia, idque secundum tuam ipsius finitionem, hoc est, vere conferre gratiam, cum signo sensibili. Sed neque tu Ludere dixisti simpliciter promissionem gratiæ, cum adjecto signo sensibili Sacramentum esse sicut nunc te videri vis dixisse. Imo negasti plane promissionem ullam gratiæ factam à Christo cum adjecto visibili signo, Sacramentum esse, nisi eadem promissio cum suo signo comprehensa legatur evidente Scriptura. Hac in re tibi restitit Rex. Hac in re te mentitum probavit evidente Scriptura. Nam & omnia probavit à Christo instituta, verbo & facto, prorsus absque Scriptura: nec omnia, quæ fecit Christus, esse comprehensa Scripturis: id vero probavit Rex evidentissimis Scripturis.

Quis apertius Luth.?

Hic Luthere disce, quid regi tecum non conveniat.

At nec Ecclesiam in talibus errare posse fallive, quatenus ad Sacramenta spectat, id non evidentibus tantum Scripturis probavit, sed evidentibus etiam rationibus, & ex tua confessione jacto fundamento, te pertraxit illuc, ut tibi necesse fuerit, etiam fateri cætera, quæcunque tam obstinate negaveras. Et tamen ex abundanti probavit tibi in Sacramento Ordinis, gratiam illam cum signo visibili patere quoque ex Scripturis ipsis, ex quibus diversa tibi loca protulit, apertiora quoq; ex eodem Apostolo, quam sit ille locus ad Titum, cujusmodi sunt unus aut alter ad Timotheum. Atque ita hac in re rursus patet tua nescio imprudentior an stultior sycophantia, & stolidissimum effugium tuum, quo fingis, quod impositio manuum tunc fuit donatio visibilis Spiritus S. non collatio gratiæ: quasi non multis manum imposuerint laicis, dum eos ordinaverunt in Clericos, quibus jam ante donatus fuerat in signo sensibili Spiritus S. aut quasi Spiritus S. adveniens in sensibili signo Christianis nullam secum gratiam conferat.

Commentum Luth. de impositione manuum.

SED & istud æque stolidum est effugium; quum Apostoli verba, quibus perspicuum est, ordinem fuisse collatum per Episcopos, sic declinas, ut id fatearis quidem, cæterum non probari ex eo, quod Episcopus ordinavit, ordinasse solum sine suffragiis populi, ne verba Pauli pugnarent cum exemplo Apostolorum, instituentium Diaconos, scilicet quia quum tales in Clerum essent electuri, quibus dispensatio crederetur rerum temporalium, noluerunt uti suo jure, ut absque populo deputarent ipsorum loco, victum cuique divisuros Diaconos, quia magis extra suspicionem fore videbant populo, quos ipse divisores prætulisset: ideo scilicet pugnare cum hoc exemplo Paulus, si volebat Titum ut in præficiendo Presbytero spiritualium rerum ministro, conferret Sacramentum Ordinis sine suffragiis populi, in eo loco, ubi cujusque merita nota essent ipsi, qui consecratus erat Episcopo. Nam interdum, ubi id minus erat notum, permittebant Episcopi populo, ut nominaret, quem censeret optimum: quæ res magis erat commendatio quædam virtutis, & probatæ vitæ testimonium, quam jus electionis. Sed hic dicis, nihil tua referre, sive ordinetur Sacerdos authoritate unius Apostoli, vel Pontificis sola, sive populi eligentis & consentientis simul. Ecce, quomodo turpiter retro fugis. Nunquid in Babylonica scripsisti manifeste, nullo modo Episcopum sine populo, posse sua sola authoritate facere Sacerdotes: nec opus esse ordinationibus aut consecrationibus, usque adeo, ut hæc tua tibi verba Rex objecerit?

Diluitur Lutheri interpret. de exemplo Apostol.

Vides Luthere, quã nihil proderit commentum tuum.

Si Sacerdotes cogerentur admittere omnes æqualiter Sacerdotes esse, quotquot baptizati sumus, sicut revera sumus, illisq; solum Ministerium, nostro tamen consensu, datum permissum nullum eis super nos jus imperii, nisi quantum nos sponte nostra admitteremus.

Verba Lutheri ex Baby.

HIS verbis aperte negas Pontificem solum posse facere Sacerdotem, nisi consensu vestro. Nam te quoque eximis prorsus Ordini Sacerdotali, atque adnumeras laicis, idque in paucis verbis facis aperte septies, ut plane facias perspicuum te tibi Sacerdotem non esse amplius. Nempe quia te ordinavit Episcopus absque consensu laicorum, & adhibuit consecrationem, quam tu velut superstitiosam execraris. Nam & ita scribis paulo post.

Neq; enim est nisi Satanæ, cujus sacra colit.

Verba Lutheri.

Negari non potest, Ecclesias olim à Senioribus fuisse rectas absq; istis ordinationibus & consecrationibus, propter ætatem & longum rerum usum, in hoc electis.

ECCE, quam aperte scripsisti dudum, Episcopum sine populo non posse Sacerdotem facere, & ordinationibus aut consecrationibus opus non esse. At nunc manifeste victus, utrumque fateris falsum. Sed tamen addis, nihil tua referre, quasi dicas. Tam impudens nebulo sum, ut mea nihil referat, quam aperte convincar insaniæ. Nam & istud quoque, quod in Babylonica scripsisti, & nunc repetis, Ordinem esse tantum officium concionandi, Rex & ratione tibi sustulit, & evidentibus plane Scripturis, è quibus unum locum aut alterum visum est commemorare, ut videat Lector, quam belle Luderus ludat in re tam sancta & seria. Sic enim scribit princeps.

Quoties Luth. vis tibi solvi?

Verba Reg.

ORDINEM Lutherus negat Sacramentum esse, & ritum tantum esse dicit eligendi Concionatoris. Nam qui non concionantur, nihil minus ait esse, quam Sacerdotes: nec aliter Sacerdotes esse, quam homo pictus est homo, contra Paulum Apostolum, qui ad Timotheum scribens ait; Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Apostolus hic manifeste docet, quamquam ii præcipuè duplici honore digni sunt, qui quum Presbyteri sint, laborant in verbo & doctrina, tamen & qui hoc non faciunt, non solum esse Presbyteros, sed & bene præesse posse, & duplicem quoque honorem promereri. Alioqui non dixisset, maxime qui laborant in verbo & doctrina, sed solum ii, qui laborant in verbo & doctrina. Præterea ne possit dicere Luderus, id quod dicit, officium Sacerdotis erga populum, nihil esse nisi prædicare. Nam Missas inquit, cavere, nihil est aliud quàm communicare seipsum, hoc inquam (ut appareat) quam falsum sit, rursus audiamus Apostolum; Omnis inquit, Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad DEUM, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Annon Apostolus aperte declarat etiam Pontificis officium istud, ut pro hominibus offeram sacrificium Deo? Quod quum scribat, quamquam Hebræis, tamen Christianis, quos nolit judaizare, datum est loqui de Pontifici legis utriusque: atque ideo, bis Lutherum suo premere testimonio. Nam & Missam docet esse sacrificium, & offerri pro populo, quum Ecclesia nullum offerat aliud, & docet offerendi officium, præcipuam partem esse muneris Pontificii. Et certe nisi falsum esset, quod dicit Lutherus, facile videtis consequi, ut quum nemo nisi Sacerdos possit consecrare corpus Domini, si è tot Sacerdotum millibus, qui concionari nesciunt, nullus vero Sacerdos est, sed tantum vocatur æquivoce, quemadmodum homo pictus vocatur homo, totus Christianus orbis Clerum populumque ferme non habet alium, quam idololatras panem pro Christo colentes, & genua sua curvantes ante Baal.

Lutherana Missæ definitio.

Missam & sacrificium & oblationem esse.

Ex opinione Lutheri plerosque omnes Christiãos esse idololatras.

CUR hæc omisit Luderus? quibus tam aperte probat Rex, ad Sacerdotis officium præcipue pertinere, ut in Missa pro populo sacrificet: quum contendat iste nec in Missa fieri sacrificium, nec sacerdotium quicquam esse, nec Pontificium, nisi duntaxat ritum eligendi concionatoris: nec istud pudet effrontem blaterare, quum clare videat, solos ab initio usque Sacerdotes consecrasse, concionatos vero nonnunquam qui non fuerint Sacerdotes, id quod in Actis Apostolorum constat, fecisse B. Stephanum non Sacerdotem, sed Diaconum, ut manifestum sit, maxime proprium Sacerdotis officium, in eo situm esse, ut pro populo consecret. Sed adjiciam ex libello Regis locum alium.

Proprium Officium Sacerdotis

SI Laicus quisque æqualem habet potestatem cum Sacerdote, in quocunque Sacramento, & ordo Sacerdotii nihil est: cur ita scribit Apostolus Timotheo? Noli negligere gratiam, quæ in te est; quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii. Et alibi ad eundem? Admoneo te, ut resuscites gratiam DEI, quæ in te est, per impositionem manuum mearum. Iterum, Nemini, inquit, cito manus imposueris, neque communices peccatis alienis. Denique hunc in modum Apostolus scribit ad Titum. Hujus rei gratia, reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Habes nunc Lector semel sub oculis Apostoli pauca loca, & non multa verba: quibus inter se collatis, facile potes deprehendere falsa fictaque esse omnia, quibus tam inordinatè Lutherus debacchatur in ordinem. Nam quos dicit populi consensu fieri, Paulus ostendit fieri ab Episcopo, quem in hoc ait se reliquisse Cretæ, ut oppidatim Presbyteros constitueret, nec tamen temere, sed sicut ipse præsens disposuerat. Vides impositis manibus fieri Sacerdotem. Et ne dubitari possit, simul conferri gratiam, vides illam manuum impositione collatam. Resuscita, inquit, gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum mearum. Et illud quoque. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii. In iis te exerce. Miror igitur non pudere Lutherum, quum negat Sacramentum Ordinis, haud ignarus in manibus omnium versari verba Pauli? quæ doceant, non

Verba Reg. Paulus de sacerdotio

Apostolus Paulus de sacerdotio

Quomodo fierent Sacerd. olim.

non nisi à Sacerdote fieri Sacerdotem, nec sine consecratione fieri, in qua & signum adhibeatur corporeum, & tantum spiritalis infundatur gratiæ, ut is, qui consecratur non solum accipiat ipse Spiritum S. sed etiam potestatem conferendi aliis. Novum vero qui potest esse, de quo scribit Apostolus? Quomodo ignoratum Ecclesiæ, quòd in omnibus Christi legitur, & nunquam non legebatur Ecclesiis? Quibus ex rebus, manifestum est tam multis, quæ tanta cum confidentia, pro compertissimis Lutherus eblateravit in ordinem, ne unam quidem syllabam fuisse veram, per malitiam ficta falsaque omnia.

Sacerdotiū nec novam rē esse nec ignotam Ecclesiæ.

VEL ex his particulis vides Lector, quam scitè tractet Luderus Sacramentum Ordinis, qui quæcunque non valet solvere, tacite præterit omnia. Sed tum videlicet, tractabit accuratius, postquam redierit ab everso Biblio. Cupio mediusfidius idem ut tractet denuo. Nam sic tractavit hactenus, ut mihi spem indubiam præbeat, quo rem tractarit sæpius, eo fore, ut multo tractet insanius.

Luther. ea quę tractat in pejus emendare.

Refellit ea, quæ Lutherus iterum timide tangit, & stolide de matrimonio.

CAP. XXVI.

Verba Lutheri.

ET quid dicam? ne nomen Sacramenti quidem intelligere voluit, quod evidenter ostendit, quum locum Pauli Ephes 5. tractat de matrimonio, quem Paulus de Christo & Ecclesia ponit, dicens: Sacramentum hoc magnum est, ego vero dico in Christo & Ecclesia.

Luderus Luderum agit.

IMO Luderus ludere maluit quàm intelligere, quæ Rex in illum scripsit locum: nisi quod verius puto, maluit suo more dissimulare stolide, tanquam ipso rem prætereunte silentio, nemo locum posset è regis libello regere. Quem locum Lector quum legeris, ibi demum senties eam rem, sic esse tractatam à Rege, ut non sit mirum, nihil reperisse Luderum, quod hic respondeat. Atque ideo præteriisse, quasi nihil esset dictum.

Verba Lutheri.

Neq; enim Scriptura patitur, ut matrimonium Sacramentum dicatur, quam Sacramentum usu totius Scripturæ significet, rem secretam & absconditam, quam sola fide consequi possis. Matrimonium autem adeo non est res abscondita, aut fide percepta, ut nisi palam ob oculos fiat, matrimonium esse non possit, cum sit copula maris & fœminæ externa, & publica professione & conversatione confirmata. Sed nihil mirum, Thomistas asinos sic delirare, apud quos nihil neq; sani neq; recti Deus esse voluit.

Sacramentum quid sit Luthero

QUID hic dicam Lector? Ego me plane fateor hic insanire maxime, si non hic Luderus insaniat. Sacramentum, inquit, significat rem secretam & absconditam, sed matrimonium non est res abscondita, ergo matrimonium non est Sacramentum. Domine Doctor, per vestram fidem, imo per infidelitatem vestram, per quam regulam tenet ista consequentia? quum in præmissis mutatur copula à significante adesse, nisi vocabularii vestri vobis dicunt, quod hæc duo verba: Sum & significo, idem significant. Alioqui si valet illud argumentum similiter valet & hoc. Omnis homo sedet, sed Luderus non currit. Ergo Luderus non est homo, Domine Doctor, quo peregrinatur animus vester, quum sic desipitis? an hæreticos DEUS percellit insania? Sacramentum significat rem secretam & abditam, esto. Matrimonium non est res secreta nec abdita: quid tum postea? Nec Sacramentum dicis esse rem abditam, sed significare rem abditam. Dic igitur eodem modo, Matrimonium non significare rem secretam, nec abditam, & ex eo conclude, non esse Sacramentum, sed tunc mentiris in minore. Nam sicut Baptismus corporis significat ablutionem animæ, sic matrimonium significat conjugium, inter Christum & Ecclesiam, quæ res est, opinor, abdita & secreta, licet Sacramentum, id est, ejus signum, sit sensibile, sicut ablutio animæ est res abdita & secreta, licet ejus Sacramentum, id est, signum sacrum, signum sit sensibile. Dicite, quæso Dn. Doctor, nunquid hoc saltem loco vos fatemini tam stolide plane scribere, ut nullus asinus potuerit stolidius rudere?

Expugnatur Lutheri ratio de matrimon.

Matrimonium esse Sacram. vel Lutheri definitiõe.

Verba Lutheri.

Quanquam ego hoc vulgato usui dedi, ut Sacramenta vocent, quæ potius signa visibilia sunt. Tantum negavi, in scripturis Sacramenta vocari.

Stupida Lutheri oblivio.

DEUS bone, quantus stupor est in isto stipite, qui in hac una brevi periodo bis insanit? Primum, ait ista, quæ vocantur Sacramenta, potius esse signa visibilia. At cum jam in proximo prius versu dixisset, Sacramentum significat rem arcanam, & absconditam, quæro, de quo Sacramento dixit illud? De Baptismone dixit, & Eucharistia? Sic opinor. Nam illa sola fatetur esse Sacramenta. At de re significata non loquitur, utpote de ablutione animæ. Nam illa non significat rem abditam, sed est ipsa res abdita. Sacramentum igitur, de quo loquitur, quod significat rem abditam, est in Baptismo ablutio corporis, in Eucharistia species panis & vini. Quæso te nunc Ludere, annon & illa sunt signa visibilia? tam hercle sunt, quam matrimonium. Quid ergo tibi vis insanissime, quum velut per somnium stertis, ea quæ tu negas esse Sacramenta, potius esse signa visibilia: quum nihilo potius sint signa visibilia, quam ea ipsa, quæ tu concedis esse Sacramenta? Non dubito, quin Luderus quum legerit hæc, doliturum sit homini, quod semisomnis scripserit tam delira somnia: sudabit satis, & omnem vertet lapidem, si qua reperire possit aliquid, quo tantam saltem palliet vecordiam. Gestio profecto videre, quem pannum purpuræ tanto prætexat ulceri. An (ut est impudens) simulat se tantum definire Sacramenti vocabulum, quum dicit, Sacramentum usu Scripturæ significare rem abditam, & sic locutum esse, tanquam diceret, homo semper significat quiddam rationale. Et ita Sacramentum usu Scripturæ semper significat rem absconditam, sed matrimonium non est res abscondita, matrimonium

monium igitur non est illud, quod usu Scripturæ vocatur Sacramentum. Si fingat Luderus istud, ita se tuebitur, quomodo si quis sic declinet ictum, callidus, ut capite repellat à brachio. Quid enim finget isto commento stolidius? Nam ut verum est, nullum esse Sacramentum, quod non aliquo sensibili signo designet rem secretam, ita verum est, nullum illorum signorum significare perpetuo rem secretam, sed eorum vocabula communiter significare duntaxat illas ipsas res, quæ sunt aliquando signa rerum sacrarum. Nam & ablutio, quatenus Sacramentum, significat rem abditam, nempe lotionem animæ, tamen communiter id non significat, nec ejus vocabulum communiter designat Sacramentum. Quid est enim comuniter ablutio, aut Baptismus? aliud nequam quælibet lavatio corporis? Quamobrem si se putet hac stropha Luderus elapsurum, plane labetur in latrinam. Nam si sic nobis argumentetur Dn. Doctor, Sacramentum Scripturarum omnium usu, significat rem secretam, atque abditam, sed matrimonium non est res secreta nec abdita. Ergo matrimonium non potest esse Sacramentum: opponam Domino Doctori argumentum isti simillimum, hoc pacto; Sacramentum usu Scripturarum omnium significat rem secretam atque abditam, sed ablutio vel Baptismus non est res abdita: & species panis & vini non est res abdita: Imo quia Dn. Doctor irridet speciem, neque panis, neque vinum sunt res abditæ, ergo neque Baptismus, neque species panis & vini, neque panis & vinum possunt esse Sacramenta. Inveniat mihi Dominus Doctor solutionem hujus argumenti mei, & simul inveniet solutionem sui. Defendat se Dn. Doctor, qui hactenus verbo saltem confessus est, illa duo esse Sacramenta. Certe nisi volet illa duo tollere quod plane conabitur aliquando, imo re ipsa jam diu fecit, fateri cogetur istam rationem suam nihil habere rationis. Quin fateri cogetur ex ipsius assumpto matrimonium verum Sacrament. appellandum esse potius quam Baptismum ipsum. Nam ablutio neque rem abditam significat, nisi quatenus Sacramentum est, neque semper Sacramentum fuit, neq; nunc semper est. Matrimonium autem ab initio fuit sacrum signum rei sacratissimæ.

Qualiter Lutherus se tuetur.

Refellitur Lutheri argumentũ de Sacram.

Ex Luth. assumpto matrimoniũ verius esse Sacramentum quam Baptismum.

Nec minus insanum est istud, quod ais, te nihil aliud quam negasse, quod matrimon. & cætera Sacram. quæ damnas, Sacram. vocentur in scripturis. Siccine ludere ludis tandem? nihil ne negas amplius? paulo antè negasti, quod sint Sacramenta: nunc nihil negas, nisi quod vocentur Sacramenta in scripturis. Soluta est igitur ista lis, & tota causa cessisti, nisi quis contendat illa Sacramenta omnia vocabulo Sacramenti vocari in Scriptura sacra. Sed quæso te, quis unquam tibi movit illam litem? Quis id contendit unquam? Olim negasti veteres Ecclesiæ Patres, Ordinem vocasse Sacramentum. Rex te vetustissimorum testimonio probavit esse mentitum. Nunc velut rem magnam profers, quod saltem Scriptura ea non vocat Sacramenta. Hui quam validum jecisti telum. Profer obsecro Scripturam sacram, quæ Baptismum vocet Sacramenti vocabulo. Profer, quæ sic vocet Eucharistiam. Invenies opinor, in Scriptura nullum Sacramentum, vocabulo Sacramenti nominatum, præter istud unum, quod stolide nunc oppugnas, matrimonium. Audistin unquam quemquam Lector, in re tam sancta & seria, tam impudenter stolideque nugantem?

Lutherus quam belle se castiget.

Scite & jucunde tractat ea, quæ Lutherus velut summam rerum scurriliter aggessit in fine.

CAP. XXVII.

Summa rerum hæc est. Totus liber Henrici nititur hominum verbis & usu seculorum, nullis DEI verbis, neq; usu spiritus, ut ipsemet fateri cogitur. Contra, summa earum rerum est, verba hominum & usum seculorum, ut tolerari & teneri possint, sicubi non pugnant Scripturis sanctis, tamen articulos fidei, & necessariam observantiam non facere. Si itaq; Rex Henricus conjunctis omnium Thomistarum, Papistarum, Dæmonum, & hominum viribus & studiis poterit ostendere necessariam humanorum verborum observantiam, victus est Lutherus suo ipsius judicio & confessione. Nam tum demum articulos fidei habebo, quicquid vel Thomistæ jusserint. Si non poterit, victor est Lutherus. Quid enim aliud volunt? Neque enim si mille millies libros scripserint contra me, aliud à me postulare poterunt.

Verba Lutheri.

Ita revera es, si velles agnoscere.

Summa rerum hæc est; Totus Luderi liber nihil est aliud, quam mera farrago verborum scurrilium, cum depravatione verborum Dei, contemptu Sanctorum omnium, & blasphemia Spiritus sancti, sicut ipsemet fateri cogitur. Contra, Summa rerum principis est assertio Sacramentorum, quæ luce clarius, probavit esse non traditiones hominum, sed traditiones Dei, atque id probavit ratione, Scripturis, & ipsius Confessione Lutheri. Si itaque Lutherus, conjunctis omnibus suis combibonibus, conjunctis scurris & nebulonibus, conjunctis larvis & cacodæmonibus, blasphemiarum suarum inspiratoribus, si poterit, inquam, ostendere, quod impiorum nebulonum scurrilitas, plus valere debet, quam traditiones Dei, victor est Lutherus. Si non poterit, victus est Lutherus, ipsius confessione Lutheri. Quid enim aliud vult? Nam qui contra illum scribunt, etiamsi millies mille libros scribant, nihil aliud ab illo postulaturi sunt, quam ut audiat, quid ei dictum sit, & meminerit, quid ipse dixerit, quorum hactenus ab eo neutrum quisquam impetrare potuit.

Summa libri Luther.

Summa libri Regis.

Quam iniquus semper fuerit Lutherus.

Neq; enim ego quæro, quid Ambrosius, Augustinus, Concilia, & usus seculorum dicant. Non (inquam) disputo, quid à quoquam dictum, vel non dictum, scriptum vel non scriptum sit, sed an hoc dictum & scriptum necessarium sit servatu, an sit articulus fidei, an liget conscientiam.

Verba Lutheri.

Nemo

Nemo est (opinor) qui ideo tibi vel Ambrosium opponat, vel Augustinum, vel Sanctorum quemquam, vel Concilia, vel Synodos, quia nesciat, quam arroganter & stolide contemnas omnes præ te, sed quia munire populum salutari student antidoto, contra furiale venenum tuum. Nam quum videant contra tuam sententiam, stare pro Sacramentis Ecclesiæ, non unum aliquem veterum, sed universos, dubitare non possunt, illam fuisse publicam fidem Ecclesiæ Catholicæ, quæcunque unquam fuit in terris Ecclesia vere Catholica. Quam tua confessione probavit Rex in Sacramentis falli, atque errare non posse. Præterea, quum tu fatearis ibi adesse Christum, ubicunque sint duo vel tres congregati in nomine ejus, facile sentit populus, nihil tibi mentis esse, quum illinc disputas abfuisse Christum, ubi congregati sunt in nomine Christi ducenti vel trecenti, iidemque ex eruditissimis, atque undecunque sanctissimis. Quamobrem satis intelligit populus, Ecclesiam Catholicam, etiamsi non facit articulos fidei, probare tamen & docere veros articulos fidei, sicut probat & docet, quodnam sit Evangelium, etiamsi non faciat Evangelium. Non igitur dicit quisquam, verba totius Ecclesiæ esse æqualia verbo DEI, sed Ecclesiam docere, quod Sacramenta sibi tradita sunt per verbum DEI, in quo discernendo, tu quoque Ludere fassus es, eam falli non posse. Atque ita semper tua confessione constringeris, præsertim quum tibi probatum sit, non hodie tantum hoc sentire Ecclesiam, quam tu vocas Papisticam, quæ tamen revera est Ecclesia Catholica, sed idem sensisse semper, quæcunque unquam in terris fuit Ecclesia vere Catholica. Quæ res patet & Conciliorum Decretis, & sanctissimorum consensu Patrum, locis ac temporibus tam diversis, idem tamen constanter sentientium, ut quum illis universis unus dissentias, nihil aliud facias, quam stultitiam tuam impiam atque impudentem traducas.

Quam distorte conjungit Lutherus omnia.

Sacramenta Ecclesiæ tradita per verbũ Dei.

Nec fuit opus mihi Henrico Rege Magistro, qui me hæc doceret, qui adeo pulchre ea noverim, ut etiam impugnarim, ut miranda sit stultitia Satanæ, quæ his me impugnet, quæ ipse impugno, & perpetuo principium petit.

Verba Lutheri. Verum ais, scripturis enim te impugnat, quas tu oppugnas.

IMO opus est tibi, Henrico Rege Magistro, qui te ista dedoceat, quæ Rex te tuus docuit Satanas, qui vere Rex est super omnes filios superbiæ, qui te sic infatuat, ut perpetuo temet inscius impugnes ipse, nec unquam tibi constes, sed aliud stans, aliud sedens sentias. Nam quod ais, eos qui tibi sanctos Patres opponunt, & Concilia, perpetuo principium petere, tu perpetuo surdus es, quia tibi non libet audire. Nam si ulla unquam Ecclesia vere Christiana fuit, illa certe fuit, cujus fidem testantur scripta sanctorum Patrum, eam fuisse, quam tu nunc impugnas. Quamobrem quum tu te fatearis Ecclesiam in dijudicando Dei verbo falli non posse, & tamen dicis eandem, quæ tamdiu judicavit Sacramenta per Dei verbum initio tradita, falsam esse, perspicuum etiam pueris est, & te mentiri falsissime, & tecum pugnare turpissime.

Præterea quum de Scripturæ sensu surgit quæstio, quum tibi cum rege convenit, quæ sit Scriptura: sed in eo dissentit abs te, quod ait, te male interpretari scripturam: nec eam id significare, quod tu contendis: hic vero videtur tibi ridicule principium petere, si pro sua sententia suffragatorem alleget vetustissimum quemque, ac sanctissimum, ex antiquis Patribus, qui nec illius gratiam potuerunt aucupari, nec odisse te, propterea quod tot seculis ante mortui sunt, quam te teterrimam pestem, in terras Orcus evomeret. Qui sic principium petit, quam ridicule ridetur abs te? non hercle minus ridicule, quam si quis demonstraturus conclusionem Geometricam, primum abs te petat ut concedas dimidium minus esse suo toto, deinde, quum tu aut tam stolidus sis, ut id non sentias, aut tam impudens, ut prudens neges: ille te tuæ relinquens stultitiæ, nihilominus pergit illud sibi postulatum sumere, atque ex eo deducat reliquum. Jam si tu recurras denuo, ac mille nugeris ineptiis, illum nihil demonstrasse, sed vitiosissime principium petere, & ex eo rem deducere, quod tu initio negaveris, atq; ibi sardonio risu, rictum caninum distendas, & jactes eum probare negatum per negatum, quid aliud faceres, quam quod facis nunc, ut te tam stolido risu, pro stolido ridendum proponas.

Quid regi cum Luth. conveniat quid non.

Quomodo Rex petat principiũ.

Lutheri in disputãdo mos.

De libertate, & captivitate quæro, pro libertate ego pugno Rex pro captivitate pugnat. Ego rationem libertatis signavi. Rex rationes captivitatis omittit & solum blaterat, quæ sit captivitas. Debitores facit, & culpam non assignat. Valeat itaq; ineptus, & miserabilis defensor captivitatis Babylonicæ, & suæ Papisticæ Ecclesiæ.

Verba Lutheri. Imo ille pro Dei sermone tu pro licẽtia scelerum.

UT semper audit ægre Luderus, quicquid ei non est commodum. Nam quoties eum docuit princeps, ab Ecclesiæ parte libertatem esse, & omnia tuta. Contra vero, ab ipsius parte captivitatem & periculum summum, atque istud probavit, etiam jacto fundamento ab ipsius Luderi confessione. Sed si quis illud illi rursus inclamet ad aures, non magis audierit ebrius Lutherus, quam Fusius ebrius olim, dum Ilionem obdormit catienis mille ducentis, Mater te appello clamantibus. Verum dormiat ille, vel (quod solet) altum stertat vigilans. Tibi tamen Lector, locum recensebo rursus ex libello principis, quem quum audieris, dubitare non poteris ex utra parte stet captivitatis periculum.

AT Lutherus ipse fatetur, nihil esse periculi, si quis hac in re sentiat, quod tota jam sentit Ecclesia. At contra, tota Ecclesia censet hæreticum esse eum, qui sentiat cum Luthero. Non debet ergo Lutherus animare quemquam, cui bene cupit, ut secum sentiat, cujus sententiam tota condemnat Ecclesia. Sed debet his suadere,

Verba Reg.

dere,quos amat,ut accedant illis,quos ipse quoque judicat in nullo versari periculo. Falsa est ergo ista Lutheri via, contra publicam fidem, non hujusmodi temporis, sed etiam ætatum omnium. Nec liberat captivitate credentes ei, sed educens è libertate fidei, hoc est, loco sancto (quod Lutherus ipse fatetur) captivat in errorem,ducens in præcipitium, & vias invias, incertas, dubias,eoque plenas periculi, & qui amat periculum perit in illo.

Hoc Luth. si sapis,sua de iis,quos charos habes.

In fine si quem offenderit mea in regem asperitas, hoc sibi responsum habeat. Cum insensatis monstris me hoc libro agere,qui omnia mea optima & modesta scripta, tum humillimam meam submissionem contempserunt, & magis ex mea modestia induruerunt. Deinde à virulentia,& mendaciis abstinui,quibus liber regis refertissimus est. Nec magnum est, si ego regem terræ contemno & mordeo, quando ipse nihil veritus est, regem cœli in suis sermonibus blasphemare,& virulentissimis mendaciis prophanare.

Verba Lutheri. At præter te nemo videt istã tuam modestiam. Hoc tu Luthere facis.

EX tot mendaciis,ex tot blasphemiis,unum saltem proferre Luderus exempli loco debuerat,maxime ne quis vere illud imputet ei, quod ille falso prius imputavit principi. Quem mentitur, nullum Lutheranæ repugnantiæ locum indicasse, quum indicarit plus decem. Cæterum illa proferat Luderus,quum vacabit. Sed interim Luderi mendacissimas in Deum blasphemias effecit princeps, ne quis omnino nesciat, nisi qui non legerit, aut sit talis omnino, qui aquam non reperiat in pelago. Nam & aperte (id quod Rex ostendit) omnes blasphemat Sanctos, quicunq; Scripturam sacram scriptis illustrarunt suis. Blasphemat Apostolum Jacobum. Blasphemat Apostolum Paulum. Christi blasphemat Ecclesiam. Blasphemat Sacramenta Christi, quæ tanquam hominum inventa contemnit. Blasphemat ipsum Christum, cujus Sacramentum primum & cæterorum januam,non aliud fere facit,quam securam in facinus omne licentiam. Blasphemat Spiritum sanctum,cujus doctrinam totam velut mendacem, quoad potest,privat fide, quamcunque docuit sine Scriptura. Totam denique blasphemat Trinitatem,in cujus inflexibilem voluntatem, refert inevitabilem scelerum omnium necessitatem.

Talis erat Luth. semper lenitas.

Hæc Luth. in Deum pietas.

Jam illud,quam ridiculum, quod excusat se, ne videatur scilicet nimis inclementer mordere principem. Ego profecto non dubito,regem illi facile morsus omnes condonaturum. Quippe qui verum videat illud esse Senecæ: Raro mordet canis, qui latrat. Latratibus profecto Lutherus æquiparat Cerberum, morsu vix culicem. Verum quidni latret strenue, Vir videlicet optimus & modestissimus, quando cum insensatis (ut ait) agit monstris, quæ non sentiant ejus omnia Scripta esse ipsius unius præconio optima, & modestissima, id est,hæresibus & blasphemiis tam inflata, quam nullum unquam utrem quisquam inflavit vento. Quæ monstra induruerunt, etiam ex illius humillima submissione, qua sic se submisit fraterculus Vicario Christi, quomodo Judæi se submiserunt Christo, quum datis alapis flexerunt genua, clamantes per ludibrium, Ave Rex Judæorum. Verum à mendaciis & virulentia, prorsus abstinuisse se testatur ipse,cui nihil est aliud in calamo, quam calumniæ, mendacia, sycophantiæ: cui nihil est aliud in animo, quam virus, tumor, invidia. Qui nihil in capite concipit præter stultitias, furores, amentias. Qui nihil habet in ore, præter latrinas,merdas,stercora. Quibus fædius & spurcius, quam ullus unquam scurra scurratur, quorum nemo repertus est unquam, præter istum,tam stolidus plagepatida, ut sibi stercus in os conjiceret,quod alii spueret in sinum. Quamobrem quum sit hujusmodi, nihil miror si nunc indignus habeatur, quocum quisquam disputet. Certe quandoquidem totum se devovit inferis, & obduravit in schismate,nec unquam decrevit hæreses recantare, statuere tamen secum debet aliquam saltem, ut habeat civilis honestatis rationem, quo sibi potius vendicet authoritatem dogmatistæ,quam vilis in hæretico scurræ. Quod si quando volet, si disceptabit serio, si mendacia sua recantet, ac sycophantias si abegerit stultitias, furores & hactenus nimium familiares furias, si merdas suas resorbeat, & sua relingat stercora, quibus tam fæde linguam suam, calamumque conspurcat: non deerunt,qui de re gravi graviter,quod decet, disserant. Verum si ad istum,quo cepit, modum scurrari pergat, & furere, si grassari calumnia, nugari stultitia, insanire dementia, scurrilitate ludere: nec aliud in ore gestare, quam sentinas, cloacas, latrinas, merdas, stercora,faciant quod volent alii, nos ex tempore capiemus consilium, velimus ne sic bacchantem ex ejus tractare virtutibus, & coloribus suis depingere, an furiosum fraterculum & latrinarium nebulonem, cum suis furiis & furoribus, cum suis merdis & stercoribus, cacantem cacatumque relinquere.

Luth. latrator magis quam mordax.

Qualis sit Lutheri submissio.

Depictus ex suis virtutibus Lutherus.

Hoc etiam ejus laudi, cujus appetens est, foret non inutile.

PERORATIO OPERIS.

NIHIL vereor optime Lector, quin æquitas tua facile condonet mihi, quod hoc in libro toties ea leges, quæ tuus opinor aversetur pudor. Mihi profecto nihil potuit accidisse molestius, quam eo necessitatis adigi, ut quicquam honestis auribus ingererem,quod verbis inhonestis offenderet. Sed nullum vitandi fuit effugium, nisi decrevissem

(quod

Cum Cretensi cretizandum, ut est in proverbio.

(quod perquam obnixe contenderam) Lutheri scurrilem librum prorsus non attingere. Alioqui si respondendum omnino fuit homini ad intendendas calumnias excubanti, nec omitti quicquam decuit, quod ille scripsisset, nec mutari verba licuit, quum rerum nihil subesset: nec honeste recitari valuit, quod inhoneste scriptum esset. Postremo, qui fieri potest, ut qui scurriles ejus sycophantias refellere suscipiam, nebulonis impuri verbis impurissimis pure puteque respondeam? Nam is eo modo rem tractat, ut plane se declaret meditari secum, immortalitatis quoddam genus absurdissimum, eaque jam cœpisse perfrui, & totus esse, versari, vivere in hujusmodi sensu & titillatione gloriolæ, quod fututum præsumat post aliquot adhuc ætatum myriadas ut recordentur & loquantur homines, fuisse olim aliquando apud seculum prius nebulonem quendam, cui nomen Luthero fuerit, qui quum cacodæmones impietate vicisset, ut dignis emblematis ornaret suam sectam, picas garrulitate, lenones improbitate, prostibula obscœnitate, scurras omnes scurrilitate superarit. Qui id studuerit, curarit, effecerit, ut velut Philosophorum Sectæ ex ipsis habent vocabula: & Gnato meditatus sit parasiti itidem, ut Gnatonici vocentur, sic absurdissimum genus hæreticorum impietatis, scelerum, spurcitieque colluvies, appellentur Lutherani. Nam quæso te Lector, quod unquam genus hæreticorum tam absurdum fuit, ut comparetur isti? Quod unum nihil non renovat earum hæresum, quas suis quamque temporibus Christianus orbis olim damnavit, oppressit, extinxit: quarum omnium cineres iste fax inferni denuo semel accendit. Qui quum ipso facto prætendat pietatem, ut Doctissimorum Virorum libellos prætereain, qui hanc personam, fucumque ab ore improbo revulsere, si rem ipsam spectes, arborem Lector facile ex ejus fructu cognosces. Nam si memoria tecum revolveris, ab ipsis Christianismi cunabulis, veteres Ecclesiæ Proceres, videbis Lector ut quicquam ab illis sanctissime cultum est, ita ab Lutheranis istis maxime haberi contemptui. Quid olim tanta veneratione celebratum est, quam sacrosanctum Sacrificium Missæ? Quid ab istis porcis ita fædatum est, & conculcatum, & paulo minus abolitum? Nam quod unum adhuc in quoquo templo sacrum servant, quod ipsum suis impietatibus polluunt atque prophanant) quum neque sacrificium esse contendant, neq; populo quicquam prodesse prædicent: an non viam sibi struunt, qua propediem etiam ipsum unum, quod reliquerunt, sacrum eliminent? Jam preces quanti faciant, vides, qui non solum ejecerunt horarias, sed illas etiam universas, quas jam inde ab initio in defunctorum subsidium perpetuo decantavit Ecclesia. Qua in re, quis non abominetur immanitatem tantam? Nam si (quod illi falso contendunt) maxime foret ambiguum, utrum preces vivorum defunctis conducerent, tamen quæ invidia fuerit pios affectus exercere, & periclitari preces, in quibus, ut dubius esses, an fortasse prodesses, ita certus esses, quod nocere non posses: quid olim religiosius habitum est jejunio? quid exactius observatum Quadragesima? Nunc isti tandem homines Spiritu perfecti, ne diem à die dijudicare videantur, omnem diem dedicant bacchanalibus. Quis nescit olim, quo in pretio fuerit continentia? Quàm severe mandata fides conjugalis, quàm probata Veteribus viduarum castitas, quam assiduè, quam accuratè laudata virginitas? Atque hæc omnia Autore ipso Christo. Nunc Antichristus iste pudicitiam fere prorsus omnem sustulit. Sacerdotes, Monachi, Deo dicatæ virgines, auspice Diabolo, in Ecclesia malignantium legitimorum nomine conjugum magna cum pompa dæmonum, nefarias celebrant nuptias, & fœdus fidemque, quam vel homini pactam, nemo nisi malus violat, violare non metuunt pactam Deo, securi videlicet nuptias indulgente Luthero, qui numerosas simul uxores etiam (quam solam vocat digamiam veram) incipit ostentare. Propediem haud dubie confirmaturus, ubi virorum cuneis satis se munierit adversus mulierum turmas. Interim vero, quo gratificetur & illis, quam multis, quam faciles aperit exitus in Babylonica, quibus liceat à maritis abscedere, si qui solvendo non fuerint in conjugali debito nisi maritus ipse tam æquus sit, ut conducat alicunde Vicarium, qui sua vice fideliter solvat uxori. Atque hæc, quæ non impia modo sunt, sed tam inepta quoque, ut videri possint à me depravata per jocum, videbis Lector in Babylonica, sic ab illo confirmata serio, ut satis mirari non possis, usquam invenire quemquam quem non impense pudeat appellari discipulum, tam absurdi prorsus insanique Magistri. Sed magnus in malum stimulus est spes libertatis & licentiæ, quæ quum altera manu protenditur, altera intentatur metus, nam neq; quicquam est Lutheranis violentius, quid miri est, si iisdem artibus promovet se secta Lutheri, quibus invaluit, atque invalescit indies, non absimilis isti secta Turcarum? si non & Turcas ipsos istorum vincit impietas. Nam hoc plane constat, nusquam tanta cum contumelia vexatas esse Sanctorum imagines, quanta vexantur indies sceleratissimis digitis istorum nebulonum, qui non verentur eas non modo è sanctissimis sedibus divellere divulsas, abjicere abjectas proterere, sed & protritis quoque & conculcatis, per omne ludibrii & contumeliæ genus insultare. Atque hæc Lutherus aspicit lætus in divorum effigies patrari (quorum honores & cultus omnes tollendos esse censet è medio, ceu nocentissima scandala) quum interim circumferri atque adorari gaudeat venerabilem scil. imaginem suam. Sed quoniam divis omnibus impietatem suam conscius videt invisam, eorum vicissim omnium venerationi atque honoribus invidet. Deiparam Virginem venerantur & Turcæ, cujus nec nomen fere ferunt Lutherani. Nam qui ferre queant honores Mariæ, quando Christi quoq; crucifixi sanctissimam

Fama Luthero futura.

Lutherum hæreticos omnes antiquos æquiparare.

Lutheri in Missam cōtumelia.

Lutheri de precibus opinio.

Isti homines malunt in pejorem partem peccare.

Lutherani similes Turcarum factioni.

Contumeliæ Lutheranorum in divos ipsos.

Pietas Lutheri.

ſimam imaginem, ſceleratiſſimi ſcurræ conſpergunt obſcœniſſimis exurendorum corporum ſuorum excrementis? Hi ſunt iſtius ſectæ ſpiritales fructus. Huc tandem crevit Lutherana pietas. Cujus hæreſeos ſceleribus, univerſis una patrocinatur impietas, qua ſe videri volunt, & diſputant neceſſario tales eſſe, tanquam in quodlibet facinus impellat homines, certa & deſtinata voluntas DEI. Dubitas, dubitas inclyta Germania, quia talia ſerunt ſpiritalia, qualia ſint aliquando meſſuri carnalia? Quin nunc, ut audio, male ſe proferunt cardui, & incipit Deus oſtendere, quo pacto probet iſtam ſectam, quum Sacerdotes, qui ducunt uxores, non aliis conjungi ſinit, quam ſcortis publicis. Et quos legitimo conjugio vetuit copulari quondam, niſi puriſſimis virginibus, horum nunc inceſtas & ſceleratas nuptias non patitur coaleſcere, niſi cum ſpurciſſimis proſtibulis. Quid quod paſſim ſponſos tales miſera primũ traductos infamia, dein morbis, inopia, & egeſtate perditos, paulo poſt ad latrocinia dilabentes, publico demum punit ſupplicio? Atque utinam intra fæcem iſtam ſiſtat ultio: ſed illa (niſi propere eatur obviam) vagabitur aliquanto longius. Nam ut deſciſcentem Clerum non illibenter aſpiciunt pleriqne principum, nimirum hiantes in deficientium poſſeſſiones, quas velut ex derelicto ſperant invaſuros ſeſe, & Romano Pontifici gaudent obedientiam ſubtrahi, dum ſpem concipiunt fore, ut ipſi omnia diſponant, dividant & diſſipent inter ſe domi, ita non eſt, quod dubitent, quin eo reſpiciat populus ut principum viciſſim jugum excutiant, & poſſeſſionibus exuat ſuis, quod quum aliquando patrarit ebrius ſanguine principum & nobilium cruore luxurians, nec plebeji quidem Magiſtratus patiens ex Lutheri dogmate calcatis legibus, anarchos & exlex, ſine fræno, ſine mente laſciviens, in ſeſe demum convertet manus, & velut terrigenæ illi fratres, mutuo ſe confodiet. Chriſtum precor, vanus vates fiam, fiam autem, ſi reſipiſcent homines, & naſcentibus malis occurrent. Alioqui vereor, ne fiam, quod nolim, verus. Sed iſta viderit Germania.

Puritas & ſanctitas Lutheran.

Ego ad Lutheri librum redeo, qui quum talis ſit, qualem vides, id eſt, mera farrago verborum ſcurrilium, venia Lector meum dignaberis, ſicubi non ſatis terſum videris, quem illius ſordes infecerint. Quod ſi longior interdum videar, æquitas tua conſideret, quum & illius recenſenda verba fuerint, & adjungenda, quæ ſcripſit princeps, necnon aliquid adjiciendum de meo, quo palam fieret Lutheri calumnia, non potuiſſe contingere, quin res aliquantum creſceret, ut illud interim taceam, quod judiciorum omnium conſuetudine plures cleplydras impetrat, qui reſpondet. Quod ſi minus rei ſeriæ ſcituque dignæ reperire te, quam pro libelli quantitate cenſeas, ne id quidem jure potes imputare mihi, cui nec extra librum ejus evagari licuit, nec aliud illinc afferre, quam quod ibi fuit. Et tamen interjecta mihi quædam ſpero, quæ ſic Lutheri fundamenta ſubruant, ut ſimul neceſſe ſit impia viri dogmata, ſtolide ſuperſtructa, corruere: illud certe non dubito, nihil è regis libro vellicatum eſſe Luthero, in quo non aperte revicerim impudentem Lutheri ſycophantiam. Denique ut non talem confiteor eſſe libellum meum, qualis orbi legendus edi poſtulet, ita nec talem eſſe confido, quem jure debeat ille contemnere, quiſquis Lutheri nugas dignatur legere. Nam ſi quis ejus nenias fuerit aſpernatus, illi nec opus eſt, nec opto, tempus hoc in libro conterat. Imo nihil mihi magis in votis eſt, quam ut illam aliquando diem videam, qua & has nugas meas, & illius omnes inſanas hæreſes, mortales omnes abjiciant: ut obruto peſſimarum rerum ſtudio, ſepultis jurgiorum ſtimulis & contentionum obliterata memoria, illuceſcat animis ſerenum fidei lumen: redeat ſincera pietas, & vere Chriſtiana concordia: quam aliquando precor, ut reddat, ac reſtituat terræ, qui in terram venit pacem daturus è cœlo.



THOMÆ MORI
EXPOSITIO
PASSIONIS
CHRISTI,

Conſcripta

In carcere Arcis Londinenſis,

ANNO

M D XXXV.



EXPOSITIO
PASSIONIS DOMINI,
EX CONTEXTU IV. EVANGELISTARUM, USQUE AD COMPREHENSUM CHRISTUM:

AUTHORE THOMA MORO,
dum in arce Londinensi in carcere agebat.

DE TRISTITIA, TÆDIO, PAVORE, ORATIONE CHRISTI ante captionem ejus, Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. Joannis 18.

Matth.12. *Hæc quum dixisset JESUS, hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.*

TOT sancta verba, quot habuerat Christus super cœnam cum Apostolis, hymno tamen, quum digrederetur, absolvit. Heu, quam dissimiles Christo sumus, qui Christi nomen gerimus, & Marc.14. non inania tantum & otiosa (de quibus tamen ipsis reddendam rationem CHRISTUS admonuit) sed & perniciosa multa confabulamur in mensa, & cibo tandem, potuque distenti, nullis actis gratiis conviviorum nostrorum largitori DEO, immemores & ingrati discedimus?

Burgensis Vir eruditus, & pius, & sacrarum rerum indagator egregius, idoneis conjecturis autumat, hymnum, quem tum Christus dixit cum Apostolis, fuisse sex illos Psalmos, quos simul junctos, Hebræi nominant, Magnum Alleluja, nempe Psalmum illum 112. cum quinque deinceps sequentibus. Nam & illos sex Psalmos, sub nomine Magni Alleluja, solent Hebræi ex antiquissima consuetudine pro gratiis agendis in Paschate, & aliis quibusdam præcipuis festis orare, & eundem hymnum in eisdem festis etiamnum percensent. At nos, quum dicere soliti simus in agendis gratiis, & benedicenda mensa diversis temporibus hymnos diversos, eosque tempori quemque suo accommodos: nunc universos fermè permisimus exolescere, & tribus verbis qualibuscunque contenti, eisdemque perfunctorie mussitatis & oscitanter abimus.

Exierunt in montem Oliveti.

Non in lectum. Propheta ait: Media nocte surgebam, ad confitendum tibi. At Christus nec se reclinavit in lectum. Sed nos utinam, vel illud vere possemus dicere: Memor fui tui super stratum meum. Nec erat æstas jam, quum Christus à cœna transiret in montem. Erat enim non ita multo post æquinoctium vernum, & frigidam fuisse noctem, vel ex eo liquet, quod ministri se calefaciebant ad prunas in atrio Pontificis. Sed quod non istud tum primum fecit: apertè testatur Evangelista, quum dicit:

Secundum consuetudinem.

IN montem ascendit, ut oraret, significans sublevandos animos à tumultu rerum humanarum in contemplationem cœlestium, quum nos ad orandum componimus. Sed nec mysterio caret Oliveti mons consitus videlicet Olivis. Erat enim in usu publico ramus Olivæ, symbolum pacis, quam Christus venerat inter hominem, Deumque diu jam diffidentes compositurus. Quin & oleum, Olivæ fructus, Spiritus unctionem designat, quem Christus venit, ut ad Patrem reversus mitteret in discipulos: ut quæ nondum portare poterant, si audirent, paulò post unctio doceret.

Trans torrentem Cedron in villam, cui nomen Gesemani.

Torrens Cedron Hierusalem urbem, & montem Olivarum interjacet: significatque Cedri vocabulum, Hebraica lingua, tristitiam. Gesemani nomen, Hebræis sonat vallem pinguissimam, seu vallem Oliveti. Non est igitur quod putemus temere factum, ut horum locorum ista nomina tam diligenter commemorarint Evangelistæ. Alioqui enim quum eum narrarent in montem Oliveti progressum, abundè satis dixisse putassent: nisi Mysteria quædam sub istis locorum nominibus obvelasset Deus, ad quæ, commemoratione nominum studiosis hominibus occasio præstaretur auxilio Spiritus eruenda. Etenim quum nulla syllaba credi possit otiosa in ea Scriptura, quam scribentibus Apostolis sacer dictavit Spiritus, Matth. 10. neque passer cadat super terram sine Deo: ego nec Evangelistas ea nomina commemorasse fortuito, nec Hebræos locis illis indidisse (quicquid ipsi, quum sic appellabant, sequebantur) absque arcano, licet ipsis incognito, Spiritus sancti

sancti consilio, qui sub nominibus illis recondidit eruendum aliquando sacrorum Mysteriorum depositum. Nam quum Cedron tristitiam designet, ac præterea nigredinem, sitque idem vocabulum, nomen non torrentis solum, quod commemorant Evangelistæ, sed etiam, quod satis constat, vallis, quam torrens perlabitur, & quæ urbem ac Gesemani villam interjacet: hæc nomina nobis (nisi somnolentia præpediat) revocant in memoriam, quod dum
2. Cor. 5. sumus in hoc corpore, ut ait Apostolus, peregrinamur à Domino: planè pertranseundus est nobis, priusquam perveniamus in montem Oliveti fructiferum, & in amœnam villam Gesemani, villam non aspectu tristem & squalidam, sed omni jucunditate pinguissimam: pertranseundus est (inquam) nobis prius vallis ac torrens Cedron, vallis lachrymarum & torrens tristitiæ, quæ sua inundatione possint peccatorum nostrorum nigredinem & sordes abluere. Quod si doloris & tristitiæ pertæsi, hanc laboris & pœnitentiæ locum, terram præpostere nobis conemur in quietem, lætitiam, cœlumq; convertere, perpetuo à vera fœlicitate nos secludentes, in pœnitentiam seram & inutilem, nec non intolerandas & interminandas ærumnas immergimus. Et hujus quidem rei perquam salutaris hæc tam apposita locorum istorum nomina nos admonent. Sed ut sunt sacrorum verba voluminum non ad unum alligata sensum, sed pluribus fœcunda mysteriis, eadem locorum vocabula tam concinne quadrant ad præsentem CHRISTI passionis historiam, tanquam in id unum æterna Dei providentia curarit ea loca quondam talibus insignienda nominibus, quæ aliquot postea seculis cum Christi facto collata, præordinatos se acerbissimæ passionis ejus testes indicarent. Nam quum Cedron significet denigratum, annon illud propheticum referre videtur, quod de Christo in gloriam suam per ignominiosum tendente supplicium, livore, cruore, sputis, illuvie deformato prædictum est? Non est species ei neque decor? Porrò quàm non otiose torrens quem transivit, significat tristem, ipse te-
Matth. 26. status est quum diceret: Tristis est anima mea usque ad mortem.

Secuti sunt autem eum, & discipuli ejus.

Undecim videlicet, qui remanserant, seque-
Joan. 13. bantur. Nam duodecimus, quem Diabolus post buccellam ingressus evexit foras, qui Magistrum non sequebatur ut Discipulus, persequebatur ut traditor, & nimium vere locum fecit illi verbo Christi: Qui non est mecum,
Matth. 12. contra me est. Erat enim vere contra Christum, cui tum maxime moliebatur insidias, quum reliqui Discipuli sequerentur ad comprecandum. Sequamur nos Christum, & Patrem precemur cum illo. Non æmulemur Judam, ut digrediamur à Christo, pasti beneficiis ejus, & laute cœnati cum eo, ne in nos competat illud Propheticum: Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris por- Psalm. 49.
tionem tuam ponebas.

Sciebat & Judas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter convenerat JESUS illuc cum discipulis.

Iterum nobis ex occasione traditoris inculcant Evangelistæ, & inculcando commendant, illam Christi sanctam consuetudinem cum Discipulis suis in illum locum, precandi causa, commigrandi. Nam si duntaxat interdum, ac non frequenter, noctu convenisset illuc, non habuisset proditor pro tam certo & explorato, Dominum ibi se inventurum, ut eo Ministros Pontificis, & Romanorum cohortem, velut ad rem paratam perduceret: quam si imparatam reperissent, ludibrio se habitos ab eo credidissent, nec abire paterentur impune.

Ubi nunc sunt isti, qui sibi videntur Viri, & quasi magnum aliquid fecerint, gloriantur secum, si quando in præcipuis Vigiliis, aut noctu pauló prolixius pervigilent in precando, aut mane surgant ad orandum tempestivius? Servator noster Christus habuit in consuetudine, noctes totas insomnes in oratione traducere.

Ubi sunt, qui eum, quòd Publicanorum convivia non detrectabat, nec hominum pec- Matth. 11.
catorum aspernabatur officia, voracem vocabant & bibacem vini, & (prout erat rigidum Pharisæorum institutum) vix vulgaris illum virtutis hominem ducebant? At dum hypo- Matth. 6.
critæ tristes, ut viderentur ab hominibus, in platearum precabantur angulo: ille placidus & benignus, peccatores ad vitæ frugem conver-
tebat in prandio. Idem rursus in precibus so- Luc. 6.
lebat pernoctare sub dio, dum Pharisæus hypocrita molli stertebat in lecto. Utinam, quos pigritia sic tenet constrictos, ut imitari tam præclarum Servatoris exemplum non sinat, velimus saltem quum nos in strato vertimus in alterum latus jamjam dormituri, has Christi pervigilias in animum revocare, & vel breviter, donec redeat somnus, ei gratias agere, & nostram damnare segniciem, & augmentum gratiæ precari. Certè si vel tantillum facere ve-
limus insuescere: Facile mihi persuadeo, ma- Matth. 13.
gnum bonæ frugis incrementum brevi daturum DEUM.

Et dixit: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. Et coassumpto Petro & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse, & pavere, & tædere. Tunc ait illis: Tristis est anima usq; ad mortem. Sustinete hic, & vigilate mecum.

Reliquos octo jubens inferius aliquanto subsistere, Petrum, Joannem, fratremque ejus Jacobum secum provexit longius, ut quos præcipuo quodam familiaritatis Privilegio cæteris semper Apostolis antetulerat, quod etiamsi nulla alia ratione fecisset, quàm quod ita voluit, nullius oculis nequam debebat esse, quia ipse bonus erat. Sed inerant tamen & causæ, quas videri potest respexisse. Nam Petrus

 fidei

fidei zelo, Joannes virginitate præcelluit, Jacobus verò frater ejus omnium primus erat pro Christi nomine martyrium subiturus. Quin & Matth. 17 hos tres jam pridem glorificati corporis sui conscios & spectatores admiserat. Par erat igitur, ut quos ad tam insigne spectaculum asciverat, & æternæ claritatis temporanea luce recreaverat, eos potissimum, quos robustiores esse conveniebat, proximos asseclas sibi ad prævium passionis agonem collocaret. Cæterum aliquantum spatii progressus, tristitiam, mœstitiam, pavorem ac tædium tam acriter evestigio, ac tam acerbe in se sensit irruere: ut protinus apud eos anxiam illam vocem, oppressi pectoris indicem, ediderit.

Tristis est anima mea usque ad mortem.

Etenim moles immensa molestiarum tenerum piumque sanctissimi Servatoris corpus insedit. Imminere jamjam, & tantum non adesse sensit infidum traditorem, infensos hostes, vincula, calumnias, blasphemias, verbera, spinas, clavos, crucem, & dira per horas multas continuata supplicia. Super hæc angebat eum discipulorum terror, perditio Judæorum, quin ipsius quoque perfidi proditoris interitus, indicibilis denique dilectæ genitricis dolor. Hæc malorum omnium cunctim ingruens tempestas cor ejus pientissimum, velut ruptis aggeribus Oceanus, inundabat. Miretur aliquis fortasse, qui fieri queat, ut servator noster Christus, quum vere Deus esset, æqualis omnipotenti Patri, tristari, dolere, & mœstus esse potuerit. Non potuisset profecto, si quemadmodum Deus erat, ita duntaxat DEUS fuisset, ac non pariter homo. Nunc verò, quum non minus verus homo fuerit, quàm fuit verus Deus: ego nihilo magis mirandum puto, quod vulgatos humani generis affectus (qui quidem culpa careant) habuerit, quà homo erat: quàm quod quà DEUS erat, ediderit immensa miracula. Nam si miremur Christum pavorem concipere, tædium & mœstitudinem videlicet quum esset Deus: quidni miremur itidem esurisse, sitisse, dormisse? Siquidem & ista quum faceret, nihilominus DEUS erat.

Sed hic fortassis objicias: Desino mirari quod potuit, at non mirari nequeo, quod voluit. Nam qui convenire potest, ut qui discipulos docuit, eos non timere, qui tantum cor- Matth. 10. pus possunt occidere, & post hoc non habent ultra quod faciant: eosdem nunc pertimescat ipse, idque quum nec in corpus ejus possint quidquam, nisi quatenus ipse permitteret? Ad hæc quum ejus Martyres properasse constet alacres & exultantes, & tyrannis ac tortoribus insultantes ad mortem: quomodo non videatur indecorum, ad imminentem pœnam expavescere, tristari tam vehementer & concuti Christum ipsum, nempe Martyrum omnium Antesignanum & Ducem? Annon, qui omnia Act. 1. prius facere cœpit, quàm docere, hac in re præcipuè præire debebat exemplo, ut mortem alacriter ob veritatem discerent alii, ipso docente, subire? ne qui cunctanter, & timide mortem pro fide paterentur postea, eo suæ socordiæ blandirentur, quòd se putarent authorem Christum sequi. Quod tamen quum facerent, & de causæ gloria plurimum detraherent, & aliorum animos sui timoris & tristitiæ conspectu dejicerent.

Hæc atque hujusmodi alia qui objiciunt, neque satis in omnes causæ hujus sinus intendunt oculos, neque Christi consilium, quo suos vetuit mortem metuere, satis animadvertunt. Etenim haud illud voluit, ut nullo pacto prorsus horrerent necem: sed ne sic horrerent, & fugerent temporaneam, ut abnegando fidem currerent in æternam. Fortes etenim & prudentes suos volebat milites esse, non stupidos & amentes. Fortis est pati, quod molestum est, stupidi non sentire, quod ferat. Amentis est non timere vulnera, Prudentis verò, nullo pœnarum metu ab instituto sancto deduci, & detrectando mitiores in multo semet acerbiores immergere. Medicus, quum secandus est locus qui laborat, aut inurendus cauterio: hortatur ægrotum, ut ferat, non ut sectionis aut ustionis pœnam nullo animi horrore præsentiat. Fatetur esse dolorem, sed salutis voluptate, & atrociorum dolorum vitatione pensandum. Quin Servator noster Christus, etsi (quum vitari non potest) mortem potius ju- Matth. 10. bet tolerari, quàm ut ejus metu desciscamus ab ipso (desciscimus autem, si coram mundo fidem ejus abnegamus) tantum tamen abest, ut jubeat eam vim nos naturæ facere, ne mortem quicquam metuamus: ut etiam, ubi citra dispendium causæ datur facultas, indulgeat fugiendi supplicii libertatem. Si persecuti vos (inquit) fuerint in una civitate, fugite in aliam. Matth. 10. Hac indulgentia, & cauto prudentis Magistri consilio, nullus Apostolorum ferè, nullus ferè tot postea seculis Illustrissimorum Martyrum non aliquando servavit vitam, & in tempus, quod occulta Dei providentia magis providit idoneum, cum sua & aliorum numerosa fruge produxit. Contra tamen interdum fortes Athletæ fecerunt, ut ultro se Christianos proderent, quum nemo quæreret, ultro se offerrent ad mortem, quum nemo posceret. Sic Deo placuit in gloriam suam fidei suæ divitias nunc occultando, callidos insidiatores fallere, nunc ostentando, crudeles persecutores incendere, dum sua se spe frustratos cernerent, & offerentes sese in mortem Martyres indignarentur, nulla se sævitia posse superare. At istud fortitudinis tam arduum, & acclive fastigium misericors Deus nos non jubet scandere, eoque nec tutum temere puto, cuivis eò prorumpere, unde se referre pedetentim non potest, sed si penetrare non sufficit in cacumen, in periculo sit, ne præceps rotetur in barathrum. Quos in id vocat Deus, intendant prospere, procedant, & regnabunt. Ille tempora, momenta, causas omnium

omnium rerum habet abstrusas, & quando convenit, ex arcano sapientiæ suæ cuncta depromit armario, quæ penetrat omnia fortiter, & disponit omnia suaviter. Quisquis igitur in eam conditionem deductus est, ut aut sustinendum ei supplicium sit, aut denegandus DEUS: hic se non dubitet in has angustias DEO volente deductum. Habet ergo magnam bene sperandi materiam. Nam aut inde rursus eum eximet, aut aderit pugnanti, & faciet vincere, ut victorem coronet. Fidelis est enim DEUS
1. Cor. 10. (inquit Apostolus) qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Ergo ubi sic ad manus ventum est, ut cum principe hujus mundi, Diabolo, & diris ejus satellitibus cominus certandum sit, nec absq; causæ dedecore detrectationi locus relictus est: tum abjiciendum ego metum censeam, hominemque jubeam in spe & fiducia totum con-
Prov. 24. quiescere. Nam qui diffidit (inquit Scriptura) in die tribulationis fortitudo ejus minorabitur. Cæterum ante congressum non est improbandus timor, modo timori non desinat reluctari ratio, ea pugna non crimen est aut culpa, sed ingens merendi materia. Nam, tu sanctissimos illos Martyres, quia sanguinem pro fide fuderunt, nunquamne mortem putas & supplicia timuisse? Non immorabor huic parti recensendo Catalogum, unus mihi Paulus instar millium fuerit. Imo si David pro decem millibus erat adversus Philistæos, & Paulus haud dubie pro decem millibus haberi potest in pugna pro fide contra persecutores infidos. Hic igitur fortissimus athletarum Paulus, quem eo usque spes & amor Christi provexerant, ut de cœlesti præmio non dubitarit, qui
2. Tim. 4. dixit: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, cujus desiderio sic flagra-
Phil. 1. vit, ut diceret: Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Et: Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Hic tamen idem Paulus & arte pro-
Act. 21. 22. curavit, ut per Tribunum eriperetur ab insi-
Act. 23. diis Judæorum, & de carcere se, Romanum
Act. 25.
Act. 12. 16. civem se profitendo, liberavit, & Judæorum crudelitati iterum semet, Cæsarem appellando,
Act. 9. subduxit, & Regis Aretæ manus sacrilegas in sporta per murum dimissus effugit. Quod si quis eum contendat fidei sua opera seminandam postea frugem spectassem, & nullo inter ista mortis metu fuisse perterritum: ego certe ut alterum libens fateor, ita alterum non ausim dicere. Nam fortissimum illud Apostoli pectus admisisse timorem manifestat ipse, quum ita
2. Cor. 7. scribit Corinthiis: Nam & quum venissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus, foris pugnæ, intus timores. Et alibi scribit eis-
1. Cor. 2. dem: Ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos. Et adhuc rursus: Non enim
2. Cor. 1. volumus vos ignorare fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. An non audis hic ex ipsius ore Pauli timorem suum, tremorem & supra mortem importabile tædium, sic ut istius agonis in Christo velut effigiem quandam referre ac repræsentare videatur. I nunc, & nega sanctos Christi Martyres ad terrorem mortis expavisse. Sed idem tamen ipse Paulus nulla terroris mole potuit ab instituto promovendæ fidei detineri, nec ullo Discipulorum consilio permotus est, quo minus Hierosolymam (quo se sensit divino Act. 20.
vocari spiritu) pergeret, quum eum illic & vincula & certa manere pericula, Agabus Prophe- Act. 11.
ta prædiceret. Metus igitur mortis & tormentorum culpæ nihil habet, sed pœnæ: quam Christus ut ferret, venit, non ut fugeret. Nec ignaviæ statim censendum est, timere atq; horrere tormenta, sed nec ubi fas est prudenter vitare pericula: sed metu cruciatus ac mortis fugere, quum res poscat congredi, aut abjecta spe victoriæ semet hosti tradere, id demum ex militari disciplina capitale flagitium est. Alioqui verò quantumvis pectus militis agitet & concutiat timor, si nihilominus, quum jubet Dux, prodit, procedit, pugnat & prosternit hostem: non est quod metuat, ne metus ille prævius quicquam ei minuat de præmio, imò adeò plus etiam laudis obtinere debet: qui simul & hostem & suum superavit metum, qui sæpe difficilius, quam hostis ipse vincitur. Etenim Servator noster Christus, quam non abstinuit eum tristitia, timor, & tædium, quo minus pareret imperio Patris, & omnia perferret fortiter, quæ salubriter & sapienter timuerat; paulò post res indicavit. Interim verò non una causa fuit, cur timere, tristari, tædium pati, & mœstus esse voluerit. Voluerit, inquam, non coactus sit, quis Esa. 53.
enim DEUM potuisset cogere? Quin ipsius Joan. 10.
potius admirabili dispensatione contigit, quod ejus Deitas tantisper in humanitatem sic temperavit influxum: ut hos humanæ fragilitatis affectus admittere tam acriter, & subire posset. Sed istud (ut cœpi dicere) Christi miranda bonitas multis de causis voluit. Primum ut hoc faceret, propter quod venit in mundum. Venit enim, ut testimonium perhiberet veritati. Etenim quum & vere homo esset, & vere DE- Joan. 19.
US, fuere tamen, qui humanæ in eo naturæ veritatem spectantes, famem, sitim, somnum, lassitudinem, atque id genus alia, DEUM verum non esse falso sibi persuaserant, non ex illis tunc Judæis & Gentibus, qui eum aversabantur: sed ex his ipsis longe postea, qui nomen ejus & fidem professi sunt, nempe Arrius, & ejus sectam sequentes hæretici, qui consubstantialem Patri Christum negantes ad annos multos magnas in Ecclesiam turbas invexerant. Sed adversus hujusmodi pestes antidotum fortissimam, immensam miraculorum molem opposuit.

Cæterum ex altera parte rursus exortum est, velut ereptis est Scylla, par à Charybdi periculum. Non enim deerant, qui usque adeo in signorum & virtutum ejus gloriam intenderũt oculos; ut immenso illo splendore præstricti,

atque hallucinati vere illum hominem esse perperam pernegarent. Sed & hi quoque ab Autore sectam facientes Ecclesiæ Catholicæ sanctam unitatem non cessabant factiose & flagitiose discindere. Quorum insana persuasio, nec minus perniciosa quàm falsa, totum (quoad in ipsis ist) enervare, atque evertere molitur redemptionis humanæ Mysterium: ut quæ mortem & passionem Servatoris (unde velut à fonte, salutis nostræ flumen emanavit) abscindere prorsus & exsiccare conetur. Ut huic igitur morbo tam mortifero mederetur, voluit optimus & pientissimus Medicus verum hominem sese mœstitia, pavore, tædio, & timore cruciatuum, verissimis humanæ infirmitatis indiciis ostendere.

Ad hæc, quoniam in mundum venit, ut suo dolore nobis promereretur gaudium, sicuti gaudium illud nostrum, & in anima simul & corpore fuit consummandum: ita non in corpore tantum supplicii cruciatum, sed in animo tristitiæ, timoris & tædii sensum acerbissimum voluit experiri, simul ut nos tanto sibi magis devinciret, quanto pro nobis amplius pateretur, simul ut nos admoneret, quàm non esset fas, aut ipsius causa nos recusare dolorem, qui tam numerosum & tam immensum ultro tulit pro nobis, aut peccatis nostris debitam iniquo animo pœnam tolerare, quum ipsum sanctum Servatorem nostrum, tum corpore, tum animo videamus tam multa, tam amara tormentorum genera nullo suo delicto commerita, sed ob no-
Esa.53. stra tantum abolenda scelera, sua nimirum
2.Cor.5. sponte pertulisse. Postremo quando nihil æternam ejus præscientiam latuit, varias in Ecclesia, corpore suo mystico, varias (inquam)
1.Cor.12. membrorum suorum fore conditiones prævi-
Eph.4. dit. Et quamquam ad tolerandum Martyrium
Joan. 14. natura nihil potest absque gratia, quum (ut in-
1.Cor.12. quit Apostolus) nemo dicere possit Dominus JESUS nisi in Spiritu sancto: ita tamen hominibus gratiam impertitur Deus, ut naturæ functiones interim, & officia non auferat, sed vel subservire finit ingredienti gratiæ, quo bonum opus majore cum facilitate proveniat, vel si sic affecta sit, ut obluctetur, victa tamen & subjugata per gratiam, ex difficultate faciendi facti commendet meritum. Quum ergo prævideret multos futuros tales, qui teneriore corpusculo vehementius forent ad omne tormenti periculum exhorrituri: ne hi meticulosam mentem suam cum fortissimorum Martyrum conferentes audacia conciderent animo, & timentes ne vi vincerentur, sua se sponte dederent, sui doloris, suæ tristitiæ, sui tædii & incomparandi pavoris exemplo Christus animos eorum voluit sublevare, & ei qui futurus esset ejusmodi, tanquam facti sui vivacissima voce dicere:
Eccl.7. Confortare pusillanimis & noli desperare. Ti-
Esa. 35. mes, tristaris, tædio & pavore concuteris cru-
Joh. 16. delitate intentati supplicii: Confide, ego vici mundum, qui plus supra modum timui, plus tristatus sum, plus affectus tædio, plus ad contuitum appetentis tam diræ passionis inhorrui. Habeat fortis, quos imitari se gaudeat magnanimos Martyres mille. Tu timidula & imbecillis ovicula uno me contenta Pastore, me ducem sequere, de te diffidens, in me spera. En, ego te in via ista tam formidolosa præcedo. Meæ vestis fimbriam apprehende, inde virtutem exire senties, quæ hunc animi tui in metus Marc.5.
vanos effluentem sanguinem sistet salubriter, & animum reddet alacriorem, quippe quum recordaberis, quod meis inhæres vestigiis, qui 1.Cor. 10.
fidelis sum, & te tentari non patiar, ultra quam potes ferre, sed faciam etiam cum tentatione proventum, ut possis sustinere, simul quod leve 2.Cor. 4.
hoc & momentaneum tribulationis immensum in te gloriæ pondus operabitur. Neque enim Rom.9.
condignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in te. Talia tecum cogitans confortare, ac formidinis istius, tristitiæ, pavoris & tædii inania tenebrarum spectra crucis meæ signo dispelle, progredere prospere & adversa cuncta pervade, Joan.16.
confidens fideliter, quod me propugnatore Rom.9.
vinces, & victoriæ lauro, me remuneratore, co- 1.Cor.15.
ronaberis.

Inter alias igitur causas, cur hos affectus infirmitatis humanæ Servator noster induere dignatus est, hæc erat una & non indigna, quam dixi: quod videlicet infirmis infirmus factus, infirmos alios sua infirmitate curaret, quorum tam internam curam habuit, ut totum istud agoniæ ejus negotium non aliud quidquam evidentius præ se ferre videatur, quàm rapiendo in martyrium militi meticuloso traditam pugnandi methodum, ac sese in conflictu gerendi disciplinam. Nam ut doceret eum, cui metus ingruit impendentis periculi, & vigiles aliorum preces petere, & tamen seorsim soli se Deo credere, simulque ut se significaret acerbum crucis torcular solum sine comite calcaturum: illos ipsos tres Apostolos, quos secum ab reli- Esa. 63.
quis octo ad montis pęne pedem produxerat, subsistere jubens ibidem, sustinereque, ac vigilare secum, ipse quantum lapidis jactus est, semet avulsit ab eis.

Et progressus pusillum procidit in faciem suam Matth.26.
super terram, & orabat: Ut, si fieri posset, transiret ab eo hora. Et dixit: Abba Pater, omnia possibilia sunt tibi. Transfer hunc calicem à me: sed non quòd ego volo, sed quod tu. Mi Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.

Primum omnium ab humilitate, quæ virtutum omnium quasi quædam basis est, unde tuto ad altiora conscenditur, militem suum suo docet exemplo Christus Imperator incipere: qui quum æqualis, & idem Deo Patri Deus sit, Phil. 2.
quia tamen pariter & homo est, coram Patre Deo hominem se suppliciter pronum prosternit in terram. Hoc in loco Lector paululum sistamus gradum, & Imperatorem nostrum jacentem in terra supplicem pia mente contemplemur.

Johan. 1. plemur. Nam si id sedulo fecerimus, ab illa luce, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, animos nostros radius illustrabit, ut videamus, agnoscamus, doleamus & corrigamus aliquando nostram hanc, non dico, negligentiam, pigritiam, torporem; sed socordiam, vesaniam, & stipite quovis stupidiorem stuporem, quo Deum omnipotentem adeuntes non tam precamur plerique reverenter, quam segniter & somnolenti compellamus, eoque valde vereor, ne non tam placemus & reddamus propitium, quam irritemus, & acriter instigemus ad iram.

Utinam id nobis aliquando studium esset, ut protinus à peractis precibus, totam ejus temporis seriem, quod precando transegimus, memoria repetamus. Quas ibi stultitias videbimus, quas ineptias, quot interdum fæda conspicabimur? Mirabimur profecto fieri potuisse nonnunquam, ut animus nobis in tantillo tempore per tot tam procul inter se dissita loca, per tot diversa, tam varia, tam multiplicia, tam otiosa negotia se diffuderit. Nam si quis operam in id daret de industria, uti tanquam experiundi gratia mentem in quam maxime posset multa & diversa distraheret: vix posset opinor, tam brevi tempore, tam procul inter se distantia, & tam numerosa percurrere, quàm, dum os horarias, & usu tritas preces permurmurat negligenter, sibi relictus animus pervagatur. Itaque si quis miretur, ac dubitet, quidnam interim agitavimus, dum dormientibus nobis ingerunt sese somnia: non aliam similitudinem reperio, quæ propius accedat ad rem, quàm si sic occupari mentem cogitemus in somno, quo modo vigilantibus occupatur (si modo sic orare, vigilare est) dum inter orandum per tot absurda phantasmata, velut amens, atque insana, circumvolat, hoc solo somnianti dissimilis, quod vigilum istorum somniorum monstra sunt quædam tam fæda & tam abominanda portenta, quæ dum lingua precando procurrens dat sine mente sonum, mens interim peregre profecta complectitur, ut si ea quis vidisset in somno, non sustineret haud dubie vel apud pueros, quantumvis impudens, tam insana surgens somnia recensere. Et procul dubio vetus illud verbum perquam verum est, Mentis imaginem vultum esse. Nam animi certè tam insanus habitus, & tam furiosa conditio per oculos, per genas, palpebras & supercilia, per manus, pedes, & totam denique totius corporis faciem pellucet. Siquidem qua mentis negligentia prodimus ad precandum, eadem quoque corporis incuria & supinitate progredimur. Nam etsi Dei cultum prætextimus, quod diebus festis solito cultiores sumus: neglectus ille tamen, quo plerique inter precandum utimur, non satis cælatum illum ac dissimulatum mundani fastus affectum satis indicat, ita neglectim nunc obambulamus, nunc residemus in sella. Quod si in genu demittimur, aut in alterum nitimur, altero in pedem sublato, aut pulvinum genibus substernitur, interdum vero (si delicatiores sumus) pulvino fulcimus, & cubitos, &, velut ruinam minantem domum tibicine sustinemus. Deinde quid non facimus, quo pervagantem foris animum prodamus? Scabimus caput, cultello purgamus ungues, digito purgamus nasum, interim aliud pro alio dicimus. Nam quid diximus, aut quid non diximus, obliti divinamus temere, quid dicendum superest. Ecquid non pudet nos cum hoc tam demente mentis & corporis habitu, in tanto nostro discrimine sic supplicare Deo, sic tot immanium criminum precari veniam, sic æterna supplicia deprecari: ut si nihil peccassemus prius, tamen tam contemptim adiisse Majestatem Dei, decies æterna tormenta mereatur.

Finge, age, te contra mortalium istorum Principum quempiam, in cujus manu vita tua sit, læsæ majestatis crimen admisisse: sed illum tamen tam misericordem esse, ut pœnitenti, & ejus indignationem deprecanti, paratus sit capitale supplicium in pecuniæ mulctam vertere, aut ex efficacibus magni pudoris, & doloris indiciis prorsus in totum remittere. Productus igitur in conspectum Principis, age jam, neglectim illum, securus & supinus alloquere, & dum ille consistit atque auscultat, tu tuam Orationem percensens hac atque illac interim obambula. Dein ubi satis inambulatum est, colloca te in cathedram, aut si civilitatis causa videbitur in genua demittendum, accersi quempiam jube prius, qui genibus substernat pulvinum, quin & scamnum adferat cum pulvino quoque, in quod incumbant cubiti, tum oscita, pandiculare, sternuta, despue neglectim, & crapulæ tuæ fumos eructa. Ita te denique vultu, voce, gestu, & toto corporis habitu gere, ut te plane videat, dum se affaris, alias res animo agere. Dic ergo jam, quàm prosperum futurum speras talis Orationis exitum? Insani certè nobis videremur ipsis, si capitalem causam ad hunc tractaremus modum apud mortalem principem. Et tamen is, quum occidisset corpus, quod ulterius agere posset, non haberet, & sani sumus scilicet, quum in criminum longe graviorum cumulo deprehensi tam contemptim deprecamur supplicium apud Regem regum omnium Deum, qui quum occiderit corpus, potestatem habet animam simul Matt. 10. & corpus mittere in gehennam. Neque tamen hæc eo dicta velim, quod vel ambulantem, vel sedentem, ut nec cubantem quidem quenquam orare vetuero. Utinam assidue, dum quidvis corpore facimus, animum interim (quod acceptissimum precandi genus est) elevaremus ad Deum. Neque enim quacunque nos ambulando vertimus, modo mens feratur in Deum, ab eo, qui nusquam non est, nos avertimus. Verum ut Propheta, qui dicit Deo: Hier. 23. Memor fui tui super stratum meum, non eo tamen sic satisfecit sibi, quin & media nocte Psal. 62. surgeret ad confitendum Domino: ita præter Psal. 118. istas ita dictas ambulando preces, aliquas interdum sic orari postulem, ut tali meditatione

præparetur animus, tanta cum reverentia corpus componatur, ut nec universos orbis terræ simul considentes Reges tam reverenter simus adituri. Verumenimvero mentis ista vagatio, quoties eam cogito, animum mordet misere. Neque tamen affirmem cogitationem quamlibet etiamsi turpem & perquam horribilem, quam precantibus nobis vel malus objicit Genius, vel quæ sensuum nostrorum phantasmate fabricata surrepit, protinus esse mortiferam, si modo renitimur & repellimus: cæterum alioqui vel admissa libenter, vel diu permissa negligenter crescere, non dubitem profecto, quin pondus ejus possit ad animæ perniciem; & mortem ingravescere. Imo quum divinæ majestatis immensam gloriam cogito, protinus profecto subigor atque impellor credere, etiam breves istas abductiones animi, quod non sunt capitalia crimina, id adeo magis ex Dei miserentis benignitate procedere, per quam dignatur ad mortem non imputare: quàm quod suæ ipsarum naturæ malitia mortem non mereantur, quum plane comminisci nequeam, unde possit cogitationibus ejusmodi, precantibus hominibus, hoc est, cum Deo loquentibus, aditus in mentem dari, nisi prorsus ex imbecillitate fidei. Alioqui quum longe facessat animi quævis inepta distractio, dum in causa seria mortalem affamur Principem, imo vel ejus ministrum quempiam, qui quidem apud herum suum in aliquo loco sit: fieri profecto non possit, ut dum precamur Deum, animus abduci vel tantillum queat, si forti & efficace fide crederemus præsentem, & non verba nostra duntaxat auscultantem, vultusque & corporis habitum foris contemplantem, ut inde mentis internæ signa & argumenta colligat: sed in ipsos penitus cordis arcani sinus oculis plusquam linceis penetrantem, imensa majestatis luce cuncta collustrantem Deum, Deum, inquam, Deum: in cujus gloriosa præsentia omnes orbis terræ Principes in omni gloria sua teredines esse sese (si non insaniunt) & humi repentes vermiculos confitentur. Christus ergo Servator noster, quum videret nihil Oratione conducibilius, rursumque cerneret hominum negligentia, & malitia dæmonum rem tam salutarem tam passim fructũ perdere, plerumq; vero & in perniciem verti, volvit obiter, dum transiret ad mortem, suis verbis & exemplo suo rei tam necessariæ, velut reliquæ doctrinæ suæ colophonem tradere. Itaque quo sciremus, non anima tantum, sed etiam corpore utriusque Creatori Deo serviendum, simul ut doceremur corpus ad reverentiam compositum, quanquam ab anima formam illam, habitumque suscipit, in animam tamen rursus reverentis erga Deum pietatis augmentum refundere, humillimæ subjectionis formam edidit, eo enim corporis gestu Patrem cœlestem suum veneratus est, quem nemo terrenorum Principum præter ebrium vino luxuque Macedonem, & alios quosdam fortunæ flatu tumescentes Barbaros, qui se pro Diis haberi voluerunt, aut exigere est ausus, aut oblatum sponte, suscipere. Nam neque quum oraret, resedit, neque se erexit in pedes, neque tantum demisit in genua, sed totum in terram abjiciens pronum prostravit in faciem. Tum in eam miserabilem formam compositus imploravit Patris misericordiam, & Patris nomen ingeminans rogavit, ut quandoquidem illi omnia possibilia sunt, si fieri posset, hoc est, si non immutabili decreto calicem Passionis ejus statuisset, precibus ejus, oratus auferret. Cæterum ne precantis tamen voluntati obsecundaret, si optimæ prorsus ipsius voluntati melius videretur aliud. Matt. 26.

Non est quod filium ex hoc loco putes paternæ voluntatis ignarum, sed quoniam volebat homines instruere, humanos affectus pariter volebat exprimere. Quod Patris vocabulum bis comemoravit, nos admonere voluit omnem ab eo paternitatem procedere & in cœlo & in terra. Quin & hoc quoque nos voluit commonefacere Deum Patrem bis ipsi Patrem esse: quippe creatione, quæ paternitas quædam est. Nam verius à Deo sumus qui nos creavit è nihilo, quam ab illo qui nos genuit homine: nempe Deo prius ipsum creante genitorem, & omnem illam ex qua geniti sumus creante, prius & substernente, materiam. Sed sic agnovit Patrem Deum Christus, ut homo. Cæterum ut Deus, naturalem illum sibi novit & coæternum Patrem. At nec istud absimile veri est, ideo bis appellasse Patrem, ut non solum eum sibi naturalem Patrem fateretur in cœlo, sed etiam nullum habuisse Patrem alium significaret in terra, quandoquidem ex virgine matre secundum carnem conceptus est absq; virili semine, superveniente in matrem S. Spiritu, Spiritu, inquam, & Patris & suo, quorum opera eadem & simul sunt, nulla penitus consideratione distincta. Quid quod ex efficaci paterni nominis ingeminatione, quæ magnum declarat obtinendi voti desiderium, saluberrime docemur & illud, ne quum quidpiam precamur, quod non impetramus, animo concidamus, ut Rex Saul sortilegus: qui quod statim non accepit, oraculum à Deo divertit ad Pythonissam: & lege vetitam, & ab ipso pridem cohibitam artem exercuit. Nos docet Christus, ut perseveremus petere, neque tamen, si nunquam assequamur, quidquam murmuremus: quippe quum videamus Filium Dei servatorem nostrum non impetrasse depulsionem mortis, quam tanta cum instantia Patrem precatus est, nisi quod perpetuo (quam rem vel maximè nos imitari debemus) voluntatem suam Patris voluntati subjecit. Ephes. 3. Matt. 1. Luc. 2. Rom. 2. Johan. 5. 1. Reg. 28.

Et venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes. Matt. 26.

EN amor amori quid præstat. En amor ille, quo Christus amabat suos, quanto intervallo amorem præcellit illum, quo redamabatur à suis, etiam ab his, qui diligebant maxime. Nam illum tristitia, metus, pavor & tædium, quibus, ingruente supplicio crudelissimo, tam anxiè afflictus est, abstinere tamen eum non potuerunt, quo minus illos inviseret. At illi, quantumcunque diligebant eum (diligebant pro-

proculdubio vehementer) tamen in tam immenso, tam vicino, tam amantis Magistri periculo, somnum potuerunt admittere.

Et dixit Petro sic: Simon dormis? Non potuisti una hora vigilare mecum?

Hic sermo Christi tam brevis, quantam habet energiam? tam mitibus verbis, quam acuto pungit aculeo? Nam dum Simonem nomine compellat illo, & illo nomine somnolentiam exprobrat: tacite subsignificat, non jam Petri vocabulo (quod ob firmitatem Christus ei pridem indiderat) hanc infirmitatem ejus, & soporem satis omnino congruere. Quin ut aculeum habet suppressio nominis Petri, imo Cephæ: sic aculeum habet alterum ipsa Simonis expressio. Hebraica enim lingua (nam ea Christus ei loquebatur) Simon significat audiens, significat & obediens. Atqui dum, Christo contra monente, dormiebat, jam nec audiens, nec obediens erat. At nec hos tamen solos, sed & alios aculeos quosdam Servator noster in Petrum mansuetis istis verbis tacite mihi videtur infigere: nimirum tanquam eum severius increparet sic: Simon, non jam Cephas dormis? Quomodo enim Cephas, hoc est, saxum, mereris appellari? quo ego te nomine ob firmitatem olim insignivi, quum tam infirmum te probes nunc, ut nec unam horam adversus impetentem somnum possis sustinere? Quanquam vetusto quidem nomini tuo, Simoni, perquam egregie jam respondes scilicet, quippe qui sic dormitans, quomodo voceris audiens? aut quum ego te vigilare monuerim, quo pacto voceris obediens, qui me vix digresso segnis & somnolentus indormias? Ego te semper Simon feci plurimi, & tu Simon dormis? Ego te tot modis honestavi, & tu Simon dormis? Tu te modo jactasti, vel moriturum mecum, & nunc Simon dormis? Ego nunc à Judæis ac gentibus, & utrisque deteriore Juda quæror ad mortem, & tu Simon dormis? Quin & vos omnes tanquam triticum satagit cribrare Satanas, & tu Simon dormis? Quid à cæteris expectare debeo, quum in tantis & tam urgentibus non modo meis, sed & vestris ipsorum periculis etiam tu Simon dormias? Post hæc ne res videatur solum Petrum tangere, sermonem vertit ad reliquos.

Johan. 1.

Luc. 22.

Matt. 26. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

Orationis hic mandatur assiduitas, & non utilitas ejus modo declaratur: sed etiam immensa necessitas, nempe ne remoræ in morem, carnis infirmitas animum quantumvis ad bona promptum remoretur ac retrahat in tentationis mala præcipitem. Quis enim spiritu promptior Petro? & tamen quantum eguit adversus carnem Dei præsidio, vel hoc declarat, quod dum illud implorare precibus dormiendo distulit, locum Dæmoni dedit, quo paulo post per carnis infirmitatem, Spiritus alacritatem retunderet, & ad negandum cum perjurio Christum perpelleret. Quod si talia usuvenerunt Apostolis lignis nimirum viridibus, ut dum per somnum Orationem intermitterent, intrarent in tentationem: quid in aridis fiet nobis, si ingruente periculo (quod quando, quæso, non ingruit, quum adversarius noster diabolus velut Leo rugiens assidue circumeat, undequaque quærens, quem carnis infirmitate cadentem protinus invadat ac devoret) in tanto, inquam, periculo quid fiet nobis, nisi Christi consilium secuti, in vigilia & Oratione perstemus?

Matt. 27.

I. Petr. 5.

Vigilare monet Christus, sed non ad chartas, & aleam, non ad crapulam, comessationes, vinum & Venerem, sed ad orandum. Orare monet non interdum, sed incessanter. Orate, inquit, sine intermissione. Orare monet non duntaxat interdiu (quis enim vigilare jubet in die?) sed Orationis instantiæ suadet ejus etiam temporis bonam partem addere: quod plerique totum somno solemus impendere, quo magis nos pudere miseros decet, & inanem culpam agnoscere, qui vix interdiu precem brevem, & eam tamen oscitanter & somnolenti peragimus. Monet nos denique Servator noster orare, non ut abundemus opulentia, non ut deliciis affluamus, non ut inimicis nostris malum veniat, non ut nos honoremur in hoc seculo: sed ne intremus in tentationem. Voluit nos nimirum intelligere mundana illa omnia aut noxia prorsus, aut si cum hoc uno conferantur, inanissimas nugas esse, eoque istud unum velut cæterorum quodammodo collectam summam in ea prece, quam pridem Discipulos docuit prudens collocavit in fine. Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo.

Luc. 18.

Matth. 6.

Iterum secundo abiit & oravit eundem sermonem, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum: fiat voluntas tua. Et venit iterum, & invenit eos dormientes, erant enim oculi eorum gravati, & ignorabant, quid responderent ei. Et relictis illis, iterum abiit & oravit eundem sermonem, & positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum à me. Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.

Matth. 26.

Postquam ergo Discipulos sic admonuit, iterum ad Orationem rediit, idemque, quod ante, rursus precatus est, sed ita tamen, ut totam rem denuo Patris voluntati committeret. Sic enim docet nos & instanter simul & non precisè petere, sed exitum rei totum Deo cedere: qui nec minus bene nobis vult, quam ipsi nos, & quid magis conducat, millies videt melius. Pater mi, inquit, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum: fiat voluntas tua.

Matth. 6. & 8.

Pronomen illud (Mi) duplicem habet effectum. Nam & magnum exprimit affectum, & singulari modo Patrem Christo, Patrem declarat Deum, quippe quum non creatione tantum, sicut est universis, nec adoptione, quo modo Pater est Christianis, sed natura sit Dei filii Pater Deus. Cæteros igitur omnes erudiens, ut ita precaremur: Pater noster qui es in cœlis: Quibus verbis Deum agnosceremus

Matth. 6.

omnibus nobis ut fratribus Patrem esse communem, ipse merito, qui propter Deitatem solus potest, sic affatur Patrem. Pater mi. At si quis tam superbus est, ut non contentus esse, sicut cæteri hominum, solus sibi videatur gubernari secreto spiritu Dei, nec eadem esse sorte cum cæteris: hic mihi certè videtur Christi sibi verbum arrogare, & Pater mi, precari, non Pater noster, quum Dei communem spiritum privatim asserit sibi, Lucifero non multum
Luc.10. dispar, qui sic Dei verbum sibi arrogat, sicut Lucifer locum.

Jam quod ait: Si non potest calix iste transire, nisi bibam illum: fiat voluntas tua, satis evidenter ostendit, quid Christus appellat possibile, quid impossibile: nempe nihil aliud, quàm certum & immutabile de sua morte spontaneum decretum Patris. Alioqui enim si sensisset, vel ex decursu syderum cœlestium, vel abstrusiore quopiam omnium rerum ordine, fatoque imminere sibi ineluctabilem moriendi necessitatem, ac tali ratione dixisset: Si non potest calix iste transire, nisi bibam illum, frustra penitus adjecisset illud: Fiat voluntas tua. Quomodo enim Patris arbitrio relinqueret eam rem, cujus exitum vel aliunde pendere, quam à Patre crederet, vel Patrem necessario, hoc est, velit, nolit, velle?

SED interea tamen dum recensemus talia, quibus mortem sibi Christus deprecatur à Patre, & omnia supplex Patris voluntati submittit: assiduè nobis contra cogitandum est, quum & Deus esset & homo, hæc illum omnia, quatenus homo erat, & non ut Deum dicere. Nam & nos, quoniam ex anima constamus & corpore, ut quædam de nobis loquimur, quæ soli competant animæ: ita quædam contra loquimur, quæ soli competant corpori. Nam & martyres in cœlum dicimus protinus à morte conscendere, quum eo tantum ferantur animæ: & homines vicissim dicimus, quantumvis hic superbiant, terram tamen & cineres esse, tum vita brevi defunctos in vili sepulchro putrescere. Sic enim loquimur assiduè, quum nec sepulchrum ingrediatur anima, nec mortem obeat: sed quæ male vixit in corpore, post corpus misere vivit in pœna, quæ vero bene, perpetuo vivit in bono.

Ad hunc igitur modum, quia non minus erat humanitati conjuncta atque unita divinitas in omnipotente persona Christi, quam immortalis ejus anima corpori: quod mori potuit, tam ea quæ fecit ut Deus, quam ea quæ fecit ut homo, non tanquam bipartitus in duos, sed merito, sicut unus erat, ita sicut unus enuntiat, sic & ob Deitatem suam non dubitavit dicere: Ego & Pater unum sumus. Et, Antequam Abraham fieret, ego sum. Et pro-
Joh.10,8. pter utramque naturam: Ego vobiscum sum
Matt.ult. omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Et vice versa propter humanitatem solam dixit: Pater major me est. Et, Modi-
Joh.14. cum tempus vobiscum sum. Etenim tametsi
Joh.16. gloriosum corpus ejus veraciter nobiscum præsens est, eritque semper usq; ad finem seculi sub specie panis in venerabili Sacramento Eucharistiæ: corporalis tamen ejus forma, in qua cum Discipulis diu versatus est (de quo præsentiæ modo sensit nimirum, quum diceret: Modicum tempus vobiscum sum) Christo conscendente subtracta est. Omnia igitur ista quæ Christus hoc loco agoniæ suæ vel fecit, vel passus, vel precatus est, quæ tam humilia sunt, ut neutiquam decere videantur excelsam illam sublimitatem Dei: ab illo eodem Christo facta recordemur, ut homine, quin & quædam, ut ab inferiore humanitatis suæ parte, nempe sensibili duntaxat proficisci, quæ declararent humanæ in eo naturæ veritatem, & naturalem in aliis post hominibus horrorem solarentur.

Istorum igitur verborum, cæterarumque rerum omnium, quæ tam afflictæ humanitatis indicia series ejus agonis demonstravit, adeo nihil suæ gloriæ Christus putavit inglorium: ut ea nimirum ipsemet diligenter evulganda curarit. Etenim quanquam quæ scripta sunt ab Apostolis omnibus, ab uno pariter ipsius Spiritu universa dictata sunt: non facile tamen aliud ejus factum recordor ullum, quod tam peculiari modo curarit commendare memoriæ. Nam quod vehementer tristis erat, id quidem narravit Apostolis, quod illi posteris ab ipso possent tradere: cæterum quibus verbis Patrem precatus est, quum & ad lapidis jactum abessent proximi, etiamsi vigilassent, & quum dormirent, si præsentes in re fuissent, non potuissent audire: quanto minus Luc. 22.
id noctis cernere, quando se demisit in genua, quando prostravit in faciem? Sanguineas verò guttas illas quas toto sudavit corpore, etiamsi restantes & conspicuas postea spectassent in terra, quidlibet, opinor, cogitassent potius, quàm id divinassent, quod erat, quod ante nusquam contigerat, quenquam sudasse sanguinem. Sed neque cum matre postea, neque cum Apostolis ante mortem collocutus est, ut ea tum narrasse videatur: nisi quis id putet verisimile quum ab oratione digressus rediret ad Apostolos, adhuc aut dormitantibus aut vix excitatis & semisomnibus, aut denique quum satellites essent ad manum, tum videlicet illis recensuisse totam agonis historiam. Restat igitur quod videtur verissimum, ut postquam resurrexit à mortuis, matri pientissimæ, dilectisque Discipulis, quum Deum esse eum jam dubitare non possent hanc humanitatis sic afflictæ seriem, cujus cognitio primum ipsis, post per eos aliis prodesset, quam alius nemo narrare potuit, ipsemet ore suo sanctissimo recensuerit. Magnam igitur adfert & meritò hujus agoniæ meditatio, his qui tribulato sunt corde, consolationem: quum ad eum ipsum finem, ut solaretur afflictos, Servator noster afflictionem suam, nemini alioqui cognitam, neque possibilem cognitu, pro sua bonitate vulgaverit.

Sunt

Sunt fortasse quidam, quos & illud movet, quod ab ea oratione Christus rursus revisens Apostolos, quum dormientes eos reperisset, & se superveniente tam attonitos, ut quid dicere possent, ignorarent, sic eos reliquerit, ut videri possit, tantum ideo venisse, ut exploraret, an vigilent: quum id (ut erat Deus) nescire non potuerit, antequam venisset. Sed isti, si qui sint, sic responsum habeant. Ille quod fecit, non incassum fecit. Nam etsi in præsens adventus ejus non sic excitavit eos, ut vigilarent, sed aut non prorsus experrecti, semisomnes, & attoniti, vix oculos in eum levarent, aut, quod deterius est (si ab illo increpiti sunt, & vigiles redditi sibi) nihilominus, eo digresso, protinus relaberentur in somnum: ipse tamen & suam circa Discipulos solicitudinem declaravit, & suo sanxit exemplo, ut Ecclesiæ suæ Pastores inposterum nulla tristitia, nullo tædio, nullo terrore permitterent suam circa gregem curam & diligentiam quoquo modo quicquam claudicare, sed ita se planè gererent, ut ipsa re probarent, non tam esse de seipsis sese, quàm de gregis sui salute solicitos.

AT dixerit fortasse quispiam divini consilii curiosulus explorator: aut voluit Christus Apostolos vigilare, aut non voluit. Si non voluit, cur tam accurate mandavit? Si voluit, quid ire, ac redire toties oportuit? Non potuit quum esset Deus, & semel dicere, & simul facere, ut fieret? Potuit haud dubie, bone vir, quum Deus esset, qui quicquid voluit,
Psal. 32. fecit, qui verbo creavit universa. Etenim
Psal. 134. dixit, & facta sunt: mandavit & creata sunt.
Johan. 9. An qui aperuit oculos cæci nati, viam invenire non potuit, per quam oculos aperiret dormientis? Facile profecto ea res factu fuit vel illi, qui non esset Deus. Nam quis non videt pervigilaturos homines, nec in somnum cito relapsuros, si quis indormitantes oculos tantum perpungat acicula? Potuit proculdubio Christus efficere, ne dormitarent quicquam, sed pervigilarent Apostoli, si id præcise prorsus & absolute voluisset. At nunc adjecta conditione voluit: nempe si vellent & ipsi, atque ita vellent efficaciter, ut ipso monente foris, & intus etiam juvante pro sua quisque virili cum eo conniteretur. Hoc pa-
1. Tim. 2. cto vult & omnes homines salvos fieri, neminem æterno cruciari tormento, videlicet ita demum, si nos tam piæ voluntati ejus obsecundemus, ac non malitia nostra nitamur in contrarium. Quod si quis obstinate pergat facere, non vult illum Deus invitum in cœlum vehere, tanquam ibi nostro indigeret officio, neque regnare posset in gloria sua, nisi suffultus nobis. Quod si non posset, multa profecto statim vindicaret, quæ nunc nostra causa tolerat, & dissimulat diu, si quando ipsius benigna patientia
Rom. 2. nos adducat ad pœnitentiam. Cæterum nos interea tanta ejus abusi clementia, dum peccata peccatis addimus, thesaurizamus nobis
Rom. 2. (ut ait Apostolus) iram in diem iræ. Et tamen (quæ Dei bonitas est) negligentes nos, & peccatorum pulvino indormientes agitat interdum, quatit & concutit, ac tribulationibus satagit expergefacere. Atqui quum ea re se probet, etiamsi iratum, tamen amantissimum: plerique tamen homines stultissimi aliorsum rem accipimus, & beneficium tantum maleficii loco ducimus: quum contra (si sani simus) ut quoties aberramus ab eo, toties nos invitos ac reluctantes verberibus in viam redigat, multis esset precibus exorandus. Etenim primo precandum est, viam ut videamus, & cum Ecclesia dicendum Deo: A cæcitate cordis libera nos Domine. Et cum Propheta: Doce me facere voluntatem tuam. Et, Vias tuas demon- Psal. 119.
stra mihi, & semitas tuas edoce me. Deinde vehementer optandum est, ut in odore unguentorum tuorum Deus, in Spiritus tui suffi- Cant. 1.
tu suavissimo post te curramus alacriter. Quod si languemus in via (quod nunquam ferè non facimus) & nimium segniter vix procul à longe subsequimur, protinus dicamus Deo: Ap- Ps. 95.
prehende manum meam dexteram, & deduc me & 139.
in via tua. Cæterum si sic invalescat languor, ut pertæsi progredi, cœperimus pigritia mol- Johan. 6.
licieque subsistere: precemur Deum, uti renitentes trahat. Postremo verò, si molliter attracti renitimur, & contra voluntatem Dei, contra salutem nostram cervicosi simus abjecta ratione, sicut equus & mulus, in quibus Psal. 31.
non est intellectus: suppliciter orare debemus Deum Prophetæ verbis appositissimis: In cha- Psal. 31.
mo & fræno maxillas eorum constringe Deus, qui non approximant ad te. Verum enimvero quandoquidem quum subit desidia nulla virtutum parte citius quam precandi affectu deficimur, nec ea nobis imprecari libet, etiam quantumvis utilia, quæ non libenter admittimus, nobis diu ante curandum est (si quando sani sumus) quum nondum in ægros illos animi laborantis affectus incidimus, ut aures Dei precibus hujusmodi diligenter impleamus rogemusque suppliciter: ut si quando postea, vel carnis illecebra pellecti, vel mundanarum rerum concupiscentia seducti, vel callidis insidiis dæmonum labefactati, contra precemur quidpiam, ad talia vota surdescat, & quæ precamur, avertat: ista verò, quæ profutura prænovit, quantumvis deprecemur, accumulet. Siquidem ad hunc modum solemus, si sapimus, quum febrem expectamus, eos præmonere, qui nobis ministraturi sunt ægrotantibus: ne vel rogantibus nobis, eorum quicquam porrigant, quæ saluti noxia morbus in augmentum sui præpostere solet appetere. Itaque quum sic vitiis indormimus, ut divina inclamati atque agitati clementia nolimus expergisci, atque invigilare virtutibus: in causa nonnunquam sumus, ut nostris nos vitiis abiens relinquat Deus, quosdam sic, ut nunquam revisat iterum, alios verò dormire sinat duntaxat in aliud tempus, prout ejus admiranda benignitas & inscrutabilis abyssus sapientiæ videt idoneum. Hujus rei typum

gerebat quendam, quod Apostolos Christus quum iterum invisisset, nec illi tamen vigilare voluerunt, sed nihilominus assiduè dormitarent, relictis illis abscessit. Nam relictis illis iterum abiit & oravit eundem sermonem, & positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem hunc à me: veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.

EN iterum idem petit, iterum eandem conditionem adjicit, iterum nobis exemplum præbet, ut quum in magnum (etiam Dei caussa) periculum venimus: non arbitremur illicitum in-
1.Cor.10. stanter precari Deum, ut ex eo discrimine nobis procuret exitum. Quandoquidem fieri potest, ut ea de causa nos patiatur in tales angustias adduci: ut quos prosperitas frigidos ad orandum fecerat, periculi timor faciat effervescere, præsertim quum res agitur de corpore, nam ad animæ periculum vix plerique tepescimus. Cæterum quibus (ut esse debet) animæ cura est, nisi quis ad martyrium fortiter animetur à Deo (quod vel indicibili modo sentiendum, vel conjecturis idoneis expendendum est) alioqui timere quenquam sibi satis congruit, ne sub onere fatigetur, & concidat, eoque ne Petrum imitatus nimium de se confidat, orare diligenter Deum, ut à tanto animæ suæ periculo divina bonitate liberetur. Cæterum illud assidue repetendum est, ne quis ita præcise deprecetur periculum: quin Deo rem totam permittat paratus obedienter, quicquid ille pararit, perpeti. Christus igitur hujusmodi de causis sic orandi salubre nobis exemplum præbuit, sed ab ipso tamen longius abfuit talis orandi necessitas, quam cœlum distat à terra. Neque enim quà Deus erat, mi-
Johan. 10. nor erat, quam Pater. Qua Deus erat, sicuti
Philip. 2. potestas eadem, sic & voluntas eadem erat cum
Johan. 5. Patre. Verum qua fuit homo, potestas infi-
Johan. 14. Matth. 11. & ult. nito minor: sed à Patre tradita tandem omnis ei potestas est, in cœlo simul & in terra. Voluntas vèro ut non eadem illi cum Patre, quatenus homo fuit: ita Patris voluntati sic omnino conformis, ut nulla in re dissentiens reperiretur. Itaque mortem illam amarissimam animæ ratio voluntati Patris obediens consentit ferre, dum (ut hominem se monstraret) corporis eam sensus exhorret. Oratio ejus ad vivum utrumque simul expressit. Pater (inquit) si vis, transfer calicem istum à me: veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.

At non verbis tamen ista tam luculenter expressit, quam factis. Nam quam non refugerit ejus ratio tam horrendum supplicium, sed
Phil. 2. obediens Patri fuerit usque ad mortem, mortem autem crucis: series Passionis edocuit. Quam vehementem vero sensus pertulit imminentis passionis horrorem, Evangelii verba, quæ jam sequuntur, ostendunt.

Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum.

Quam vehementem fuisse censes ejus mentis angustiam, quum ad eum confortandum Angelus veniret è cœlo? Sed ex hoc loco subigor, ut admirer, quæ malæ teneant illos intemperies, qui frustra facturum contendunt, quisquis aut Angelum quenquam, aut vita functum sanctum Precatorem sibi cupiat adhibere, propterea videlicet, quod Deum ipsum precari fidenter possumus: qui & præsentior est nobis unus, quam omnes Angeli, & Sancti præterea simul universi, & plus nobis potest conferre, & multo magis etiam cupit, quam quicquid est præterea Sanctorum quicquam in cœlo. Hujusmodi rationibus, frivolis, & plane nihili, Sanctorum invidentes gloriæ, & pariter Sanctis invisi, & nostrum in eos affectum pium, & eorum erga nos salutare subsidium student amoliri. Quid ni hic similiter argumententur improci, Angeli istius operam consolatoriam erga Servatorem Christum inanem prorsus & supervacaneam esse? Quis enim Angelorum omnium aut tantum potuit, quantum potuit ipse, aut tam vicinus ei fuit, quam Deus, qui fuit ipse? Et tamen sicut tristari voluit pro nobis & anxius esse: sic & pro nobis voluit Angelum consolatorem admittere, ut & hominibus istis argumenta nugacia retunderet, & hominem sese verum declararet. Cui sicut Diaboli tentantis Triumphatori Angeli mini- Matth. 4.
strarant ut Deo: sic ad mortem humiliter tendenti Angelus accederet jam consolator, ut homini: & spem præterea faceret, si Deum comprecemur in periculo, consolatione non destituendos, modo ne segniter precemur, & perfunctorie, sed ex intimo corde proferentes suspiria, precantem hoc loco Christum imitemur. Nam factus in agonia prolixius orabat, Lucæ 22.
& factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

Affirmant plerique Doctores acerbiorem fuisse passionem Christi pro nobis, quam ulla fuerit unquam martyrum usquam omnium, qui pro fide tulere martyrium. Sunt contra qui non putent propter varia quædam alia suppliciorum genera, & pluribus diebus repetita tormenta, quam Christo Servatori nostro, vel adhibita fuerint vel prolongata; Tum, cujus una gutta tam pretiosi sanguinis, propter infinitam ejus Deitatem, ad redimendos omnes homines abunde superque suffecisset: ei pœnam putant à Deo destinatam tantam, non quantam alius usquam aliquis passus est, sed quantam impenetrabili ejus sapientiæ visum est convenire. Cujus modum ut nemini satis compertum, ita citra præjudicium fidei credi posse censent infra quorundam martyrum pœnam substitisse. At mihi certè præter vulgatam opinionem Ecclesiæ, quæ Hieremiæ verba de Hierusalem decenter ad Christum applicat: O vos omnes qui transitis per viam, atten- Thren. 1.
dite & videte, si est dolor, sicut dolor meus, vel hic locus vehementer suadet, ut credam, nullius unquam martyris supplicium cum passione Christi, ipsa pœnarum acerbitate comparabile.

Equi-

Equidem si fateret (id quod idoneis de causis non necesse habeo) cuipiam ex martyribus adhibita fuisse & plura & majora tormentorum genera, adde etiam, si placet, diuturniora, quam Christo: videtur tamen mihi perquam credibile sub tormentis in speciem valde minoribus atrociorem pœnam Christum pertulisse, quam eorum quisquam senserit, ea passus, quæ videri possint multo molestiora, quum eum videam ex impendentis Passionis angustia tanta mentis amaritudine perculsum, quanta nullus mortalium unquam omnium expectatione tormentorum fuit. Cujus enim unquam tam acerba fuit anxietas, ut toto ex corpore guttatim in terram sanguineus sudor efflueret? Inde igitur præsentis pœnæ magnitudinem metior, quod adventantis ejus præsensionem supra quam ulli unquam alii fuit, fuisse Christo tam acerbam video. At nec animi valuisset unquam in id vigoris anxietas invalescere, ut corpus sudaret sanguinem: nisi ultronea ipsius voluntate omnipotens ejus divinitas non modo minuisset, sed & vires præterea roburque tantæ addidisset angustiæ, quo & futurorum martyrum fundendum in terra sanguinem figuraret, & simul eos, qui ad supplicii meditationem trepidaturi forent, ne timorem suum ruinæ præsagium interpretantes desperatione succumberent, tam novo, tam miro, tam immensæ anxietatis exemplo solaretur. Hic si quis rursus martyres illos proferat, qui ob Christi fidem alacres ultro sese offerebant in mortem, eosque demum triumphali dignos lauro censeat, quod lætitia superante dolorem nulla tristitiæ signa, nulla timoris argumenta protulerint: in ea re profecto ad judicium suum licebit, adscribat & meum, modo ne triumphum istis quoque deneget, qui quanquam non ultro properant, apprehensi tamen, neque renituntur neque retrocedunt: sed quanquam timentes & anxii, nihilominus ob amorem Christi, quicquid exhorrent, ferunt. Quod si majorem illis contendat quispiam, quàm his tributam gloriam: per me licebit, secum contendat solus. Sat est enim mihi, quod uterque in cœlo habet tantam,
1. Cor. 2. quantam dum viveret, nec viderat ejus oculus, nec auris audierat, nec in cor ejus ascenderat. Etenim quisquis in cœlo præfertur, ei non alius invidet, imo quilibet potius propter amorem mutuum cujusque gloria fruitur. Adhæc quem cui gloria præferat in cœlo Deus, nobis in hac mortalitatis caligine palpitantibus haudquaquam puto satis inclarescere.
2. Cor. 9. Nam ut hilarem Datorem (fateor) diligit Deus, ita Tobiam dilexisse non dubitem, nec item beatum Job: quorum ut uterque fortiter ac patienter calamitatem tulit: ita (quod sciam) neuter adplausit admodum, aut exultavit alacriter.

Offerre se pro Christo morti, quum res aperte postulat, aut quum occulte stimulat Deus: egregiæ virtutis opus esse non nego. Alioqui vero nec satis tutum reor, & præcipua ex his columina, qui sponte pro Christo sunt passi, timuisse multum, fuisse vehementer anxios, nec semel ante se subduxisse morti reperimus, quam postea tamen fortiter adierunt. At nec Deum posse inficior, & facere aliquando confiteor (nunc piis id tribuens anteactæ vitæ laboribus, nunc mera benignitate gratificans) ut animum martyris totum sic impleat gaudio: ut non modo molestas illas anxietates opprimat, sed & eas quoque, quas Stoici Pro-Passiones appellant, & quibus factiosos sapientes suos omnino fatentur obnoxios, sic eminus arceat, ut non permittat accedere. Hieron. in Matt. 5. Qui viderit

Etenim quum sæpe videamus accidere, ut in pugna quidam vulnera sua non sentiant, donec animus, quem vehemens abduxerat affectio quæpiam, reversus advertat damnum: non est quod dubitem, tanta propinquantis gloriæ spe gestientem animum posse sic efferri supra se, ut neque mortem metuat, neque supplicia sentiat: Et tamen si cui donum hoc dederit Deus, ego certe vel gratuitam felicitatem potius, vel præteritæ virtutis præmium vocaverim, quàm futuræ mercedis materiam. Nam mercedem crediderim toleratæ pro Christo pœnæ respondere, nisi quod eam Dei liberalitas mensura tam bona, tam conferta, tam coagitata, tam superfluente retribuit: ut Luc 6. non sint ullo pacto condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in illis, qui tam impense dilexerunt Deum: Rom. 9. ut ejus gloriæ tanta mentis angustia, tanto cruciatu corporis sanguinem & vitam impenderint. Quid quod interdum pro sua bonitate Deus quibusdam adimit metum, non quod magis eorum approbet, ac remuneret audaciam: sed quod talem eorum novit imbecillitatem, ut timori suo ferendo pares non essent futuri. Etenim nonnulli succubuerunt metu, qui postea tamen inflicta tormenta vicerunt. Jam quod attinet ad animandos alios eorum exemplo, qui mortem ferunt alacriter: non abnuerim, id multis esse perutile. Sed rursus quoniam plerique omnes sumus ad ingruentem mortem timidi, quis nosse potest, quam multis prosint & hi, quos quum anxios ad mortem videmus & pavidos: cernimus tamen per objectos, & obstantes illos tædii, pavoris, angustiæ plusquam adamantinos obices fortiter penetrare, & effractis istis ferreis repagulis, triumphata morte cœlum violenter irrumpere? An non hi pusillis & timidulis homuncionibus ipsorum videlicet similibus vehementer addunt animum, ne incumbente persecutione succumbant, quanquam sibi magnam sentiant tristitiam, timorem, tædium, & diræ mortis horrorem suboriri? Provida igitur Dei sapientia, quæ penetrat omnia fortiter, & disponit cuncta suaviter, præsenti contemplans intuitu, quo modo, quibus in locis affectæ sint mentes hominum, hujus aut illius sortis exempla, prout maxime conductura videt, temporibus & locis accommodat. Sic pro Matth. 11.

sua

sua providentia Martyrum suorum affectus temperat, ut alius alacer ad mortem provolet, alius cunctanter & timidè prorepat, nec tamen minus fortiter mortem præferat, nisi quis ideo forte minus fortis haberi debet, quod præter debellatos inimicos reliquos, suum etiam ipsius tædium, tristitiam, timorem, fortissimos affectus, & potentissimos hostes expugnat. Cæterum disputatio præsens tota huc denique tendit, ut sanctissimorum Martyrum utrumque genus admiremur, utrumque veneremur, in utroque laudemus Deum, utrumque, quum res postulat, pro suo quisque captu (prout gratiam dederit Deus) imitemur. At is, qui se sentit alacrem, non tam solari habet, ut audeat: quam moneri fortassis
Matt.27. ut metuat, ne Petri more nimium de se præsumens subito relabatur & corruat. At qui se sentit anxium, mœstum, timidum, ei nimirum ut exporrigat animum, adhibenda consolatio est.

Utrique hæc anxietas Christi perquam salutaris est, alteri ut nimis gestientem animum reprimat, alteri ut nimis abjectum & prostratum erigat in bonam spem. Nam si quis animum sibi ferocientem sentit & timidum, hic, quum tam humilem recordabitur & anxium hunc Imperatoris sui habitum, merito fortasse verebitur, ne paulisper eum callidus hostis elevet in sublime, quo paulo post fortius allidat in terram. At qui nimium conteritur anxiis & meticulosis affectibus, sibique misere timet, ne desperatione succumbat: hanc agoniam Christi respiciat, hanc assidue meditetur, ac ruminet, ex hoc fonte salutares haustus consolationis ingurgitet. Nam hic videbit Pastorem
Lucæ 10. pium, oviculam imbecillam in humeros suos attollere, ipsius personam gerere, ipsius affectus exprimere: ut inde sumat audaciam, nec sibi desperandum putet, quisquis inposterum turbari se similibus sentit affectibus. Agamus igitur illi gratias quam magnas possumus (nam meritas certe non possum⁹) & in agoniis nostris ipsius agoniæ memores (cui nulla fuit unquam agonia comparabilis) obnixe precemur eum, ut suæ anxietatis intuitu solari nos dignetur in nostro, & quum per illum liberari periculo prementis angustiæ vehementer petimus, imitantes tamen ipsius exemplum longe saluberrimum, petitionem nostram ipsius adjectione claudamus.

Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Hæc si sedulo fecerimus, nihil omnino du-
Matt.27. bitem, quin ut ipsi sic oranti consolatio venit ab Angelo: sic & nobis per Angelum cujusque suum consolatio ab ipsius adferetur Spiritu, quæ nos ad ea duranda firmabit, per quæ subvehemur in cœlum. Nam ut ejus rei nobis certam præberet fiduciam Christus, eodem ordine, eadem via nos illuc antecessit. Siquidem post diu perpessam agoniam istam, sic animo refectus est, ut surgens revisis Apostolis traditori & tortoribus ad passionem se quæ-
Luc. ult. rentibus ultro prodiret obviam. Deinde passus (ut oportuit) introivit in gloriam suam, lo- Johan. 14.
cum nimirum nobis ejus vestigia sequentibus 1. Petr. 2.
ibidem paraturus, quo ne nostra nos socordia frustretur, ipse propter agoniam suam nos in agone nostro dignetur adjuvare.

Et quum surrexisset ab oratione, & venisset ad Discipulos suos invenit eos dormientes præ tristitia, & ait illis: Quid dormitis? Dormite jam & requiescite. Sufficit, surgite & orate, ne intretis in tentationem. Ecce appropinquavit hora, & filius hominis traditur in manus peccatorum. Surgite, eamus. Ecce qui me tradet, prope est.

Ecce, jam tertio revisente Christo somno sepultos Apostolos, quos sustinere secum, & impendente periculo precibus invigilare mandaverat, dum traditor interim Judas ita totus in prodendo Domino vigili cura versatur, ut ne cogitandi quidem de somno ullus illi sit relictus locus. An non in hac disparitate traditoris & Apostolorum nobis jam inde succedentium ad nostram usque ætatem temporum velut in speculo quodam figura non minus clara, quam tristis & horrenda relucet? Cur non hic contemplentur Episcopi somnolentiam suam? qui sicut in Apostolorum succedunt locum, sic utinam virtutes eorum perinde nobis referrent, ut & authoritatem libenter amplectuntur, & ignavam istam illorum dormitantiam repræsentant. Nam plerique serendis in populo virtutibus & asserendæ veritati dormiunt: dum inimici Christi serendis vitiis, eradicandæ fidei, hoc est, quoad in ipsis est, apprehendendo Christo, iterumque crudeliter crucifigendo pervigilant, tanto sunt (ut Christus ait) prudentiores filiis lucis filii tenebrarum in generatione sua. Cæterum hæc similitudo dormientium Apostolorum, quanquam valde competit in hoc Episcopos, qui dum virtus & fides veniunt in discrimen, dormiunt: non omnibus tamen hujusmodi Præsulibus usquequaque convenit. Nam sunt ex his (heu) multo plures quam vellem, qui non præ tristitia (sicut Apostolis accidit) mœsti labuntur in somnum: sed sopiti & sepulti perniciosis affectibus, nempe dæmonis, carnis, & mundi inusto ebrii, velut sues in cœnum se provolventes, indormiunt. Enimvero laudandi fuit affectus, quod in Magistri sui periculo tristabantur Apostoli: verum quod tristitia sic superati sunt, ut totos se somno dederint, id certe vitium fuit. Quin mœrere quoque pereunte mundo, & aliorum illachrymare flagitiis, piæ mentis esse sensit, qui dixit: Sedebam solitarius, & gemebam. Et qui item illud: Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Hujus itaque generis tristitiam in ea parte posuerim, de qua dicit.

Sed ita tamen posuerim, si affectum illum quantumvis bonum præses infrenet ratio. Nam alioqui si sic perstringat animum dolor, ut oppresso vigore mentis ratio remittat habenas, ac sicut ignavus gubernator navis ad fragorem tempestatis animo concidens temonem dese-

deserit, atque in angulum quempiam tristis semet abjiciens, puppim permittit fluctibus, sic Episcopus mœstitiæ suæ somno superatus ea relinquat infecta, quæ in salutem gregis, officii sui locus efflagitat: hanc ego certe tristitiam conferre & comparare non dubitem cum ea tristitia quæ ducit, ut ait, ad infernum, imo adeo longe postposuerim, quoniam in re divina speciem quandam habet animi desperantis de Deo.

Proximum huic generi locum tenent, sed multo deteriorem, quos non ob aliorum pericula dejicit mœstitudo, sed mali timor inferendi sibi, id est, timor etiam ipse tanto nequior, quanto magis contemni debet, quod metuitur, nempe quum non capitis res agitur, sed pecuniæ. Et tamen ipsius corporis jacturam jubet Christus ipsius causa contemni. Ne terreamini (inquit) ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: Timete eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. Et quum hoc in commune præcipiat omnibus, quando deprehensis nullum patet effugium, Præsulum honori seorsum onus injungit amplius, utpote quos non de sua duntaxat anima sinit esse solicitos, nec tantisper in silentio delitescere, donec protracti cogantur aut palam fateri quod sentiunt, aut dissimulare mendacio: sed si creditum sibi gregem videant in periculo, prodire voluit eos, & dum gregi prosint, periculis ultro semetipsos offerre. Bonus pastor, inquit Christus, animam suam ponit pro ovibus suis. Quod si bonus quisque pastor animam suam ponit pro ovibus suis, certe qui cum ovium damno animæ suæ parcit, bonum pastorem non agit. Quamobrem sicut qui perdit animam pro Christo (pro Christo enim perdit, qui mandato Christi perdit pro grege) in vitam æternam custodit eam: sic qui Christum negando (negat enim, qui in damnum gregis conticescens, veritatem non fatetur) hic animam servando, plane pergit perdere. Quanto magis, si subactus metu, verbis etiam neget & desciscat publice? Tales cum Petro non dormiunt, sed cum Petro vigilantes pernegant: sed respiciente eos Christo per ejus plerique gratiam delictum illud aliquando fletu salutifero deleturi, si modo respicienti & ad pœnitentiam familiariter invitanti Christo, verborum ejus memores, & passionem contemplantes, exeuntesque foras ab his malorum pedicis quæ eos peccatis incluserant, cordis amaritudine & conversione respondeant. Cæterum si quis usque adeo malitia invalescat, ut non metu veritatem taceat, sed cum Arrio, Arriique similibus doctrinam falsam vel quæstu turpi, vel ambitione pestilenti prædicet: hic non cum Petro dormit, neque cum Petro denegat, sed cum Juda scelerato vigilat, Christumque cum Juda persequitur. Hujus igitur quam sit supra cæteros valde periculosa conditio, Judæ nimirum docet tristis & horrendus exitus.

Matth. 10.

At quum sit misericordis Dei nullo fine clausa benignitas, nec isti quidem peccatorum generi venia desperanda est. Multas etiam Judæ resipiscendi præbuit ansas Deus. E conviciu suo non ejecit, non Apostolatus ademit dignitatem. At neque loculos ei, quanquam fur erat, abstulit. Ultima in Cœna dilectis Discipulis traditorem admisit socium. Ad pedes proditoris procumbere dignatus est & sordidos ejus pedes sordidissimæ menti simillimos manibus suis innocuis & sacrosanctis abluere. Ad hæc incomparabili bonitate sub forma panis edendum præbuit illud ipsum corpus suum, quod proditor jam vendiderat: bibendumque sub vini specie dedit illum sanguinem, quem traditor interea dum bibit, per scelus meditatur effundere.

Johan. 13. Matt. 26.

Postremo verò venientem cum satellitio ad se comprehendendum & osculum offerentem, osculum, inquam proditionis abominandæ tesseram mansuetus & mitis admisit. Quis non crederet, quidvis horum omnium traditoris animum quantumvis addictum sceleri, ad saniora consilia potuisse flectere? Quin & illud initium pœnitendi, quum se peccasse fateretur, & referret argenteos, quumque non reciperentur, abjiceret, simulque se clamaret traditorem, & sanguinem diceret etiam justum tradidisse: hactenus profecto Servatorem illi Christum crediderim suggessisse, ut fieri posset, hoc est, si proditioni proditor desperationem non adjiceret, illum etiam ipsum servaret ab interitu, à quo tam recenter ipse tam perfide prodebatur ad mortem. Ergo quum tam multis modis Deus ipsius etiam Judæ quanquam proditoris ex Apostolo facti, valde tamen se misertum probet, tam sæpe invitarit ad veniam, nec nisi per solam desperationem perire passus est: certe de quoquam imitatore Judæ non est quod hac in vita quisquam debeat desperare. Imo secundum illud Apostoli sanctum consilium quum ait: Orate pro invicem, ut salvemini: Si quem videamus à victa recta vehementer aberrare, rediturum aliquando in semitam speremus, supplicesque interea sedulo precemur, ut resipiscendi & Deus ei ansas porrigat, & ille pariter ad hoc juvante Deo porrectas arripiat avidè, arreptas teneat, & neque per malitiam abjiciat, neque per segniciem miserè patiatur elabi. Dormientes igitur, quum jam tertio Christus invenisset Apostolos, ait illis: Quid dormitis? tanquam diceret: Non est nunc dormiendi tempus, sed vigilandi necessarium tempus est, & orandi, cujus ego rei tam recenter bis modo vos admonui. Qui quum secunda vice dormientes inventi nesciebant, quid responderent ei, nunc in eadem culpa tam cito deprehensi tertio, quid excusationis idoneæ potuissent comminisci? An quod Evangelista commemorat, eo se poterant excusare, videlicet si dixissent dormire se præ tristitia? At id commemorat quidem

Jacob 5. Matt. 26.

Lucas; Verum enimvero non laudat. Tristitiam tamen eorum insinuat fuisse (sicut erat cert) laudabilem. At non vitio tamen somnus inde sequens caruit. Etenim tristitia quæ sit ejus generis ut magni sit præmii capax, in magnum aliquando malum tendit, utique si nos sic absorbeat, ut eam reddamus inutilem, dum non ad Deum votis & oratione recurrimus consolari petentes ab ipso: sed quadam animi dejecti ac desperantis imagine velut refugientes tristitiæ nostræ sensum, solamen aucupamur à somno, neque tamen, quod venamur, assequimur somno, consolatione perdita quam vigilibus precibus impetrare potuissemus à Deo, mentis anxiæ molestum pondus sub ipso etiam somno sentimus, pariterque in tentationes, & diaboli structas insidias oculis clausis impingimus. Christus igitur velut omnem hujus dormitantiæ defensionem præscindens, Quid dormitis, inquit? Dormite jam & requiescite. Sufficit, surgite, & orate, ne intretis in tentationem.
Matt. 26. Ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce, qui me tradet, prope est. Et adhuc Jesu loquente, ecce Judas Iscariotis, &c.

Dormitantes Apostolos Christus protinus ut excitavit tertio, Ironia non illa quidem levicula & jocosa, qualibus solent homines dicaces & otiosi ludere, sed seria gravique percelluit: Dormite, inquit, jam & requiescite. Sufficit, surgite & orate, ne intretis in tentationem. Ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce qui me tradet, prope est. Et adhuc eo loquente Judas &c. En sic indulget somnum, ut plane se probet adimere. Nam quum vix dixisset: Dormite, subjunxit illico: Sufficit, quasi dicat: Non est nunc necesse ut dormiatis diutius. Sufficit enim, quod quo maxime tempore vigilare debebatis, hactenus (etiam me vetante) dormitastis. Nunc non modo non dormiendi tempus superest, sed ne sedendi quidem. Sed surgendum vobis est illicet, atque orandum, ut non intretis in tentationem, per quam contingat vobis, ut magno me cum scandalo deseratis. Nam alioqui quod ad somnum attinet, dormite jam & requiescite, per me licebit, videlicet, si potestis. Sed certe non poteritis. Nam adventant prope, & tantum non adsunt, qui somnum istum oscitantibus vobis excutient. Ecce enim appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum, & ecce qui me tradet, prope est. Quumque tam pauca vix eos admoneret, adhuc eo loquente, ecce Judas Iscariotis, &c.

Non sum nescius, è viris eruditis & sanctis aliquos expositionem istam non admittere, quam tamen aliis & eruditis simul & sanctis placuisse confitentur. Nec horrent tamen illud Ironiæ genus: quod alii quidam faciunt pii quidem & illi, sed in loquendi figuris, quas è vulgari sermone sumptas habet in usu Scriptura sacra, non satis exercitati. Nam alioqui tam sæpe reperissent alibi, ut hoc in loco non posset offendere. Quid enim illa Ironia falsius ac facetius, qua beatus Apostolus lepide perstringat Corinthios, petens videlicet veniam, quod eorum neminem sumptu vel impensa gravaverat? Quid est enim quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos? Donate mihi hanc injuriam. Quid 2. Cor. 12.
illa Ironia fortius aut mordacius, qua Propheta Dei Prophetas Baal surdam ejus statuam inclamantes irrisit? Clamate (inquit) altius, nam 3. Reg. 18.
Deus vester dormit, aut aliquo fortassis peregrinatus est. Hæc adferre libuit obiter propter eos, qui pia quadam simplicitate non ferentes in Scriptura sacra, vel certe non advertentes usitatas illas passim loquendi formas, dum deflectunt à figura sermonis, à genuino pariter Scripturæ sensu perquam frequenter aberrant. Cæterum hoc in loco D. Augustinus non displicere sibi dicit interpretationem illam, quam Augustin.
attuli, sed non esse necessariam. Simplicem enim sermonem citra figuram sufficere. Quod ut doceat, eundem locum sic interpretatur ipse in eo opere quod scripsit de concordia Evangelistarum. Videtur, inquit, hic sermo secundum Matthæum sibi ipse esse contrarius. Quomodo enim dixit; Dormite jam & requiescite, quum connectat: Surgite, eamus; Qua velut repugnantia commoti quidam conantur ita pronunciare, quod dictum est: Dormite jam & requiescite, tanquam ab exprobrante, non à permittente sit dictum. Quod rectè fieret, si esset necesse. Quum vero Marcus ita commemoraverit, ut quum dixisset: Dormite jam & requiescite, adjungeret: Sufficit, & deinde inferret: Venit hora, ecce tradetur filius hominis, utique intelligitur post illud, quod eis dictum est: Dormite & requiescite, siluisse Dominum aliquantum, ut hoc fieret, quod permiserat, & tunc intulisse: Ecce appropinquavit hora. Propter quod secundum Marcum positum est: Sufficit, id est, quod jam requievistis. Acute quidem ista beatissimus Augustinus: ut omnia, verum qui diversam viam secuti sunt, his opinor non visum probabile, quod Christus, qui bis jam increpaverat, quod instante sua captione dormiebant, protinus ubi sugillando dixisset; Quid dormitis, dormiendi tempus indulserit tum præsertim, quum propter quod prius abstinere somno debuerint, id nunc tam prope pro foribus (ut ajunt) ingrueret. Verum utraque nunc interpretatione proposita sequi fas erit cuique, utram visum fuerit. Ego tantum utramque recensere statui, non item sententiam meam (qui nihil sum) velut arbiter honorarius interponere.

Surgite, & orate, ut non intretis in tentationem.

Prius vigilare jussit & orare, nunc ubi bis experti sunt per sedendi segnitiem somnum sibi surrepere: adversus ignavum illum somnolentiæ morbum præsentaneum docet remedium, surgere. Quod remedii genus velut ab ipso Servatore traditum, utinam vel interdum

dum per intempestam noctem liberet experiri. Hic enim non illud modo comperiremus verum, quod (ut ait Horatius) dimidium facti qui cœpit, habet: sed etiam quod qui cœpit, illicet habet totum. Nam quum adversus somnum conflicturi sumus, prima coitio semper est acerrima. Itaque non est lucta sensim superandus somnus, sed illecebrosa brachia, quibus nos amplectitur & reclinat, semel impetu divellenda sunt, nobisque protinus ab eo proruendum. Tum vero, ubi semel somnum desidem, mortis videlicet imaginem rejecerimus: vitæ succedet alacritas. Tum si meditationi nos & orationi dederimus, in opaco illo noctis silentio collectus animus longe se capaciorem sentiet consolationis divinæ: quum diurno strepitu tot circumfusa negotia, oculos, aures & mentem distrahunt & in varia non minus vana quam diversa dispergunt. Sed ô Christe salutifer, quum nonnunquam nobis de re quapiam levicula, quæ quidem ad mundum pertinet, cogitatio sic interrumpat somnum, ut longo tempore teneat vigiles, ac vix aliquando sinat redormiscere: adversus tam immensam animæ procurandam frugem, inter tot dispositas pestilentis hostis insidias, in tanto pereundi periculo non expergiscimur ad orandum, sed somnia speculantes mandragoræ indormimus. At illud nobis assidue memorandum est, quod non simpliciter Christus jussit surgere, sed surgentes jussit orare. Neque enim sufficit surgere, nisi surgamus ad bonum. Alioquin enim minus peccet, si quis tempus perderet ignava somnolentia: quam si tempus per malitiam vigilem sedulo flagitiis impenderet. At nec orare quidem tantum jubet, sed etiam cum orandi necessitate docet quid orare debebant: Orate, inquit, ne intretis in tentationem. Hoc unum iterum atque iterum inculcavit eis: orationem adversus tentationem unicum esse præsidium, quod quisquis in arcem animæ non admittit, sed somno se dedens excludit, obsidentis eam diaboli satellites, tentationes videlicet malas per inertiam sinit irrumpere. Ter & illos orare verbis monuit: tum ne verbo tantum docuisse videretur, ut simul doceret exemplo, ter oravit & ipse, nimirum illud insinuans, orandam esse Trinitatem nobis. Patrem scilicet ingenitum, genitumque ab eo coëqualem filium, & utrique comparem, procedentem ab utroque Spiritum. Ab illis tribus oranda pariter tria: nempe de præteritis veniam, ad tractanda præsentia gratiam, & adversus futura cautelam. Verum hæc non segniter & oscitanter oranda, sed incessanter & fervide. A quo precandi modo plerique omnes quam nunc procul absumus, & sua privatim quemque docet conscientia, & Deum precor, ne paulatim publice minor minorque quotidie proveniens ab oratione fructus ostendat. Veruntamen quoniam paulo jam ante eam partem, quam potui, vehementer incubui, ut id genus orationis incesserem, quæ non attentum habet animum, sed mobilem & in multa vagantem, ne immitis in morem chirurgi videar ulcus tam vulgare nimis inclementer attingere, multisque tenerioris animi mortalibus non medicinam adferre, sed dolorem & spem consequendæ salutis adimere: libet è Gersone malagma proferre, quod leniat. Utitur enim is ad curandos animæ phlegmones anxios lenientibus quibusdam rebus, quæ medicinis illis proportione respondeant, quas ad mitigandos corporis dolores Medici vocant anodyna. Johannes ergo Gerson vir eruditionis eximiæ, & mitissimus attrectator afflictæ conscientiæ, quum aliquos, opinor, videret, quos mentis illa distractio tam valde habuit anxios, ut singula subinde verba suarum precum molesta quadam battologia repeterent, neque tamen quicquam proficerent, interdum etiam tertia vice, quam prima plus sua sibi displiceret oratio, quo fiebat, ut concepto tædio omnem orandi consolationem perderent, aliquibus etiam precandi consuetudinem velut inutilem se precantibus, aut etiam quod verebantur noxiam, relicturis: homo, inquam, pius quo tam anxiam illis molestiam mitigaret, tria quædam in precando notavit: actum, virtutem, habitum. Cæterum quo, quid volebat, redderet dilucidius, rem proponit per exemplum ejus, qui ad sanct. Jacobum peregre proficiscitur ex Gallia. Nam is interdum & pergit in itinere, & simul secum de Divo illo & instituto suo meditatur. Hic toto igitur hoc tempore peregrinationem suam dupliciter actu continuat, nempe (ut Gersonis ipsius verbis utar) continuitate naturæ & continuitate moris: naturæ, quia actu, hoc est, ipsa re versus illum locum progreditur moris: quia versatur ejus cogitatio circa peregrinationis suæ materiam. Morem enim appellat moralem illam formam, qua proficiscendi actus alioqui de se indifferens, ex pia profectionis causa perficitur. Interdum vero se promovet in via sua, quum alias res animo versans, neque de Sancto, neque de loco quicquam interea cogitat, cogitans fortasse sanctiora veluti de Deo ipso. Jam naturæ actu peregrinationem continuat, moris vero non item. Neque enim ut actu pedem promovet, sic actu quoque de causa cogitat, ob quam proficiscitur, ut nec ipsa fortasse de via. Sed quanquam non actu moris peregrinationem suam, moris tamen virtutem continuat. Totum enim hunc actum ambulandi naturalem, pium ab initio propositum tacite concomitans, morali virtute imbuit & informat, quandoquidem à prima illa voluntate totus hic motus sequitur, sicut ab impulsu primo retracta manu jactus procurrit lapis.

Gerson.

Nonnunquam vero adest actus moris, quum non actus naturæ, nempe quoties de peregrinatione cogitat sedens fortasse, non ambulans. Frequenter denique actus uterque subtrahitur: utpote dum Dominus, quum neque naturæ actu peregrinus ambulat,

neque moris actu quicquam de peregrinatione cogitat, interea tamen virtus moris nullo rejecta proposito remanet & persistit in habitu. Nunquam igitur vere rumpitur hæc peregrinatio, quin habitu saltem perduret ac perseveret ad meritum: nisi quum contraria voluntas opponitur, aut peregrinationis deserendæ penitus, aut in aliud saltem tempus differendæ. Hæc igitur similitudine peregrinationis paria de Oratione concludit, eam videlicet, ex quo semel adhibita cum attentione cœpta est, nunquam postea sic iterrumpi posse, quin primi propositi virtus maneat ac perduret assiduè, actu videlicet aut habitu, quamdiu nec apposita voluntate desinendi relinquitur, nec opposito mortali peccato perimitur. Hinc citra figuram ullam sermone puro & simplici
Lucæ 19. dictum ait illud à Christo: Oportet semper
1. Thess. 5. orare, & non deficere, vereque item & simpliciter ad verbum à bonis hominibus impleri. Quam sententiam suam trito illo Doctorum adagio confirmat: Qui bene vivit, semper orat, nempe quod is qui ex Apostoli præscripto omnia facit in gloriam Dei, semel attente cœptam orationem nunquam post interrumpat sic, quo minus ejus virtus ad meritum, quanquam non actu, habitu tamen permaneat.

Hæc vir eruditissimus idemque optimus Johannes Gerson in eo tradit opusculo, quod de oratione & ejus valore composuit: sed ita tamen tradit, ut eis ista velit esse solatio, qui minus anxiè tristantur quod inter orandum animus auferatur incautis, quum sedulo conentur attendere, non ut alii falsa sibi persuasione blandiantur, quasi tuti sint, quum cogitare de precibus secura supinitate non curant. Nam quum tantam rem tam negligenter agimus, preces quidem dicimus, sed non precamur, neque (quod ante dixi) Deum nobis reddimus propitium, sed iratum procul avertimus. Siquidem quis miretur, si indignetur Deus, quum tam contemptim se ab homuncione cernit appellari? Quomodo enim Deum non adit & appellat contemptim, qui Deo dicit: Exaudi Deus orationem meam, quum animo interim in alias res inanes & nugaces, atque utinam non interdum impias aversο, suam ipse vocem non exaudiat: sed dictatas preces usu tritas inscius & ignarus immurmurans (ut ait Maro) dat fine mente sonum. Itaque sic plerumque dicta oratione discedimus: ut alia oratione protinus egeamus, qua de prioris oscitantia precemur veniam. Christus igitur quum Apostolis diceret: Surgite & orate, ne intretis in tentationem, ut ostenderet non sufficere somnolentam orationem ac tepidam admonuit illico, quantum impendebat periculi: Ecce (inquit) appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum, perinde ac si diceret: Prædixi vobis ab uno vestrûm me tradendum, exhorruistis ad verbum. Prædixi, Satanam vos, ut velut triticum cribraret, expetere, illud oscitanter audistis, neque enim respondistis quicquam, tanquam ejus tentatio parum formidolosa foret. Ego, ut quam non contemnenda res esset tentatio sentiretis, prædixi fore, ut omnes in me scandalum pateremini. Omnes hoc futurum negastis, ei qui id negavit maxime, prædixi fore, ut priusquam cantaret Gallus, ipse me ter negaret. Institit affirmare non futurum, seque moriturum mecum potius, quam me negaturum. Similiter & omnes dixistis. Ego, ne tentationem rem tam levem duceretis, iterum atque iterum vos vigilare jussi, & orare, ne in tentationem intraretis, & vos tam procul tamen ab æstimanda tentationis violentia semper abfuistis, ut nec orare adversus eam nec vigilare curaveritis, animati fortasse inde ad contemnendas Diabolicæ tentationis vires, quod quum ego vos pridem emisissem binos & binos ad prædicandam fidem, redeuntes renuntiastis mihi, etiam dæmones fuisse subjectos vobis. Sed ego, cui & dæmonum natura simul & vestra penitius est nota quam vobis, quippe qui utramque condidi: vos è vestigio monui, ne in tali vanitate gloriaremini, quum illam subjectionem dæmonum neque vestræ vires effecerint, & aliorum causa, qui vertendi ad fidem erant, ipse fecissem, non vestra: sed solido potius gaudio gloriaremini, quod nomina vestra scripta sint in libro vitæ. Hoc enim ad vos in solidum pertinere, quod illud gaudium semel assecuti non adnitentibus adversus vos dæmonum phalangis omnibus unquam possitis amittere. Sed vobis tamen adversus eos exercita tum potestas sic erexit animos, ut eorum tentationes videamini tanquam res parvi momenti contemnere. Hactenus igitur ad eas, quanquam impensurum prædixi hac ipsa nocte periculum, tamen velut è longinquo spectastis. Nunc vero vos admoneo, non ipsam tantum noctem, sed & ipsam etiam horam adesse. Nam ecce, appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Nunc ergo non est amplius sedendi & dormiendi locus, sed vigilandi necessitas & orandi vix momentum reliquum. Nunc igitur non ut in re futura prædico, sed in re præsenti protinus vobis edico. Surgite, eamus: ecce, qui me tradet, prope est. Si vigilare non vultis ut possitis orare, surgite saltem & abite propere, ne non contingat evadere. Nam, ecce, qui me tradet, prope est. Nisi fortassis ideo potius dixit: Surgite, eamus, non ut timide fugerent: sed ut fidenter occurrerent. Sic enim fecit ipse. Siquidem non in diversam partem se divertit retro, sed simul secum dicto, viam ad se gladiatorio animo affectantibus ultro offert obvium. Talia adhuc loquente Jesu, ecce Judas Iscariothes unus ex duodecim, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus missi à principibus sacerdotum & Scribis & senioribus populi. Etsi nihil potest esse validius ad salutem, & Christiano pectori quodque virtutum genus inserendum, quam si quis pio cum affectu seriem Passionis Christi meditetur: fecerit tamen haud

haud insalubriter qui temporis illius historiam de dormientibus Discipulis, quum traderetur Filius hominis, ad imaginem ac mysterium temporis futuri transtulerit. Etenim Christus ad redimendum hominem vere factus est filius hominis, nempe quanquam sine virili semine conceptus, vere tamen à primis propagatus hominibus, eoque veraciter filius Adæ: ut ipsius posteritatem, parentum culpa perditam, & miseris modis abjectam, in plusquam pristinam felicitatem sua Passione reponeret. Hanc ob rem, quum esset Deus, assidue tamen se (quod erat verus homo) filium vocabat hominis: assidue videlicet nobis insinuans mortis suæ beneficium, ejus naturæ commemoratione, quæ sola mori potuit. Siquidem, quanquam moriebatur Deus, eo moriente qui erat Deus: non tamen subiit mortem ejus Deitas, sed duntaxat humanitas, imo corpus tantum, si naturæ potius vim, quam vocis usum perpendamus. Mori namque dicitur homo, quum anima corpus relinquit mortuum, immortalis ipsa digrediens. Cæterum quando non tantum naturæ nostræ vocabulo delectatus est, sed & naturam nostram ei collibitum est pro nostra salute sumere, postremo vero universos nos, quos Sacramentis salutaribus & fide regenuit, velut in unius corporis compaginem adglutinare sibi, suorum etiam nominum participatione dignatus (sic enim fideles omnes & Deos Scriptura vocat & Christos) non absurde nos facturos putem, si toties timeamus tempus appropinquare, quo Filius hominis Christus tradetur in manus peccatorum: quoties conspicamur imminere periculum, ne in manus impiorum hominum corpus Christi mysticum, Ecclesia Christi, Christianus videlicet populus pessundetur, quam rem nullo jam diu seculo (proh dolor) alicunde non videmus accidere, dum alias alibi, partes alias truculenti Turcæ Christianæ ditionis invadunt, alias intestino dissidio multiplices hæreticorum sectæ dilacerant. Talia ergo ubicunque videmus, aut quantumvis procul audimus exoriri; cogitemus non esse nobis desidendi tempus & dormiendi, sed surgendum esse protinus, & quo modo possumus, si minus aliter, precibus saltem nostris aliorum periculo succurrendum. Nec enim segniter accipienda res est, quia longius absit à nobis. Quippe si Poëtæ Comici valde illa probatur oratio: homo quum sim, humani nihil à me alienum puto: quo non dignum vituperio fuerit, Christianos ad pericula Christianorum stertere? Itaque Christus, ut istud insinuaret nobis, nos eos tantum quos collocarat propius, sed & illos quoque quos longius fecit subsistere, vigilare similiter monuit & orare. Quin si nos aliorum mala, quod absint longius, nihil fortasse commoveant: commoveat saltem nostrum ipsorum periculum. Siquidem habemus metuere, ne pernicies ab illis viam sibi struat ad nos, nempe multis exemplis edocti, quanta sit vis rapide se proruentis incendii, & provolantis pestilentiæ quam formidolosa contagio. Quum igitur inane sit humanum omne præsidium absque malorum depulsore Deo, hujus Evangelici verbi semper meminerimus, semperque putemus, Christum ipsum sua nobis verba rursus ingerere. Quid dormitis? Surgite & orate, ne intretis in tentationem.

Occurrit hic nobis & aliud, quod tum quoque traditur Christus in manus peccatorum, quum sacrosanctum ejus corpus in Sacramento consecratur, & attrectatur ab incestis, flagitiosis, & sacrilegis sacerdotibus. Talia quum videmus accidere (accidunt heu nimium sæpe) ab ipso nobis Christo rursum putemus hoc dici: Quid dormitis? Vigilate, surgite, & orate, ne intretis in tentationem, nam Filius hominis traditur in manus peccatorum. Etenim ab exemplis malorum sacerdotum, vitiorum labes facile dimanat in populum, quantoque minus ii idonei sunt ad impetrandam gratiam, ad quos vigilandi & orandi pro populo spectat officium: tanto nimirum magis opus habet populus, ut vigilet, surgat & impensius oret ipse pro se: nec pro se tantum, sed & pro Presbyteris ejusmodi. Nam ex magno populi bono fuerit, sacerdotes malos fieri meliores.

Denique peculiari quodam modo traditur Christus in manus peccatorum apud ejus sectæ populos, qui quum venerabile Sacramentum Eucharistiæ & recipiunt sæpius & sanctius, videri volunt honorare, quia contra morem publicum sine ulla necessitate, sed non absque magna Ecclesiæ Catholicæ contumelia recipiunt sub utraque specie, receptum tamen sub honoris specie blasphemant, dum & verum alii panem & vinum verum appellant, alii (quòd immanè deterius est) non modo panem & vinum verum, sed etiam merum vocant. Nam verum Christi corpus, cujus id appellant nomine, contineri in Sacramento pernegant. Quam rem quum jam tandem facere instituunt contra Scripturas apertissimas, contra Sanctorum omnium interpretationes planissimas, contra totius Ecclesiæ tot seculorum fidem constantissimam, contra tot miraculorum millibus testatissimam veritatem, qui posteriore isto infidelitatis genere laborant, & è duobus longe deteriore: quantulum precor ab illis absunt, qui Christum ista nocte ceperunt? quantulum ab illis Pilati satellitibus, qui per ludibrium genua coram Christo flectentes velut honorem deferentes insultabant appellantes eum Judæorum regem, ut isti flexis genibus Eucharistiam vocant corpus Christi, quod se fatentur nihil magis credere, quam Pilati milites Christum crediderunt regem. Quoties igitur audimus ejusmodi mala populis aliis quantumvis procul dissitis accidere: Christum protinus nobis putemus ingerere: Quid dormitis? surgite & orate, ne intretis in tentationem. Siquidem ubicunque hodie pestis illa desævit acerbissimè, non universos una die morbus arripuit: sed mora sensim

Eucharistia.

invalescente contagio, dum ii quoque qui initio abominantur, post audire sustinentes aspernantur segnius, deinde pravas confabulationes ferunt, post & auferuntur, Cancri in morem (ut ait Apostolus) serpens morbus totam postremo patriam occupat. Vigilemus ergo, surgamus & oremus assidue; & ut illi resipiscant propere, quotquot ad hunc modum misere Satanæ deceptione desipiunt: & nos ne patiatur unquam Deus in ejusmodi genus tentationis intrare, neve Diabolum unquam sinat ad littora nostra procellas istius suæ tempestatis obvolvere. Sed hactenus in hæc mysteria digressi, redeamus nunc ad historiam.

Judas ergo, quum accepisset cohortem à Pontificibus, & à Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis & facibus. Et adhuc Jesu loquente, ecce, Judas Iscariothes unus ex duodecim, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus missi à principibus sacerdotum & Scribis Senioribus populi. Dederat autem traditor eis signum.

Cohortem, quam Evangelistæ commemorant proditori traditam à Pontificibus, ego Romanam crediderim Pontificibus à Pilato permissam, cui cohorti suos ipsorum ministros Pharisæi, Scribæ & populi Seniores adjunxerant, aut non satis fidentes Præsidis militibus, aut etiam juvantes numero, ne quo subitario tumultu per noctem exorto Christus eriperetur aut (quod illi fortassis affectabant præterea) ut nullo per tenebras elabente, cuncti pariter Apostoli comprehenderentur. Cujus propositi ne compotes esse possent, ejus ipsius fecit potentia: qui ideo captus est ipse, quia solus apprehendi voluit. Fumidas accendunt faces & lucis malignæ lucernas, quibus illustrem justitiæ Solem possent per tenebras peccatorum cernere: non ut ab illius illuminarentur lumine, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: sed ut æternum lumen ejus quod obscurari non potest, extinguerent: missi videlicet similes mittentium, qui propter traditiones suas obruere laborabant legem Dei. Quorum per vestigia Christum etiamnum persequuntur illi, quicunque in suam gloriam satagunt divinę glorię splendorem obumbrare. Sed dignum est hoc loco diligenter advertere assidue se vertentem humanarum rerum vicissitudinem. Nam non toti jam sex dies præterierant, ex quo & gentes ob insignia Christi miracula cum tanta vitæ sanctitate juncta Christum cupiebant aspicere. Judæi vero adequitantem Hierosolymam mirum quam reverenter exceperint. At nunc Gentibus Judæi juncti tanquam latronem veniunt comprehensuri, idque non comite modo, sed duce quoque Gentibus & Judæis omnibus deteriore, Juda. Qua ex re præbendum curavit in sua morte Christus documentum istud omnibus insigne mortalibus, ne quisquam stabilem promittat sibi nesciam stare fortunam, ne Christianus præsertim ullus ambiat (quippe qui cœlum sperat) hujus mundi despuendam gloriam. Authores mittendæ contra Christum turbæ sacerdotes erant, imo sacerdotum principes, Pharisæi, Scribæ & Seniores populi. Siquidem ut quodque natura est optimum, ita quum semel cœpit in diversum tendere, evadit tandem pessimum. Sic Lucifer inter cœlestes Angelos à Deo creatus eximius, ubi se superbiæ corrumpendum dedit: factus est dæmonum deterrimus. Sic non vulgi fæx, sed Seniores populi, Scribæ, Pharisæi, Sacerdotes & Pontifices Sacerdotum principes, ad quorum spectabat officium, ut justitiam curarent, & Dei negotium promoverent: ii potissimum conspirarunt in unum, ut justitiæ Solem extinguerent, & unigenitum Dei filium perimerent, eo vesaniæ transversos egit avaritia, fastus, invidia. At hoc non transeunter aspiciendum est, sed contemplandum sedulò quod Judas, qui frequenter aliàs nomine traditoris infamatur, hic Apostolatus quoque titulo sublimi traducitur: Ecce (inquit) Judas Iscarioth unus ex duodecim Judas Iscarioth non unus ex infidelibus Ethnicis, non unus ex Judæis hostibus, non unus ex Discipulis Christi gregariis (quod ipsum tamen quis potuisset credere) sed unus proh (pudor) ex Christo lectis Apostolis Dominum sustinet tradere capiendum & ipse fieri capturorum Dux.

Habent hoc loco, quod discant omnes qui funguntur Magistratibus, quum soleñibus appellantur titulis, non habere semper, unde glorientur & sibi placeant: sed ita demum tales titulos vere decoros esse, si sibi sit conscius animus tam honorifico nomini recte administratis officiis ipsa re se respondere. Nam alioqui possint (nisi verborum inani tinnitu delectentur) magno pudore suffundi quum certo sibi persuadere debeant, quicunq; sunt in excelso siti, sint Magnat. Princip. Satrapæ, Cæsares, Sacerdot. Episc. modo sint iidem improbi: quoties homines splendidos officiorum titulos apud aures eorum prurientes occinunt, non id ex animo agere, ut vere honorem deferant, sed ut licenter, per laudandi speciem, honores illaudatè gestos exprobrent. Siquidem & Evangelium quum Judam suo celebrat Apostolatus titulo, dum ait: Judas Iscar. unus ex 12. quam procul interim ab animo laudandi fuerit, declarat illud, quod pariter post appellat traditorem. Dederat (inquit) traditor eis signum dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est: tenete eum. Hic quæri solet, quid causæ fuerit, ut necesse esset signum turbæ à traditore dari, quo dignosceretur Jesus. Ad id respondent quidam, ideo conventum de signo: quia Christus ante non semel inter manus conantium apprehendere subito subterfugerat. At quum id facere solebant interdiu inter manus noscentium, nimirum vi Divinitatis suæ vel ab oculis eorum disparens, vel per medium attonitorum transiens: datum noscendi signum adversus hoc effugium usui esse non poterat. Sunt igitur qui dicant, alterum ex Jacobis Christo fuisse tam similem (quem & ideo vocatum volunt fratrem Domini) ut nisi diligenter contuentibus internosci non possent. Sed quum Galat. 2. utrum-

utrumque possent comprehendere, utrumque secum ducere, ubi post noscitare per otium cominus comparando possent: quæ necessitas erat sollicitos esse de signo? Erat (ut ex Evangelio patet) adulta nox, & quanquam appetebat diei crepusculum, erat adhuc tamen nox, & tenebras fuisse declarant faces & laternæ quas adferebant: quarum lux efficiebat, magis ut ipsi longe cernerentur quàm ut alios procul se cernerent. Et quanquam plenæ Lunæ beneficio nox esset fortassis sublustris, hactenus tamen id valere potuit: ut corporum longius molem cernerent, non ad hoc etiam, ut lineamenta complecterentur oculis, & alium ab alio dignoscerent. Ergo si temere provolantes, ut pariter omnes prenderent, in incertum quisque decurreret, merito metuebant, ne (ut plerumque accidit) ex tam multis aliqui fortassis effugerent, & in iis ipse, propter quem potissimum venerant. Solent enim, qui maxime sunt in discrimine, celerrime sibi prospicere. Igitur sive hoc excogitarunt illi, sive Judas ipse suggesserat: sic disponuntur insidiæ ut traditor antecederet, cujus complexu & osculo notaretur Dominus, ut quum in eum unum cuncti fixissent oculos, in illum pariter omnes injicerent manus, post, si quis effugeret alius, minus esset periculi.

Matt.27.

Dederat ergo traditor eis signum dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite caute.

En quo prorumpit avaritia. Non tibi satis erat scelerate proditor Dominum tuum, qui te in fastigium Apostolatus erexerat, in manus hominum nefariorum per osculi signum tradere, nisi præterea tam solicitus esses, ut duceretur caute, ne captus posset evadere? Tu conductus es ut traderes, alii missi qui prenderent, qui custodirent, qui sisterent in judicium. At tu quasi in tua parte non sat sceleris esset, militum quoque te immisces officiis, & quasi non satis eis demandassent rem scelesti Magistratus, qui mittebant: te videlicet opus erat homine circumspecto, qui commoneres & adderes mandata de tuo, ut captum ducerent caute. An metuebas, ne quum tui sceleris officio, tradito sicariis Christo, abunde functus esses: tamen, si qua sic cessarent milites, ut Christus aut elaberetur incautis, aut vi eriperetur invitis: argentei tui triginta, nefarii sceleris præclara merces scilicet, non persolverentur? Persolverentur haud dubiè. Verum haud quaquam nunc tam cupidè anhelas accipere, quam quum acceperis, avidè properabis abjicere. Interea facinus acerbum Domino, mortiferum tibi, multis salutare perficies.

Antecedebat eos, & appropinquavit Jesu, ut oscularetur eum. Et quum venisset, statim accessit ad eum, & ait: Rabbi, ave Rabbi, & osculatus est eum. Dixit ei Jesus: Amice, ad quid venisti? Juda, osculo filium hominis tradis?

Tametsi Judas vere secundum historiæ seriem turbam antecedebat, significat tamen etiam spiritaliter, inter ejusdem peccati participes, qui plurimas habet causas abstinendi: is apud Deum censetur scelere cæteros omnes antecedere. Et appropinquavit ei, ut oscularetur eum; Et quum venisset, statim accessit ad eum, & ait Rabbi, ave Rabbi, & osculatus est eum. Sic appropinquant ad Christum, sic salutant, sic Rabbi vocant, sic osculantur, quicunq; se Christi fingunt Discipulos, & nomine doctrinam ejus profitentes, ipsa re moliuntur versutiis & technis evertere. Rabbi nomine sic salutant Christum: qui Magistrum eum vocant, & ejus præcepta contemnunt. Sic osculantur Sacerdotes illi, qui sacrosanctum Christi corpus consecrant: dein Christi membra Christianas animas doctrina falsa & flagitiorum exemplis interficiunt. Sic salutant, sic osculantur Christum, qui se haberi pro bonis & piis postulant, quod contra diuturnam Christianorum omnium morem & consuetudinem: nunc tandem Sancti scilicet absque necessitate, sed non absq; totius Ecclesiæ Catholicæ contumelia, eoque non sine gravi scelere malorum suasu sacerdotum Laici sacrum Christi corpus & sanguinem sub utraq; specie non solum sumunt ipsi, (quæ res utcunq; posset ferri) sed universos damnant, qui rem utramq; sumunt specie tantum sub altera, hoc est, præter seipsos, Christianos ubique tot per annos, omnes. Et tamen quum utramque speciem litigant necessariam Laicis, rem ipsam corpus videlicet & sanguinem ex utraque specie plerique tam Laici quam Sacerdotes eliminant, servantes tantum corporis sanguinisque vocabula: non dissimiles hac sane parte Pilati satellitibus, qui per ludibrium flexis genibus Christum salutant regem Judæorum. Nam & isti ad eundem modum genua venerabundi flectentes Eucharistiam Christi corpus appellant & sanguinem, quum nihilo magis alterutrum esse credant, quam milites credebant regem. Hi nimirum omnes, quos recensui, in salutatione & osculo cum proditione conjuncto referunt profecto nobis traditorem Judam. Cæterum ut isti repræsentant præteritum, sic Joab olim in figura prædicebat futurum, qui
2. Reg. 20. quum sic salutaret Amasam: Salve 2. Reg. 20
mi frater, & manu dextra mentum Amasæ demulceret tanquam osculaturus, clanculum educens inobservatum gladium transfosso latere uno ictu eum interemit, similique dolo pridem occiderat Abner, postea vero (ut par erat) peremptus ipse nefariæ fraudis meritas pœnas dedit. Joab ergo refert & repræsentat Judas, sive personam spectes, sive sceleratam fraudem, sive vindictam Dei & utriusque infelicem exitum: nisi quod Judas omni ex parte Joab superabat. Joab vir magnus erat apud principem suum, Judas longe major apud majorem. Joab occidit Amasam amicum, sed Judas amiciorem Jesum, adde quod etiam Dominum. Joab invidia stimulatus & ambitione, quod Amasam sibi apud regem prælatum fore audierat. Judas vero miseræ mercedis avaritia pellectus, argenteis paucis mundi Dominum in mortem prodidit. Quanto igitur Joab antecellebat scelere, tanto evasit etiam vindictæ

genere

genere miserior. Joab enim occisus est ab alio, Judas infelicissimus sua manu laqueo suspendit se. Cæterum in fraudis proditoria forma belle inter sese Joab & Judæ scelera conveniunt. Siquidem ut Joab Amasam compellans comiter velut osculaturus interimit: Ita Judas Christum adit blandè, salutat reverenter, amanter osculatur, nec aliud interim furcifer quicquam meditatur secum, quam Dominũ morti tradere. At non sicut Joab Amasam, sic Judas Christum potuit blandiendo fallere. Excipit adeuntem, auscultat salutantem, non repellit osculantem, & sceleftæ proditionis gnarus, ita se tamen aliquandiu gessit, tanquam omnium prorsus esset inscius. Quid ita? an ut nos simulare doceret ac dissimulare, humanaque vafricie fraudem fraude fallere? Minime, sed ut doceret potius injurias omnes & perfide structas fraudes patienter & mansuete perpeti, non excandescere, non studere vindictæ, non ingestis contra conviciis animo morem gerere, non ex inimico per technam luso vanam voluptatem capere: sed contra falsam fraudem vera virtute tendere, malum in bono vincere, denique verbis mitibus acribusque conari, opportuneq; & importune instare, ut mali mutentur in bonos, ut si quis morbo laboret immedicabili nostram non incuset incuriam, sed suæ pestis immanitati imputet. Christus igitur Medicus pientissimus utramq; medendi methodum experitur, & primum præmittens mitia, Amice (inquit) ad quid venisti? Proditor ad amici nomen animo pependit ambiguo. Siquidem sui sibi sceleris conscius verebatur ne sub amici nomine gravitер exprobaret Christus hostilem ejus inimicitiam. Contra tamen (ut flagitia fere latendi spe semper blandiuntur sibi) sperabat cæcus amentia (quanquam expertus sæpe cogitationes hominum Christo patere perspicuas & ipsi⁹ quoque proditio attacta fuisset in Cœna) (sperabat, inquam, demens & oblitus omnium, facinus suum Christum tamen fefellisse. At quoniam nihil ei poterat esse magis pestiferum, quam si tali spe frustra lactaretur (neque enim aliud quidquam validius conversioni ejus potuit adversari) diutius eum duci falsa fallendi spe Christus pro sua bonitate non patitur, sed graviter adjungit protinus: Juda, osculo filium hominis tradis? Nomine suo compellat, quo solebat, nimirum ut veteris amicitiæ recordatio animum proditoris molliret ad pœnitentiam. Traditionem ejus apertè exprobrat, ne quum latere crederet, confiteri pudesceret. Ad hæc sceleratam traditoris hypocrisin sugillat: Osculo (inquit) filium hominis tradis? Inter omnes scelerum circumstantias nullam facile reperias, quæ magis sit invisa Deo: quàm quum genuinas rerum bonarum naturas in malitiæ nostræ instrumenta pervertimus. Sic odibile Deo mendacium, quod verba, quæ sunt ad explicandos animi sensus ordinata, per fraudulentias in diversum vertimus. Hoc mali genere graviter offendit Deum, si quis leges ad injuriam propulsandam natas transferat ad inferendam. Christus igitur hunc peccandi modum detestabilem acriter improperat Judæ. Juda (inquit) osculo filium hominis tradis? Aut talem te præbe, qualis videri vis: aut qualis es, talem te apertus ostende. Siquidem qui sub amici persona peragit inimicum facinus: scelus scelestus conduplicat. An ergo non satis tibi Juda fuit, quod tradis filium hominis? vere, inquam, filium illius hominis, per quem homines omnes perierant, nisi hic filius hominis, quem tute putas perdere, servari volentes redimeret. Hunc, inquam, filium hominis non sat est tibi tradere, nisi etiam tradas osculo? videlicet in proditionem vertens sacrosanctum Charitatis symbolum. Æquior certe sum in turbam istam, quæ per apertam vim in me grassantur: quàm in te Juda, qui grassatoribus falso me tradis osculo.

Christus igitur quum videret nullum in proditore signum pœnitentiæ, volens ostendere, quanto vellet libentius cum apertis hostibus, quam inimico clanculario colloqui, simulque ut apertum proditori faceret, impia ejus machinamenta cuncta se floccifacere, statim se avertit ab illo atque ad armatam turmam inermis affectat viam. Sic enim ait Evangelium.

Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit & dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei, Jesum Nazarenum. Dixit eis Jesus. Ego sum. Stabat autem & Judas, qui tradidit eum, cum ipsis. Ut ergo dixit eis Jesus, Ego sum: abierunt retrorsum & ceciderunt in terram. Matt. 27. Luc. 22. Marc. 14. Johan. 19.

O salutifer Christe, tu nuper tam timidus, qui te prosternens in faciem tam lachrymabili modo cum sudore sanguineo precabaris Patrem, ut calicem Passionis auferret: nunc vice versa tam subito velut Gigas ad currendam viam exilis & exultas, & te quærentibus ad Passionem alacer occurris obvius? Quærere te fatentibus, & esse te nescientibus ultro temet indicas? Huc, huc adcurrant omnes pusillanimes: hic indubiæ spei ansam apprehendant, quum se sentiunt mortis horrore concuti. Nam uti tunc agonem ferunt cum Christo, ut cum illo pavent, mœrent, anxii tristantur & sudant (precentur modo & in oratione persistant, tum voluntati divinæ toto se corde submittant) sentient haud dubie, sentient hujus quoque consolationis auxilium, & Christi Spiritu sic recreabuntur: ut terrei cordis veterem faciem cœlesti rore sentiant renovari, & per immissum crucis Christi lignum in aquam doloris sui, amara dudum mortis memoria dulcescet, mœrori succedet alacritas, animi robur & fortitudo formidini, mortem deniq;, quam horrescebant, appetent, vivere triste ducentes, & mori lucrum, dissolvi cupientes & esse cum Christo. Christus igitur cominus aggressus turbam interrogat:

Quem quæritis? Responderunt: Jesum Nazarenum. Stabat autem & Judas, qui tradidit eum, cum ipsis. Et dixit eis Jesus: Ego sum. Ut ergo dixit eis Jesus, Ego sum: abierunt retrorsum & ceciderunt in terram.

Si quid pridem apud cujusquam animum, Christi pavor & anxietas existimationem ejus imminuerat: necesse est id nunc vicissim virilis hæc fortitudo reponat, qua totum armatorum globum adit imperterritus & certus occidi (sciebat enim omnia, quæ ventura erant super eum) quum illi nescirent quis esset, ipse scelestis prodit, & crudeliter mactandam ultroneam offert victimam. Atque ista quidem tam subita, tam diversa mutatio merito fuerit in veneranda ejus humanitate mirabilis. At qualem quantamque necesse est opinionem æstimationemque de eo fidelium omnium peccatoribus ingeneret per hominis imbecillum corpus tam mirabiliter emicans vigor divinæ potentiæ, Nam unde illud quod congredientem cominus quærentium nemo cognovit? In templo docuerat, numulariorum mensas everterat, numularios ipsos ejecerat, in publico versatus fuerat, Pharisæos confutaverat, Saducæis satisfecerat, Scribas redarguerat, Herodianorum militum quæstionem captiosam prudente responso deluserat, panibus quinq;, septem hominum millia paverat, ægrotos sanaverat, resuscitarat mortuos, omni hominum generi se præbuerat Pharisæis, Publicanis, divitibus, pauperibus, justis, peccatoribus, Judæis, Samaritanis & Gentibus: & nunc ex tota hac turba tanta nemo erat, qui compellantem cominus vultu voceve cognosceret, tanquam qui eos miserant, sedulo dedissent operam, ne quem illuc mitterent, qui, quem tum quærebant, antea unquam viderat. Non saltem ex congressu Judæ, non ex amplexu & osculi signo dato quisquam Christum notaverat? Quin ipse traditor, qui tum simul stabat cum eis, quem tam nuper osculo notandum prodidit, ipse tam subito noscere jam dedidicit? Unde igitur emersit hoc miraculum? Inde nimirum prodiit, quod nullus eum potuit noscere, unde & illud paulo post, quod eum, quoad ipse se revelarat, nec Maria Magdalene conspiciens nec ex duobus Discipulis uterque cum eo colloquens alteruter novit quis esset: sed hi peregrinum quempiam, illa putavit hortulanum. Denique si vis scire unde venerit, ut congredientem nemo valuerit noscere, inde venisse non dubites, unde venisse vides & illud, quod illo loquente nullus valuit stare.

Vt autem dixit Jesus, ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.

Hebr. 4. Matth. 10. Hic se declaravit Christus vere esse illud verbum Dei, quod acutius penetrat omni gladio ancipiti. Etenim fulmen ferunt ejus esse naturæ, ut illæsa vagina gladium liquefaciat. Christi certe sola vox illæsis istorum corporibus sic liquefecit animas: ut vires ad sustinenda membra non reliquerit.

Commemorat hic Evangelista, quod Judas simul stabat cum eis. Nam quum audisset aperte sibi traditionem suam exprobrare Jesum sine pudore confusus, sine timore perterritus (noverat enim Petri promptitudinem) protinus retulit pedem, seque recepit ad suos. Hunc igitur Evangelista commemorat simul stetisse cum illis, ut intelligeremus cum illis etiam pariter cecidisse. Et erat quidem Judas ejusmodi, ut nemo esset in tota turba deterior, neque dignior qui prosterneretur: sed voluit Evangelista cunctos in communi commonitos, sedulo cuique cavendum, quibuscum versaretur: periculum enim fore, ne, si cum malis stationem suam ponat, cum malis simul & corruat. Siquidem raro contingit, ut qui se stolide in puppim laceram cum naufragaturis collocat: cæteris absorptis pelago vivus evadat in terram. Nemo, opinor, dubitat, quin is, qui cunctos valuit uno verbo sternere: facile potuit pariter tam fortiter omnes allidere, ut nullus unquam posset resurgere. At Christus qui ideo stravit, ut scirent nihil se in eum posse, quod nollet pati: rursus permisit surgere, ut facerent, quod voluit ferre.

Igitur quum surrexissent, iterum interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt; Jesum Nazarenum.

Vel hic quis non videt Christi sic occursu perculsos, sic attonitos & stupefactos esse: ut vix videantur apud se mansisse, siquidem satis scire poterant, neminem id noctis eo loci reperturos se: qui non aut ex comitatu suo, aut amicus esset Christi, qui quovis eos esset missurus potius, quam ducturus ad Jesum. Et tamen totius rei cardinem, quam (quoad effecissent) sedulo cælatam oportuit: apud occurrentem subito, qui neque quis esset sciebant, neque cur illud quæreret, protinus effutiunt stolide. Nam simul ac rogavit. Quem quæritis: responderunt, Jesum Nazarenum Respondit Jesus, Dixi vobis, quia ego sum. Si ergo me quæritis, finite hos abire. Quasi dicat; Si me quæritis, cur vos aggressum & memet fatente cognitum illico non comprehenditis? Certe quia tantum abest, ut invitum valeatis capere, ut (quod cadendo retrorsum didicistis) ne consistere quidem me tantum loquente possitis. Sed nunc, si tam cito estis obliti, iterum redigo vobis in memoriam quod Jesus Nazarenus ego sum. Si ergo me quæritis, finite hos abire. Quod ait Christus: Sinite hos abire, non esse rogantis: satis (opinor) prosternendo docuit. Verum interdum accidit, ut qui magnum aliquod facinus meditantur, simplici non contenti scelere, plura soleant, quam postulet propositæ rei necessitas, prava libidine velut appendices addere. Sunt & ministri scelerum tam præpostere fidi, ut potius quam omittant quidpiam malorum omnium, quæ habent in mandatis: aliquid addant potius atque admetiantur de suo. Utrosq; pariter tacite tangit Christus.

Si me, inquit, quæritis: finite hos abire.

Si id quod Pontifices, Scribæ, Pharisæi, Senioresque populi tam avide sitiunt exhaurire, meus sanguis est: ecce quærentibus me vobis occurri, nescientibus prodidi, prostratis adsteti, surgentibus sisto capiendum, denique (quod non potuit proditor) in manus memet trado, ne aut illi necesse putent aut vos (quasi in mea nece parum sceleris sit) horum etiam sangui-

nem superaddere. Quamobrem; Si me quæritis, sinite hos abire. Jussit sinere, sed sinere coëgit invitos & conantes comprehendere, servatis omnibus fuga, frustratus est. Cujus eventus indicium esse prænuntiam hanc vocem voluit. Sinite hos abire, ut impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam. Verbum Christi, de quo loquitur hoc loco Evangelista, illud verbum est, quod eadem nocte super cœnam Patri loquutus est Christus: Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Et post: Quos dedisti mihi, ego custodivi: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. Ecce Christus hic vaticinans de servandis in sua captione Discipulis, semet pronuntiat eorum esse custodem. Ideoque redigit illud Evangelista legentibus in memoriam: ut intelligerent, quanquam Christus hic dicat turbæ: Sinite hos abire, seipsum tamen occulta potentia viam patefecisse, qua fugerent.

Johan. 17.

Locus ille Scripturæ, qui periturum Judam prædicit, est apud Psalmistam, qui Psalmo 108. precandi modo prophetat. Fiant dies ejus pauci, & Episcopatum ejus accipiat alter. Hæc verba quum de Juda traditore tam longo ante tempore sint prædicta: tamen de illo prædicta, quoad Christus docuit, & res ipsa collata cum verbis ostendit, præter eum qui cecinit, nescio, an quisquam ante alius intellexerit. Neq; enim quicquid unus Propheta prævidit, protinus viderunt omnes. Datur enim Prophetis Spiritus ad mensuram. Quin mihi certe videtur, nemini tam apertam esse undique sacræ Scripturæ sententiam, ut non multa lateant illic nondum intellecta mysteria, quæ vel ad Antichristi tempora pertineant, vel supremum Christi judicium, quæ tantisper ignorata rediens tandem Helias explicabit. Itaque quod Apostol. de Dei sapientia prædicavit: id mihi de Scriptura sacra (in quam sapientiæ suæ perquam immensos cumulos abdidit & abstrusit Deus) merito videor exclamare posse: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia Dei, & investigabiles viæ ejus? Et tamen hinc inde nunc exoriuntur indies velut vespárum aut crabronum examina, qui se gloriantur (ut D. ait Hieron.) αὐτοδιδάκτους, & sine veterum Doctorum commentariis omnia sese pervia, aperta, facilia reperisse: quæ Patres omnes antiqui, homines nec ingenio minori, nec inferiore doctrina, studio infatigabili, spiritu vero (de quo tam multum isti loquuntur, quàm parum habent) intervallo non minore præcellentes, quam vitæ sanctitate superabant, fatebantur difficillima. At ii nunc homines novi, subito de terra progerminati Theologi, qui omnia scire videri volunt, quum in Scripturæ sensu contra cœlestis vitæ viros illos universos sentiant, inter se præterea de magnis fidei Christianæ dogmatibus non consentiunt, sed quilibet verum se videre contendens & cæteros vincit, & à cæteris vincitur: Catholicam

Actor. 1.

Eph. 4.

1. Cor. 2.

Rom. 11.

vero fidem pariter oppugnant omnes, & pariter universi vincuntur. Quorum conatus impios & inanes, qui habitat in cœlis, irridet, quem supplex precor, ne sic irrideat, ut in eorum æterno rideat interitu, sed pœnitendi salubrem inspiret gratiam, qua filii prodigi, & heu nimium diu profugi, in Ecclesiæ matris, unde discesserunt, gremium revertantur: ut pariter in vera Christi fide concordes, & mutua charitate connexi, vera Christi membra, capitis consequamur gloriam, quam extra corpus & absque vera fide quisquis sperat assequi, spe semet falsa decipit. Eph. 5.

Sed jam (quod cœpi dicere) Prophetiam prædictam esse de Juda Christus insinuavit, Judas se occidendo docuit, Petrus post exposuit, Apostoli omnes executi sunt, quum in locum ejus sorte subrogato Matthia, Episcopatum ejus accepit alter. Et quo res esset illustrior (quanquam in Apostolorum locum perpetuo succedunt Episcopi) in numerum tamen illum duodenarium post suffectum Judæ Matthiam, nullus unquam postea subrogatus est, sed communicato paulatim pluribus Apostolatu, finem suum, impleta Prophetia numerus ille sacer accepit, Christus ergo quum dixit: Sinite hos abire, non precatus est facultatem: sed occulte denuntiat abeundi dare semet Discipulis potestatem, ut verbum illud impleret, quo dixerat: Pater, quos dedisti mihi, ego custodivi: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. Operæ mihi pretium videtur, paulisper hoc loco perpendere: quam efficaciter istis verbis Christus disparem prædixit cæterorum prosperum, & perditum proditoris exitum. Etenim tam firmum utrinque futurum confirmat eventum, ut non tanquam futurũ, sed jam plane factum denuntiet: Quos dedisti (ait) mihi, ego custodivi. Non suis viribus defensi sunt, non Judæorum clementia servati sunt, non cohortis incuria delapsi sunt: sed ego custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. Nam & is ex eis erat, quos tu Pater dedisti mihi. Et ego, quum me (electus à me) reciperet, potestatem ei dederam: ut cum reliquis, qui me receperunt, filius Dei fieret. Verum ubi per avaritiam demens descivit ad Satanam, & me relinquens prodensque perfide servari noluit: dum me studet perdere, filius perditionis effectus misere miser periit. Christus de traditoris eventu certus infallibiliter: tam certò periturum significat, ut jam periisse pronuntiet. Et tamen infelix proditor, dum Christus comprehenditur, ut dux & signifer stat ferox cum capientibus, exultans opinor & gestiens condiscipulorum suorum magistrique periculo: quos omnes (ut ego certe puto) pariter sperabat optabatque comprehendendos ad mortem. Ingratitudinis siquidem habet hoc, furore demens & absurda natura, ut quos inique læsit, pariter perire cupiat. Ita multum quoque velut exprobrantem reformidat ulcerosa scelere conscientia. Gaudebat ergo proditor, quum capi simul omnes speraret stolidè securus

Actor. 1.

rus

tus de se, neque quicquam minus cogitans, quam capitalem Dei de se sententiam terribili laqueo in collum ejus jam jam casuram desuper impendere.

Hoc loco mihi deplorare subit miseræ mortalitatis caliginem, quæ secum sæpe tumultuatur ac trepidat, quum interim nescia, satis versatur in tuto: sæpe vero vicissim secura gestit, quum inscio capiti lethifer ensis imminet. Apostoli cæteri cum Christo semet rapi metuebant ad mortem: & tamen erant omnes evasuri. Judas extra metum ipse, & ex illorum metu capiens voluptatem, paucas post horas periit. Crudelis est illa libido, quæ suum pascit animum ex aliena miseria. Nec est, cur quisquam gaudeat ac suæ felicitati gratuletur, si quam in alterius mortem habeat potestatem: quam proditor accepta cohorte consecutus sibi videbatur, certus est enim quisque morte, Matt. 24. 25. quem præmittit, sequi. Quin, ut est hora mortis incerta, quem morte se præmissurum gloriatur, ipsius fortasse præcedet. Judas enim Christum, quem ad mortem tradidit, sua miser morte prævenit, exemplum triste & toti mundo terribile, ne quis se tutum credat à vindicta: qui supinus & superbus grassatur sceleris impœnitentia. Siquidem adversus impios omnis creatura cum suo Creatore conspirat. Aer gestit noxiis afflare vaporibus, unda fluctibus involvere, montes obruere, valles insurgere, terra dehiscere, Tartarus absorbere præcipitem, Dæmon flammarum voraginibus æternum arsuris immergere. Solus interim servat miserum is, quem deseruit, Deus. At si quis obstinatum sic imitetur Judam, ut Deus tandem decernat toties oblatam & rejectam gratiam amplius non offerre: hic, hic demum infelix, quantumvis sibi falsa felicitate blandiens sublimis in aëre volitare videatur, in omni malorum miser volutatur barathro. Oremus ergo clementissimum Christum, non pro se quisque tantum, verum etiam quisque pro quolibet, ne pertinacem imitemur Judam: sed propere complectentes oblatam gratiam, per pœnitentiam & misericordiam rursus reparemur ad gloriam.

De amputata Malchi auricula.

Quum Apostoli prius audissent Christum ea, quæ jam videbant, prædicentem eis: quanquam tristitia & mœrore sunt affecti, multo tamen languidius acceperunt rem, quam nunc accipiunt, ubi præsentem vident oculis suis subjici. Nam ubi cohortem totam conspiciunt adesse, eamque se fatentem etiam Jesum Nazarenum quærere, non relinquebatur ambigendi locus, quin eum quærerent, ut comprehenderent. Quum ergo viderent, quod futurum erat: multa simul velut tumultu quodam subito subierunt animos, solicitudo de Domino, quem amabant metus de sese quibus metuebant, denique magnifici illius promissi verecundia, qua quisque pollicitus est, moriturum se potius, quàm à Magistro deficeret. Sic eos in diversum distrahunt, amor Magistri ne fugiant, sui timor ne maneant, mortis metus ut avolent, promissi pudor, ut restitent. Ad hæc meminerant eadem nocte Christum dixisse ut, quum antea vetuisset eorum quemquam secum vel virgam ferre, qua se defenderent, nunc, qui non haberet gladium, etiam tunicam venderet, qua gladium emeret. Et quanquam cohortem Romanam cernerent præter Judæorum globum contra se stare confertos omnes instructos armis, unde magnus ingerebatur metus, se vero duntaxat undecim eosdemque tam inermes, ut præter duos nullus haberet gladium, nisi fortassis escarium. Memores tamen quum dixissent Christo: Ecce duo gladii hic, Christum respondisse: Sufficit, non intellecto tantæ rei mysterio, subito quodam impetu Christum rogant, velletne ab illis defendi gladio dicentes: Domine, si percutimus gladio? Cæterum Petrus affectu præfervidus non expectato responso educit gladium Matth. 27. Lucæ 23. & in servum Pontificis vibrans ictu dextram abscindit auriculam, sive quod is ei forte stetit proximus, sive quod inter cæteros ferocius efferebat se. Et omnino videtur fuisse quispiam improbitate notabilis: nam Evangelistæ commemorant servum eum fuisse Pontificis summi Sacerdotis & Sacerdotum Principis. Maxima quæque domus servis est plena superbis, ut ait Satyricus, & rerum usu discunt homines, ubiq; gentium Satraparum servos Dominis etiam suis superbius ferocire. Istum autem ut sciremus in aliquo esse loco apud Pontificem tanto videlicet insigniore superbia, protinus adjungit Johannes & nomen. Erat (inquit) nomen servo Malchus, quam rem non passim & temere solet Evangelista facere. Hunc ergo ego nebulonem puto ferociter ingerentem se Petro movisse stomachum, ut ab illo potissimum auspicaretur processurus strenue: si non gliscentem ejus imperum Christus cohibuisset. Nam ille protinus & prohibuit cæteros, & Petri zelum arguit impotentem, & abscissam homuncionis auriculam restituit: ut qui non fugere mortem venerat, sed subire, nec si alio esset animo, talibus egeret auxiliis. Quod quo testatius redderet, primum cæteris ad rogata respondet. Sinite usque huc. Adhuc paulisper sinite. Nam & ego qui simul omnes uno verbo prostravi, tamen, ut videtis, omnes permisi surgere, ut peragant in præsenti quod volunt. Adhuc igitur quos ego sino, & vos sinite. Futurum est autem brevi, ut eos in me quicquam posse ipse non sinam amplius, ne nunc quidem interim vestris auxiliis egens. Cæteris ergo solum illud respondit: Sinite usque huc. In Petrum vero seorsum versus. Mitte (inquit) gladium in locum suum, perinde ac si diceret: Neq; gladiis ego defendi volo, & te in eam delegi sorte, ut non tali gladio te pugnare velim, sed gladio verbi Dei. Gladius ergo ferreus, in locum suum velut in vaginam, contra maleficos reponatur in manus mundanorum Principum. Vos qui mei gregis estis Apostoli, alium habetis præterea ferreo quovis gladio longe plus formidabilem, ut per quem ejectus ex Ecclesia, hoc est, ex meo corpore mystico putre membrum

præcisus impius interdum Satanæ traditur in interitum carnis, ut spiritus fiat salvus, animo scilicet si sit sanabili, ut in meum corpus denuo inseri possit & coalescere: nonnunquam verò laborans morbo desperato (ne sanos lædat contagio) in animæ quoque mortem invisibilem mittitur. Sed tantum abest, ut ferreo isto gladio vos grassari velim (cui vaginam cognoscite prophanos Magistratus idoneam) ut ne spiritalem quidem gladium hunc, cujus ad vos usus pertinet, frequentius exerendum censeam: sed verbi gladio rem gerentes strenue (cujus ictus in scalpelli morem pus educat vulneretque salubriter) alterum illum gravem & periculosum excommunicandi gladium, nisi quum eximi postulat urgens & horrenda necessitas asservare volo in clementiæ vagina reconditum. Ad reliquos igitur Apostolos verbis contentus tribus, quippe vel temperatiores Petro, vel tepidiores: illius effervescentes & effrænes impetus temperat & compescit pluribus. Nam non solum jussit gladium reponere, sed etiam causas adjunxit, cur zelum ejus quanquam pium, tamen non approbaret. Calicem, inquit, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? Christus olim prædixit Apostolis, quia oporteret eum ire Hierosolymam & multa pati à Senioribus & Scribis & Principibus sacerdotum, &
Matt.16. occidi, & tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus cœpit increpare illum dicens: Absit à te Domine, non erit tibi. Qui conversus dixit Petro. Vade post me Satana, quia non sapis ea quæ sunt Dei. Ecce, quàm severe Christus hic redarguit Petrum. Cui paulò ante confitenti eum esse filium Dei, dixerat: Beatus es Simon Bar Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi: sed Pater meus, qui in cœlis est: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, &c. hic eum repellit quodammodo & post tergum rejicit, & scandalum esse sibi pronuntiat, & appellat Satanam, & negat eum sapere, quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Et cur hæc omnia? nempe quia mortem hanc ei dissuasit, quam mortem tunc ostendit oportere sequi & irrevocabiliter sua sibi voluntate decretam, atq; ideo non solum nolebat eam ab ipsis interpellari: sed eos etiam volebat eadem se via sequi. Si quis, inquit, vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me. Nec adhuc eo contentus ultro pergit ostendere, quod si quis, quum res posceret per mortem se sequi, refugeret, non vitaret mortem, sed in mortem multo deteriorem incideret: contra vero qui vitam impenderet, vitam non perderet, sed pro vita longe vitaliore mutaret. Qui enim inquit, voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera ejus.

Sum fortassis hoc loco longior, quàm sit necesse. Sed quem quæso, non ultra causam (quod ajunt) verba ista Christi tam severa, tam minacia, rursusque in æternæ vitæ spem tam efficacia producerent? Cæterum (quod ad præsentem locum pertinet) ex his verbis videmus graviter hic admonitum Petrum, ne zelo suo ad impediendam Christi mortem amplius abuteretur. Attamen ecce de integro, quam tunc tantum verbo visus est dissuadere, nunc aggreditur eodem zelo feroci pugna depellere. Sed Christus tamen quia malum quod fecit Petrus, fecit affectu bono, simul quia tendens ad Passionem undique se gessit humiliter, arguere nolebat acriter: sed primum ratione corripuit, dein denunciatione peccati, postremo verò declaravit etiam, quàm non egebat aut ab illo defendi (si mori nollet) aut ullo mortali præsidio, neq; enim defuturum Patrem, si vellet, hoc ipse petere, qui adversus homunciones istos, qui eum capturi venerant, periclitanti sibi validam & invictam aciem Angelos è cœlo mitteret; Primum igitur (ut dixi) feriendi zelum objecta ratione reverberat. Calicem, inquit, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? Tota vita mea fuit hactenus obedientiæ forma & exemplar humilitatis. Quid frequentius docui, quid efficacius: quam parendum Magistratibus, honorem deferendum parentibus, reddenda Cæsari, quæ sua sunt, & quæ sunt sua Deo: & nunc quum absolvendum est opus meum, & summa tandem manus admovenda: telam illam pulcherrimam, quam tam diu texui, tu me vis scilicet rejecto calice, quem Pater porrigit, ilicet totam retexere & filium hominis, Patri non obedire Deo? Deinde Petrum docet, peccatum esse percucere gladio, atque id exemplo docet legum etiam secularium. Omnes enim (inquit) qui acceperint gladium, gladio peribunt. Si quis enim absq; legitima potestate vel gestare gladium deprehenderetur occidendi hominis causa. Romanis legibus, quibus jam & Judæi suberant, eo fere loco habebatur, quo is qui occidisset. Quanto igitur ad id accedit propius, qui & educit & percutit? Neque enim tum Petrum putaverim in trepida illa consternatione tam circumspectum: ut de industria vitato Malchi capite ipsam tantum collimarit auriculam, ut non occideret scilicet, sed perterrefaceret. Quod si quis forte contendat, cuiquam esse licitum adhibita etiam vi, grassatores noxios ab innocente depellere: longiorem ea res disquisitionem postulat, quàm hic locus commode possit ferre. Certè quanquam affectus in Christum pius fecit, ut Petrus percusserit excusatius: legitimam tamen ei defuisse pugnandi potestatem, abunde declarat illud, quod olim Christus eum tam severe monuerat: ne Passionem ejus & mortem non solum nulla vi, sed ne verbo quidem niteretur impedire.

Exod. 20.
Rom. 13.

Post

Post hæc ex eo quoque Petri retundit impetum, quod ejus defensionem docet rem esse supervacaneam.

An putas (inquit) quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?

De sua potestate subticet, de Patris in se favore gloriatur. Siquidem dum ad mortem tenderet, noluit de semet loqui sublimia, neq; tum prædicare cum Patre sibi potestatem parem, sed ut declararet neque Petri se neque mortalis cujusquam auxiliis indigere, auxilium cœlitum indicat (si vellet poscere) præsto futurum protinus ab omnipotente Patre. An putas (inquit) quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? Perinde ac si diceret: Si id dete docere non potest auxilio tuo non egere me, quod totam turbam hanc (adversus quam si me sperares tuis te viribus posse defendere, miserabiliter insanires) oculis me vidisti tuis, absq; tactu, sola voce prosternere: at recogita saltem tecum, cujus meum filium esse confessus es, quum quærenti mihi: Vos quem me esse dicitis, è cœlo doctus illico respondisti: Tu es Christus filius Dei vivi. Ergo quum Dei me filium esse, ipsius revelatione cognoscis, quumq; nescire non possis, mortales parentes filiis suis non deesse: putas quod si mori mea sponte non vellem, cœlestis Pater meus vellet deesse mihi? Putas, quod si id vellem rogare, non esset exhibiturus mihi plusquam duodecim legiones Angelorum: nec id procrastinaturus, sed repræsentaturus modo? Adversus quot legiones Angelorum quo modo posset consistere misera ista cohors homuncionum? qualium legiones decies duodecim non auderent in unius Angeli vultum iratum respicere. Post hæc rursum Christus ad primum revertitur, ut in quo præcipua vis negotii verteretur.

Matth. 16.

Quomodo ergo (inquit) implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?

Plenæ sunt Scripturæ vaticiniis de Christi morte, plenæ Passionis ejus & redemptionis humanæ mysteriis, quæ non nisi Christi Passione futura fuit. Ne Petrus ergo aut alius unquam quisquam tacite sic mussaret secum: Si potes Christe tot à Patre legiones impetrare, quare non petis? ait: Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri? Quum ex Scripturis intelligas unam hanc esse viam justissima Dei sapientia decretam, qua genus humanum perditum instauretur ad gloriam: si ego nunc rogarem efficaciter, ut morti me Pater eriperet, quid aliud facerem, quàm id ne fieret, niterer, quod facturus veneram. Nam Angelos propugnatores è cœlo devocare mihi, quid aliud fuerit: quam totum genus humanum (quod venio redempturus in cœlestem gloriam) è cœlo prorsus excludere? Non ergo nunc adversus Judæos impios gladius depugnat tuus, sed impugnat potius universum genus humanum: quando Scripturas impleri vetas, & calicem, quem dedit mihi Pater (quo naturæ labem ipse labis expers & immunis expurgem) non vis ut bibam illum. Sed nunc vide mitissimum Christi pectus, qui non satis habuit percutientem compescere: sed ut nobis daret exemplum reddendi pro malo boni, decussam persecutoris auriculam tetigit ac restituit sanam. Nullum, opinor, corpus tam plenum est anima sua, quam sacræ Scripturæ litera spiritualibus plena mysteriis. Siquidem ut nullam in corpore partem datur tangere, cui non inest anima, quæ vitam sensumq; præbet particulæ: sic nulla est in Scriptura tota tam crassa & corporea (ut ita loquar) historia, quin spiritali vivat animata mysterio. Non est ergo quod in aure Malchi præcisa Petri gladio rursusque Christi manu restituta solam spectemus historiam (ex qua tamen ipsa possumus salutaria documenta discere) sed inspiciamus præterea velatum sub historiæ litera salutare Sacramentum spiritus. Malchus igitur quum in Hebræa lingua significet, quod in Latina Rex: rationem nobis non absurde figurat. Ratio enim tanquam Rex regnare debet in homine, regnatque vere, quum in obsequium fidei se captivans Deo servit, cui servire, regnare est. Pontifex verò qui cum sacerdotibus suis, cum Pharisæis & Scribis & Senioribus populi deditus erat superstitionibus pravis, quas cum lege Dei miscuerat, & prætextu pietatis oppugnabat pietatem, & veræ religionis autorem studebat amoliri: rectè nobis repræsentant cum suis sequacibus, impios hæresiarchas pestiferæ superstitionis antistites. Rationalis igitur animus quoties adversus veram Christi fidem insurgens semet addicit hæresibus: fugitivus Christi, hæresiarchæ servus efficitur, cujus errores devios à dæmone seductus insequitur. Is ergo sinistram servans qua sinistras auscultat hæreses, qua fidem audire veram debet, dextram perdit auriculam: sed non eodem affectu semper, nec semper effectu pari. Interdum enim animi destinata malitia quidem se vertunt ad hæreses. His auricula non impetu præscinditur, sed mora sensimque diabolo suum virus inspirante putrescit, & concretis purulentis partibus (ne quid intus penetrare possit boni) θρόμβῳ meatus obturat. Tales, heu miseri, vix unquam redduntur integri. Partes enim quas cancer depascens excedit: funditus interierunt, nec restat, quod reponatur quidquam. Auricula vero subito præcisa impetu, quæ non satis circumspecto zelo tota rotatur in terram, designat eos, qui quodam affectu repentino victi falsa veri specie avertuntur à vero, quidam etiam decepti bono zelo, qua de re loquitur Christus: Erit tempus, quum omnis qui vos persequitur, arbitretur obsequium se præstare Deo.

Talium typum Paulus referebat Apostolus; Quidam verò terrenis affectibus interturbata mente aurem à cœlesti doctrina præcisam jacere patiuntur in terra. Sed talium miseriam sæpe miseratur Christus, auremque subito impetu aut inexpenso zelo decussam sua manu tollit de terra, capitique suo tactu reglutinat, & auscul-

tandæ doctrinæ veræ rursus reddit idoneam. Scio ex hoc uno loco per antiquos Patres, dum alius aliud reperit, Sancti Spiritus adjuvante gratia eruta diversa mysteria: sed mihi propositum non est omnia recensere, quæ res historiæ seriem hiatu nimio diduceret.

Dixit autem Jesus ad eos qui venerant Principes sacerdotum & Magistratus templi & Seniores: Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me: quum quotidie fuerim vobiscum in templo, & sedebam docens, & non me tenuistis. Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.

Dixit ista Christus ad eos, qui venerant principes Sacerdotum & Magistratus templi & Seniores. Sed hic nonnullis injicit scrupulum, quod Lucas Evangelista commemorat Jesum hæc ad Principes sacerdotum & Magistratus templi & Seniores populi dixisse: quum reliqui Evangelistæ sic rem recenseant, ut non ipsos quidem venisse, sed cohortem scribant & ministros misisse.

Hunc nodum ita solvunt aliqui, quod Jesus illis quidem dixit, quum eis diceret, quos illi miserant, sic enim solent & Principes inter se per Legatos loqui, & privati passim per internuntios. Ita Domino dicimus, quicquid ejus ad nos ministro misso narramus, quod illi narratum sibi, vicissim renuntient hero. Ego certè (quanquam hoc responsum non improbo) libentius tamen illorum accedo sententiæ, qui sentiunt Christum ista cominus principibus Sacerdotum, Magistratibus templi & senioribus populi ore ad os locutum. Lucas enim non ait: Christum hæc ad omnes Sacerdotum principes neque ad omnes templi Magistratus, nec ad omnes populi seniores hæc dixisse: sed ad eos tantum, qui venerant. Quibus verbis apertè satis videtur indicare, quod quanquam ab universis pariter collectis in concilio cohors & ministri ad comprehendendum Christum, communi nomine destinati sunt: ex omni tamen ordine tam Seniorum, Pharisæorum, quàm Principum aliqui venerunt simul, quæ sententia cum Lucæ verbis adamussim congruit, & ex Evangelistis reliquis, nullius narrationi repugnat. Principes ergo Sacerdotum, Pharisæos & Seniores populi compellans Christus, tacite commonet eos, ne suis ipsorum viribus aut solertiæ deputarent, quod eum tum comprehenderent: neve tanquam re callidè & versutè gesta (quod infeliciter felices in malo solent) stolide gloriarentur. Non enim ipsorum stultè commentas machinas (quibus veritatem laborabant opprimere) contra ipsum potuisse quidquam promovere: sed profunda Dei sapientia provisum & statutum tempus, in quo princeps hujus mundi, generis humani male partam prædam, dum per nefas retinere studet, falsus, per fas amitteret. Nam alioqui docet Christus, quam nihil opus fuerat proditoris operam emere, noctu venire cum laternis & facibus, cum cohorte globatos aggredi, gladiis armatos & fustibus, quem toties poterant absque sumptu, sine labore, nulla noctis vigilia, nullo armorum strepitu, sedentem & docentem in templo comprehendere. Quod si gloriarentur secum velut providenter ab ipsis re disposita, dicantque (quod Christus ostendit fuisse facile) valde fuisse difficile, nec potuisse confici, nisi magno cum periculo propter tumultum populi: bona pars ejus discriminis nuper emerserat resuscitato Lazaro. Nam prius haud Joh. 11.
semel usu venerat, ut quanquam propter virtutes amaretur admodum & valde suspiceretur à populo: tamen qui capere eum conabantur & occidere, adeò non fuerint à turbis in periculo: ut nisi ipse sua potestate per medium illorum pertransisset, turbam viderentur socios habituri facinoris, tam incertum est semper & in deterius illico pronum vulgus. Denique quàm facilè contemni possit populi in quenquam favor, & inde consurgens metus, paulo post eventus docuit: quum simul atque captus est, populus non ante clamavit alacrius: Benedictus Matth. 21.
qui venit in nomine Domini, &: Osanna in excelsis, quam tum furiatus exclamavit contra: Matth. 22.
Tolle, tolle: crucifige eum. Igitur ad id usque tempus fecerat Deus, ut qui eum capere cupiebant, vanos sibi metus fingerent, & ibi trepidarent timore, ubi non erat timor: nunc verò, quum venisset tempus idoneum, quo mortales universi per unius acerbam mortem redimerentur (quotquot id verè vellent) ad æternæ vitæ dulcedinem, stolidi sibi videbantur homunculi callido id curasse consilio, quod omnipotentis Dei providentia (sine qua nec passer cadit super terram) misericors ab æterno præscripserat. Quod ut ostenderet eos stulte facere, scirentque adversus eum nec proditoris fraudem, nec ipsorum callide structas insidias, nec Romanorum robur nisi se permittente quidquam potuisse proficere, inquit. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Quæ Christi verba ratione valida, Matthæus Evangelista confirmans. Hoc autem totum (inquit) factum est, ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Ubiq; scatent apud Prophetas vaticinia de morte Christi: Tanquam agnus Esaiæ 53.
ad occisionem ductus est, & non est auditus in plateis clamor ejus. Foderunt manus meas & pedes meos. His plagatus sum in domo eorum, qui me diligebant. Et cum iniquis deputatus est. Vere languores nostros ipse portavit. Livore ejus sanati sumus. Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem. Pleni sunt Prophetæ de Christi morte prædictionibus apertissimis, quæ quum frustrandæ non essent: consequens erat, non tam ab humano rem pendere consilio, quam ab ipso, qui istud ab æterno præviderat, præordinaratque futurum (à Patre videlicet Actor. 1.
Christi, pariterque ab ipso Christo & Sancto utriusque Spiritu, quorum trium opera sempiterna conspirant in unum: ut nullum sit extrinsecus unius opus ex illis, quod non ex æquo sit omnium trium) provisa & præscripta maximè congrua perimplendi tempora. Pontifices ergo & Sacerdotum Principes, Scribæ, Pharisæi & Seniores populi, denique Magistratus omnes

execra-

execrabiles & prophani, quum se regnare gloriabantur in consiliis suis, quod tam callide Christum caperent: nihil fecerunt aliud quam amentes & cæci malitia magno cum malo suo, magno cum aliorum bono in Christi mortem momentaneam, in generis humani vitam felicissimam, in Christi semper duraturam gloriam optimæ & indeclinabili omnipotentis Dei voluntati, non Patris modo & Sancti Spiritus, sed pariter etiam Christi nescientes & ignari sedulo subservierunt. Ait igitur illis Christus; Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum. Antehac quum me valde odissetis, quum perdere valde velletis, quum (nisi vetuisset potestas, quæ de cœlo est) minore negotio potuissetis: tamen adeo me non tenuistis in templo, ut ne manum quidem in me extenderitis. Quid ita? nimirum quia nondum tempus & hora venerat, non quam cœlestia sydera, non quam vestra solertia, sed quam Pater meus inscrutabili consilio, non absque mea ipsius voluntate præscripserat. Quæritis quando? Non ab Abrahæ temporibus, sed ab æterno. Nam ab æterno apud Patrem, antequam Abraham fieret, ego sum. Hæc est igitur hora vestra & potestas tenebrarum. Hæc est brevis hora permissa vobis, & potestas indulta tenebris, ut quod hactenus facere permissi non estis in luce, nunc harpyjæ, bubones, striges, vespertiliones, nycticoraces & noctuæ, stygiæ paludis aviculæ, rostris unguibus, dentibus & clamore stridulo tumultuantes incassum me involetis in tenebris. In tenebris estis, quum mortem meam viribus vestris asscribitis. In tenebris erit & præses ipse Pilatus, quum se gloriabitur habere potestatem vel dimittendi vel crucifigendi me. Etenim quanquam gens mea & Pontifices mei me tradituri
Johan. 19. sunt ei: non haberet tamen potestatem adversus me ullam, nisi datum ei fuerit desuper. Atque ideo qui me tradent illi, majus peccatum habent. Sed hæc est hora & potestas brevis tenebrarum. Et qui vadit in tenebris, nescit quo vadit, neque vos videtis, neque scitis quid facitis, eoque precabor & ipse, ut quod in me designatis, ignoscatur vobis. At non ignoscetur omnibus, nec omnes excusabit cæcitas. Nam ipsi vobis tenebras facitis, ipsi lumen extinguitis, ipsi primum vobis, post & aliis oculos ambos effoditis, ut cæcos cæci ducatis, donec ambo cadatis in foveam. Hæc est brevis hora vestra, hæc est amens & impotens potestas tenebrarum, qua nunc armati comprehenderis inermem, truculenti mitem, nocentes innocuum, proditor Dominum, homunciones Deum. At non in me duntaxat vobis nunc, sed & in discipulos meos aliis adversus alios præsidibus dabitur & Cæsaribus hora similis & potestas tenebrarum brevis, potestas verè tenebrarum inquam. Nam ut mei quæ perferent, aut quæ loquentur, nec suis perferent viribus, nec loquentur ex se, sed viribus vincentes meis
Matt. 10. in patientia sua possidebunt animas suas, & spiritus erit Patris mei, qui loquetur in illis: ita qui tribulabunt & occident eos, nec facient quidquam, nec loquentur ex sese: sed princeps tenebrarum qui jam venit, & in me non habet quidquam, in illorum tyrannorum & tortorum pectora, suum virus inspirans suas vires ad breve permissum tempus exerent, exercebitque per illos. Atq; ideo commilitonibus meis non erit colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Sic Nero nascetur, in quo tenebrarum princeps occidet Petrum, illique adjunget (qui adhuc contra me spirat) nondum Paulum. Sic alii Cæsares & eorum præsides adversus alios ex meo grege discipulos per tenebrarum principem. Sed quum fremuerint gentes, & populi meditati sint inania, quum astiterint reges terræ & principes in unum convenerint adversus Dominum & adversus Christum ejus, vincula conantes dirumpere, & à se jugum perquam suave projicere, quod in eorum cervicosa colla per pastores suos pius imponet Deus: qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Psal. 2. Quid sedet non (ut terreni principes) in curruli sella pedes paucos elevatus à terra: sed qui ascendit super Occasum, qui sedet super Cherubim, cui Psal. 103 sedes cœlum est, cui terra scabellum pedum Esa. 66. ejus est, dominus nomen illi. Ille Rex regum est, & Dominus dominantium, Rex terribilis, Apoc. 20. qui aufert spiritum principum. Hic loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Constituet Christum filium suum, quem hodie Psal. 2. genuit, Regem super Sion montem sanctum suum, montem qui non commovebitur. Pedibus Psal. 109. ejus tanquam scabellum subjiciet omnes 1. Cor. 15. inimicos ejus. Qui conabantur ejus vincula rumpere & jugum à se projicere, invitos reget eos in virga ferrea & tanquam vas figuli confringet eos. Psal. 2. Adversus eos, & eorum instigatorem tenebrarum principem, discipuli mei confortabuntur in Domino, & induti armaturam Ephes. 6. Dei, succincti lumbos suos in veritate, induti loricam justitiæ, calceati pedes in præparationem Evangelii pacis, sumentes in omnibus scutum fidei & assumentes galeam salutis & gladium spiritus, quod est verbum Dei, virtute induentur ex alto, stabuntque adversus insidias Diaboli, sermones videlicet mollitos, quos per ora persecutorum proferet, ut eos per blanditias à via veritatis avertat, adversus apertos insultus Satanæ in die malo resistent, ignea omnia nequissimi Satanæ tela per satellites ejus immis- Ephes. 6. sa fidei scuto circundati, effusis in oratione lachrymis & exundante sanguine in agone Pas- Luc. 22. sionis extinguent: eoque modo cum cruce sua me secuti devicto tenebrarum principe Diabolo, suppeditatis Satanæ terraceis satellitibus, triumphali curru sublimes, pompa mirabili Martyres intrabunt cœlum. At vos, qui malitiam nunc exercetis in me & vestram imitatura malitiam pestilens posthac progenies & viperarum genimina (qui simili malitia sine pœnitentia grassabuntur in meos) æterna cum infamia detrudemini in ardores tenebrosos tartari. Sed

interim

interim vobis permissum est vestram exerere & exercere potentiam: qua ne nimium tamen gloriemini, memineritis eam breviter finiendam esse: non enim sempiternum seculum est, quod vestræ libidini permittitur: sed instar horæ brevis propter Electos tempus abbreviatum, ne ultra tentarentur, quàm possent ferre. Igitur non diu futura, non diu duratura est hora hæc vestra & potestas tenebrarum, ut quæ tantum præsentis locum obtinet quod semper est instantaneum: quippe quod & præteritum perdidit & futurum non attigit. Hac igitur hora vestra quæ tam brevis est, ne quid inde vobis pereat, protinus abuti pergite: & quia me ad perdendum quæritis, quod facitis, cito facite, me statim comprehendite: sed finite hos abire.

Tunc Discipuli relicto eo omnes fugerunt.

Vel ex hoc loco facilè possis perspicere, quam acclivis & ardua virtus patientia est. Multi siquidem animos inducunt suos, ut mortem fortiter indubitatam maneant, modo ferientes liceat referire & illatis vicissim vulneribus animo morem gerere: cæterum adempto prorsus ulciscendi solatio mortem tam patienter ferre, ut non modo non referias, sed ne pro verbere quidem verbum iratum referas; id demum certe virtutis excelsæ tam sublime fastigium est, ut nec Apostoli adhuc tam firmi fuerint, ut eo suffecerint ascendere. Nam & hi (memores nimirum magnificè se pollicitos morituros potius cum illo, quam defecturos) eousque saltem perdurarunt, ut si daretur dimicando cadere, mori se paratos omnes profiterentur. Petrus verò ipsa etiam re (edito in Malchum specimine) declararit. At posteaquam Servator nec pugnandi licentiam, nec repugnandi potestatem dedit, relicto eo omnes fugerunt.

Mihi quidem aliquando dubitare subiit, quum Christus ab oratione divertens Apostolos inviseret, inveniretque dormientes, utrum ad utramque classem se contulerit: an ad eos duntaxat, quos longius provexerat, ac sibi locarat proximos. Verum nunc nihil prorsus dubito, quin omnes fugerint, qui dormierunt, quum hæc Evangelistæ verba considero, quod eo relicto omnes fugerunt. Quum enim vigilare debebant & orare (quod toties eos monuit Christus) ne intrarent in tentationem: dormiendo dederunt tentatori locum, ut nutantes & incogitantes eorum voluntates vel ad pugnandum vel fugiendum, quàm ad patiendum paratiores faceret: atque ideo relinquentes eum omnes fugerunt, impletumque est illud Christi verbum: Omnes vos hac nocte scandalum in me patiemini. Et simul illud Prophetæ vaticinium: Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. Zachar. 13.

Adolescens autem quidam sequabatur eum amictus syndone super nudo, & ille rejecta syndone nudus profugit ab eis.

Adolescens iste qui fuerit, pro certo non est compertum. Sunt qui putent, Jacobum fuisse illum, qui vocabatur frater Domini, quiq; Justi cognomine insignitus est. Alii Johannem autumant Evangelistam, qui Domino semper amore quodam præcipuo dilectus est, & quem adhuc adolescentiam non excessisse, vita ejus argumentum facit tam multos annos post Christi mortem superstitis. Defunctus est enim (Hieronymo teste) anno post Passionem Domini octavo supra sexagesimum. Non desunt tamen ex antiquis scriptoribus, qui adolescentem hunc fuisse scribant nullum ex Apostolis, sed quendam è ministris illius familiæ, in qua Christus ea nocte celebrarat Pascha. Et ego certe sic sentientibus facilius inclinor ut assentiam. Nam (ut omittam quod mihi non videtur verisimile, Apostolum pro vestitu, sola usum syndone præsertim sic discincta, ut subito posset abjici) movet me in eam partem ipse contextus historiæ, tum verba ipsa narrantis. Siquidem ex his qui censent, eum fuisse aliquem ex Apostolis, præcipua pars inclinat in Johannem. Sed id ne mihi videatur admodum probabile, ejusdem Johannis hæc verba faciunt.

Sequebatur autem Jesum Simon Petrus & alius discipulus; Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introivit cum Jesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo Discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum.

Qui scribunt fuisse beatum Evangelistam, qui Christum sequens quum prehenderetur, effugit: in eo nonnihil hærent, quod abjecta syndone profugit nudus, quæ res pugnare videbatur cum his quæ consecuta sunt: nempe quod in atrium Pontificis introierit, quod Petrum introduxerit (nam hunc fuisse Evangelistam omnes consentiunt) ac demum secutus sit usque ad locum crucis, crucifixo denique cum Christi matre dilectissima virgo purus cum virgine purissima pariter astiterit, sibiq; ab ipso commendatam acceperit deinceps in suam, nec dubium quin hoc toto tempore atque his locis omnibus amictus indumento, Christi enim fuit, non Cynicæ sectæ discipulus, eoque tametsi prudentia satis eum docuit, non esse refugiendam corporis nuditatem, sicubi res eam flagitet aut exigat necessitas: tamen ut gratis ultro prodiret nudus in conspectum publicum, virgineus opinor non est passus pudor. Sic igitur ex hac angustia se explicant, ut dicant, eum alio divertisse interea & se vestivisse denuo. Qua in re non decrevi contendere, sed mihi tamen non fit verisimile, præsertim quum hic eum videam perpetuo secutum cum Petro, & cum Jesu simul introiisse in domum Annæ, qui socer erat Pontificis. Cæterum ut his accedam, qui adolescentem hunc nullum ex Apostolis esse censent, sed quendam è ministris diversorii, illud me valde commovet: quod Evangelista Marcus fuga dilapsos Apostolos & restantem tamen hunc adolescentem sic inter se connectit. Tunc Discipuli ejus relinquentes eum omnes fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum. En, Apostolos aufugisse dicit, non quosdam, sed omnes: mansisse verò secutumque Christum non ex Apostolis quenquam (quippe qui

pe qui

pe qui jam omnes fugerant) sed adolescentem quendam, hoc est (ut videtur) ignotum: cujus nomen aut ignoravit, aut commemorare non censuit operæ pretium. Hic igitur adolescens ut mihi quidem videtur & antea permotus Christi fama, & nunc dum discumbenti cum Discipulis inferret esculenta præsentiam contemplatus, arcano tactus afflatu Spiritus imbibit charitatem, deinde studio veræ pietatis illectus exeuntem foras à cœna paulo fortasse longius ab Apostolis, sed cum Apostolis tamen consecutus est, reseditque & surrexit cum illis, denique superveniente turba simul se cum illis immiscuit. Super hæc quum illos omnes inter torpentium manus militium suus quenquam terror abstulisset: hic adolescens eo fidentius ausus est manere, quod amorem suum meminerat, quo ferebatur in Christum nondum cuiquam cognitum. Sed quam difficile est dissimulare, quum ames? Adolescens hic quanquam jam illorum immixtus turbæ, qui Christum habebant odio: tamen ita semet passu, gestu quoque prodidit, ut omnibus palam fecerit, Christum desertum à cæteris, non animo persequendi se, sed obsequendi. Quum igitur advertissent tandem, reliquos omnes ex Christi comitatu fugisse, in unum hunc quem restitisse vident, Christumq; adhuc ausum sequi, rapide conjiciunt manus. Quæ res mihi satis manifestum facit, idem in Apostolos omnes decrevisse eos, sed attonitos amisisse subito, ne frustraretur illud quod Christus præcipiendo prædixerat: Sinite hos abire. Quod verbum Christus non ad solos pertinere volebat Apostolos, quos elegerat, quanquam ad illos voluit pertinere præcipue, sed quo benignitas ejus porrigeretur uberior, ad hunc adolescentem voluit id pertinere præterea, qui non accersitus in sanctum comitatum suum sua sponte subsecutus irrepserat. Atque hoc pacto Christus & magis exerebat occultam potestatem suam, & magis prodidit imbecillitatem turbæ, quæ non solum amisit improvidens undecim, quos abire gravatim ferret: sed ne unum quidem adolescentem omnes retinere poterant, cui & manus injecerant, &, quantum licet conjectura consequi, agmine suo vallaverant: nam & tenuerunt eum, & ille rejecta syndone nudus profugit ab eis. Neque certè quidquam dubito, quin ut Christum ea nocte subsecutus est: nec nisi post fuga digressos Apostolos ultimus avelli potuit, idque injectis manibus & rigide facta vi: sic ubi primum aperuit se occasio, in Christi gregem redierit, modoque cum Christo vivat in sempiterna gloria, ubi Deum precor speroque fore, ut aliquando vivamus cum illo: tum quis fuerit, ab ipso cognoscemus, multaque ejus noctis alia, quæ scriptis comprehensa non sunt, summa cum suavitate pernoscemus exactius. Interea quo tutius ac facilius illuc nobis iter fiat, haud quaquam parum proderit, si ex discipulorum fuga, priusquam prenderentur, & hujus adolescentis effugio, postquam prehensus est, animæ nostræ consilia salutaria decerpentes viatici vice nobiscum portemus in via. Admonet enim nos antiqui Patres Ecclesiæ, ne quisquam nimium suis confisus viribus ultro semet temerè mittat in peccandi periculum. Quod si qua forte quispiam in eum locum venerit, ubi sentit impendere discrimen, ne contra Deum vi cogatur offendere: faciat, quod hic fecerunt, qui captionem fuga prævenerunt. Nec tamen hæc eò dicta sunt, ut Apostolorum fuga laudetur, utpote quoniam Christus etsi misericors indulserit eorum infirmitati: tam longè tamen abest, ut laudarit: ut etiam scandalum illis illam fore eadem nocte prædixerit. Verum si nos sentimus animo parum firmos, tunc hactenus eorum illam fugam omnes imitemur: quatenus sceleris admittendi periculum fugere sine scelere possumus. Alioqui enim, si quis tunc aufugiat, quum aut suæ salutis causa, aut suorum, quorum curam sibi commissam videt, Deus eum stare jubet & confidere: hic (nisi forte propter præsentem vitam facit, imo si propter præsentem vitam facit) facit omnino stolide. Quid enim stolidius, quam breve tempus & miserum æternæ felicitati præferre? At si propter futuram vitam facit, quoniam videlicet fugit, ne Deum cogatur offendere: & pessimè simul facit & stolidissimè. Est enim desertoris semper immensum facinus, cui quum adjuncta sit desperationis immanitas, transfugæ scelus exæquat. Nam quid potest excogitari deterius, quam desperato Dei præsidio, locum in acie quem tibi tuendum Deus tradidit, hosti fugientem prodere? Præterea quid insanius, quàm ne forte peccare te contingat, si manseris: ideo certum designare flagitium fugiendo? Cæterum quando fugere Deo non offenso licet, ibi nimirum tutius est maturandæ fugæ consilium, quam cunctando captum in horrendi criminis discrimen cadere. Facilis enim res est, & (ubi fas est) tuta tempestivè fugere: difficilis verò & periculosa pugnare. Verum enimvero adolescens iste suo nos exemplo docet, quodnam illud genus hominum sit, quod diutius possit minore cum periculo subsistere: & si contigerit capi, ex ipsis etiam manibus capientium facile possit evadere. Nam is adolescens, quanquam post omnes restitit, Christumque tam diu subsecutus est, quoad injectis manibus tenuerunt eum: tamen quia non erat variis indutus vestibus, sed tantum sola simplicique syndone, nec in illam ipsam quidem vel insutus vel infibulatus, sed superjecta negligenter amictus super nudo, nimirum sic, ut facilè posset excutere, subito rejecta, & in capientium manib9 illic relicta syndone nudus aufugit ab eis, & nucleum auferens reliquit pignori putamina. Quid hoc figurat nobis? quid inquā aliud, quam quod non aliter ac ventricosus quispiam & obeso tardus abdomine, aut is qui densa vestium sarcina vadit onust9, ineptus redditur ad incitatum cursum: sic ingruente tribulationis angustia vix vir ille potest inde fugere, qui multis opum sacculis, circum-

cumcinctus est. At nec is quidem celerem unquam cursum conficiet, qui veste quantumvis tenui nodis in arctum tractis sic incingitur, ut libere spirare non possit. Facilius enim fugiet, qui magnam gestans cito potest abjicere: quam si quis admodum parvam sic alligatam habeat in cervice, ut eam necesse sit, quocunque procurrat, ferre. Videre licet rarius quidem istud, quam vellem, sed (laus sit Deo) videre licet interdum homines apprime divites, qui potius parati sint pariter universa perdere: quam offenso Deo quicquam servare cum scelere. Hi vestes multas habent, sed quia non sunt incincti, quum periculum fugam suadet, facile rejectis vestibus effugiunt. Contra vero videmus quosdam & hos multos plures, quam vellem, quibus quum tenue contigerit indumentum & perquam curta suppellex: ita tamen ad inopes illas opes suas suos ferruminarunt affectus, ut potius quam se patiantur ab illis distrahi, cutem à carne facilius possis avellere. Talis fugam capessat oportet in tempore. Nam si semel apprehensa veste teneatur: peribit ipse potius, quam relinquat syndonem. In summa, docemur adolescentis hujus exemplo, propter orientes tribulationes subitas, & ex improviso ingruentia pericula, ne forte res fugam postulet, semper ut parati simus nec ita variis vestibus onusti, nec una quidem sic infibulati: quin, quum res urgeat, abjecta syndone nudi possimus effugere. Quin si cui paululum prospicere adhuc libet longius, videre potest in hoc adolescentis facto commendatum nobis documentum adhuc multo fortius. Siquidem vestimenti vice corpus
Apoc. 3. animæ est. Anima corpus induit, quum ingreditur mundum: corpus exuit, quum moriens hinc egreditur. Tum quanto corpore vestis vilior est, tanto est anima corpore pretiosior: nec minus furiosè fecerit, qui animam impendat corpori, quàm si quis sic insaniat, ut corpus optet potius, quàm pallium perdere. Nam de corpore quidem Christus sic: Nonne corpus est (inquit)
Matt. 6. plus quàm vestimentum? Sed quanto plus animam prædicat? Quid prodest (inquit) tibi, si universum mundum lucreris: animæ vero tuæ detrimentum patiaris, aut quam commutationem dabit homo pro anima sua? Dico autem vobis amicis meis: ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis
Matt. 10. quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. Admonet ergo nos hoc adolescentis exemplum, cujusmodi nobis debeat animæ nostræ vestimentum corpus adversus tales necessitates esse: ne sit videlicet obesum luxu, libidine diffluens, sed velut syndon tenuis, crassitiem scilicet exhauriente jejunio; tum cui non ita forti constringamur affectu, quin ubi Dei causa postulet: libenter possimus abjicere. Hoc nos docet adolescens iste, qui, quum teneretur ab impiis: potius quàm facere aut dicere quidquam cogeretur, quod honori Christi posset adversari: relicta syndone nudus aufugit ab eis. Fecit huic adolescenti simile alius olim adolescens prior, sanctus & innocens Patriarcha Joseph, insigne documentum posteris, non secius ab incesti stupri periculo, quam ab intentata cæde fugiendum. Illum enim, quod esse facie pulchra & decorus aspectu, Putipharis uxor, cujus domui servus præfectus est, oculis in eum conjectis adamavit, eoque furoris tandem insana libidine percita provehitur: ut non vultu tantum verbisque impudens ultro se juveni offerret, abhorrentemque illiceret, sed & detrectanti manibus injectis, prehensa veste, viro mulier (proh pudor) inferret vim: at ille, quum mori mallet, quàm nefarium scelus admittere sciretque simul, quam periculosum sit, contra præsentem veneris copiam cominus inire conflictum, nec illam tutius quenquam posse, quàm fugiendo vincere: in adulteræ manu relicto pallio, celeri fuga sese proripuit foras. Cæterum nobis (quod institui dicere) non pallium, non toga, non tunica, non aliud ejusmodi vestimentum corporis: sed animæ quoque vestis corpus ipsum, potius quam flagitium admittamus, abjiciendum est. Nam si id studemus peccando servare, perdimus, & animam simul amittimus: sin ob amorem Dei patienter sustinemus amittere, quemadmodum anguis pellem veterem, quem (opinor) senectam vocant, spinis & tribulis affricatam exuit, & relinquens in sepibus nitidus & juvenescens egreditur: ita nos Christi consilium sequentes, prudentes scilicet sicut serpentes effecti, corpus hoc vetustum, velut anguinam senectam inter spinas tribulationis effricatum ob amorem Dei relinquentes in terris, niti nimirum & juvenes nunquam post illa sensuri senium, propere subvehemur in cœlum.

DE CHRISTI CAPTIONE.

Tunc accesserunt & manus injecerunt in Iesum. Cohors autem & Tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & tenentes ligaverunt & adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim socer Caiphæ. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudæis, quia expedit unum hominem mori pro populo. Et convenerunt in unum omnes Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi & Seniores.


Quo tempore primum in Christum manus injectæ sint, sententiæ Doctorum variant: dum ex Evangelistarum de re concordium, sed in recensendi modo variantium (quippe quod unus anticipat, alius intermissum repetit) ex interpretibus nihil historiæ veritati derogantes, nihil præjudicantes invicem alius aliam conjecturam sequitur. Matthæus siquidem ac Marcus eo rem recensent ordine ut liceat conjicere protinus post osculum Judæ, manus injectas in Jesum, eamque conjecturam quum alii Doctores Ecclesiæ non incelebres, tum vir egregius Joannes Gerson in eo opere, cui titulum fecit Μονοτέσσαρον (quod opus ejus dum Passionis ordinem percenseo, ipse quoque in præsenti potissimum delegi mihi) comprobat, & historiam contexendo sequitur. Quo uno in loco tamen ipse deflectens ab illo secutus eos sum (qui quidem & ipsi celebres Autores sunt) qui ductis ex Lucæ & Johannis narratione conjecturis valde similibus veri censent post, osculo dato, regressum ad cohortem, & Judæos Judam, post prostratam Christi sola voce cohortem post, amputatam sanatamque rursus servi summi sacerdotis auriculam, post cohibitos, ne pugnarent, reliquos, post increpitum, qui pugnarat Petrum, post compellatos iterum qui tum aderant magistratus Judæorum denunciatamque, quod ante non poterant, capiendi tum concessam facultatem, post Apostolos omnes elapsos fuga, post adolescentem, qui, quanquam captus, teneri tamen non potuit, alacri nuditate servatum, tum demum primum manus injectas in Jesum.

Thomas Morus in hoc opere ulterius progressus non est, hactenus enim cum esset perventum, omni negato scribendi instrumento, multo arctius quam antea in carcere detentus: non ita multo post prope turrim Londinensem loco consueto securi percussus est, secundo Nonas Julii, Anno Domini supra millesimum quingentesimo tricesimo quinto, Regis vero Henrici Octavi vicesimo septimo.

QUOD

QUOD
PRO FIDE
MORS FVGIENDA
NON SIT.

AUCTORE
THOMA MORO,
Dum in arce Londinenſi detineretur,
ANNO
M D XXXIV.



QVOD MORS PRO FIDE NON SIT FUGIENDA.

VITA per offensam Dei servata, erit ei qui sic se servaverit odibilis. Nam qui sic vitam tuam servaveris, tute postridie vitam tuam odio habebis, & dolebis vehementer mortem te non pertulisse pridie. Nam restare tibi mortem recordaberis, quæ qualis futura sit, nescis, neque quàm cito ventura. Et merito habes metuere, ne mortem sic dilatam sequantur inferorum tormenta, ubi desiderabunt homines mori, & mors fugiet ab eis, quum eam mortem quam fugisti, secutura fuerint æterna cœlorum gaudia. Quam stultum est vitando mortem temporaneam, incurrere in æternam, nec temporaneam vitare tamen, sed paulisper differre. Nam si in præsentiarum mortem vitaris, an perpetuo jam victurus es? aut alio tempore sine pœna moriturus? Imo continget tibi fortasse, quod diviti longam sibi vitam promittenti, Christus impendisse commemorat: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te. Cæterum hoc certè certum habes, quod & mori aliquando debes, & (quæ est humanæ vitæ brevitas) vivere diu non potes. Denique nec hoc opinor dubitas, quod cum fatalis morbus advenerit, & appetentis mortis molestia cœperit ingravescere, optabis te fuisse pridem pro animæ tuæ conservatione, quantumvis cruciabili morte, peremptum. Non est illud ergo tam desperate metuendum tibi ne fiat, quod fuisse factum scis te paulo post exoptaturum. Qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendant animas suas. Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem nobis fit, quasi novi aliquid nobis contingat: sed communicantes Christi Passionibus gaudete, ut & in revelationem gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Pudeat bonos in bonis timidiores esse, quam nati sunt in malis. Audire siquidem latrones licet dicentes, ignavum esse eum, qui refugiat septennii voluptatem, ne post patiatur dimidiatæ horæ suspendium. Et Christianum hominem non pudeat, potius æternam vitam & felicitatem perdere, quam pati velit brevem mortem paulo citius, quam tamen scit se necessario passurum paulo serius, & nisi pœniteat, à morte temporalium ruiturum protinus in æternam, eamque plenam tormentis omni morte molestioribus? Si quis vel unum conspicere posset ex dæmonibus illis, qui magno numero nos expectant, ut in æternum crucient, omnes mortalium hominum minas unius terrore floccifaceret. Et quanto magis floccifaceret, si videre posset cœlos apertos, & Jesum stantem, sicut vidit beatus Stephanus? Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. Bernardus: Gratias ago magno illi Leoni de tribu Juda: rugire iste potest, mordere non potest. Quantumcunque minetur, non simus bestiæ, ut nos prosternat vacans ille rugitus. Vere bestia est, veræ rationis expers, qui tam pusillanimis est, ut solo timore cedat, qui sola futuri laboris exaggeratione victus ante conflictum, non telo, sed tuba prosternitur. Nondum restitistis usque ad sanguinem, ait strenuus ille dux, qui leonis hujus noverat vanum esse rugitum. Et alius: Resistite, inquit, diabolo, & fugiet à vobis: Resistite fortes in fide. Eos qui spe in Deum relicta, fugiunt ad humanum auxilium, perituros prædicit cum suo auxilio. Sic periit Saul Rex, qui murmurans, impatiens, & desperans de Deo, quia non statim exauditus est, transtulit se ad consulendum Phitonissam, quum prius omnes Phitonissas edicto publico jussisset puniendas.



PRE-

PRECATIO, EX PSALMIS COLLECTA,

PER

THOMAM MORUM,

In arce Londinensi agentem,

ANNO

M D XXXIV.

Cui ipse hunc Titulum posuit:

IMPLORATIO DIVINI AUXILII CONTRA TENTATIONEM,

CUM INSULTATIONE CONTRA DÆMONES, EX SPE ET FIDUCIA IN DEUM.

DOMINE, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.
Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo ejus.
Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.
Ego dormivi, & soporatus sum: & exsurrexi, quia Dominus suscepit me.
Non timebo millia populi circundantis me, exsurge Domine, salvum me fac Deus meus.
Psal. 5. Domine deduc me in justitia tua, propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.
Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est.
Sepulchrum patens est guttur eorum, judica illos Deus.
Decidant à cogitationibus suis: secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te Domine.
Et lætentur omnes qui sperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis.
Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.
Psal. 7. Domine Deus meus in te speravi, salvum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.
Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.
Exsurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum.
Persequitur inimicus animam meam ut comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.
Arcum suum tetendit, & paravit illum: & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.
Ecce parturit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.
Lacum aperuit, & effodit eum, incidit in foveam quam fecit.
Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.
Confitebor Domino secundum justitiam ejus: & psallam nomini Domini altissimi.
In pace in idipsum dormiam & requiescam.
Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.
Psal. 9. Miserere mei Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis.
Et sperant in te, qui noverunt nomen tuum Domine, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.
Et factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus in tribulatione.
Ut quid Domine recessisti longe, despicis in opportunitatibus in tribulatione?
Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.
Exsurge Domine Deus, exaltetur manus tua, ne obliviscaris pauperum.
Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adjutor.
Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua.
Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus.
Oculi ejus in pauperem respiciunt: palpebræ ejus interrogant filios hominum.
Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus.
Domine Deus meus in te speravi, salvum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.
Usquequo Domini oblivisceris me in finem? Psal. 12.
usquequo avertis faciem tuam à me?
Quamdiu ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem?
Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice, & exaudi me Domine Deus meus.
Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.
Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero: ego autem in misericordia tua speravi.
Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini altissimi.
Conserva me Domine, quoniam speravi in te: Psal. 15.
dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.
Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non Psal. 16.
moveantur vestigia mea.
Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.
Providebam Dominum in conspectu meo, Psal. 15.
quoniam à dextris est mihi, ne commovear.
Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe.
Tu illuminas lucernam meam Domine Deus Psal. 17.
meus, illumina tenebras meas.
Quoniam in te eripiar à tentatione, in Deo meo transgrediar murum.
Deus meus impolluta via ejus, eloquia Domini igne examinata, protector est omnium sperantium in se.
Quoniam quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum.

Ego

Psal. 21. Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.
Omnes videntes me, deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & moverunt caput.
Tu es qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab uberibus matris meæ, in te projectus ſum ex utero.
De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne diſceſſeris à me.
Quoniam tribulatio proxima eſt, quoniam non eſt qui adjuvat.
Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum à me, ad defenſionem meam conſpice.
Etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.
Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.
Psal. 24. Ad te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubeſcam.
Neque irrideant me inimici mei, etenim univerſi qui ſuſtinent te, non confundentur.
Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris.
Secundum miſericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.
Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.
Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.
Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, de neceſſitatibus meis erue me.
Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte univerſa delicta mea.
Psal. 26. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?
Dominus protector vitę meę, à quo trepidabo?
Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum.
Si exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo.
Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.
Ut videam voluptatem Domini, & viſitem templum ejus.
Exaudi Domine vocem meam qua clamavi ad te, miſerere mei, & exaudi me.
Tibi dixit cor meum; Exquiſivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.
Ne avertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſervo tuo.
Adjutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus.
Credo videre bona Domini in terra viventium.
Expecta Dominum, viriliter age: confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.
Psal. 27. Ad te Domine clamabo, Deus meus ne ſileas: ne quando taceas à me, & aſſimulabor deſcendentibus in lacum.
Psal. 29. Pſallite Domino Sancti ejus, & confitemini memoriæ ſanctitati ejus.
Quoniam ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus.
Ad veſperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.
Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.
Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor.
Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem.
In te Domine ſperavi, non confundar in æternum, in juſtitia tua libera me. Psal. 30.
Inclina ad me aurem tuam, accelera, ut eruas me.
Eſto mihi in Deum protectorem, & in Domum refugii, ut ſalvum me facias.
Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.
Educes me de laqueo quem abſconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.
In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis.
Miſerere mei Domine, quoniam tribulor, conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea & venter meus.
Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.
Infirmata eſt in paupertate virtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt.
Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium, vicinis meis valde, & timor notis meis.
Qui videbant me foras, fugerunt à me: oblivioni datus ſum tanquam mortuus à corde.
Factus ſum tanquam vas perditum: quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.
In eo dum convenirent ſimul adverſum me, accipere animam meam conſiliati ſunt.
Ego autem in te ſperavi Domine, dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ.
Illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum, ſalvum me fac in miſericordia tua Domine, non confundar, quoniam invocavi te.
Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.
Ecce oculi Domini ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus. Psal. 32.
Ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.
Anima noſtra ſuſtinet Dominum, quoniam adjutor & protector noſter eſt.
Quia in eo lætabitur cor noſtrum, & in nomine ſancto ejus ſperavimus.
Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te.
Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Psal. 33.
Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.
Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus, beatus eſt vir qui ſperat in eo.
Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam non eſt inopia timentibus eum.

Divi-

Divites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominũ non minuentur omni bono.

Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit.

Psal. 35. Filii hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt, inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.

Quoniam apud te est fons vitæ,& in lumine tuo videbimus lumen.

Psal. 37. Domine,ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ,non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum & curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sint illusionibus, & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est,dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Amici mei & proximi mei, adversum me appropinquaverunt & steterunt.

Et qui juxta me erant,de longe steterunt,& vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi,locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speravi, tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi; Nequando supergaudeant mihi inimici mei, & dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt,qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.

Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

Psal. 38. Dixi,Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.

Posui ori meo custodiam,cum consisteret peccator adversum me,

Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis, & dolor meus renovatus est.

Concaluit cor meum intra me,& in meditatione mea exardescet ignis.

Loquutus sum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum.

Et numerum dierum meorum quis est,ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te.

Veruntamen universa vanitas, omnis homo vivens.

Veruntamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur.

Thesaurizat, & ignorat,cui congregabit ea.

Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus? & substantia mea apud te est.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me, opprobrium insipienti dedisti me.

Obmutui, & non aperui os meum: quoniam tu fecisti, amove à me plagas tuas.

A fortitudine manus tuæ ego defeci, in increpationibus propter iniquitatem corripisti hominem.

Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus, veruntamen vane conturbatur omnis homo.

Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lachrymas meas.

Ne sileas: quoniam advena ego sum apud te,& Psal. 39.
peregrinus, sicut omnes Patres mei.

Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero.

Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates, & insanias falsas.

Multa fecisti tu Domine mirabilia tua,& cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Tu autem Domine longe facias miserationes tuas à me, misericordia tua & veritas tua susceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi Domine,ut eruas me: Domine ad adjuvandum me respice.

Exultent & lætentur super te omnes quærentes te, & dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus solicitus est mei.

Adjutor meus & protector meus tu es, Deus meus ne tardaveris.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes Psal. 41.
aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

Fue-

Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.

In voce exultationis & confessionis sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.

Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui de terra Jordanis & Hermonii à monte modico.

Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua & fluctus tui super me transiverunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam & nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo, Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos die, ubi est Deus tuus.

Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus.

Psal. 45. Deus noster refugium & virtus: adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum: conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus non commovebitur, adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Psal. 50. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me à facie tua: & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium dedissem: utique holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo, spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum, Deus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Hierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitię oblationes & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam, intende mihi & exaudi me. Psal. 54.

Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me.

Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.

Et dixi; Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?

Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.

Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Psal. 61.

Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus, non movebor amplius.

Quousque irruitis in homines? interficitis universi nos, tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ?

Veruntamen Deo subjecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.

Quia ipse Deus meus & Salvator meus, Adjutor meus, non emigrabo.

In Deo salutare meum, & gloria mea, Deus auxilii mei & spes mea in Deo est.

Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra, adjutor Deus noster in æternum.

Semel locutus est Dominus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera sua.

Psal. 62. Deus, Deus meus ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta, invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi: ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.

Sic memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo: adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in Deo: laudabuntur omnes qui jurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi DEUS, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

F I N I S.




THOMÆ

THOMÆ MORI
UTOPIA,
SIVE
DE OPTIMO REIPUBLICÆ STATU,
LIBRI DUO.

FRANCOFURTI AD MOENUM,
Ex Officina Christiani Genschii.

DES. ERASMUS ROTERODAMUS
JOHANNI FROBENIO,
Compatri suo carissimo
S. D.



Um antehac omnia Mori mei mihi supra modum semper placuerint, tamen ipse meo judicio nonnihil diffidebam, ob arctissimam inter nos amicitiam. Cæterùm ubi video, doctos uno ore omnes meo subscribere suffragio, an vehementius etiam divinum hominis ingenium suspicere, non quod plus ament, sed quòd plus cernant: seriò plaudo meæ sententiæ, nec verebor posthac, quod sentio, palàm eloqui. Quid tandem non præstitisset admirabilis ista naturæ felicitas, si hoc ingenium instituisset Italia? si totum Musarum sacris vacasset, si ad justam frugem ac velut autumnum suum maturuisset? Epigrammata lusit adolescens admodum, ac pleraque puer. Britanniam suam nunquam egressus est, nisi semel atque iterum, Principis sui nomine legatione fungens apud Flandros. Præter rem uxoriam, præter curas domesticas, præter publici muneris functionem, & causarum undas, tot tantisque regni negotiis distrahitur, ut mireris esse otium vel cogitandi de libris. Proinde misimus ad te Progymnasmata illius, & Utopiam, ut si videtur, tuis excusa typis orbi posteritatique commendentur: quando ea est tuæ officinæ autoritas, ut liber vel hoc nomine placeat eruditis, si cognitum sit, è Frobenianis ædibus prodiisse. Bene vale cum optimo Socero, Conjuge suavissima, ac mellitissimis liberis. Erasmum filiolum mihi tecum communem, inter literas natum, fac optimis literis instituendum cures. Lovanii VIII. Cal. Septembr. Anno M D XVII.

THOMAS



THOMAS MORUS PETRO ÆGIDIO S. D.

PUdet me propemodum, cariſſime Petre Ægidi, libellum hunc de Utopiana Republica, poſt annum fermè ad te mittere, quem te non dubito intra ſeſquimenſem expectaſſe. Quippe quum ſcires mihi demptum in hoc opere inveniendi laborem, neque de diſpoſitione quicquam fuiſſe cogitandum, cui tantum erant ea recitanda, quæ tecum unà pariter audivi narrantem Raphaelem. Quare nec erat quod in eloquendo laboraretur, quando nec illius ſermo potuit exquiſitus eſſe, quum eſſet primum ſubitarius atque extemporalis, deinde hominis, ut ſcis, non perinde Latinè docti quam Græcè: & mea oratio quanto accederet propius ad illius neglectam ſimplicitatem, tanto futura ſit propior veritati, cui hac in re ſoli curam & debeo & habeo. Fateor, mi Petre, mihi adeo multum laboris his rebus paratis detractum, ut penè nihil fuerit relictum: alioquin hujus rei vel excogitatio, vel œconomia, potuiſſet ab ingenio neque infimo, neque prorſus indocto, poſtulare, tum temporis nonnihil, tum ſtudii. Quod ſi exigeretur, ut diſertè etiam res, non tantum verè, ſcriberetur, id verò à me præſtari, nullo tempore, nullo ſtudio potuiſſet. Nunc verò quum ablatis curis his, in quibus tantum fuit ſudoris exhauriendum, reſtiterit tantum hoc, uti ſic ſimpliciter ſcriberentur audita, nihil erat negotii. Sed huic tamen tam nihili negotio peragendo, cætera negotia mea minus ferè quàm nihil temporis reliquerunt: dum cauſas forenſes aſſiduè alias ago, alias audio, alias arbiter finio, alias judex dirimo: dum hic officii cauſa viſitur, ille negotii: dum foris totum fermè diem aliis impertior, reliquum meis, relinquo mihi, hoc eſt literis, nihil. Nempe reverſo domum cum uxore fabulandum eſt, garriendum cum liberis, colloquendum cum miniſtris. Quæ ego omnia inter negotia numero, quando fieri neceſſe eſt, (neceſſe eſt autem, niſi velis eſſe domi tuæ peregrinus) & danda omnino opera eſt, ut quos vitæ tuæ comites aut natura providit, aut fecit caſus, aut ipſe delegiſti, his ut te quam jucundiſſimum compares, modò ut ne comitate corrumpas, aut indulgentia ex miniſtris Dominos reddas. Inter hæc, quæ dixi, elabitur dies, menſis, annus. Quando ergo ſcribimus? Nec interim de ſomno quicquam ſum loquutus, ut nec de cibo quidem, qui multis non minus abſumit temporis, quam ſomnus ipſe, qui vitæ abſumit fermè dimidium. At mihi hoc ſolum temporis acquiro, quod ſomno ciboque ſuffuror: quod quoniam parcum eſt, lentè, quia tamen aliquid, aliquando perfeci; atque ad te, mi Petre, tranſmiſi Utopiam, ut legeres, & ſi quid effugiſſet nos, uti tu admoneres. Quanquam enim non hac parte penitus diffido mihi (qui utinam ſic ingenio atque doctrina aliquid eſſem, ut memoria non uſquequaque deſtituor) non uſque adeò tamen confido, ut credam nihil mihi potuiſſe excidere. Nam & Johannes Clemens, puer meus, qui adfuit, ut ſcis, unà, ut quem à nullo patior ſermone abeſſe, in quo aliquid eſſe fructus poteſt, quoniam ab hac herba, qua & Latinis literis & Græcis cœpit evireſcere, egregiam aliquando frugem ſpero, in magnam me conjecit dubitationem. Siquidem quum, quantum ego recordor, Hythlodæus narraverit Amauroticum illum pontem, quo fluvius Anydrus inſternitur, quingentos habere paſſus in longum, Johannes meus ait, detrahendos eſſe ducentos, latitudinem fluminis haud ſupra trecentos ibi continere. Ego te rogo, rem ut revoces in memoriam. Nam ſi tu cum illo ſentis, ego quoque aſſentiar, & me lapſum credam: ſin ipſe non recolis, ſcribam, ut feci, quod ipſe recordari videor mihi. Nam ut maximè curabo, ne quid ſit in libro falſi, ita ſi quid ſit in ambiguo, potius mendacium

dicam, quam mentiar: quod malim bonus eſſe, quam prudens. Quanquam facile fuerit huic mederi morbo, ſi ex Raphaële ipſo aut præſens ſciſciteris, aut per literas. Quod neceſſe eſt, facias; vel ob alium ſcrupulum, qui nobis incidit, neſcio meane culpa magis, an tua, an Raphaelis ipſius. Nam neque nobis in mentem venit quærere, neque illi dicere, qua in parte novi illius orbis Utopia ſita ſit. Quod non fuiſſe prætermiſſum ſic, vellem profectò mediocri pecunia mea redemptum: vel quòd ſubpudet me neſcire, quo in mari ſit inſula, de qua tam multa recenſeam: vel quod ſunt apud nos unus & alter, ſed unus maximè, vir pius & profeſſione Theologus, qui miro flagrat deſiderio adeundæ Utopiæ, non inani & curioſa libidine colluſtrandi nova, ſed uti Religionem noſtram, feliciter ibi cœptam, foveat atque adaugeat. Quod quo faciat ritè, decrevit ante curare, ut mittatur à Pontifice, atque adeò ut creetur Utopienſibus Epiſcopus, nihil eo ſcrupulo retardatus, quòd hoc antiſtitium ſit illi precibus impetrandum. Quippe ſanctum ducit ambitum, quem non honoris aut quæſtus ratio, ſed pietatis reſpectus pepererit. Quamobrem te oro, mi Petre, uti aut præſens, ſi potes commodè, aut abſens per Epiſtolam, compelles Hythlodæum, atque efficias, ne quicquam huic operi meo aut inſit falſi, aut veri deſideretur. Atque haud ſcio, an præſter ipſum ei librum oſtendi. Nam neque alius æquè ſufficit, ſi quid eſt erratum, corrigere: neque is ipſe aliter hoc præſtare poteſt, quam ſi quæ ſunt à me ſcripta, perlegerit. Ad hæc, fiet ut hoc pacto intelligas, accipiatne libenter, an gravatim ferat, hoc operis à me conſcribi. Nempe ſi ſuos labores decrevit ipſe mandare literis, nolit fortaſſe me, neque ego certè velim, Utopienſium per me vulgata Republica, florem illi gratiamque novitatis hiſtoriæ ſuæ præripere. Quanquam, ut verè dicam, nec ipſe mecum ſatis adhuc conſtitui, an ſim omnino editurus. Etenim tam varia ſunt palata mortalium, tam moroſa quorundam ingenia, tam ingrati animi, tam abſurda judicia, ut cum his haud paulo felicius agi videatur, qui jucundi atque hilares genio indulgent ſuo, quam qui ſemet macerant curis, ut edant aliquid, quod aliis aut faſtidientibus, aut ingratis, vel utilitati poſſit eſſe, vel voluptati. Plurimi literas neſciunt, multi contemnunt: barbarus ut durum rejicit, quicquid non eſt plane barbarum: ſcioli aſpernantur ut triviale, quicquid obſoletis verbis non ſcatet: quibuſdam ſolum placent vetera, pleriſque tantum ſua: hic tam tetricus eſt, ut non admittat jocos: hic tam inſulſus, ut non ferat ſales: tam ſimi quidam ſunt, ut naſum omnem, velut aquam ab rabido morſus cane reformident: adeò mobiles alii ſunt, ut aliud ſedentes probent, aliud ſtantes. Hi ſedent in tabernis, & inter pocula de Scriptorum judicant ingeniis, magnaque cum autoritate condemnant, utcunque lubitum eſt, ſuis quemque ſcriptis, veluti capillitio vellicantes, ipſi interim tuti, & quod dici ſolet ἔξω βέλους: quippe tam leves & abraſi undique, ut ne pilum quidem habeant boni viri, quo poſſint apprehendi. Sunt præterea quidam tam ingrati, ut quum impenſe delectentur opere, nihilo tamen magis ament autorem: non abſimiles inhumanis hoſpitibus, qui quum opiparo convivio prolixè ſint excepti, ſaturi demum diſcedunt domum, nullis habitis gratiis ei, à quo ſunt invitati. I nunc, & hominibus tam delicati palati, tam varii guſtus, animi præterea tam memoris & grati, tuis impenſis epulum inſtrue. Sed tamen, mi Petre, tu illud age, quod dixi, cum Hythlodæo: poſtea tamen integrum erit hac de re conſultare denuò. Quanquam ſi id ipſius voluntate fiat: quandoquidem ſcribendi labore defunctus, nunc ſerò ſapio. Quod reliquum eſt, de edendo, ſequar amicorum conſilium, atque inprimis tuum. Vale, dulciſſime Petre Ægidi, cum optima Conjuge: ac me, ut ſoles, ama, quando ego te amo, etiam plus quàm ſoleo.

SERMO-

SERMONIS, QUEM RAPHAEL HYTHLODÆUS, VIR EXIMIUS,
De optimo Reipublicæ statu habuit,
LIBER PRIMUS:

Per illustrem Virum

THOMAM MORUM,
Inclytæ Britanniarum urbis Londini & Civem, & Vicecomitem.



Uum non exigui momenti negotia quædam invictissimus Angliæ Rex HENRICUS, ejus nominis Octavus, omnibus egregii Principis artibus ornatissimus, cum serenissimo Castellæ Principe CAROLO controversa nuper habuisset, ad ea tractanda, componendaque Oratorem me legavit in Flandriam, Comitem & collegam viri incomparabilis Cuthberti Tunstalli, quem sacris scriniis nuper ingenti omnium gratulatione præfecit. De cujus sane laudibus nihil à me dicetur, non quod vereat ne parum sinceræ fidei testis habenda sit amicitia, sed quòd virtus ejus ac doctrina major est, quàm ut à me prædicari possit, tum notior ubique, atque illustrior, quàm ut debeat, nisi videri velim Solem lucerna, quod ajunt, ostendere. Occurrerunt nobis Brugis (sic enim convenerat) hi quibus à Principe negotium demandabatur, egregii viri omnes. In his præfectus Brugensis, vir Magnificus, Princeps & caput erat: cæterum os & pectus Georgius Temsicius Cassiletanus Præpositus, non arte solum, verum etiam natura facundus, ad hæc Jureconsultissimus, tractandi verò negotii cùm ingenio, tum assiduo rerum usu eximius artifex. Ubi semel atque iterum congressi, quibusdam de rebus non satis consentiremus, illi, in aliquot dies vale nobis dicto, Bruxellas profecti sunt, Principis oraculum sciscitaturi. Ego me interim (sic enim res ferebat) Antverpiam confero. Ibi dum versor, sæpe me inter alios, sed quo non alius gratior, invisit Petrus Ægidius Antverpiæ natus, magna fide, & loco apud suos honesto, dignus honestissimo, quippe juvenis haud scio doctior ne, an moratior. Est enim & optimus & literatissimus, ad hæc animo in omnes candido, in amicos vero tam propenso pectore, amore, fide, affectu tam sincero, ut vix unum aut alterum usquam invenias, quem illi sentias omnibus amicitiæ numeris esse conferendum. Rara illi modestia, nemini longius abest fucus, nulli simplicitas inest prudentior. Porrò sermone tam lepidus, & tam innoxiè facetus, ut patriæ desiderium, ac laris domestici, uxoris & liberorum, quorum studio revisendorum nimis quàm anxiè tenebar, (jam tum enim plus quatuor mensibus abfueram domo) magna ex parte mihi dulcissima consuetudine sua, & mellitissima confabulatione levaverit. Hunc quum die quadam in templo divæ Mariæ, quod & opere pulcherrimum, & populo celeberrimum est, rei divinæ interfuissem, atque peracto sacro paratem inde in hospitium redire, fortè colloquentem video cum hospite quodam, vergentis ad senium ætatis, vultu adusto, promissa barba, penula neglectim ab humero dependente, qui mihi ex vultu atque habitu nauclerus esse videbatur. At Petrus ubi me conspexit, adit ac salutat. Respondere conantem seducit paululum: &, Vides inquit hunc? (simul designabat eum cum quo loquentem videram) eum, inquit, jam hinc ad te recta parabam ducere. Venisset, inquam, pergratus mihi tua causa. Imò, inquit ille, si nosses hominem, sua. Nam nemo vivit hodie mortalium omnium, qui tantam tibi hominum terrarumque incognitarum narrare possit historiam, quarum rerum audiendarum scio avidissimum esse te. Ergo, inquam, non pessimè conjectavi. Nam primo aspectu protinus sensi, hominem esse nauclerum. Atqui, inquit, aberrasti longissimè: navigavit quidem non ut Palinurus, sed ut Ulysses, imò velut Plato. Nempe Raphael iste, sic enim vocatur gentilitio nomine Hythlodæus, & Latinæ linguæ non indoctus, & Græcæ doctissimus (cujus ideo studiosior quàm Romanæ fuit, quoniam totum se addixerat Philosophiæ: qua in re nihil quod alicujus momenti sit, præter Senecæ quædam ac Ciceronis, extare Latinè cognovit) relicto fratribus patrimonio, quod ei domi fuerat (est enim Lusitanus) orbis terrarum contemplandi studio, Americo Vespucio se adjunxit, atque in tribus posterioribus illarum quatuor navigationum, quæ passim jam leguntur, perpetuus ejus comes fuit, nisi quod in ultima cum eo non rediit. Curavit enim, atque adeò extorsit ab Americo, ut ipse in his viginti quatuor esset, qui ad fines postremæ navigationis in Castello relinquebantur. Itaque relictus est, uti obtemperaretur animo ejus, peregrinationis magis, quàm sepulchri curioso: quippe cui hæc assidue sunt in ore, *Cælo tegitur, qui non habet urnam:* &, *Un-*

& , *Undiq; ad Superos tantundem esse via.* Quæ mens ejus, nisi Deus ei propitius adfuisset, nimio futura illi constitura. Cæterùm postquam digresso Vespucio multas regiones cum quinque Castellanorum Comitibus emensus est, mirabili tandem fortuna Taprobanen delatus inde pervenit in Caliquit: ubi repertis commodè Lusitanorum navibus, in patriam denique præter spem revehitur. Hæc ubi narravit Petrus, actis ei gratiis, quod tam officiosus in me fuisset, ut cujus viri colloquium mihi gratum speraret, ejus uti sermone frueret, tantam rationem habuisset, ad Raphaëlem me converto. Tum ubi nos mutuo salutassemus, atque illa communia dixissemus, quæ dici in primo hospitum congressu solent, inde domum meam digredimur: ibique in horto considentes, in scamno cespitibus herbeis constrato, confabulamur. Narravit ergo nobis, quo pacto posteaquam Vespucius abierat, ipse sociique ejus, qui in Castello remanserant, conveniendo atque blandiendo cœperint se paulatim ejus terræ gentibus insinuare: jamque non innoxiè modò apud eas, sed etiam familiariter versari, tum Principi cuidam (cujus & patria mihi & nomen excidit) grati, charique esse. Ejus liberalitate narrabat commeatum atque viaticum ipsi & quinque ejus Comitibus affatim fuisse suppeditatum, cum itineris (quod per aquam ratibus, per terram curru peragebant) fidelissimo Duce, qui eos ad alios Principes, quos diligenter commendati petebant, adduceret. Nam post multorum itinera dierum, oppida atque urbes ajebat repperisse se, ac non pessimè institutas, magna populorum frequentia, Respublicas: nempe sub Æquatoris linea tum hinc atque inde ab utroque latere, quantum ferè spatii Solis orbita complectitur, vastas objacere solitudines perpetuo fervore torridas. Squalor undique, & tristis rerum facies, horrida atque inculta omnia, feris habitata serpentibusque, aut denique hominibus neque minus efferis quàm sint beluæ, neque minus noxiis. Cæterùm ubi longius evectus sis, paulatim omnia mansuescere, cœlum minus asperum, solum virore blandum, mitiora animantium ingenia, tandem aperiri populos, urbes, oppida, in his assidua non inter se modò ac finitimos, sed procul etiam dissitas gentes, terra marique commercia. Inde sibi natam facultatem, multas ultrò citroque terras invisendi, quòd nulla navis ad iter quodlibet instruebatur, in quam non ille, Comitesque ejus libentissimè admittebantur. Naves quas primis regionibus conspexerunt, carina plana fuisse narrabat. Vela consutis papyris aut viminibus intendebantur, alibi coriacea. Post verò acuminatas carinas, cannabea vela repererunt. Omnia denique nostris similia, nautæ maris ac cœli non imperiti. Sed miram se narrabat iniisse gratiam, tradito Magnetis usu, cujus antea penitus erant ignari. Ideoque timidè pelago consuevisse sese, neque alias temerè, quàm æstate credere. Nunc verò ejus fiducia lapidis contemnunt hyemem, securi magis quàm tuti, ut periculum sit, ne quæ res magno eis bono futura putabatur, eadem per imprudentiam magnorum causa malorum fiat. Quid quoque in loco se vidisse narravit, & longum fuerit explicare, neque hujus est operis institutum, & alio fortasse loco dicetur à nobis, præsertim quicquid ex usu fuerit non ignorari: qualia sunt inprimis ea, quæ apud populos usquam civiliter conniventes animadvertit, rectè prudenterque provisa. His enim de rebus & nos avidissimè rogabamus, & ille libentissimè disserebat, omissa interim inquisitione monstrorum, quibus nihil est minus novum. Nam Scyllas & Celenos rapaces, & Lestrigonas populivoros, atque ejuscemodi immania portenta, nusquam ferè non invenias, at sanè ac sapienter institutos cives haud reperias ubilibet. Cæterùm ut multa apud novos illos populos adnotavit perperam consulta, sic haud pauca recensuit, unde possint exempla sumi corrigendis harum urbium, nationum, gentium, ac regnorum erroribus idonea, alio, ut dixi, loco à me commemoranda. Nunc ea tantum referre animus est, quæ de moribus atque institutis narrabat Utopiensium, præmisso tamen eo sermone, quo velut tractu quodam ad ejus mentionem Reipublicæ deventum est. Nam quum Raphael prudentissimè recensuisset, alia hîc, alia illic errata, utrobique certè plurima; tum quæ apud nos, quævé item sunt apud illos cauta sapientius; quum uniuscujusque populi mores atque instituta sic teneret, tanquam in quemcunque locum divertisset, totam ibi vitam vixisse videretur. Admiratus hominem Petrus: Miror profectò mi Raphael, inquit, cur te Regi cuipiam non adjungas, quorum neminem esse, satis scio, cui tu non sis futurus vehementer gratus, utpote quem hac doctrina, atque hac locorum hominumque peritia non oblectare solum, sed exemplis quoque instruere, atque adjuvare consilio sis idoneus, simul hoc pacto & tuis rebus egregiè consulueris, & tuorum omnium commodis magno esse adjumento possis. Quod ad meos attinet, inquit ille, non valde commoveor, nempe in quos mediocriter opinor me officii mei partes implevisse. Nam quibus rebus alii non nisi senes & ægri cedunt, imò tum quoque ægrè cedunt, quum amplius retinere non possunt, eas res ego non sanus modò ac vegetus, sed juvenis quoque cognatis amicisque dispertivi: quos debere puto hac mea esse benignitate contentos, neque id exigere atque expectare præterea, ut memet eorum causa regibus in servitium dedam. Bona verba, inquit Petrus, mihi visum est non ut servias Regibus, sed ut inservias. Hoc est, inquit ille, una syllaba plus quàm servias. At ego sic censeo, inquit Petrus, quoquo tu nomine rem appelles, eam tamen ipsam esse viam, qua

qua non aliis modo & privatim & publicè possis conducere, sed tuam quoque ipsius conditionem reddere feliciorem. Feliciorem ne, inquit Raphael, ea via facerem, à qua abhorret animus? Atqui nunc sic vivo ut volo, quod ego certè suspicor paucissimis Purpuratorum contingere. Quin satis est eorum, qui potentum amicitias ambiunt; ne magnam putes jacturam fieri, si me atque uno aut altero mei similibus sint cariturі. Tum ego: Perspicuum est, inquam, te mi Raphael, neque opum esse, neque potentiæ cupidum: atque ego profectò hujus tuæ mentis hominem non minus veneror ac suspicio, quàm eorum quemvis, qui maximè rerum sunt potentes. Cæterùm videberis planè rem te atque isthoc animo tuo tam generoso, tam verè Philosopho dignam facturus, si te ita compares, ut vel cum aliquo privatim incommodo ingenium tuum atque industriam publicis rebus accommodes, quod nunquam tanto cum fructu queas, quanto si à consiliis fueris magno alicui Principi, eique (quod te facturum certè scio) recta atque honesta persuaseris. Nempe à Principe bonorum malorumque omnium torrens in totum populum, velut à perenni quodam fonte, promanat. In te verò tam absoluta doctrina est, ut vel citra magnum rerum usum, porrò tanta rerum peritia, ut sine ulla doctrina, egregium Consiliarium cuivis Regum sis præstaturus. Bis erras, inquit ille, mi More, primùm in me, deinde in re ipsa. Nam neque mihi ea est facultas, quam tu tribuis, & si maximè esset, tamen quum otio meo negotium facesserem, publicam rem nihil promoveam. Primùm enim Principes ipsi plerique omnes militaribus studiis (quorum ego neque peritiam habeo, neque desidero) libentius occupantur, quàm bonis pacis artibus: majusque multo studium est, quibus modis per fas ac nefas nova sibi regna pariant, quàm uti parta bene administrent. Præterea quicunque Regibus à consilio sunt, eorum nemo est, qui non aut verè tantum sapit, ut non egeat, aut tantum sibi sapere videtur, ut non libeat alterius probare consilium, nisi quòd absurdissimis quibusque dictis assentiuntur & supparasitantur eorum, quos ut maximæ apud Principem gratiæ, student assentatione demereri sibi. Et certè sic est natura comparatum, ut sua cuique inventa blandiantur. Sic & corvo suus arridet pullus, & suus simiæ catulus placet. Quòd si quis in illo cœtu vel alienis invidentium, vel præferentium sua, aliquid afferat, quod aut aliis temporibus factum legit, aut aliis fieri locis vidit: ibi qui audiunt, perinde agunt, ac si tota sapientiæ suæ periclitaretur opinio, & post illa pro stultis planè sint habendi, nisi aliquid sufficiant invenire, quod in aliorum inventis vertant vitio. Si cætera destituant, tum huc confugiunt; Hæc nostris, inquiunt, placuere majoribus: quorum prudentiam utinam nos æquaremus. Itaque hoc dicto, veluti egregiè perorata re, considunt, tanquam magnum sit periculum, si quis ulla in re deprehendatur majoribus suis sapientior: à quibus tamen ut quicquid optimè consultum est, ita æquissimo animo valere sinimus: at si qua de re potuit consuli prudentius, eam protinus ansam cupidè arreptam mordicus retinemus. Itaque in hæc superba, absurda, ac morosa judicia, cum sæpe alibi, tum semel in Anglia quoque incidi. Obsecro, inquam, fuisti apud nos? Fui, inquit, atque aliquot menses ibi sum versatus non multo post eam cladem, qua Anglorum occidentalium civile adversus Regem bellum, miseranda ipsorum strage compressum est. Interea multum debui Reverendissimo Patri Johanni Morono, Cantuariensi Archiepiscopo & Cardinali, ac tum quoque Angliæ Cancellario, viro, mi Petre (nam Moro cognita sum narraturus) non autoritate magis quàm prudentia ac virtute venerabili. Etenim statura ei mediocris erat, nec ætati quanquam seræ cedens: vultus quem revereare, non horreas: in congressu non difficilis, serius tamen & gravis. Libido erat, asperius interdum compellando supplicantes experiri, sed sine noxa, quid ingenii, quam animi præsentiam quisque præ se ferret, qua velut cognata sibi virtute, modò abesset impudentia, delectabatur, & ut idoneam ad res gerendas amplectebatur. Sermo politus & efficax, juris magna peritia, ingenium incomparabile, memoria ad prodigium usque excellens. Hæc enim natura egregia discendo atque exercendo provexit. Hujus consiliis Rex plurimum fidere, multum Respublica niti (quum ego aderam) videbatur: quippe qui ab prima ferè juventa protinus à schola conjectus in aulam, maximis in negotiis per omnem versatus ætatem, ac variis fortunæ æstibus assiduè jactatus, prudentiam rerum (quæ sic recepta non facile elabitur) multis magnisque cum periculis didicerat. Fortè fortuna quum die quodam in ejus mensa essem, Laicus quidam legum vestratium peritus aderat, is nescio unde nactus occasionem, cœpit accuratè laudare rigidam illam justitiam, quæ tum illic exercebatur in fures, quos passim narrabat nonnunquam suspendi viginti in una cruce, atque eo vehementius dicebat se mirari, cum tam pauci elaberentur supplicio: quo malo fato fieret, uti tam multi tamen ubique grassarentur. Tum ego (ausus enim sum liberè apud Cardinalem loqui) Nihil mireris, inquam: nam hæc punitio furum & supra justum est, & non ex usu publico: est enim ad vindicanda furta nimis atrox, nec tamen ad refrænanda sufficiens. Quippe neque furtum simplex tam ingens facinus est, ut capite debeat plecti, neque ulla pœna est tanta, ut ab latrociniis cohibeat eos, qui nullam aliam artem quærendi victus habent. Itaque hac in re non vos modo, sed bona pars hujus orbis imitari videtur malos Præceptores, qui discipulos verberant libentius, quàm docent. Decernuntur

nuntur enim furanti gravia atque horrenda supplicia, cum potius multo fuerit providendum, ut aliquis esset proventus vitæ, ne cuiquam tam dira sit furandi primùm, dehinc pereundi necessitas. Est, inquit ille, satis hoc provisum: sunt artes mechanicæ, est agricolatio: ex his tueri vitam liceat, ni sponte mali esse mallent. At non sic evades, inquam. Nam primùm omittamus eos, qui sæpe vel ab externis bellis, vel civilibus mutili redeunt domum, ut nuper apud vos è Cornubiensi prælio, & non ita pridem è Gallico, qui vel Reipublicæ impendunt membra, vel Regi, quos neque pristinas artes exercere debilitas patitur, neque ætas novam discere. Hos inquam omittamus, quando bella per intermissas vices commeant: ea contemplemur, quæ nullo die non accidunt. Tantus est ergo nobilium numerus, qui non ipsi modò degant otiosi, tanquam fuci, laboribus aliorum, quos puta suorum prædiorum colonos augendis reditibus ad vivum usque radunt. Nam eam solam frugalitatem novere, homines alioquin ad mendicitatem usque prodigi: verùm immensam quoque otiosorum stipatorum turbam circumferunt, qui nullam unquam quærendi victus artem didicere. Hi simulatque herus obierit, aut ipsi ægrotaverint, ejiciuntur illico: nam & otiosos libentiùs quàm ægrotos alunt, & sæpe morientis hæres non protinus alendæ sufficit paternæ familiæ. Interim illi esuriunt strenuè, nisi strenuè latrocinentur. Nam quid faciant? Siquidem ubi errando paululum vestes ac valetudinem attrivere, morbo jam squalidos, atque obsitos pannis, neque generosi dignantur accipere, neque audent rustici: non ignari eum, qui molliter educatus in otio ac deliciis, solitus sit accinctus acinace ac cetra, totam viciniam vultu nebulonico despicere, & contemnere omnes præ se, haudquaquam idoneum fore, qui cum ligone ac marra, maligna mercede, ac victu parco, fideliter inserviat pauperi. Ad hæc ille: Atqui nobis, inquit, hoc hominum genus inprimis fovendum est. In his enim, utpote hominibus animi magis excelsi ac generosioris, quàm sunt opifices aut agricolæ, consistunt vires ac robur exercitus, si quando sit confligendum bello. Profectò, inquam ego, eadem opera dicas licet, belli gratia fovendos esse fures, quibus haud dubiè nunquam carebitis, dum habebitis hos. Quin neque latrones sunt instrenui milites, neque milites ignavissimi latronum, adeo inter has artes bellè convenit. At hoc vitium tamen frequens est vobis, non proprium, est enim omnium ferè gentium commune. Nam Gallias infestat alia præterea pestis pestilentior. Tota patria stipendiariis in pace quoque (si illa pax est) oppleta atque obsessa militibus, eadem persuasione inductis, qua vos otiosos hic ministros alendos esse censuistis: nempe quod Morosophis visum est, in eo sitam esse publicam salutem, si in promptu semper adsit validum firmumque præsidium, maximè veteranorum. Neque enim confidunt inexercitatis quicquam: ut vel ideo quærendum eis bellum sit, ne imperitos habeant milites, & homines jugulandi gnaros, ne (ut habet facetè Salustius) manus aut animus incipiat per otium torpescere. At quàm sit perniciosum hujusmodi beluas alere, & Gallia suo malo didicit, & Romanorum, Carthaginensium, ac Syrorum, tum multarum gentium exempla declarant, quorum omnium non imperium modò, sed agros quoque, atque adeò urbes ipsas parati ipsorum exercitus aliis atque aliis occasionibus everterunt. Quàm verò non magnopere necessarium, vel hinc elucescit, quod ne Galli quidem milites, armis ab unguiculis exercitatissimi, cum evocatis comparati vestris, admodum sæpe gloriantur, superiores sese discessisse, ut ne quid dicam amplius, ne præsentibus videar adblandiri vobis. Sed nec vestri illi vel opifices urbici, vel rudes atque agrestes agricolæ, otiosos generosorum stipatores creduntur valde pertimescere: nisi aut hi quibus ad vires atque audaciam corpus contigit ineptius, aut quorum animi vis inopia rei familiaris infringitur, adeò periculum nullum est, ne quorum valida & robusta corpora (neque enim si selectos dignantur generosi corrumpere) nunc vel elanguescunt otio, vel negotiis propriè muliebribus emolliuntur, iidem bonis artibus instructi ad vitam, & virilibus exercitati laboribus effœminentur. Certè utcunque sese hæc habet res, illud mihi nequaquam videtur publicæ rei conducere, in eventum belli, quod nunquam habetis nisi quum vultis, infinitam ejus generis turbam alere, quod infestat pacem, cujus tanto major haberi ratio, quàm belli debeat. Neque hæc tamen sola est furandi necessitas: est alia magis, quantum credo, peculiaris vobis. Quænam est ea? inquit Cardinalis. Oves inquam vestræ, quæ tam mites esse, tamque exiguo solent ali, nunc (uti fertur) tam edaces atque indomitæ esse cœperunt, ut homines devorent ipsos, agros, domos, oppida vastent ac depopulentur. Nempe quibuscunque regni partibus nascitur lana tenuior, atque ideo pretiosior, ibi nobiles & generosi, atque adeo Abbates aliquot sancti viri, non bis contendi reditibus fructibusque annuis, qui majoribus suis solebant ex prædiis crescere: nec habentes satis, quòd otiosè ac lautè viventes, nihil in publicum prosint, nisi etiam obsint, arvo nihil relinquunt, omnia claudunt pascuis, demoliuntur domos, diruunt oppida, templo duntaxat stabulandis ovibus relicto: & tanquam parum soli perderent apud vos, ferarum saltus ac vivaria, illi boni viri habitationes omnes, & quicquid usquam est culti, vertunt in solitudinem. Ergo ut unus helluo inexplebilis ac dira pestis patriæ, continuatis agris, aliquot millia jugerum uno circundet septo, ejiciuntur coloni quidam, suis etiam aut circumscripti fraude, aut vi oppressi exuuntur, aut fatigati injuriis, adiguntur ad vendi-

venditionem. Itaque quoquo pacto emigrant miseri, viri, mulieres, mariti, uxores, orbi, viduæ, parentes cum parvis liberis, & numerosa magis quàm divite familia, ut multis opus habet manibus res rustica: emigrant, inquam, è notis atque assuetis laribus, nec inveniunt quò se recipiant: supellectilem omnem haud magno vendibilem, etiamsi manere possit emptorem, quum extrudi necesse est, minimo venundant. Id quum brevi errando insumpserint, quid restat aliud denique, quàm uti furentur, & pendeant justè scilicet, aut vagentur atque mendicent? quanquam tu quoque velut errones conjiciuntur in carcerem, quòd otiosi obambulent, quorum operam nemo est qui conducat, quàm illi cupidissimè offerant. Nam rusticæ rei cui assueverunt, nihil est quod agatur, ubi nihil seritur. Siquidem unus opilio atque bubulcus sufficit ei terræ depascendæ pecoribus, in cujus cultum, ut sementi faciendæ sufficeret, multæ poscebantur manus. Atque ratione fit, ut multis in locis annona multo sit carior. Quin lanarum quoque adeò increvit pretium, ut à tenuioribus, qui pannos inde solent apud vos conficere, prorsus emi non possint: atque ea ratione plures ab opere ablegantur in otium. Nam post aucta pascua infinitam ovium vim absumpsit tabes: velut eorum cupiditatem ulciscente Deo, immissa in oves lue, quam in ipsorum capita contortam esse fuerat justius. Quòd si maximè increscat ovium numerus, pretio nihil decrescit tamen. Quod earum si monopolium appellari non potest quod non unus vendit, certè oligopolium est. Reciderunt enim ferè in manus paucorum, eorundemque divitum, quos nulla necessitas urget antè vendendi quamlibet, nec antè libet quàm liceat quanti libet. Jam cætera quoque pecorum genera, ut æquè cara sint, eadem ratio est: atque hoc etiam amplius, quòd dirutis villis, atque imminuta re rustica, non sint qui fœturam curent. Neque enim divites illi, ut ovium, sic etiam armentorum fœtus educant: sed aliunde macra empta vili, posteaquam suis pascuis pinguuerint, magno revendunt. Ideoq; sicuti reor, nondum sentitur totum hujus rei incommodum. Nempe adhuc his modò locis reddunt cara, ubi vendunt. Cæterum ubi aliquandiu celerius extulerint illinc, quàm nasci possint, tum demum ibi quoque paulatim decrescente copia, ubi coëmuntur, necesse est hic insigni laboretur inopia. Ita qua re vel maximè felix hæc vestra videbatur insula, jam ipsam paucorum improba cupiditas vertit in perniciem. Nam hæc annonæ caritas in causa est, cur quisque quàm possit plurimos è familia dimittat, quò quæso nisi mendicatum, aut, quod generosis animis persuadeas facilius, latrocinatum? Quid quòd ad miseram hanc egestatem atque inopiam adjungitur importuna luxuries? Nam & ministris nobilium, & opificibus, & ipsis propemodum rusticis, & omnibus denique ordinibus, multum est insolentis apparatus in vestibus, nimius in victu luxus. Jam ganea, lustra, lupanar, & aliud lupanar tabernæ vinariæ, cerevisiariæ: postremò tot improbi ludi, alea, charta, fritillus, pila, sphæra, discus: an non hæc celeriter exhausta pecunia, recta suos mystas mittunt aliquo latrocinatum? Has perniciosas pestes ejicite: statuite, ut villas atque oppida rustica, aut hi restituant qui diruêre, aut ea cedant reposituris atque ædificare volentibus: refrænate coëmptiones istas divitum, ac velut monopolii exercendi licentiam: pauciores alantur otio: reddatur agricolatio: lanificium instauretur, ut sit honestum negotium, quo se utiliter exerceat otiosa ista turba, vel quos hactenus inopia fures fecit, vel qui nunc errones, aut otiosi sunt ministri, fures nimirum utrique futuri. Certè nisi his malis medemini, frustra jactetis exercitam in vindicanda furta justitiam, nempe speciosam magis, quàm aut justam aut utilem. Siquidem quum pessimè sinitis educari, & mores paulatim ab teneris annis corrumpi, puniendos videlicet tum demum, quum ea flagitia viri designent, quorum spem de se perpetuam à pueritia usque præbuerant: quid aliud quæso quàm facitis fures, & iidem plectitis? Jam me hæc loquente juris ille consultus interim se ad dicendum composuerat, ac statuerat secum, modo illo solenni disputantium uti, qui diligentius repetunt quàm respondent: adeò bonam partem laudis ponunt in memoria. Bellè, inquit, dixisti profectò, quum sis videlicet hospes, qui magis audire his de rebus aliquid potueris, quàm exactè quicquam cognoscere: id quod ego paucis efficiam perspicuum. Nam primùm ordine recensebo, quæ tu dixisti: Deinde ostendam, quibus in rebus imposuit tibi nostrarum rerum ignoratio: Postremò rationes tuas omnes diluam atque dissolvam. Igitur ut à primo, quod sum pollicitus, exordiar, quatuor mihi visus es. Tace, inquit Cardinalis, nam haud responsurus paucis videris, qui sic incipias. Quamobrem levabimus in præsenti te hac respondendi molestia, servaturi tamen integrum id munus tibi in proximum congressum vestrum: quem (nisi quid impediat, aut te, aut Raphaëlem hunc) crastinus dies velim referat. Sed interim abs te mi Raphaël, perquàm libenter audierim, quare tu furtum putes ultimo supplicio non puniendum, quamvé aliam pœnam ipse statuas, quæ magis conducat in publicum: nam tolerandum ne tu quidem sentis. At si nunc per mortem quoque, tamen in furtum ruitur, proposita semel vitæ securitate, quæ vis, quis metus posset absterrere maleficos: qui mitigatione supplicii, velut præmio quodam ad maleficium se invitatos interpretarentur? Omnino mihi videtur, inquam, Pater benignissime, homini vitam eripi propter ereptam pecuniam, prorsus iniquum esse. Siquidem cum humana vita ne omnibus qui-

dem fortunæ possessionibus paria fieri posse arbitror. Quòd si læsam justitiam, si leges violatas, hac rependi pœna dicant, haud pecuniam: quidni meritò summum illud jus, summa vocetur injuria? Nam neque legum probanda sunt tam Manliana imperia, ut sicubi in levissimis parum obtemperetur, illicò stringant gladium: neque tam Stoica scita, ut omnia peccata adeò existiment paria, uti nihil judicent interesse, occidatné aliquis hominem, an nummum ei surripiat: inter quæ (si quicquam æquitas valet) nihil omnino simile aut affine. Deus vetuit occidi quenquam: & nos tam facilè occidimus ob ademptam pecuniolam? Quòd si quis interpretetur, illo Dei jussu interdictam necis potestatem, nisi quatenus humana lex declaret occidendum: quid obstat quo minus homines eodem modo constituant inter se, quatenus stuprum admittendum sit, adulterandum, pejerandum? Siquidem quum Deus non alienæ modò, verum etiam suæ cuique mortis jus ademerit, si hominum inter se consensus, de mutua cæde certis placitis consentientium, adeò debet valere, ut illius præcepti vinculis eximat suos satellites, qui sine ullo exemplo Dei eos interemerint, quos humana sanctio jussit occidi: an non hoc pacto præceptum illud Dei tantum juris est habiturum, quantum humana jura permiserint? ac fiet nimirum, ut ad eundem modum omnibus in rebus statuant homines, quatenus divina mandata conveniat observari. Denique lex Mosaica, quanquam inclemens & aspera, nempe in servos, & quidem obstinatos lata: tamen pecunia furtum, haud morte mulctavit. Nec putemus Deum in nova lege clementiæ, qua pater imperat filiis, majorem indulsisse nobis invicem sæviendi licentiam. Hęc sunt, cur non licere putem. Quàm verò sit absurdum, atque etiam perniciosum Reipublicæ furem atque homicidam ex æquo puniri, nemo est, opinor, qui nesciat. Nempe quum latro conspiciat non minus imminere discriminis duntaxat furti damnato, quàm si præterea convincatur homicidii, hac una cogitatione impellitur in cædem ejus, quem alioqui fuerat tantum spoliaturus: quippe præterquam quòd deprehenso nihil sit plus periculi, est etiam in cæde securitas major, & major cælandi spes sublato facinoris indice. Itaque dum fures nimis atrociter studemus perterrefacere, in bonorum incitamus perniciem. Jam quod quæri solet, quæ punitio possit esse commodior: hoc meo judicio haud paulo facilius est repertu, quàm quæ possit esse deterior. Cur enim dubitemus, eam viam utilem esse castigandis sceleribus, quàm scimus olim tam diu placuisse Romanis, administrandæ Reipublicæ peritissimis? Nempe hi magnorum facinorum convictos in lapidicinas, atque fodienda metalla damnabant, perpetuis adservandos vinculis. Quanquam ego, quod ad hanc rem attinet, nullius institutum gentis magis probo, quàm id quod interea dum peregrinabar, in Perside observatum apud vulgo dictos Polyleritas, adnotavi, populum neque exiguum, neque imprudenter institutum, & nisi quod tributum quotannis Persarum pendit Regi, cætera liberum ac suis permissum legibus. Cæterùm quoniam longè ab mari, montibus ferè circundati, & suæ terræ nulla in re malignæ contenti fructibus, neque adeunt alios sæpe, neque adeuntur: tamen ex vetusto more gentis, neque fines prorogare student, & quos habent ab omni facilè injuria, ut montes tuentur, & pensio quam rerum potienti persolvunt, immunes prorsus ab militia, haud perinde splendidè, atque commodè, felicesque magis quàm nobiles, aut clari degunt. Quippe ne nomine quidem opinor, præterquàm conterminis admodum satis noti. Ergo apud hos furti qui peraguntur, quod sustulere Domino reddunt, non, quod alibi fieri solet, Principi: utpote cui tantum juris esse censent in rem furtivam, quantum ipsi furi. Sin res perierit, pretio ex bonis furum confecto ac persoluto, tum reliquo uxoribus eorum atque liberis integro; ipsi damnantur in opera: ac nisi atrociter commissum furtum est, neque clauduntur ergastulo, neque gestant compedes, sed liberi ac soluti in publicis occupantur operibus. Detrectantes ac languidius gerentes sese, non tam vinculis coërcent, quàm excitant verberibus. Strenuam navantes operam absunt à contumeliis, noctu tantum nominatim censiti cubiculis includuntur. Præter assiduum laborem nihil incommodi est in vita. Aluntur enim haud duriter qui publicæ rei serviunt, è publico alibi aliter. Siquidem alicubi, quod impenditur in eos, ex eleemosyna colligitur, atque ea via quanquam incerta, tamen ut est ille populus misericors, nulla reperitur uberior. Alibi reditus quidam publici ad id destinantur. Est ubi certum in eos usus tributum virium conferunt. Quin aliquot in locis nullum publicum opus faciunt, sed ut privatus quisque eget mercenariis, ita illorum cujuspiam in eum diem operam, stata mercede conducit apud forum, paulo minoris quàm quanti liberam fuerat conducturus: præterea fas est servilem ignaviam flagris corripere. Sic fit, uti nunquam opere careant: & præter victum aliquid quoque die ab singulis publico inferatur ærario. Uno quodam colore vestiuntur & omnes & soli, capillo non abraso, verùm paulo supra auriculas attonso, è quarum altera paululum præscinditur. Cibum cuique ab amicis dari, potumque ac sui coloris vestem, licet, pecuniam datam esse, danti pariter atque accipienti capitale: neque minus periculosum etiam homini libero quacunque de causa nummum à damnato recepisse, & servos item (sic enim damnatos vocant) arma contingere. Suos quæque regio propria distinguit nota, quam abjecisse

capitale

capitale est: ut vel extra suos conspici fines, vel cum alterius regionis servo quicquam esse collocutum. At neque tutior fugæ meditatio, quàm ipsa est fuga. Quin conscium talis fuisse consilii, in servo nex est, in libero servitus. Contra indici præmia decreta sunt, libero pecunia, servo libertas, utrique verò venia atque impunitas conscientiæ: ne quando persequi malum consilium quàm pœnitere sit tutius. Hujus rei hæc lex atque hic ordo est, quem dixi, qui quantum habeat humanitatis & commodi, facilè patet: quando sic irascitur, ut vitia perimat servatis hominibus, atque ita tractatis, ut bonos esse necesse sit: & quantum antè damni dederunt, tantum reliqua vita resarciant. Porrò ne ad pristinos relabantur mores, adeò nullus est metus, ut viatores quoque quibus iter aliquò institutum est, non aliis viæ ducibus sese tutiores arbitrentur, quàm servis illis ad quamque regionem subinde commutatis. Nempe ad perpetrandum latrocinium nihil habent usquam non importunum: manus inermes: pecunia tantum sceleris index: deprehenso parata vindicta, neque spes ulla prorsus fugiendi quoquam.

Quo enim pacto falleret ac tegeret fugam, homo nulla vestium parte populo similis: nisi abeat nudus? quin sic quoque fugientem proderet auricula. At ne inito saltem consilio conjurent in Rempublicam, id demum scilicet periculum est, quasi in tantam venire spem ulla possit vicinia, non tentatis ac solicitatis antè multarum regionum servitiis, quæ tantum absunt à facultate conspirandi, ut ne convenire quidem & colloqui aut salutare se mutuò liceat: ut credantur interim id consilium intrepidè credituri suis, quod reticentibus periculosum, prodentibus maximo esse bono sciant. Quum contrà nemo sit prorsus exspes, obediendo ac perferendo, bonamque de se præbendo spem emendatioris inposterum vitæ, posse his modis fieri, ut libertatem aliquando recuperet, quippe nullo non anno restitutis aliquot, commendatione patientiæ. Hæc quum dixissem, atque adjecissem, nihil mihi videri causæ, quare non hic modus haberi vel in Anglia possit, multo majore cum fructu, quàm illa justitia, quam juris ille peritus tantopere laudaverat; sub hæc ille, nempe Jureconsultus: Nunquam, inquit, istud sic stabiliri queat in Anglia, ut non in summum discrimen adducat Rempublicam; & simul hæc dicens, commovit caput, ac distorsit labrum, atque ita conticuit. Et omnes qui aderant, pedibus in ejus ibant sententiam. Tum Cardinalis: Non est, inquit, proclive divinare, commodené an secus res cessura sit, nullo prorsus facto periculo. Verùm si pronuntiata mortis sententia differri executionem jubeat Princeps, atque hunc experiatur morem, cohibitis asylorum privilegiis: tum verò si res comprobetur eventu esse utilis, rectum fuerit eam stabiliri: alioqui tunc quoque afficere supplicio eos, qui sunt antè damnati, neque minus è Republica fuerit, neque magis injustum, quàm si nunc idem fieret, nec ullum interea nasci ex ea re potest periculum.

Quin mihi certè videntur errones quoque ad eundem posse modum non pessimè tractari, in quos hactenus tam multis editis legibus, nihil promovimus tamen. Hæc ubi dixit Cardinalis, quæ me narrante contempserant omnes, eadem nemo non certatim laudibus est prosequutus, maximè tamen illud de erronibus, quoniam hoc ab ipso adjectum est. Nescio, an quæ sunt secuta, silere præstiterit; Erant enim ridicula: sed narrabo tamen, nam non erant mala, & aliquid ad hanc rem pertinebant. Adstabat forte parasitus quidam, qui videri volebat imitari morionem, sed ita simulabat, ut propior vero esset, tam frigidis dictis captans risum, ut ipse sæpius, quàm dicta sua, rideretur. Excidebant homini tamen interdum quædam, adeò non absurda, ut fidem adagio facerent, Crebro jactu jaci aliquando Venerem. Is ergo, dicente quodam è convivis: Jam meo sermone bene provisum esse furibus, atque à Cardinale etiam cautum de erronibus, restare nunc uti his præterea consuleretur publicitùs, quos ad egestatem morbus aut senectus impulisset, atque ad labores unde vivi possit, reddidisset impotes. Sine, inquit, me. Nam ego & hoc rectè ut fiat, videro. Etenim hoc genus hominum miserè cupio aliquo è conspectu amoliri meo: ita me malè vexarunt sæpe, cum querulis illis oplorationibus flagitarent pecuniam, quas nunquam tamen tam commodè potuerunt occinere, ut nummum à me extorquerent. Quippe semper alterum evenit, ut aut non libeat dare, aut ne liceat quidem, quando nihil est, quod detur. Itaque nunc cœperunt sapere. Nam ne perdant operam, ubi me præterire vident, prætermittunt taciti: ita nihil à me sperant amplius, non herculè magis, quàm si essem Sacerdos. Sed illos ego mendicos omnes lata lege distribui ac dispartiri jubeo in Benedictinorum cœnobia, & fieri Laicos, ut vocant, monachos: mulieres moniales esse impero. Subrisit Cardinalis & approbat joco, cæteri etiam seriò. Cæterùm Theologus quidam frater hoc dicto in Sacerdotes ac Monachos adeò est exhilaratus, ut jam ipse quoque cœperit ludere, homo alioqui propriè ad torvitatem gravis. At ne sic quidem, inquit, extricaberis à mendicis, nisi nobis quoque prospexeris fratribus. Atqui, inquit parasitus, hoc jam curatum est. Nam Cardinalis egregiè prospexit vobis, cum statueret de coërcendis atque opere exercendis erronibus. Nam vos estis errones maximi. Hoc quoque dictum, quum conjectis in Cardinalem oculis, eum viderent non abnuere, cœperunt omnes non illibenter arripe-

arripere, excepto fratre. Nam is (neque equidem miror) tali perfusus aceto, sic indignatus est, atque incanduit, ut nec à conviciis quidem potuerit temperare: hominem vocavit nebulonem, detractorem, susurronem, & filium perditionis, minas interim terribiles citans è Scriptura sacra. Jam scurra serió scurrari cœpit, & erat planè in sua palæstra. Noli, inquit, irasci bone frater. Scriptum est; In patientia vestra possidebitis animas vestras. Rursum frater (referam enim ipsius verba) Non irascor, inquit, furcifer, vel saltem non pecco. Nam Psalmista dicit; Irascimini, & nolite peccare. Admonitus deinde frater à Cardinale suaviter, ut suos affectus compesceret: Non Domine, inquit, ego loquor nisi ex bono zelo, sicut debeo. Nam viri sancti habuerunt bonum zelum. Unde dicitur; Zelus domus tuæ comedit me. Et canitur in Ecclesiis; Irrisiores Helizæi, dum conscendit domum Dei, zelus calvi sentiunt: sicut fortasse sentiet iste derisor, scurra, ribaldus. Facis, inquit Cardinalis, bono fortassis affectu, sed mihi videris facturus, nescio an sanctius, certè sapientius, si te ita compares, ne cum homine stulto & ridiculo ridiculum tibi certamen instituas. Non Domine, inquit, non facerem sapientius. Nam Salomon ipse sapientissimus dicit: Responde stulto secundum stultitiam ejus. Sicut ego nunc facio, & demonstro ei foveam, in quam cadet, nisi bene præcaveat. Nam si multi irrisores Helizæi, qui erat tantum unus calvus, senserunt zelus calvi: Quanto magis sentiet unus derisor multorum fratrum, in quibus sunt multi calvi? & etiam habemus bullam Papalem, per quam omnes qui derident nos, sunt excommunicati. Cardinalis, ubi vidit nullum fieri finem, nutu ablegato parasito, ac aliam in rem commodum verso sermone, paulo post surgit è mensa, atque audiendis clientum negotiis dedit se, nosque dimisit. En mi More, quàm longo te sermone oneravi: quod tam diu facere planè puduisset me, nisi tu & cupidè flagitasses, & sic videreris audire, tanquam nolles quicquam ejus confabulationis omitti. Quæ quanquam aliquanto perstrictius, narranda tamen mihi fuit omnino, propter eorum judicium, qui quæ me dicente spreverant, eadem rursus evestigio non improbante Cardinale, etiam ipsi comprobarunt, usque adeò assentantes ei, ut parasiti quoque ejus inventis, quæ Dominus per jocum non aspernabatur, adblandirentur, & serió propemodum admitterent: ut hinc possis æstimare, quanti me ac mea consilia aulici forent æstimaturi. Profectò, mi Raphael, inquam, magna me affecisti voluptate, ita sunt abs te dicta prudenter simul & lepidè omnia: præterea visus mihi interim sum non solùm in patria versari, verum etiam repuerascere quodammodo jucunda recordatione Cardinalis illius, in cujus aula puer sum educatus: cujus viri memoriæ quòd tu tam impensè faves, non credas mi Raphael, quanto mihi sis effectus hoc nomine charior, cum esses alioqui charissimus. Cæterum non possum adhuc ullo pacto meam demutare sententiam, quin planè putem, si animum inducas tuum, uti ne ab aulis Principum abhorreas, in publicum posse te tuis consiliis plurimum boni conferre: quare nihil magis incumbit tuo, hoc est, boni viri officio. Siquidem cum tuus censeat Plato, Respublicas ita demum futuras esse felices, si aut regnent Philosophi, aut Reges philosophentur: quàm procul aberit felicitas, si Philosophi regibus nec dignentur saltem suum impertiri consilium? Non sunt, inquit ille, tam ingrati, quin id libenter facerent, imò multi libris editis jam fecerunt, si hi qui rerum potiuntur, essent parati bene consultis parére. Sed bene haud dubiè prævidit Plato, nisi Reges philosophentur ipsi, nunquam futurum, ut perversis opinionibus à pueris imbuti atque infecti, penitus philosophantium comprobent consilia: quod ipse quoque experiebatur apud Dionysium. An non me putas, si apud aliquem Regum decreta sana proponerem, & perniciosa malorum semina conarer illi evellere, protinus aut ejiciendum, aut habendum ludibrio? Age finge, me apud Regem Gallorum esse, atque in ejus considere consilio, dum in secretissimo secessu præsidente Rege ipso in corona prudentissimorum hominum magnis agitur studiis, quibus artibus ac machinamentis Mediolanum retineat, ac fugitivam illam Neapolim ad se retrahat: Postea verò evertat Venetos, ac totam Italiam subjiciat sibi: Deinde Flandros, Brabantos, totam postremò Burgundiam suæ faciat ditionis, atque alias præterea gentes, quarum regnum jam olim animo invasit. Hic dum alius suadet, feriendum cum Venetis fœdus tantisper duraturum, dum ipsis fuerit commodum, cum illis communicandum consilium: quin deponendam quoque apud eosdem aliquam prædæ partem, quam rebus ex sententia peractis repetat. Dum alius consulit conducendos Germanos, alius pecunia demulcendos Helvetios, alius adversum numen Imperatoriæ Majestatis auro, velut anathemate, propitiandum. Dum alii videtur, cum Arragonum Rege componendas esse res, & alieno Navarræ regno, velut pacis autoramento cedendum; alius interim censet, Castelliæ Principem aliqua spe affinitatis irretiendum, atque aulicos nobiles aliquot in suam factionem certa pensione esse pertrahendos. Dum maximus omnium nodus occurrit, quid statuendum interim de Anglia sit: cæterùm de pace tractandum tamen, & constringenda firmissimis vinculis semper infirma societas: amici vocentur, suspiciantur ut inimici, habendos igitur paratos, velut in statione, Scotos, ad omnem intentos occasionem: si quid se commoveant Angli, protinus immittendos. Ad hæc fovendum exulem nobilem aliquem occultè (nam-

(namque id apertè ne fiat, prohibent fœdera) qui id regnum sibi deberi contendat, ut ea velut ansa contineat suspectum sibi Principem. Hic, inquam, in tanto rerum molimine, tot egregiis viris ad bellum sua certatim consilia conferentibus, si ego homuncio surgam, ac verti jubeam vela, omittendam Italiam censeam, & domi dicam esse manendum: unum Galliæ regnum ferè majus esse, quàm ut commodè possit ab uno administrari, ne sibi putet Rex de aliis adjiciendis esse cogitandum. Tum si illis proponerem decreta Achoriorum populi, Utopiensium insulæ ad Eronoton oppositi, qui quum olim bellum gessissent, ut Regi suo aliud obtinerent regnum, quod affinitatis antiquæ causa sibi contendebat hæreditate deberi: consecuti tandem id, ubi viderunt nihilo sibi minus esse molestiæ in retinendo, quàm in quærendo, pertulerunt: verùm assidua pullulare semina, vel internæ rebellionis, vel externæ incursionis in deditos, ita semper aut pro illis, aut contra pugnandum, nunquam dari facultatem dimittendi exercitus: compilari interim se, efferri foras pecuniam, alienæ gloriolæ suum impendi sanguinem, pacem nihilo tutiorem, domi corruptos bello mores, imbibitam latrocinandi libidinem, confirmatam cædibus audaciam, leges esse contemptui, quòd Rex in duorum curam regnorum distractus, minus in utrumvis animum posset intendere. Quum viderent alioqui tantis malis nullum finem fore, inito tandem consilio, Regi suo humanissimè fecerunt optionem retinendi utrius regni vellet. Nam utriusque non fore potestatem; se plures esse quàm qui à dimidiato possint Rege gubernari: quum nemo sit libenter admissurus mulionem sibi cum alio communem. Ita coactus est ille bonus Princeps, novo regno cuipiam ex amicis relicto (qui brevi etiam post ejectus est) antiquo esse contentus. Præterea si ostenderem, omnes hos conatus bellorum, quibus tot nationes ejus causa tumultuarentur, quum thesauros ejus exhausissent, ac destruxissent populum, aliqua tandem fortuna, frustra cessuros tamen: proinde avitum regnum coleret, ornaret quantum posset, & faceret quàm florentissimum: amet suos, & ametur à suis: cum his una vivat, imperetque suaviter, atque alia regna valere sinat, quando id quod nunc ei contigisset, satis amplum superque esset. Hanc orationem quibus auribus, mi More, putas excipiendam? Profectò non valde pronis, inquam. Pergamus ergo, inquit. Si Consiliariis cum Rege quopiam tractantibus, & comminiscentibus, quibus technis ei queant coacervare thesauros, dum unus intendendam consulit æstimationem monetæ, quum ipsi sit eroganda pecunia: dejiciendam rursus infra justum, quum fuerit corroganda: uti & multum æris parvo dissolvat, & pro parvo multum recipiat. Dum alius suadet, ut bellum simulet, atque eo prætextu coacta pecunia, cum visum erit, faciat pacem sanctis ceremoniis, quo plebeculæ oculis fiat præstigium, miseratus videlicet humanum sanguinem Princeps pius. Dum alius ei suggerit in mentem, antiquas quasdam & tineis adesas leges, longa desuetudine antiquatas, quas quod nemo latas meminisset, omnes sint transgressi, earum ergo mulctas jubeat exigi, nullum uberiorem proventum esse, nullum magis honorificum, utpote qui justitiæ præ se personam ferat. Dum ab alio admonetur, uti sub magnis mulctis multa prohibeat, maximè talia, quæ ne fiant, in rem sit populi, post pecunia cum illis dispenset, quorum commodis obstat interdictum: sic & à populo gratiam iniri, & duplex adferri compendium, vel dum hi mulctantur, quos quæstus cupiditas pellexit in casses, vel dum aliis vendit privilegia tanto pluris, quanto scilicet fuerit melior Princeps, utpote qui gravatim quicquam contra populi commodum privatim cuiquam indulgeat, & ob id non nisi magno pretio. Dum alius ei persuadet, obstringendos sibi judices, qui quavis in re pro regio jure disceptent, accersendos præterea in palatium, atque invitandos uti coram se de suis rebus disserant, ita nullam causam ejus tam apertè iniquam fore, in qua non aliquis eorum vel contradicendi studio, vel pudore dicendi eadem, vel quo gratiam ineant, apud eum aliquam reperiant rimam, qua possit intendi calumnia. Sic dum judicibus diversa sentientibus res per se clarissima disputatur, & veritas in quæstionem venit, ansam commodum Regi dari, pro suo commodo jus interpretandi: cæteros aut pudore accessuros, aut metu: sic intrepidè fertur postea pro Tribunali sententia. Neque enim deesse prætextus potest pronuncianti pro Principe. Nempe cui satis est, aut æquitatem à sua parte esse, aut verba legis, aut contortum scripti sensum, aut, quæ legibus denique omnibus præponderat apud religiosos Judices, Principis indisputabilem prærogativam. Dum omnes in Crassiano illo consentiunt atque conspirant; Nullam auri vim satis esse Principi, cui sit alendus exercitus: Præterea nihil injustè Regem facere, ut maximè etiam velit, posse. Quippe omnia omnium ejus esse, ut homines etiam ipsos: tantum verò cuique esse proprium, quantum Regis benignitas ei non ademerit. Quod ipsum ut quàm minimum sit, Principis multum referre, ut cujus tutamentum in eo situm sit, ne populus divitiis ac libertate lasciviat: quòd hæ res minus patienter ferant dura atque injusta imperia, quum contrà egestas atque inopia retundat animos, ac patientes reddat, adimatque pressis generosos rebellandi spiritus. Hic si ego rursus adsurgens contendam, hæc consilia omnia Regi & inhonesta esse, & perniciosa, cujus non honor modò, sed securitas quoque in populi magis opibus sita sit, quàm suis. Quos si ostendam, Regem sibi deligere sua causa, non Regis, videlicet uti ejus labore ac studio ipsi commodè vivant, tutique ab

ab injuriis, eoque magis ad Principem eam pertinere curam, ut populo bene sit suo, quàm ut sibi: non aliter ac pastoris officium est, oves potius quàm semet pascere, quatenus opilio est. Nam quod populi egestatem censeant pacis præsidium esse, longissimè aberrare eos, ipsa res docet. Nempe ubi plus rixarum comperias, quàm inter mendicos? Quis intentius mutationi rerum studet, quàm cui minimè placet præsens vitæ status? Aut cui denique audacior impetus ad conturbanda omnia, spe alicunde lucrandi, quàm cui jam nihil est quod possit perdere? Quòd si Rex aliquis adeò aut contemptus esset, aut invisus suis, ut aliter eos continere in officio non possit, nisi contumeliis, compilatione, & sectione grassetur, eosque redigat ad mendicitatem: præstiterit illi profectò regno abdicare, quàm his retinere artibus, quibus quanquam imperii nomen retineat, certè amittit majestatem. Neque enim regiæ dignitatis est, imperium in mendicos exercere, sed in opulentos potius atque felices. Quod ipsum sensit certè vir erecti ac sublimis animi Fabricius, cum responderet; Malle se imperare divitibus, quàm divitem esse. Et profectò unum aliquem voluptate ac deliciis fluere, gementibus undique ac lamentantibus aliis, hoc non est regni, sed carceris esse custodem. Denique ut imperitissimus Medicus est, qui morbum nescit nisi morbo curare: ita qui vitam civium non novit alia via corrigere, quàm ademptis vitæ commodis, is se nescire fateatur imperare liberis, quin aut inertiam potius mutet suam, aut superbiam. Nam his ferè vitiis accidit, ut populus eum vel contemnat, vel habeat odio. Vivat innocuus de suo, sumptus ad reditus accommodet, refrænet maleficia, & recta institutione suorum præveniat potius, quàm sinat increscere, quæ deinde puniat leges abrogatas consuetudine, haud temerè revocet, præsertim quæ diu desitæ, nunquam desideratæ sunt. Neque unquam commissi nomine ejusmodi quicquam capiat, quale privatum quempiam judex, velut iniquum ac vafrum non pateretur accipere. Hic si proponerem illis Macarensium legem, qui & ipsi non longè admodum absunt ab Utopia, quorum Rex, quo primùm die auspicatur imperium, magnis adhibitis sacrificiis, jurijurando astringitur, nunquam se uno tempore supra mille auri pondo in thesauris habiturum, aut argenti, quantum ejus auri pretium æquet. Hanc legem ferunt ab optimo quodam Rege institutam, cui majori curæ fuit patriæ commodum, quàm divitiæ suæ, velut obicem acervandæ pecuniæ tantæ, quanta faceret inopiam ejus in populo. Nempe eum thesaurum videbat suffecturum, sive Regi adversus rebelles, sive regno adversus hostium incursiones esset confligendum: cæterum minorem esse, quàm ut animos faciat invadendi aliena, quæ potissima condendæ legis causa fuit proxima, quòd sic prospectum putavit, ne desit pecunia, quæ in quotidiana civium commutatione versetur: & quum Regi necesse est erogare, quicquid thesauro supra legitimum accreverit modum, non quæsiturum censuit occasiones injuriæ. Talis Rex & malis erit formidini, & à bonis amabitur. Hæc ergo atque hujusmodi si ingererem apud homines, in contrariam partem vehementer inclinatos, quàm surdis essem narraturus fabulam? Surdissimis, inquam, haud dubie. Neque Hercule miror, neque mihi videntur (ut merè dicam) hujusmodi sermones ingerendi, aut talia danda consilia, quæ certus sis, nunquam admissum iri. Quid enim prodesse possit, aut quomodo in illorum pectus influere sermo tam insolens, quorum præoccupavit animos, atque insedit penitus diversa persuasio? Apud amiculos in familiari colloquio non insuavis est hæc Philosophia scholastica: cæterùm in consiliis Principum, ubi res magnæ magna autoritate aguntur, non est his rebus locus. Hoc est, inquit ille, quod dicebam, non esse apud Principes locum Philosophiæ. Imò, inquam, est, verum non huic Scholasticæ, quæ quidvis putet ubivis convenire: sed est alia Philosophia civilior, quæ suam novit scenam, eique sese accommodans, in ea fabula quæ in manibus est, suas partes concinnè & cum decoro tutatur: hac utendum est tibi. Alioquin dum agitur quæpiam Plauti comœdia, nugantibus inter se vernulis, si tu in proscenium prodeas habitu Philosophico, & recenseas ex Octavia locum, in quo Seneca disputat cum Nerone: nonnè præstiterit egisse mutam personam, quàm aliena recitando talem fecisse Tragicomœdiam? Corruperis enim perverterisque præsentem fabulam, dum diversa permisces, etiam si ea quæ tu affers, meliora fuerint. Quæcunque fabula in manu est, eam age quàm potes optimè: neque ideo totam perturbes, quòd tibi in mentem venit alterius, quæ sit lepidior. Sic est in Republica, sic in consultationibus Principum. Si radicitùs evelli non possint opiniones pravæ, nec receptis usu vitiis mederi queas ex animi tui sententia: non ideo tamen deserenda Respublica, & in tempestate navis destituenda est, quoniam ventos inhibere non possis. At neque insuetus & insolens sermo inculcandus, quem scias apud diversa persuasos pondus non habiturum: sed obliquo ductu conandum est atque adnitendum tibi, uti pro tua virili omnia tractes commodè, & quod in bonum nequis vertere, efficias saltem, ut sit quàm minimè malum. Nam ut omnia bene sint, fieri non potest, nisi omnes boni sint: quod ad aliquot abhinc annos adhuc non expecto. Hac, inquit, arte nihil fieret aliud, quàm ne dum aliorum furori mederi studeo, ipse cum illis insaniam. Nam si vera loqui volo, talia loquar necesse est. Cæterum falsa loqui, sitne Philosophi, nescio: certè non est meum. Quanquam ille meus sermo ut fuerit fortasse ingratus illis atque molestus, ita non video, cur videri debeat usq; ad ineptias insolens. Quòd si aut ea dicerem, quæ fingit Plato in sua Republica, aut ea quæ faciunt Utopi-

Utopienses in sua: hæc quanquam essent (ut certè sunt) meliora, tamen aliena videri possint, quòd hic singulorum privatæ sunt possessiones, illic omnia sunt communia. Meus verò sermo, nisi quod ad eos qui statuissent secum, ruere diversa via præcipites, jucundus esse non potest, qui revocet ac præmonstret pericula: alioqui quid habuit, quod non ubivis dici vel conveniat, vel oporteat? Equidem si omittenda sunt omnia tanquam insolentia atque absurda, quæcunque perversi mores hominum fecerunt, ut videri possint aliena: dissimulemus oportet apud Christianos pleraque omnia, quæ Christus docuit, ac dissimulari usqueadeò vetuit, ut ea quoque, quæ ipse in aures insusurrasset suis, palàm in tectis jusserit prædicari: quorum maxima pars ab istis moribus longè est alienior, quàm mea fuit oratio. Nisi quòd nonnulli Concionatores, homines callidi, tuum illud consilium secuti puto; quando mores suos homines ad Christi normam gravatim paterentur aptari, doctrinam ejus velut regulam plumbeam accommodaverunt ad mores, ut aliquo saltem pacto conjungerentur scilicet; Qua re nihil video, quid profecerint, nisi ut securius liceat esse malos. Atque ipse profectò tantundem proficiam in consiliis Principum. Nam aut diversa sentiam, quod perinde fuerit, ac si nihil sentiam: aut eadem, & ipsorum adjutor sim, ut inquit Mitio Terentianus, insaniæ. Nam obliquus ille ductus tuus non video quid sibi velit, quo censes adnitendum, si non possint omnia reddi bona, tamen ut tractentur commodè, fiantque, quoad licet, quàm minimè mala. Quippe non est ibi dissimulandi locus, nec licet connivere: approbanda sunt apertè pessima consilia, & decretis pestilentissimis subscribendum est. Speculatoris vice fuerit, ac penè proditoris, etiam qui improbè consulta malignè laudaverit. Porrò nihil occurrit, in quo prodesse quicquam possis, in eos delatus collegas, qui vel optimum virum facilius corruperint, quàm ipsi corrigantur: quorum perversa consuetudine vel depravaberis, vel ipse integer atque innocens, alienæ malitiæ stultitiæque prætexeris, tantum abest, ut aliquid possis in melius obliquo illo ductu convertere. Quam ob rem pulcherrima similitudine declarat Plato, cur meritò sapientes abstineant à capessenda Republica. Quippe quum populum videant in plateas effusum assiduis imbribus perfundi, nec persuadere queant illis ut se subducant pluviæ, tectaque subeant: gnari nihil profuturos sese si exeant, quàm ut una compluantur, semet intra tecta continent, habentes satis, quando alienæ stultitiæ non possunt mederi, si ipsi saltem sint in tuto. Quanquam profectò, mi More, (ut ea verè dicam, quæ meus animus fert) mihi videtur, ubicunque privatæ sunt possessiones, ubi omnes omnia pecuniis metiuntur, ibi vix unquam posse fieri, ut cum Republica aut justè agatur, aut prosperè: nisi vel ibi sentias agi justè, ubi optima quæque perveniunt ad pessimos: vel ibi feliciter, ubi omnia dividuntur in paucissimos, nec illos habitos undecunque commodè, cæteris verò planè miseris. Quam ob rem quum apud animum meum reputo prudentissima atque sanctissima instituta Utopiensium, apud quos tam paucis legibus, tam commodè res administrantur, ut & virtuti pretium sit, & tamen æquatis rebus omnia abundent omnibus: tum ubi his eorum moribus exadverso comparo tot nationes, alias semper ordinantes, nec ullam satis ordinatam unquam earum omnium, in quibus quod quisque nactus fuerit, suum vocat privatum, quorum tam multæ indies conditæ leges non sufficiunt, vel ut consequatur quisquam, vel ut tueatur, vel ut satis internoscat ab alieno illud quod suum invicem quisque privatum nominat: id quod facilè indicant infinita illa tam assiduè nascentia, quàm nunquam finienda litigia. Hæc, inquam, dum apud me considero, æquior Platoni fio, minusque demiror, dedignatum illis leges ferre ullas, qui recusabant eas, quibus ex æquo omnes omnia partirentur commoda. Siquidem facilè prævidit homo prudentissimus, unam atque unicam illam esse viam ad salutem publicam, si rerum inducatur æqualitas: quæ nescio an unquam possit observari, ubi sua sunt singulorum propria. Nam quum certis titulis quisque quantum potest ad se convertit, quantacunque fuerit rerum copia, eam omnem pauci inter se partiti, reliquis relinquunt inopiam, fereque accidit, ut alteri sint alterorum sorte dignissimi, quum illi sint rapaces, improbi, atque inutiles: contrà ii modesti viri, ac simplices, & quotidiana industria in publicum, quàm in semet benigniores. Adeò mihi certè persuadeo, res æquabili ac justa aliqua ratione distribui, aut feliciter agi cum rebus mortalium, nisi sublata prorsus proprietate, non posse: sed manente illa, mansuram semper apud multo maximam multoque optimam hominum partem, egestatis & ærumnarum anxiam atque inevitabilem sarcinam: quam ut fateor levari aliquantulum posse, sic tolli planè contendo non posse. Nempe si statuatur, ne quis supra certum agri modum possideat, & uti sit legitimus cuique census pecuniæ; si fuerit legibus quibusdam cautum, ut neque sit Princeps nimium potens, neque populus nimis insolens: tum magistratus ne ambiantur, neu dentur venum, aut sumptus in illis fieri sit necesse: alioquin & occasio datur per fraudem ac rapinas sarciendæ pecuniæ, & fit necessitas eis muneribus præficiendi divites, quæ potius fuerant administranda prudentibus. Talibus inquam legibus, quemadmodum ægra assiduis solent fomentis fulciri corpora deploratæ valetudinis, ita hæc quoque mala leniri queant, ac mitigari: ut sanentur verò, atque in bonum redeant habitum, nulla omnino spes est, dum sua cuique sunt propria. Quin dum unius partis curæ studes, aliarum vulnus exasperaveris, ita mutuò nascitur ex alterius medela alterius mor-

morbus, quando nihil sic adjici cuiquam potest, ut non idem adimatur alii. At mihi, inquam, contra videtur, ibi nunquam commodè vivi posse, ubi omnia sint communia. Nam quo pacto suppetat copia rerum, unoquoque ab labore subducente se? utpote quem neque sui quæstus urget ratio, & alienæ industriæ fiducia reddit segnem. At quum & stimulentur inopia, neque quod quisquam fuerit nactus, id pro suo tueri ulla possit lege: an non necesse est perpetua cæde ac seditione laboretur? sublata præsertim autoritate ac reverentia magistratuum, cui quis esse locus possit apud homines tales, quos inter nullum discrimen est, ne comminisci quidem queo. Non miror, inquit, sic videri tibi, quippe cui ejus imago rei aut nulla succurrit, aut falsa. Verùm si in Utopia fuisses mecum, moresque eorum atque instituta vidisses præsens, ut ego feci, qui plus annis quinque ibi vixi, neque unquam voluissem inde discedere, nisi ut novum illum orbem proderem: tum plane faterere, populum rectè institutum nusquam alibi te vidisse, quam illic. Atqui profectò, inquit Petrus Ægidius, ægrè persuadeas mihi, melius institutum populum in novo illo, quàm in hoc noto nobis orbe reperiri, ut in quo neque deteriora ingenia, & vetustiores opinor esse, quàm in illo Respublicas & in quibus plurima ad vitam commoda longus invenit usus: ut ne adjiciam, apud nos casu reperta quædam, quibus excogitandis nullum potuisset ingenium sufficere. Quod ad vetustatem, inquit ille, rerum attinet publicarum, tum pronuntiare posses rectius, si historias illius orbis perlegisses, quibus si fides haberi debet, prius apud eos erant urbes, quam homines apud nos: jam verò quicquid hactenus vel ingenium invenit, vel casus reperit, hoc utrobique potuit extitisse. Cæterùm ego certè puto, ut illis præstemus ingenio, studio tamen atque industria longè à tergo relinquimur. Nam (ut ipsorum habent annales) ante appulsum illuc nostrum, de rebus nostris (quos illi vocant Ultraæquinoctiales) nihil unquam quicquam audierant, nisi quòd olim annis abhinc ducentis supra mille, navis quædam apud insulam Utopiam naufragio periit, quam tempestas eo detulerat. Ejecti sunt in littus Romani quidam atque Ægyptii, qui postea nunquam inde discessere. Hanc unam occasionem vide quàm commodam illis sua fecit industria. Nihil artis erat intra Romanum imperium, unde possit aliquis esse usus, quod non illi aut ab expositis hospitibus didicerint, aut acceptis quærendi seminibus adinvenerint. Tanto bono fuit illis aliquos hinc semel illuc esse delatos. At si qua similis fortuna quempiam antehac illinc huc perpulerit, tam penitus hoc obliteratum est, quam istud quoque forsan excidet posteris, me aliquando illic fuisse. Et ut illi uno statim congressu, quicquid à nobis commodè inventum est, fecerunt suum: sic diu futurum puto, priusquam nos accipiamus quicquam, quod apud illos melius quàm nobis est institutum. Quod unum maximè esse reor in causa, cur quum neque ingenio, neque opibus inferiores simus eis, ipsorum tamen res, quam nostra prudentius administretur, & felicius efflorescat. Ergo mi Raphael, inquam, quæso te atque obsecro, describe nobis insulam: nec velis esse brevis, sed explices ordine agros, fluvios, urbes, homines, mores, instituta, leges, ac denique omnia, quæ nos putes velle cognoscere: putabis autem velle, quicquid adhuc nescimus. Nihil, inquit, faciam libentius: nam hæc in promptu habeo, sed res otium poscit. Eamus ergo, inquam, intro pransum, mox tempus nostro arbitratu sumemus. Fiat, inquit. Ita ingressi prandemus. Pransi, in eundem conversi locum, in eodem sedili consedimus: ac jussis ministris, ne quis interpellaret, ego ac Petrus Ægidius hortamur Raphaëlem, ut præstet, quod erat pollicitus. Is ergo, ubi nos vidit intentos atque avidos audiendi, quum paulisper tacitus & cogitabundus assedisset, hunc in modum exorsus est.



UTOPIÆ,

SIVE

SERMONIS, QUEM RAPHAEL HYTHLODÆUS

De optimo Reipublicæ Statu habuit,

LIBER SECUNDUS.

UTOPIENSIUM Insula in media sui parte (nam hac latissima est) millia passuum ducenta porrigitur, magnumque per insulæ spatium non multo angustior, fines versus paulatim utrinque tenuatur. Hi velut circumducti circino, quingentorum ambitu millium insulam totam in lunæ speciem renascentis effigiant: cujus cornua fretum interfluens, millibus passuum plus minus undecim dirimit, ac per ingens inane diffusum, circumjectu undique terræ prohibitis ventis, vasti in morem lacus stagnans magis quàm sæviens, omnem propè ejus terræ alvum pro portu facit: magnoque hominum usu naves qua-

quaquaversus transmittit. Fauces hinc vadis, inde saxis formidolosæ. In medio fermè interstitio una rupes eminet, eoque innoxia, cui inædificatam turrim præsidio tenent, cæteræ latentes & insidiosæ. Canales solis ipsis noti, atque ideo non temerè accidit, uti exterus quisquam hunc in sinum, nisi Utopiano duce, penetret, ut in quem vix ipsis tutus ingressus est, nisi signis quibusdam è littore viam regentibus: his in diversa translatis loca, hostium quamlibet numerosam classem facilè in perniciem traherent. Ab altera parte non infrequentes portus. At ubique descensus in terram ita natura munitus, aut arte, ut ingentes copiæ paucis inde queant propugnatoribus arceri. Cæterùm uti fertur, utique ipsa loci facies præ se fert, ea tellus olim non ambiebatur mari: sed Utopus, cujus utpote victoris nomen refert insula (nam ante id temporis Abraxa dicebatur) quique rudem atque agrestem turbam ad id, quo nunc cæteros propè mortales antecellit, cultus humanitatisque perduxit: Primo protinus appulsu victoria potitus, passuum millia quindecim, qua parte tellus continenti adhæsit, excindendum curavit, ac mare circum terram duxit. Quumque ad id operis non incolas modo coëgisset (ne contumeliæ loco laborem ducerent) sed suos præterea milites omnes adjungeret, in tantam hominum multitudinem opere distributo, incredibili celeritate res perfecta, ut finitimos, qui initiò vanitatem incepti riserant, admiratione successus ac terrore perculerit. Insula civitates habet quatuor & quinquaginta, spatiosas omnes ac magnificas, lingua, moribus, institutis, legibus prorsus iisdem: idem situs omnium, eadem ubique, quatenus per locum licet, rerum facies. Harum quæ proximæ intersunt, millia quatuor ac viginti separant. Nulla rursus est tam deserta, è qua non ad aliam urbem pedibus queat unius itinere diei perveniri. Cives quaque ex urbe terni senes ac rerum periti, tractatum de rebus insulæ communibus, quotannis conveniunt Amaurotum. Nam ea urbs, quòd tanquam in umbilico terræ sita maximè jacet, omnium partium legatis opportuna, prima Princepsque habetur. Agri ita commodè civitatibus assignati sunt, ut ab nulla parte minus soli, quam viginti passuum millia unaquævis habeat, ab aliqua multo etiam amplius, videlicet qua parte longius urbes inter se disjunguntur. Nulli urbi cupido promovendorum finium: quippe quos habent, agricolas magis eorum se, quam dominos putant. Habent ruri per omnes agros commodè dispositas domos, rusticis instrumentis instructas. Hæ habitantur civibus per vices eo commigrantibus. Nulla familia rustica in viris mulieribusque pauciores habet, quàm quadraginta, præter duos ascriptitios servos, quibus pater materque familiâs graves ac maturi præficiuntur, & singulis tricenis familiis phylarchus unus. E quaque familia viginti quotannis in urbem remigrant hi, qui biennium ruri complevere. In horum locum totidem recentes ex urbe subrogantur, ut ab his, qui annum ibi fuere, atque ideo rusticarum peritiores rerum, instituantur, alios anno sequente docturi: ne si pariter omnes ibi novi, agricolationisque rudes essent, aliquid in annona per imperitiam peccaretur. Is innovandorum agricolarum mos etsi solennis sit, ne quisquam invitus asperiorem vitam cogatur continuare diutius: multi tamen, quos rusticæ rei studium natura delectat, plures sibi annos impetrant. Agricolæ terram colunt, nutriunt animalia, ligna comparant, atque in urbem qua commodum est, terra marive convehunt. Pullorum infinitam educant multitudinem, mirabili artificio: neque enim incubant ova gallinæ, sed magnum eorum numerum calore quodam æquabili foventes animant, educantque: hi simulatque è testa prodiere, homines vice matrum comitantur, & agnoscunt. Equos alunt perquam paucos, nec nisi ferocientes, neque alium in usum, quàm exercendæ rebus equestribus juventuti. Nam omnem seu colendi seu vehendi laborem boves obeunt, quos, ut fatentur, equis impetu cedere, sic patientia vincere, nec tot obnoxios morbis putant: ad hæc minore impendio & operæ & sumptus ali, ac denique laboribus emeritos, in cibum tandem usui esse. Semente in solum panem utuntur. Nam aut uvarum vinum bibunt, aut pomorum, pyrorumvé, aut denique aquam nonnunquam meram, sæpe etiam qua mel aut glycyrizam incoxerint, cujus haud exiguam habent copiam. Quum exploratum habeant (habent enim certissimum) quantum annonæ consumat urbs, & circumjectus urbi conventus, tamen multo amplius & sementis faciunt, & pecudum educant, quam quod in suos usus sufficiat, reliquum imperturi finitimis. Quibuscunque rebus opus est, quæ res ruri non habentur, eam supellectilem omnem ab urbe petunt, & sine ulla rerum commutatione, à Magistratibus urbanis nullo negotio consequuntur. Nam illo singulo quoque mense plerique ad festum diem conveniunt. Quum frumentandi dies instat, Magistratibus urbanis agricolarum phylarchi denuntiant, quantum civium numerum ad se mitti conveniat: quæ multitudo frumentorum, quum ad ipsum diem opportunè adsit, uno propè sereno die tota frumentatione defunguntur.

DE URBIBUS, AC NOMINATIM DE AMAUROTO.

URBIUM qui unam norit, omnes noverit, ita sunt inter se (quatenus loci natura non obstat) omnino similes. Depingam igitur unam quampiam: neque enim admodum refert quam. Sed quam potius, quam Amaurotum? qua nec ulla dignior est, quippe cui Senatus gratia reliquæ deferunt, nec ulla mihi notior, ut in qua annos quinque perpetuo vixerim. Situm est igitur Amaurotum in leni dejectu montis, figura ferè quadrata. Nam latitudo ejus paulo infra collis incepta verticem, millibus passuum

duobus ad flumen Anydrum pertinet, secundum ripam aliquanto longior. Oritur Anydrus millibus octoginta supra Amaurotum, modico fonte, sed aliorum occursu fluminum, atque in his duorum etiam mediocrium auctus, ante urbem ipsam quingentos in latum passus extenditur: mox adhuc amplior, sexaginta millia prolapsus, excipitur Oceano. Hoc toto spacio, quod urbem ac mare interjacet, ac supra urbem quoque aliquot millia, sex horas perpetuas influens æstus ac refluus alternat celeri flumine: quum sese pelagus infert, triginta in longum millia, totum Anydri alveum suis occupat undis, profligato retrorsum fluvio. Tum aliquanto ultra liquorem ejus salsugine corrumpit, dehinc paulatim dulcescens amnis, sincerus urbem perlabitur, ac refugientem vicissim purus & incorruptus, ad ipsas prope fauces insequitur. Urbs adversæ fluminis ripæ, non pilis ac sublicibus ligneis, sed ex opere lapideo, egregiè arcuato ponte, commissa est ab ea parte, quæ longissimè distat à mari, quo naves totum id latus urbis possint inoffensæ prætervehi. Habent alium præterea fluvium, haud magnum quidem illum, sed perquàm placidum ac jucundum. Nam ex eodem scaturiens monte, in quo civitas collocatur, mediam illam per devexa perfluens, Anydro miscetur. Ejus fluvii caput fontemque, quòd paulo extra urbem nascitur, munimentis amplexi Amaurotani junxerunt oppido: ne si qua vis hostium ingruat, intercipi atque averti aqua, neve corrumpi queat. Inde canalibus coctilibus diversim ad inferiores urbis partes aqua derivatur: id sicubi locus fieri vetat, cisternis capacibus collecta pluvia tantundem usus adfert. Murus altus ac latus oppidum cingit, turribus ac propugnaculis frequens: arida fossa, sed alta, lataque ac veprium sepibus impedita, tribus ab lateribus circundat mœnia, quarto flumen ipsum pro fossa est. Plateæ cùm ad vecturam, tum adversus ventos descriptæ commodè: ædificia neutiquam sordida, quorum longa & totum per vicum perpetua series, adversa domorum fronte conspicitur. Has vicorum frontes via distinguit, pedes viginti lata. Posterioribus ædium partibus, quanta est vici longitudo, hortus adjacet latus, & vicorum tergis undique circumseptus. Nulla domus est, quæ non, ut ostium in plateam, ita posticum in hortum habeat. Quin bifores quoque facili tractu manus apertiles, ac dein sua sponte coëuntes, quemvis intromittunt: ita nihil usquam privati est. Nam domos ipsas unoquoque decennio sorte commutant. Hos hortos magnifaciunt. In his vineas, fructus, herbas, flores habent: tanto nitore cultuque, ut nihil fructuosius usquam viderim, nihil elegantius. Qua in re studium eorum, non ipsa voluptas modò, sed vicorum quoque invicem de suo cujusque horti cultu certamen accendit. Et certè non aliud quicquam temerè urbe tota reperias, sive ad usum civium, sive ad voluptatem commodius: eoque nullius rei, quàm hujusmodi hortorum, majorem habuisse curam videtur is qui condidit. Nam totam hanc urbis figuram, jam inde ab initio descriptam ab ipso Utopo ferunt. Sed ornatum, cæterumque cultum, quibus unius ætatem hominis haud suffecturam vidit, posteris adjiciendum reliquit. Itaque scriptum in annalibus habent, quos ab capta usque insula, mille septingentorum ac sexaginta annorum complectentes historiam, diligenter & religiosè perscriptos adservant: ædes initio humiles, ac veluti casas & tuguria fuisse, è quolibet ligno temerè factas, parietes luto obductos, culmina in aciem fastigiata stramentis operuerant. At nunc omnis domus visenda forma tabulatorum trium, parietum facies aut silice aut cæmentis aut latere coctili constructæ, in alvum introrsus congesto rudere. Tecta in planum subducta, quæ intritis quibusdam insternunt, nullius impendii, sed ea temperatura, quæ nec igni obnoxia sit, & tolerandis tempestatum injuriis plumbum superet. Ventos è fenestris vitro (nam ejus ibi creberrimus usus est) expellunt. Interim etiam lino tenui, quod perlucido oleo, aut succino perlinunt, gemino nimirum commodo. Siquidem ad eum modum fit, ut & plus lucis transmittat, & ventorum minus admittat.

DE MAGISTRATIBUS.

Triginta quæque familiæ Magistratum sibi quotannis eligunt, quem sua prisca lingua Syphograntum vocant, recentiore Phylarchum. Syphograntis decem cum suis familiis Traniborus olim, nunc Protophylarchus dictus præficitur. Demum Syphogranti omnes qui sunt ducenti, jurati lecturos sese, quem maximè censent utilem, suffragiis occultis renuntiant Principem, unum videlicet ex quatuor, quos eis populus nominavit. Nam à quaque urbis quarta parte, selectus unus commendatur Senatui. Principis Magistratus perpetuus est in omnem illius vitam, nisi tyrannidis affectatæ suspicio impediat. Traniboros quotannis eligunt, cæterùm haud temerè commutant. Reliqui Magistratus omnes annui. Tranibori tertio quoque die, interdum, si res postulat, sæpius in consilium cum Principe veniunt. De Republica consultant, controversias privatorum, si quæ sunt, quæ perquam paucæ sunt, maturè dirimunt. Syphograntos semper in Senatum duos adsciscunt, atque omni die diversos, cautumque ut ne quid ratum sit, quod ad Rempublicam pertineat, de quo non tribus in Senatu diebus antè agitatum, quàm decretum sit. Extra Senatum aut Comitia publica, de rebus comunibus inire consilia, capitale habetur. Hæc eo ferunt instituta, ne proclive esset conjuratione Principis ac Traniborum, oppresso per tyrannidem populo, statum Reipublicæ mutare. Atque ideo quicquid magni momenti judicatur, ad Syphograntorum comitia defertur, qui cum suis familiis communicatâ re, post inter se consul-

consultant, ac suum consilium renunciant Senatui. Interdum ad totius insulæ consilium res defertur. Quin id quoque moris habet Senatus, ut nihil quo die primùm proponitur, eodem disputetur, sed in sequentem Senatum differatur: ne quis ubi quod in buccam primum venerit, temerè effutierit, ea potius excogitet postea, quibus decreta tueatur sua, quàm quæ ex Reipublicæ usu sint: malitque salutis publicæ, quàm opinionis de se jacturam facere, perverso quodam ac præpostero pudore, ne initio parum prospexisse videatur. Cui prospiciendum initio fuit, ut consultò potius, quam citò loqueretur.

DE ARTIFICIIS.

ARS una est omnibus viris mulieribusque, promiscua agricultura, cujus nemo est expers. Hac à pueritia erudiuntur omnes, partim in schola traditis præceptis, partim in agros viciniores urbi, quasi per ludum educti, non intuentes modò, sed per exercitandi corporis occasionem tractantes etiam. Præter agriculturam (quæ est omnibus, ut dixi, communis) quilibet unam quampiam, tanquam suam docetur. Ea est ferè aut lanificium, aut operandi lini studium, aut cæmentariorum, aut fabri, seu ferrarii, seu materiarii artificium. Neque enim aliud est opificium ullum, quod numerum aliquem dictu dignum occupet illic. Nam vestes, quarum (nisi quòd habitu sexus discernitur, & cœlibatus à conjugio) una per totam insulam forma est, eademque per omne ævum perpetua, nec ad oculum indecora, & ad corporis motum habilis, tum ad frigoris æstusque rationem apposita: eas, inquam, quæque sibi familia conficit. Sed ex aliis illis artibus unusquisque aliquam discit, nec viri modo, sed mulieres etiam. Cæterùm hæ velut imbecilliores leviora tractant, lanam ferè linumque operantur, viris artes reliquæ magis laboriosæ mandantur. Maxima ex parte quisque in patriis artibus educatur: nam eò plerique natura feruntur. Quòd si quem animus aliò trahat, in ejus opificii, cujus capitur studio, familiam quampiam adoptione traducitur: cura non à patre modò ejus, sed Magistratibus etiam præstita, ut gravi atque honesto patrifamiliâs mancipetur. Quin si quis unam perdoctus artem, aliam præterea cupiverit, eodem modo permittitur. Utramque nactus, utram velit, exercet, nisi alterutra civitas magis egeat. Syphograntorum præcipuum ac propè unicum negotium est curare ac prospicere, ne quisquam desideat otiosus, sed uti suæ quisque arti sedulò incumbat, nec ab summo mane tamen, ad multam usque noctem perpetuo labore, velut jumenta, fatigatus. Nam ea plus quàm servilis ærumna est: quæ tamen ubique ferè opificum vita est, exceptis Utopiensibus, qui cum in horas vigintiquatuor æquales diem connumerata nocte dividant, sex duntaxat operi deputant, tres ante meridiem, à quibus prandium ineunt, atque à prandio duas pomeridianas horas, quum interquieverint, tres deinde rursus labori datas cœna claudunt. Quum primam horam ab meridie numerent, sub octavam cubitum eunt. Horas octo somnus vendicat. Quicquid inter operis horas ac somni cibique medium esset, id suo cujusque arbitrio permittitur: non quo per luxum aut segnitiem abutatur, sed quod ab opificio suo liberum, ex animi sententia in aliud quippiam studii bene collocet. Has intercapedines plerique impendunt literis. Solenne est enim publicas quotidie lectiones haberi antelucanis horis: quibus ut intersint, ii duntaxat adiguntur, qui ad literas nominatim selecti sunt. Cæterùm ex omni ordine, mares simul ac fœminæ, multitudo maxima ad audiendas lectiones, alii alias, prout cujusque fert natura, confluit. Hoc ipsum tempus tamen si quis arti suæ malit insumere, quod multis usuvenit, quorum animus in nullius contemplatione disciplinæ consurgit, haud prohibetur, quin laudatur quoque ut utilis Reipublicæ. Super cœnam, tum unam horam ludendo producunt, æstate in hortis, hyeme in aulis illis communibus, in quibus comedunt. Ibi aut Musicam exercent, aut se sermone recreant. Aleam, atque id genus ineptos ac perniciosos ludos, ne cognoscunt quidem: cæterùm duos habent in usu ludos, latrunculorum ludo non dissimiles. Alterum numerorum pugnam, in qua numerus numerum prædatur: alterum in quo collata acie cum virtutibus vitia confligunt. Quo in ludo perquàm scitè ostenditur & vitiorum inter se dissidium, & adversus virtutes concordia: Item, quæ vitia quibus se virtutibus opponant, quibus viribus apertè oppugnent, quibus machinamentis ab aliquo adoriantur, quo præsidio virtutes vitiorum vires infringant, quibus artibus eorum conatus eludant, quibus denique modis alterutra pars victoriæ compos fiat. Sed hoc loco ne quid erretis, quiddam pressius intuendum est. Etenim quòd sex duntaxat horas in opere sunt, fieri fortasse potest, ut inopiam aliquam putes necessariarum rerum sequi. Quod tam longè abest ut accidat, ut id temporis ad omnium rerum copiam, quæ quidem ad vitæ vel necessitatem requirantur vel commoditatem, non sufficiat modò, sed supersit etiam: id quod vos quoque intelligetis, si vobiscum reputetis, apud alias gentes quàm magna populi pars iners degit. Primùm mulieres ferè omnes, totius summæ dimidium, aut sicubi mulieres negotiosæ sunt, ibi utplurimùm earum vice viri stertunt. Ad hæc Sacerdotum ac Religiosorum, quos vocant, quanta quàmque otiosa turba? Adjice divites omnes, maximè prædiorum Dominos, quos vulgò generosos appellant, ac nobiles. His adnumera ipsorum famulitium, totam videlicet illam cetratorum nebulonum colluviem. Robustos denique ac valentes mendicos adjunge, morbum quempiam prætexentes inertiæ: multo certè pauciores esse, quàm

putaras, invenies eos, quorum labore constant hæc omnia, quibus mortales utuntur. Expende nunc tecum, ex his ipsis quàm pauci in necessariis opificiis versantur. Siquidem ubi omnia pecuniis metimur, multas artes necesse est exerceri inanes prorsus ac superfluas, luxus tantum ac libidinis ministras. Nam hæc ipsa multitudo quæ nunc operatur, si partiretur in tam paucas artes, quam paucas commodus naturæ usus postulat, in tanta rerum abundantia, quantam nunc esse necesse sit, pretia nimirum viliora forent, quam ut artifices inde vitam tueri suam possent. At si isti omnes, quos nunc inertes artes distringunt, ac tota insuper otio ac desidia languescens turba: quorum unus quivis earum rerum, quæ aliorum laboribus suppeditantur, quantum duo earundem operatores, consumit: in opera universi atque eadem utilia collocarentur, facilè animadvertis, quantulum temporis ad suppeditanda omnia, quæ vel necessitatis ratio, vel commoditatis efflagitet (adde voluptatis etiam, quæ quidem vera sit ac naturalis) abundè satis superque foret. Atque id ipsum in Utopia res ipsa perspicuum facit. Nam illic in tota urbe cum adjacente vicinia, vix homines quingenti, quibus ex omni virorum ac mulierum numero, quorum ætas ac robur operi sufficit, vacatio permittitur. In his Syphogranti (quanquam leges eos labore solverunt) ipsi tamen sese non eximunt, quo facilius exemplo suo reliquos ad labores invitent. Eadem immunitate gaudent hi, quibus commendatione Sacerdotum persuasus populus occultis Syphograntorum suffragiis ad perdiscendas disciplinas perpetuam vacationem indulgent: quorum si quis conceptam de se spem fefellerit, ad opifices retruditur: contraque non rarenter usu venit, ut mechanicus quispiam, succisivas illas horas tam gnaviter impendat literis, tantum diligentia proficiat, ut opificio suo exemptus, in literatorum classem provehatur. Ex hoc Literatorum ordine Legati, Sacerdotes, Tranibori, ac ipse denique deligitur Princeps, quem illi prisca ipsorum lingua Barzanem, recentiore Ademum appellant. Reliqua ferè multitudo omnis, quum neque otiosa sit, nec inutilibus opificiis occupata, proclivis æstimatio est, quàm paucæ horæ quantum boni operis pariant ad ea quæ commemoravi. Hoc præterea facilitatis accedit, quòd in necessariis plerisque artibus minore opera, quàm aliæ gentes opus habent. Nam primum ædificiorum aut structura aut refectio ideo tam multorum assiduam ubique requirit operam, quòd quæ pater ædificavit, hæres parum frugi paulatim dilabi sinit, ita quod minimo tueri potuit, successor ejus de integro impendio magno cogitur instaurare. Quin frequenter etiam, quæ domus alii ingenti sumptu stetit, hanc alius delicato animo contemnit: eaque neglecta, atque ideo brevi collapsa, aliam alibi impensis non minoribus extruit. At apud Utopienses compositis rebus omnibus, & constituta Republica rarissimè accidit, uti nova collocandis ædibus area deligatur: & non modò remedium celeriter præsentibus vitiis adhibetur, sed etiam imminentibus occurritur. Ita fit, ut minimo labore diutissimè perdurent ædificia, & id genus opifices vix habeant interdum quod agant, nisi quòd materiam dolare domi, & lapides interim quadrare atque aptare jubentur, quo, si quod opus incidat, maturius possit exurgere. Jam in vestibus vide, quàm paucis operis egeant. Primùm dum in opere sunt, corio neglectim aut pellibus amiciuntur, quæ in septennium durent. Quum procedunt in publicum, superinduunt chlamydem vestem, quæ rudiores illas vestes contegat: ejus per totam insulam unus color est, atque is nativus. Itaque lanei panni non modò multo minus quàm usquam alibi sufficit, verùm is ipse quoque multo minoris impendii est. At lini minor est labor, eoque usus crebrior: sed in lineo solus candor, in laneo sola mundicies conspicitur, nullum tenuioris fili pretium est. Itaque fit, ut quum alibi nusquam uni homini quatuor aut quinque togæ laneæ diversis coloribus, ac totidem sericeæ tunicæ sufficiant, delicatioribus paulo ne decem quidem: ibi una quisque contentus sit plerumque in biennium. Quippe nec causa est ulla, cur plures affectet, quas consecutus, neque adversus frigus esse munitior, neque vestitu videretur vel pilo cultior. Quamobrem quum & omnes utilibus sese artibus exerceant, & ipsarum etiam opera pauciora sufficiant, fit nimirum ut abundante rerum omnium copia, interdum in reficiendas (si quæ detritæ sunt) vias publicas immensam multitudinem educant, persæpe etiam quum nec talis cujuspiam operis usus occurrat, pauciores horas operandi publicè denuntient. Neque enim supervacaneo labore cives invitos exercent Magistratus, quandoquidem ejus Reipublicæ institutio hunc unum scopum inprimis respicit, ut, quoad per publicas necessitates licet, quamplurimum temporis ab servitio corporis ad animi libertatem cultumque civibus universis asseratur. In eo enim sitam vitæ felicitatem putant.

DE COMMERCIIS MUTUIS.

Sed jam quo pacto sese mutuò cives utantur, quæ populi inter se commercia, quæque sit distribuendarum rerum forma, videtur explicandum. Quum igitur ex familiis constet civitas, familias utplurimùm cognationes efficiunt. Nam fœminæ ubi maturuerint, collocatæ maritis in ipsorum domicilia concedunt. At masculi filii, ac deinceps nepotes, in familia permanent, & parentum antiquissimo parent, nisi præ senecta mente parum valuerit. Tunc enim ætate proximus ei sufficitur. Verùm ne civitas aut fieri infrequentior, aut ultra modum possit increscere, cavetur, ne ulla familia, quarum millia sex quæque civitas, excepto conventu, complectitur, pauciores quàm decem, pluresvé quàm sexdecim puberes

heres habeat. Impuberum enim nullus præfiniri numerus potest. Hic modus facilè servatur, transcriptis his in rariores familias, qui in plenioribus excrescunt. At si quando in totum plus justo abundaverit, aliarum urbium suarum infrequentiam sarciunt. Quod si fortè per totam insulam plus æquo moles intumuerit, tum ex qualibet urbe descriptis civibus in continente proximo, ubicunque indigenis agri multum superest & cultu vacat, coloniam suis ipsorum legibus propagant, ascitis unà terræ indigenis, si convenire secum velint. Cum volentibus conjuncti in idem vitæ institutum eosdemque mores facilè coalescunt: idque utriusque populi bono. Efficiunt enim suis institutis, ut ea terra utrisque abunda sit, quæ alteris aut parca ac maligna videbatur. Renuentes ipsorum legibus vivere, propellunt his finibus, quos sibi ipsi describunt. Adversus repugnantes bello confligunt. Nam eam justissimam belli causam ducunt, quum populus quispiam ejus soli, quo non ipse utitur, sed velut inane ac vacuum possidet, aliis tamen, qui ex naturæ præscripto inde nutriri debeant, usum ac possessionem interdicat. Si quando ullas ex suis urbibus aliquis casus eousque imminuerit, ut ex aliis insulæ partibus, servato suo cujusque urbis modo, resarciri non possint (quos bis duntaxat ab omni ævo, pestis grassante sævitia fertur contigisse) remigrantibus è colonia civibus replentur. Perire enim colonias potius patiuntur, quàm ullam ex insulanis urbibus imminui. Sed ad convictum civium revertor. Antiquissimus (ut dixi) præest familiæ. Ministri sunt uxores maritis, & liberi parentibus, atque in summa minores natu majoribus. Civitas omnis in quatuor æquales partes dividitur. In medio cujusque partis forum est omnium rerum. Eò in certas domos opera cujusque familiæ convehuntur, atque in horrea singulæ seorsum species distributæ sunt. Ab his quilibet paterfamiliâs quibus ipse suique opus habent, petit, ac sine pecunia, sine omni prorsus hostimento quicquid petierit, aufert. Quare enim negetur quicquam? quum & omnium rerum abundè satis sit, nec timor ullus subsit, ne quisquam plus quàm sit opus, flagitare velit. Nam cur supervacua petiturus putetur is, qui certum habeat, nihil sibi unquam defuturum? Nempe avidum ac rapacem, aut timor carendi facit in omni animantum genere, aut in homine sola reddit superbia, quæ gloriæ sibi ducit, superflua rerum ostentatione cæteros antecellere: quod vitii genus in Utopiensium institutis nullum omnino locum habet. Adjuncta sunt foris (quæ commemoravi) fora cibaria, in quæ non olera modò, arborumque fructus & panes comportantur, sed pisces præterea, quadrupedumque & avium quicquid esculentum est, extra urbem locis appositis, ubi fluento tabum ac sordes eluantur. Hinc deportant pecudes occisas, depuratasque manibus famulorum. Nam neque suos cives patiuntur assuescere laniatu animalium; cujus usu clementiam, humanissimum naturæ nostræ affectum, paulatim deperire putant: neque sordidum quicquam atque immundum, cujus putredine corruptus aër morbum posset invehere, perferri in urbem sinunt. Habet præterea quilibet vicus aulas quasdam capaces, æquali ab sese invicem intervallo distantes, nomine quamque suo cognitas. Has colunt Syphogranti, quarum unicuique triginta familiæ, videlicet ab utroque latere quindecim sunt adscriptæ, cibum ibi sumpturæ. Obsonatores cujusque aulæ certa hora conveniunt in forum, ac relato suorum numero cibum petunt. Sed prima ratio ægrotorum habetur, qui in publicis hospitiis curantur. Nam quatuor habent in ambitu civitatis hospitia paulo extra muros, tam capacia, ut totidem oppidulis æquari possint: tum ut neque ægrotorum numerus quamlibet magnus angustè collocaretur, & per hoc incommodè: tum quo hi qui tali morbo tenerentur, cujus contagio solet ab alio ad alium serpere, longius ab aliorum cœtu semoveri possint. Hæc hospitia ita sunt instructa, atque omnibus rebus quæ ad salutem conferant, referta, tum tam tenera ac sedula cura adhibetur, tam assidua medicorum peritissimorum præsentia, ut cùm illuc nemo mittatur invitus, nemo tamen ferè in tota urbe sit, qui adversa valetudine laborans, non ibi decumbere, quàm domi suæ præferat. Quum ægrotorum obsonator cibos ex Medicorum præscripto receperit, deinceps optima quæque inter aulas æquabiliter pro suo cujusque numero distribuuntur: nisi quòd Principis, Pontificis, & Tranibororum respectus habetur, ac legatorum etiam, & exterorum omnium si qui sunt, (qui pauci ac rarò sunt) sed his quoque cum adsunt, domicilia certa atque instructa parantur. Ad has aulas prandii cœnæque statis horis tota Syphograntia convenit, æneæ tubæ clangore commonefacta, nisi qui aut in hospitiis, aut domi decumbunt: quanquam nemo prohibetur, postquam aulis est satisfactum, è foro domum cibum petere: sciunt enim neminem id temerè facere. Nam etsi domi prandere nulli vetitum sit, nemo tamen hoc libenter facit, cum neque honestum habeatur, & stultum sit, deterioris parandi prandii sumere laborem, cum lautum atque opiparum præstò apud aulam tam propinquam sit. In hac aula ministeria omnia, in quibus paulo plus sordis aut laboris est, obeunt servi. Cæterùm coquendi, parandique cibi officium, & totius denique instruendi convivii, solæ mulieres exercent, cujusque videlicet familiæ per vices. Tribus pluribusvé mensis pro numero convivarum discumbitur. Viri ad parietem, fœminæ exterius collocantur, ut si quid his subiti oboriatur mali (quod uterum gerentibus interdum solet accidere) imperturbatis ordinibus exurgant, atque inde ad nutrices abeant. Sedent illæ quidem seorsum cum lactentibus in cœnaculo quodam, ad id destinato,

nun-

nunquam sine foco atque aqua munda, nec absque cunis interim: ut & declinare liceat infantulos, & ad ignem cum velint exemptos fasciis liberare, ac ludo reficere. Suæ quæque soboli nutrix est, nisi aut mors aut morbus impediat. Id cum accidit, uxores Syphograntorum propere nutricem quærunt: nec id difficile est. Nam quæ id præstare possunt, nulli officio sese offerunt libentius, quoniam & omnes eam misericordiam laude prosequuntur: & qui educatur, nutricem parentis agnoscit loco. In antro nutricum considunt pueri omnes, qui primum lustrum non explevere. Cæteri impuberes (quo in numero ducunt quicunque sexus alterius utrius intra nubiles annos sunt) aut ministrant discumbentibus, aut qui per ætatem nondum valent. Adstant tamen, atque id summo cum silentio. Utrique quod à sedentibus porrigitur, eo vescuntur, nec aliud discretum prandendi tempus habent. In medio primæ mensæ (qui summus locus est) & cui (nam ea mensa suprema in parte cœnaculi transversa est) totus conventus conspicitur, Sypograntus cum uxore considet. His adjunguntur duo ex natu maximis. Sedent enim per omnes mensas quaterni. At si templum in ea Syphograntia situm est, Sacerdos ejusque uxor cum Syphogranto sedent, ut præsideant. Ab utraque parte collocantur juniores, post senes rursus: atque hoc pacto per totam domum & æquales inter se junguntur, & dissimilibus tamen immiscentur: quod ideo ferunt institutum, ut senum gravitas ac reverentia (quum nihil ita in mensa fieri dicive potest, ut eos ab omni parte vicinos effugiat) juniores ab improba verborum gestuumque licentia cohibeat. Ciborum fercula non à primo loco deinceps apponuntur, sed senioribus primùm omnibus (quorum insignes loci sunt) optimus quisque cibus infertur, deinde reliquis æqualiter ministratur. At senes lautitias suas (quarum non tanta erat copia, ut posset totam per domum affatim distribui) pro suo arbitratu circumsedentibus impertiuntur. Sic & majoribus natu suus servatur honos, & commodi tantundem tamen ad omnes pervenit. Omne prandium cœnamque ab aliqua lectione auspicantur, quæ ad mores faciat, sed brevi tamen, ne fastidio sit. Ab hac seniores honestos sermones, sed neque tristes ac infacetos ingerunt. At nec longis logis totum occupant prandium, quin audiunt libenter juvenes quoque, atque adeò de industria provocant, quo & indolis cujusq; & ingenii per convivii libertatem prodentis sese, capiant experimentum. Prandia breviuscula sunt, cœnæ largiores: quòd labor illa, has somnus & nocturna quies excipit, quam illi ad salubrem concoctionem magis efficacem putant. Nulla cœna sine Musica transigitur: nec ullis caret secunda mensa bellariis. Odores incendunt, & unguenta spargunt, nihilque non faciunt, quod exhilarare convivas possit. Sunt enim hanc in partem aliquanto procliviores, ut nullum voluptatis genus, ex quo nihil sequatur incommodi, censeant interdictum. Hoc pacto igitur in urbe convivunt: at ruri, qui longius ab sese dissiti sunt, omnes domi quisque suæ comedunt. Nulli enim familiæ quicquam ad victum deest, quippe à quibus id totum venit, quo vescantur urbici.

DE PEREGRINATIONE UTOPIENSIUM.

AT si quos aut amicorum alia in urbe commorantium, aut ipsius etiam videndi loci desiderium cœperit, à Syphograntis ac Traniboris suis veniam facilè impetrant, nisi si quis usus impediat. Mittitur ergo simul numerus aliquis cum epistola Principis, quæ & datam peregrinandi copiam testatur, & reditus diem præscribit. Vehiculum datur cum servo publico, qui agat boves, & curet. Cæterum nisi mulieres in cœtu habeant, vehiculum velut onus & impedimentum remittitur. Toto itinere cùm nihil secum efferant, nihil desit tamen: ubique enim domi sunt. Si quo in loco diutius uno die commorentur, suam ibi quisque artem exercet, atque ab artis ejusdem opificibus humanissimè tractantur. Si semet Autore quisquam extra suos fines vagetur, deprehensus sine Principis diplomate contumeliose habitus, pro fugitivo reducitur, castigatus acriter. Idem ausus denuò, servitute plectitur. Quòd si quem libido incessat per suæ civitatis agros palandi, venia patris & consentiente conjuge, non prohibetur: sed in quodcunque rus pervenerit, nullus antè cibus datur, quàm antemeridianum operis pensum, aut quantum ante cœnam ibi laborari solet, absolverit. Hac lege quovis intra suæ urbis fines ire licet. Erit enim non minus utilis ubi, quàm si in urbe esset. Jam videris quàm nulla sit usquam otiandi licentia, nullus inertiæ prætextus, nulla taberna vinaria, nulla cerevisiaria, nusquam lupanar, nulla corruptelæ occasio, nullæ latebræ, conciliabulum nullum: sed omnium præsentes oculi necessitatem aut consueti laboris, aut otii non inhonesti faciunt. Quem populi morem necesse est omnium rerum copiam sequi. Atque ea quum æquabiliter ad omnes perveniat, fit nimirum, ut inops esse nemo aut mendicus possit. In senatu Amaurotico (quem, uti dixi, terni quotannis omni ex urbe frequentant) ubi primum constiterit, quæ res quoque loco abundet, rursum cujus alicubi malignior proventus fuerit, alterius inopiam, alterius protinus ubertas explet: atque id gratuitò faciunt, nihil vicissim ab his recipientes, quibus donant. Sed quæ de suis rebus uni cuipiam urbi dederint, nihil ab ea repetentes: ab alia, cui nihil impenderunt, quibus egent, accipiunt. Ita tota insula velut una familia est. At postquam satis provisum ipsis est (quod non antea factum censent, quàm in biennium propter anni sequentis eventum pro-

prospexerint) tum ex his quæ supersunt, magnam vim frumenti, mellis, lanæ, lini, cocci, & conchyliorum, vellerum, ceræ, sevi, corii, ad hæc animalium quoque in alias regiones exportant: quarum rerum omnium septimam partem inopibus ejus regionis dono dant, reliquam pretio mediocri venditant. Quo ex commercio non eas modò merces, quibus domi egent (nam id ferè nihil est præter ferrum) sed argenti atque auri præterea magnam vim in patriam reportant. Cujus rei diutina consuetudine, suprà quam credi possit, ubique jam earum rerum copia abundant. Itaque nunc parum pensi habent, præsente ne pecunia an in diem vendant, multoque maximam partem habeant in nominibus: in quibus tamen faciendis non privatorum unquam, sed confectis ex more instrumentis, publicam urbis fidem sequuntur. Civitas ubi solutionis dies advenerit, à privatis debitoribus exigit creditum, atque in ærarium redigit, ejusque pecuniæ, quoad ab Utopiensibus repetatur, usura fruitur. Illi maximam partem nunquam repetunt. Nam quæ res apud se nullum habet usum, eam ab his auferri, quibus usui est, haud æquum censent. Cæterùm si res ita poscat, ut ejus aliquam partem alii populo mutuam daturi sint, tum demum poscunt: aut quum bellum gerendum est: Quam in rem unam totum illum thesaurum quem habent, domi servant, uti aut extremis in periculis, aut in subitis præsidio sit: potissimùm quo milites externos (quos libentius quàm suos cives objiciunt discrimini) immodico stipendio conducant: gnari multitudine pecuniæ hostes ipsos plerumque mercabiles, & vel proditione vel infestis etiam signis inter se comitti. Hanc ob causam inæstimabilem thesaurum servant, at non ut thesaurum tamen, sed ita habent, quomodo me narrare profectò deterret pudor, metuentem ne fidem oratio non sit habitura: quod eo justius vereor, quo magis mihi sum conscius, nisi vidissem præsens, quàm ægrè potuissem ipse perduci ut alteri idem recensenti crederem. Necesse est enim ferè, quàm quicquam est ab eorum qui audiunt moribus alienum, tam idem procul illis abesse à fide. Quanquam prudens rerum æstimator minus fortasse mirabitur, quum reliqua eorum instituta tam longè ab nostris differant, si argenti quoq; atque auri usus ad ipsorũ potius, quàm ad nostri moris rationem accommodetur. Nempe quum pecunia non utantur ipsi, sed in eum servent eventum, qui ut potest usu venire, ita fieri potest, ut nunquam incidat. Interim aurum argentumque (unde ea fit) sic apud se habent, ut ab nullo pluris æstimetur, quàm rerum ipsarum natura meretur: qua quis non videt, quàm longè infra ferrum sunt? ut sine quo non herculè magis, quàm absque igni atque aqua vivere mortales queant, quum interim auro argentoque nullum usum, quo non facilè careamus, natura tribuerit, nisi hominum stultitia pretium raritati fecisset: quin contrà, velut parens indulgentissima, optima quæque in propatulo posuerit, ut aërem, aquam, ac tellurem ipsam, longissimè verò vana ac nihil profutura semoverit. Ergo hæc metalla, si apud eos in turrim aliquam abstruderentur, princeps ac senatus in suspicionem venire posset (ut est vulgi stulta solertia) ne deluso per technam populo, ipsi aliquo inde commodo fruerentur. Porrò si phialas inde, aliaque id genus opera fabrè excusa conficerent, si quando incidisset occasio, ut conflanda sint rursus, atque in militum eroganda stipendium, vident nimirum fore, ut ægrè patiantur avelli, quæ semel in deliciis habere cœpissent. His rebus uti occurrant, excogitavere quandam rationem, ut reliquis ipsorum institutis consentaneam, ita ab nostris (apud quos aurum tanti fit, ac tam diligenter conditur) longissimè abhorrentem, eoque nisi peritis non credibilem. Nam cùm in fictilibus è terra vitroque, elegantissimis quidem illis, sed vilibus tamen, edant bibantque, ex auro atque argento, non in communibus aulis modò, sed in privatis etiam domibus matellas passim, ac sordidissima quæque vasa conficiunt: ad hæc catenas & crassas compedes, quibus coërcent servos, iisdem ex metallis operantur: postremò quoscunque aliquod crimen infames facit, ab horum auribus annulli dependent aurei, digitos aurum cingit, aurea torques ambit collum, & caput denique auro vincitur. Ita omnibus curant modis, uti apud se aurum argentumque in ignominia sint: atque hoc pacto fit, ut hæc metalla, quæ cæteræ gentes non minus ferè dolenter ac viscera sua distrahi patiuntur, apud Utopienses, si semel omnia res postularet efferri, nemo sibi jacturam unius fecisse assis videretur. Margaritas præterea legunt in littoribus, quin in rupibus quibusdam adamantes, ac pyropos quoque: neque tamen quærunt, sed oblatos casu perpoliunt. His ornant infantulos, qui ut primis pueritiæ annis, talibus ornamentis gloriantur ac superbiunt, sic ubi plusculum accrevit ætatis, cum animadvertunt ejusmodi nugis non nisi pueros uti, nullo parentum monitu, sed suomet ipsorum pudore deponunt. Non aliter ac nostri pueri, quum grandescunt, nuces, bullas, & pupas abjiciunt. Itaque hæc tam diversa ab reliquis gentibus instituta, quàm diversas itidem animorum affectiones pariant, nunquam æquè mihi atque in Anemoliorum Legatis inclaruit. Venerunt hi Amaurotum dum ego aderam: & quoniam magnis de rebus tractatum veniebant, adventum eorum terni illi cives ex qualibet urbe prævenerant: sed omnes finitimarum gentium legati, qui eò antè appulerant, quibus Utopiensium perspecti mores erant, apud quos sumptuoso vestitui nihil honoris haberi intelligebant, sericum contemptui esse, aurum etiam infame sciebant, cultu quàm poterant modestissimo venire consueverant. At Anemolii, quod longius aberant, ac minus cum illis commercii habuerant, quum accepissent, eodem omnes, eoque

rudi corporis cultu esse, persuasi non habere eos quo non utebantur, ipsi etiam superbi magis quàm sapientes, decreverunt apparatus elegantia deos quosdam repræsentare, & miserorum oculos Utopiensium ornatus sui splendore præstringere. Itaque ingressi sunt Legati tres cum comitibus centum, omnes vestitu versicolori, plerique serico: legati ipsi (nam domi nobiles erant) amictu aureo, magnis torquibus & inauribus aureis, ad hæc annulis aureis in manibus, monilibus insuper appensis in pileo, quæ margaritis ac gemmis affulgebant, omnibus postremò rebus ornati, quæ apud Utopienses aut servorum supplicia, aut infamium dedecora, aut puerorum nugamenta fuere. Itaque operæ pretium erat videre, quo pacto cristas erexerint, ubi suum ornatũ cum Utopiensium vestitu (nam in plateis sese populus effuderat) contulere: contraque non minus erat voluptatis considerare, quàm longè sua eos spes expectatioque fefellerat, quamque longè ab ea existimatione aberant, quam se consecuturos putaverant. Nempe Utopiensium oculis omnium, exceptis perquàm paucis, qui alias gentes aliqua idonea de causa inviserant, totus ille splendor apparatus pudendus videbatur, & infimum quemque pro dominis reverenter salutantes, Legatos ipsos ex aurearum usu catenarum pro servis habitos, sine ullo prorsus honore prætermiserunt. Quin pueros quoque vidisses, qui gemmas ac margaritas abjecerant, ubi in legatorum pileis affixas conspexerunt, compellare matrem ac latus fodere: En mater, quàm magnus nebulo margaritis adhuc & gemmulis utitur, ac si esset parvulus? At parens serio etiam illa, Tace, inquit, fili, est opinor quispiam è morionibus Legatorum. Alii catenas illas aureas reprehendere, utpote nullius usus, quippe tam graciles, ut eas facilè servus infringere: tam laxas rursus, uti quum fuerit libitum, possit excutere, & solutus ac liber quovis aufugere. Verùm Legati, postquam ibi unum atque alterum diem versati, tantam auri vim in tanta vilitate conspexerunt, nec in minore contumelia, quàm apud se honore habitam vidissent, ad hæc in unius fugitivi servi catenas compedesque plus auri atque argenti congestum, quàm totus ipsorum trium apparatus constiterat: subsidentibus pennis omnem illum cultum, quo sese tam arroganter extulerant, pudefacti seposuerunt. Maximè verò postquam familiarius cum Utopiensibus collocuti, mores eorum atque opiniones didicere. Mirantur illi siquidem quenquam esse mortalium, quem exiguæ gemmulæ aut lapilli dubius oblectet fulgor, cui quidem stellam aliquam, atque ipsum denique solem liceat intueri: aut quenquam tam insanum esse, ut nobilior ipse sibi ob tenuioris lanæ filum videatur: siquidem hanc ipsam (quantumvis tenui filo sit) ovis olim gestavit, nec aliud tamen interim quàm ovis fuit. Mirantur item aurum suapte natura tam inutile, nunc ubique gentium æstimari tanti, ut homo ipse, per quem, atque adeò in cujus usum id pretii obtinuit, minoris multo quàm aurum ipsum æstimetur; usque adeò, ut plumbeus quispiam, & cui non plus ingenii sit quàm stipiti, nec minus etiam improbus quàm stultus, multos tamen & sapientes & bonos viros in servitute habeat, ob id duntaxat, quòd ei magnus contigit aureorum numismatum cumulus: quem si qua fortuna, aut aliqua legum stropha (quæ nihil minus ac fortuna ipsa summis ima permiscet) ab hero illo ad abjectissimum totius familiæ suæ nebulonem transtulerit, fit nimirum paulo pòst, ut in famuli sui famulitium concedat, velut appendix additamentumque numismatum. Cæterùm multo magis eorum mirantur ac detestantur insaniam, qui divitibus illis, quibus neque debent quicquam, neque sunt obnoxii, nullo alio respectu, quàm quòd divites sunt, honores tantum non divinos impendunt: idque cum eos tam sordidos atque avaros cognoscunt, ut habeant certo certius, ex tanto nummorum cumulo, viventibus illis, ne unum quidem nummulum unquam ad se venturum. Has atque hujusmodi opiniones partim ex educatione conceperunt, in ea educti republica cujus instituta longissimè ab his stultitiæ generibus absunt, partim ex doctrina & literis. Nam etsi haud multi cujusque urbis sunt, qui cæteris exonerati laboribus soli disciplinæ deputantur, hi videlicet, in quibus à pueritia egregiam indolem, eximium ingenium, atque animum ad bonas artes propensum deprehendêre: tamen omnes pueri literis imbuuntur, & populi bona pars, viri fœminæque, per totam vitam horas illas quas ab operibus liberas esse diximus, in literis collocant. Disciplinas ipsorum lingua perdiscunt. Est enim neque verborum inops, nec insuavis auditu, nec ulla fidelior animi interpres est. Eadem ferè (nisi quod ubique corruptior, alibi aliter) magnam ejus orbis plagam pervagatur. Ex omnibus his Philosophis, quorum nomina sunt in hoc noto nobis orbe celebria, ante nostrum adventum ne fama quidem cujusquam eò pervenerat, & tamen in Musica Dialecticaque, ac numerandi & metiendi scientia, eadem ferè, quæ nostri illi Veteres, invenêre. Cæterùm ut antiquos omnibus propè rebus exæquant, ita nuperorum inventis Dialecticorum longè sunt impares. Nam ne ullam quidem regulam invenerunt earum, quas de restrictionibus, amplificationibus, ac suppositionibus acutissimè excogitatis in parvis Logicalibus, passim hic ediscunt pueri. Porrò secundas intentiones tam longè abest ut investigare suffecerint, ut nec hominem ipsum in communi, quem vocant, quanquam (ut scitis) planè colosseum, & quovis gigante majorem, tum à nobis præterea digito demonstratum, nemo tamen eorum videre potuerit. At sunt in astrorum cursu, & cœlestium orbium motu peritissimi. Quin instrumenta quoque diversis figuris solerter excogitarunt, quibus solis ac lunæ, & cæterorum item astrorum, quæ in ipsorum horizonte visuntur,

suntur, motiones ac situs exactissimè comprehensos habent. Cæterùm amicitias atque errantium dissidia siderum, ac totam denique illam ex astris divinandi imposturam ne somniant quidem. Imbres, ventos, ac cæteras tempestatum vicissitudines, signis quibusdam longo perspectis usu præsentiunt. Sed de caussis earum rerum omnium, & de fluxu maris ejusque salsitate, & in summa de cœli mundique origine ac natura, partim eadem quæ veteres Philosophi nostri disserunt, partim ut illi inter se dissident, ita hi quoque dum novas rerum rationes afferunt, ab omnibus illis dissentiunt, nec inter se tamen usquequaque conveniunt. In ea Philosophiæ parte, qua de moribus agitur, eadem illis disputantur, quæ nobis: de Bonis animi quærunt, & corporis, & externis: tum utrum boni nomen omnibus his, an solis animi dotibus conveniat. De virtute disserunt ac voluptate: sed omnium prima est ac princeps controversia, quanam in re, una pluribusve sitam hominis felicitatem putent. At hac in re propensiores æquo videntur in factionem voluptatis assertricem, ut qua vel totam, vel potissimam felicitatis humanæ partem definiant. Et quo magis mireris, ab religione quoque (quæ gravis & severa est, fereque tristis & rigida) petunt tamen sententiæ tam delicatæ patrocinium. Neque enim de felicitate disceptant unquam, quin principia quædam ex religione deprompta, tum Philosophia, quæ rationibus utitur, conjungant, sine quibus ad veræ felicitatis investigationem, mancam atque imbecillam per se rationem putant. Ea principia sunt hujusmodi. Animam esse immortalem, ac Dei beneficentia ad felicitatem natam: virtutibus ac benefactis nostris præmia post hanc vitam, flagitiis destinata supplicia. Hæc, tametsi religionis sint, ratione tamen censent ad ea credenda & concedenda perduci: quibus è medio sublatis, sine ulla cunctatione pronuntiant, neminem esse tam stupidum, qui non sentiat, petendam sibi per fas ac nefas voluptatem, hoc tantum caveret, ne minor voluptas obstet majori, aut eam persequatur, quam invicem retaliet dolor. Nam virtutem asperam ac difficilem sequi, ac non abigere modò suavitatem vitæ, sed dolorem etiam sponte perpeti, cujus nullum expectes fructum (quis enim potest esse fructus, si post mortem nihil assequeris, quum hanc vitam totam insuaviter, hoc est, miserè traduxeris) id verò dementissimum ferunt. Nunc verò non in omni voluptate felicitatem, sed in bona atque honesta, sitam putant. Ad eam enim, velut ad summum bonum, naturam nostram ab ipsa virtute pertrahi, cui sola adversa factio felicitatem tribuit. Nempe virtutem definiunt, secundum naturam vivere: ad id siquidem à Deo institutos esse nos. Eum verò naturæ ductum sequi, quisquis in appetendis fugiendisque rebus obtemperat rationi. Rationem porrò mortales primum omnium in amorem ac venerationem Divinæ Majestatis incendere, cui debemus & quòd sumus, & quòd compotes esse felicitatis possumus: secundum id commonet atque excitat nos, ut vitam quàm licet minimè anxiam, ac maximè lætam ducamus ipsi, cæterisque omnibus ad idem obtinendum adjutores nos pro naturæ societate præbeamus. Neque enim quisquam unquam fuit tam tristis ac rigidus assecla virtutis, & osor voluptatis, qui ita labores, vigilias, & squalores indicat tibi, ut non idem aliorum inopiam atque incommoda levare te pro tua virili jubeat, & id laudandum humanitatis nomine censeat, hominẽ homini saluti ac solatio esse: si humanum est, maximè (qua virtute nulla est homini magis propria) aliorum mitigare molestiã, & sublata tristitia vitæ jucunditati, hoc est, voluptati reddere. Quid ni natura quemque instiget, ut sibimet idem præstet? Nam aut mala est vita jucunda, id est, voluptuaria: quod si est, non solùm neminem ad eam debes adjutare, sed omnibus, utpote noxiam ac mortiferam, quantum potes adimere: aut si conciliare aliis eam, ut bonam, non licet modò, sed etiam debes, cur non tibi inprimis ipsi? cui non minus propitium esse te, quàm aliis decet. Neque enim quum te natura moneat, uti in alios bonus sis, eadem te rursus jubet, in temet sævum atque inclementem esse. Vitam ergo jucundam, inquiunt, id est, voluptatem, tanquam operationum omnium finem, ipsa nobis natura præscribit: ex cujus præscripto vivere, virtutem definiunt. At quum natura mortales invitet ad hilarioris vitæ mutuum subsidium, (quod certè meritò facit: neque enim tam supra generis humani sortem quisquam est, ut solus naturæ curæ sit, quæ universos ex æquo fovet, quos ejusdem formæ communione complectitur) eadem te nimirùm jubet etiam atque etiam observare, ne sic tuis commodis obsecundes, ut aliorum procures incommoda. Servanda igitur censent non inita solùm inter privatos pacta, sed publicas etiam leges, quas aut bonus princeps justè promulgavit, aut populus nec oppressus tyrannide, nec dolo circumscriptus, de partiendis vitæ cõmodis, hoc est, materia voluptatis, communi consensu sanxit. His inoffensis legibus tuum curare commodum, prudentia est: publicum præterea, pietatis. Sed alienam voluptatem præreptum ire, dum consequare tuam, ea verò injuria est: contrà tibi aliquid ipsi demere, quod addas aliis, id demum est humanitatis ac benignitatis officium: quod ipsum nunquam tantum aufert commodi, quantum refert. Nam & beneficiorum vicissitudine pensatur, & ipsa benefacti conscientia, ac recordatio charitatis eorum & benevolentiæ, quibus benefeceris, plus voluptatis affert animo, quàm fuisset illa corporis qua abstinuisti. Postremò (quod facilè persuadet animo libenter assentienti religio) brevis & exiguæ voluptatis vicem, ingenti ac nunquam interituro gaudio rependit Deus. Itaque hoc pacto censent, & excussa sedulò & perpensa re, omnes actiones nostras,

ſtras, atque in his virtutes etiam ipſas, voluptatem tandem velut finem felicitatemque reſpiceret. Voluptatem appellant omnem corporis animive motum ſtatumque, in quo verſari natura duce delectet. Appetitionem naturæ non temerè addunt. Nam ut quicquid natura jucundum eſt, ad quod neque per injuriam tenditur, nec jucundius aliud admittitur, nec labor ſuccedit, non ſenſus modò, ſed recta quoque ratio perſequitur; ita quæ præter naturam dulcia ſibi mortales vaniſſima conſpiratione confingunt (tanquam in ipſis eſſet perinde res ac vocabula commutare) ea omnia ſtatuunt, adeò nihil ad felicitatem facere, ut plurimùm officiant etiam, vel eo quòd quibus ſemel inſederunt, ne veris ac genuinis oblectamentis uſquam vacet locus, totum prorſus animum falſa voluptatis opinione præoccupant. Sunt enim perquàm multa, quæ quum ſuapte natura nihil contineant ſuavitatis, imò bona pars amaritudinis etiam plurimum perverſa, tum improbarum cipiditatum illecebra, non pro ſummis tantum voluptatibus habeantur, verum etiam inter præcipuas vitæ cauſas numerentur. In hoc adulterinæ voluptatis genere eos collocant, quos antè memoravi, qui quo meliorem togam habent, eo ſibi meliores ipſi videntur: qua una in re bis errant. Neque enim minus falſi ſunt, quòd meliorem putant togam ſuam, quàm quòd ſe. Cur enim ſi veſtis uſum ſpectes, tenuioris fili lana præſtat craſſiori? At illi tamen tanquam natura non errore præcellerent, attollunt criſtas, & ſibimet quoque pretii credunt inde nonnihil accedere; eoque honorē, quem vilius veſtiti ſperare non eſſent auſi, elegantiori togæ velut ſuo jure exigunt, & prætermiſsi negligentius indignantur. At hoc ipſum quoque, vanis & nihil profuturis honoribus affici, an non ejuſdem inſcitiæ eſt? Nam quid naturalis & veræ voluptatis affert nudatus alterius vertex, aut curvati poplites? Hoccine tuorum poplitū dolori medebitur? aut tui capitis phreneſin levabit? In hac fucatæ voluptatis imagine, mirum quàm ſuaviter inſaniunt ii, qui nobilitatis opinione ſibi blandiuntur ac plaudunt, quòd ejuſmodi majoribus naſci contigerit, quorū longa ſeries dives (neque enim nunc aliud eſt nobilitas) habita ſit, præſertim in prædiis: nec pilo quidem minus ſibi nobiles videntur, etiamſi majores nihil inde reliquerint, aut relictum ipſi abligurierint. His adnumerant eos, qui gemmis ac lapillis (ut dixi) capiuntur, ac dii quodammodo ſibi videntur facti, ſi quando eximium aliquem conſequantur, ejus præſertim generis, quod ſua tempeſtate maximo apud ſuos æſtimetur: neque enim apud omnes, neque omni tempore, eadem genera ſunt in pretio. Sed nec niſi exemptum auro, ac nudum comparant: imò ne ſic quidem, niſi adjurato venditore, & præſtanti cautionem, veram gemmam, ac lapidem verum eſſe; tam ſolliciti ſunt, ne oculis eorum veri loco adulterinus imponat. At ſpectaturo tibi cur minus præbeat oblectamenti factitius, quem tuus oculus non diſcernit à vero? uterque ex æquo valere debet, tibi non minus hercle, quàm cæco. Quid hi qui ſuperfluas opes adſervant, ut nullo acervi uſu, ſed ſola contemplatione delectentur, num veram percipiunt, an falſa potius voluptate luduntur? aut hi qui diverſo vitio aurum, quo nunquam ſint uſuri, fortaſſe nec viſuri amplius, abſcondunt, & ſoliciti ne perdant, perdunt. Quid enim aliud eſt uſibus demptum tuis, & omnium fortaſſe mortalium telluri reddere? & tu tamen abſtruſo theſauro, velut animi jam ſecurus lætitia geſtis: quem ſi quis furto ſuſtulerit, cujus tu ignarus furti, decem pòſt annis obieris, toto illo decennio, quo ſubtractæ pecuniæ ſuperfuiſti, quid tua retulit, ſurreptum an ſalvum fuiſſe? utroque certè modo tantundem uſus ad te pervenit. Ad has tam ineptas lætitias, aleatores (quorum inſaniam auditu, non uſu cognovere) venatores præterea, atque aucupes adjungunt. Nam quid habet, inquiunt, voluptatis, talos in alveum projicere, quod toties feciſti, ut ſi quid voluptatis ineſſet, oriri tamen potuiſſet ex frequenti uſu ſatietas? aut quæ ſuavitas eſſe poteſt, ac non faſtidium potius, in audiendo latratu atque ululatu canum? aut qui major voluptatis ſenſus eſt, cum leporem canis inſequitur, quàm quum canis canem? nempe idem utrobique agitur: accurritur enim, ſi te curſus oblectet. At ſi te cædis ſpes, laniatꝰ expectatio ſub oculis peragendi retinet: miſericordiam potius movere debet, ſpectare lepuſculum à cane, imbecillum à validiore, fugacem ac timidum à feroce, innoxium denique à crudeli diſcerptum. Itaq; Utopienſes totum hoc venandi exercitiū, ut rem liberis indignam, in lanios (quam artem per ſervos obire eos ſuprà diximus) rejecerunt. Infimam enim ejus partem eſſe venationem ſtatuunt, reliquas ejus partes & utiliores & honeſtiores, ut quæ & multo magis conferant, & animalia neceſſitatis duntaxat gratia perimant: quum venator ab miſeri animalculi cæde ac laniatu nihil niſi voluptatem petat. Quam ſpectandæ necis libidinem in ipſis etiam beſtiis, aut ab animi crudelis affectu cenſent exoriri, aut in crudelitatem denique aſſiduo tam efferæ voluptatis uſu defluere. Hæc igitur & quicquid eſt ejuſmodi (ſunt enim innumera) quanquam pro voluptatibus mortalium vulgus habeat, illi tamen, quum natura nihil inſit ſuave, planè ſtatuunt, cum vera voluptate nihil habere commercii. Nam quod vulgò ſenſum jucunditate perfundunt (quod voluptatis opus videtur) nihil de ſententia decedunt: non enim ipſius rei natura, ſed ipſorum perverſa conſuetudo in cauſa eſt, cujus vitio fit, ut amara pro dulcibus amplectantur: non aliter ac mulieres gravidæ picem & ſevum corrupto guſtu, melle mellitius arbitrantur. Nec cujuſquam tamen aut morbo aut conſuetudine depravatum judicium mutare naturam, ut non aliarum rerum, ita nec voluptatis poteſt. Voluptatum, quas veras fatentur, ſpecies diverſas faciunt. Siquidem alias animo, corpori alias tribuunt. Animo dant intellectum, eamq; dulce-

dulcedinem, quam veri contemplatio pepererit. Ad hæc suavis additur bene actæ vitæ memoria, & spes non dubia futuri boni. Corporis voluptatem in duas partiuntur formas, quarum prima sit ea, quæ sensum perspicua suavitate perfundit: quod aliàs earum instauratione partium fit, quas insitus nobis calor exhauserit: nam hæ cibo potuque redduntur: aliàs dum egeruntur illa, quorum copia corpus exuberat. Hæc suggeritur, dum excrementis intestina purgamus, aut opera liberis datur, aut ullius prurigo partis frictu scalptuve lenitur. Interdum verò voluptas oritur, nec reddítura quicquam quod membra nostra desiderent, nec ademptura quo laborent, cæterùm quæ sensus nostros tamen vi quadam occulta, sed illustri motu titillet afficiatque, & in se convertat, qualis ex Musica nascitur. Alteram corporeæ voluptatis formam eam volunt esse, quæ in quieto atque æquabili corporis statu consistat id est nimirum sua cujusque nullo interpellata malo sanitas. Hæc siquidem si nihil eam doloris oppugnet, per se ipsa delectat, etiamsi nulla extrinsecus adhibita voluptate moveatur. Quanquam enim sese minus effert, minusque offert sensui, quàm tumida illa edendi bibendique libido, nihilo tamen secius multi eam statuunt voluptatum maximam, omnes ferè Utopienses magnam & velut fundamentum omnium ac basin fatentur; ut quæ vel sola placidam & optabilem vitæ conditionem reddat, & qua sublata null⁹ usquam reliquus sit cuiquam voluptati locus. Nam dolore prorsus vacare, nisi adsit sanitas, stuporem certè, non voluptatem vocant. Jamdudum explosum est apud eos decretum illorum, qui stabilem ac tranquillam sanitatem (nam hæc quoque quæstio graviter apud eos agitata est) ideo non habendam pro voluptate censebant, quòd præsentem non posse dicerent, nisi motu quopiam extrario sentiri. Verùm contrà nunc in hoc propè universi conspirant, sanitatem vel inprimis voluptati esse. Etenim quum in morbo, inquiunt, dolor sit, qui voluptati implacabilis hostis est, non aliter ac sanitati morbus: quidni vicissim insit sanitatis tranquillitati voluptas? nihil enim ad hanc rem referre putant, seu morbus dolor esse, seu morbo dolori inesse dicatur, tantundem enim utroque modo effici. Quippe si sanitas aut voluptas ipsa sit, aut necessariò voluptatem pariat, velut calor igni gignitur: nimirum utrobique efficitur, ut quibus immota sanitas adest, his voluptas abesse non possit. Præterea dum vescimur, inquiunt, quid aliund quàm sanitas, quæ labefactari cœperat, adversus esurientem (cibo commilitone) depugnat, in qua dum paulatim invalescit, ille ipse profectus ad solitum vigorem, suggerit illam, qua sic reficimur, voluptatem. Sanitas ergo, quæ in conflictu lætatur, eadem non gaudebit adepta victoriam? sed pristinum robur, quod solum toto conflictu petiverat, tandem feliciter assecuta, protinus obstupescet? nec bona sua cognoscet atque amplexabitur? Nam quòd non sentiri, sanitas dicta est, id verò perquàm procul à vero putant. Quis enim vigilans, inquiunt, sanum esse se non sentit, nisi qui non est? quem ne tantus aut stupor, aut lethargus adstringit, ut sanitatem non jucundam sibi fateatur, ac delectabilem? At delectatio quid aliud, quàm alio nomine voluptas est? Amplectuntur ergo inprimis animi voluptates (eas enim primas omnium principesque ducunt) quarum potissimam partem censent ab exercitio virtutum bonæq; vitæ conscientia proficisci. Earum voluptatum quas corpus suggerit, palmam sanitati deferunt. Nam edendi bibendique suavitatem, & quicquid eandem oblectamenti rationem habet, appetenda quidem, sed non nisi sanitatis gratia statuunt. Neque enim per se jucunda esse talia, sed quatenus adversæ valetudini clanculum surrepenti resistunt: ideoque sapienti, sicuti magis deprecandos morbos, quàm optandam medicinam, & dolores profligandos potius, quàm adsciscenda solatia: ita hoc quoque voluptatis genere non egere, quàm deliniri præstiterit. Quo voluptatis genere si quisquam se beatum putet, is necesse est fateatur se tum demum fore felicissimum, si ea vita contigerit, quæ in perpetua fame, siti, pruritu, esu, potatione, scalptu, frictuque traducatur: quæ quàm non fœda solùm, sed misera etiam sit, quis non videt? Infimæ profectò omnium hæ voluptates sunt, ut minimè sinceræ. Neque enim unquam subeunt, nisi contrariis conjunctæ doloribus: nempe cum edendi voluptate copulatur esuries, idque non satis æqua lege. Nam ut vehementior, ita longior quoque dolor est: quippe & ante voluptatem nascitur, & nisi voluptate unà commoriente non extinguitur. Hujusmodi ergo voluptates, nisi quatenus expedit necessitas, haud magni habendas putant. Gaudent tamen etiam his, gratique agnoscunt naturæ parentis indulgentiam, quæ fœtus suos ad id, quod necessitatis causa tam assiduè faciundum erat, etiam blandissima suavitate pelliceat. Quando enim in tædio vivendum erat, si ut cæteræ ægritudines quæ nos infestant rarius, ita hi quoque quotidiani famis ac sitis morbi, venenis ac pharmacis amaris essent abigendi? At formam, vires, agilitatem, hæc ut propria jucundaque naturæ dona libenter fovent. Quin eas quoque voluptates, quæ per aures, oculos ac nares admittuntur, quas natura proprias ac peculiares esse homini voluit (neq; enim aliud animantium genus, aut mundi formam pulchritudinemq; suscipit, aut odorum, nisi ad cibi discrimen, ulla commovetur gratia, neque consonas inter se, discordesque sonorum distantias internoscit) & has inquam, ut jucunda quædam vitæ condimenta persequuntur. In omnibus autem hunc habent modum, ne major minor impediat, neu dolorem aliquando voluptas pariat: quod necessariò sequi censent, si inhonesta sit. At certè formæ decus contemnere, vires deterere, agilitatẽ in pigritiã vertere, corpus exhaurire jejuniis, sanitati injuriam facere, & cætera

tera naturæ blandimenta respuere, nisi quis hæc sua commoda negligat, dum aliorum publicamve ardentius procurat, cujus laboris vice majorem à Deo voluptatem expectet: alioquin ob inanem virtutis umbram, nullius bono semet affligere, vel quo adversa ferre minus molestè possit, nunquam fortasse ventura: hoc verò putant esse dementissimum, animique & in se crudelis, & erga naturam ingratissimi, cui, tanquam debere quicquam dedignetur, omnibus ejus beneficiis renuntiat. Hæc est eorum de virtute ac voluptate sententia, qua nisi sanctius aliquid inspiret homini cœlitùs immissa religio, nullam investigari credunt humana ratione veriorem; quia in re rectène an secus sentiant, excutere nos neque tempus patitur, neque necesse est: quippe qui narranda eorum instituta, non etiam tuenda suscepimus. Cæterùm hoc mihi certè persuadeo, utut sese habeant hæc decreta, nusquam neque præstantiorem populum, neque feliciorem esse Rempublicam. Corpore sunt agili vegetoque, virium amplius quàm statura promittat, nec ea tamen improcera. Et quum neque solo sint usquequaque fertili, nec admodum salubri cœlo, adversus aërem ita sese temperantia victus muniunt, terræ sic medentur industria, ut nusquam gentium sit frugis pecorisque proventus uberior, aut hominum vivaciora corpora, paucioribusque morbis obnoxia. Itaque non ea modò, quæ vulgò faciunt agricolæ, diligenter ibi administrata conspicias, ut terram naturâ maligniorem arte atque operâ juvent, sed populi manibus alibi radicitùs evulsam sylvam, alibi consitam videas. Qua in re habita est non ubertatis, sed vecturæ ratio, ut essent ligna aut mari, aut fluviis, aut urbibus ipsis viciniora: minore enim cum labore terrestri itinere fruges, quàm ligna longius afferuntur. Gens facilis ac faceta, solers, otio gaudens, corporis laborum (quum est usus) satis patiens, cæterùm alias haudquaquam sanè appetens, animi studiis infatigata. Qui quum à nobis accepissent de literis & disciplina Græcorum (nam in Latinis præter historias ac Poëtas, nihil erat quod videbantur magnopere probaturi) mirum quanto studio contenderunt, ut eas liceret ipsis nostra interpretatione perdiscere. Cœpimus ergo legere, magis adeò primùm, ne recusare laborem videremur, quàm quòd fructum ejus aliquem speraremus. At ubi paulum processimus, ipsorum diligentia fecit, ut nostram haud frustra impendendam animo statim perciperemus. Siquidem literarum formas tam facilè imitari, verba tam expeditè pronuntiare, tam celeriter mandare memoriæ, & tanta cum fide reddere cœperunt, ut nobis miraculi esset loco: nisi quòd pleraque pars eorum, qui non sua solum sponte accensi, verùm Senatus quoque decreto jussi, ista sibi discenda sumpserunt, è numero Scholasticorum selectissimis ingeniis, & matura ætate fuerunt. Itaque minùs quàm triennio nihil erat in lingua, quod requirerent, bonos autores, nisi obstet libri menda, inoffensè perlegerent. Eas literas, ut equidem conjicio, ob id quoque facilius arripuerunt, quòd nonnihil illis essent cognatæ. Suspicor enim eam gentem à Græcis originem duxisse, propterea quòd sermo illorum cætera ferè Persicus, nonnulla Græci sermonis vestigia servet in urbium ac magistratuum vocabulis. Habent ex me (nam librorum sarcinam mediocrem loco mercium quartò navigaturus in navem conjeci, quòd mecum planè decreveram, nunquam potius redire, quàm citò) Platonis Opera pleraque, Aristotelis plura, Thephrastum item de plantis, sed pluribus, quod doleo, in locis mutilum. In librum enim, dum navigabamus, negligentius habitum, cercopithecus inciderat, qui lasciviens ac ludibundus paginas aliquot hinc atque inde evulsas laceravit. Ex his qui scripsere Grammaticam Lascarem habent tantum: Theodorum enim non advexi mecum, nec Dictionarium aliquem præter Hesychium, ac Dioscoridem. Plutarchi libellos habent carissimos, & Luciani quoque facetiis ac lepôre capiuntur. Ex Poëtis habent Aristophanem, Homerum, atque Euripidem, tum Sophoclem minusculis Aldi formulis. Ex Historicis Thucydidem atque Herodotum, nec non Herodianum. Quin in re medica quoque sodalis meus Tricius Apinatus advexerat secum parva quædam Hippocratis opuscula, ac Microtechnem Galeni, quos libros magno in pretio habent: siquidem etsi omnium ferè gentium re medica minimè egent, nusquam tamen in majore honore est, vel eo ipso, quòd ejus cognitionem numerant inter pulcherrimas atque utilissimas partes Philosophiæ: cujus ope Philosophiæ dum Naturæ secreta scrutantur, videntur sibi non solùm admirabilem inde voluptatem percipere, sed apud autorem quoque ejus atque opificem summam inire gratiam: quem cæterorum more artificum, arbitrantur, mundi hujus visendam machinam homini (quem solum tantæ rei capacem fecit) exposuisse spectandam, eoque cariorem habere curiosum ac solicitum inspectorem, operisque sui admiratorem, quàm eum, qui velut animal expers mentis, tantum ac tam mirabile spectaculum stupidus immotusque neglexerit. Utopiensium itaque exercitata literis ingenia mirè valent ad inventiones artiũ, quæ faciant aliquid ad commodæ vitæ compendia: sed duas tamen debent nobis, Chalcographorum, & faciendæ chartæ: nec solis tamen nobis, sed sibi quoque bonam ejus partem. Nam quum ostenderemus eis libris chartaceis impressas ab Aldo literas, & de chartæ faciendæ materia, ac literas imprimendi facultate loqueremur aliquid magis, quàm explicaremus (neque enim quisquam erat nostrûm qui alterutram calleret) ipsa statim acutissimè conjecerunt rem, & quum antè pellibus, corticibus, ac papyro tantum scriberent, jam chartam illicò facere, & literas imprimere tentarunt: quæ cùm primò non satis procederent, eadem sæpius experiendo, brevi sunt

utrum-

utrumque consecuti, tantumque effecerunt, ut si essent Græcorum exemplaria librorum, codices deesse non possent. At nunc nihil habent amplius, quàm à me commemoratum est: id verò quod habent impressis jam libris, in multa exemplariorum millia propagavêre. Quisquis eò spectandi gratia venerit, quem insignis aliqua dos ingenii, aut longa peregrinatione usum, multarum cognitio terrarum commendet (quo nomine gratus fuit noster appulsus) pronis animis excipitur: quippe libenter audiunt, quid ubique terrarum geratur. Cæterùm mercandi gratia non admodum frequenter appellitur. Quid enim ferrent, nisi aut ferrum, aut quod quisque referre mallet, aurum argentumve? Tum quæ ex ipsis exportanda sint, ea consultius putant ab se efferri, quàm ab aliis illinc peti, quo & exteras undique gentes exploratiores habeant, neque maritimarum rerum usum ac peritiam oblitum eant.

DE SERVIS.

Pro servis neque bello captos habent nisi ab ipsis gesto, neque servorum filios, neque denique quenquam, quem apud alias gentes servientem possent comparare: sed aut si cujus apud se flagitium in servitium vertitur, aut quos apud exteras urbes (quod genus multo frequentius est) admissum facinus destinavit supplicio. Eorum enim multos, interdum æstimatos vili, sæpius etiam gratis impetratos auferunt. Hæc servorum genera non in opere solùm perpetuo, verumetiam in vinculis habent, sed suos durius: quos eo deploratiores, ac deteriora meritos exempla censent, quòd tam præclara educatione ad virtutem egregiè instructi, contineri tamen ab scelere non potuerint. Aliud servorum genus est, quum alterius populi mediastinus quispiam laboriosus ac pauper elegerit apud eos sua sponte servire. Hos honestè tranctant, ac nisi quòd laboris, utpote consuetis, imponitur plusculum, non multo minus clementer ac cives habent, volentem discedere (quod non sæpe fit) neque retinent invitum, neque inanem dimittunt. Ægrotantes, ut dixi, magno cum affectu curant, nihilque prorsus omittunt, quo sanitati eos vel medicinæ, vel victus observatione restituant. Quin insanabili morbo laborantes, assidendo, colloquendo, adhibendo demum quæ possunt levamenta, solantur. Cæterùm si non immedicabilis modò morbus sit, verum etiam perpetuò vexet atque discruciet, tum sacerdotes ac magistratus hortantur hominē: quandoquidem omnibus vitæ muniis impar, aliis molestus ac sibi gravis morti jam suæ supervivat, ne secum statuat pestem diutius ac luem alere, neve quum tormentum ei vita sit, mori dubitet, quin bona spe fretus, acerba illa vita velut carcere atque eculeo, vel ipse semet eximat, vel ab aliis eripi se sua voluntate patiatur: hoc illum, quum non commoda sed supplicium abrupturus morte sit, prudenter facturum: quoniam verò Sacerdotum in ea re consiliis, id est, interpretum Dei, sit obsecuturus, etiam piè sanctèque facturum. Hæc quibus persuaserint, aut inedia sponte vitam finiunt, aut sopiti sine mortis sensu solvuntur: invitum verò neminem tollunt, nec officii erga eum quicquam imminuunt, persuasi hoc pacto defungi honorificum. Alioqui qui mortem sibi consciverit, causa non probata Sacerdotibus & Senatui, hunc neque terra neque igne dignantur, sed in paludem aliquam turpiter insepultus abjicitur. Fœmina non ante annum duodevicesimum nubit: mas non nisi expletis quatuor etiam amplius. Ante conjugium mas aut fœmina si convincatur furtivæ libidinis, graviter in eum eamve animadvertitur, conjugioque illis in totum interdicitur, nisi venia principis noxam remiserit: sed & pater materque familias, cujus in domo admissum flagitium est, tanquam suas partes parum diligenter tutati, magnæ objacent infamiæ. Id facinus ideo tam severè vindicant, quòd futurum prospiciunt, ut rari in conjugalem amorem coalescerent, in quo ætatem omnem cum uno videant exigendam, & perferendas insuper, quas ea res affert, molestias, nisi à vago concubitu diligenter arceantur. Porrò in deligendis conjugibus ineptissimum ritum (uti nobis visum est) adprimeque ridiculum, illi seriò ac severè observant. Mulierem enim, seu virgo seu vidua sit, gravis & honesta matrona proco nudam exhibet, ac probus aliquis vir vicissim nudum puellæ procum sistit. Hunc morem quum velut ineptum ridentes improbaremus, illi contrà cæterarum omnium gentium insignem demirari stultitiam, qui cum in equuleo comparando, ubi de paucis agitur nummis, tam cauti sint, ut quamvis ferè nudum, nisi detracta sella tamen, omnibusque revulsis ephippiis recusent emere, ne sub illis operculis ulcus aliquod delitesceret: in deligenda conjuge, qua ex re aut voluptas, aut nausea sit totam per vitam comitatura, tam negligenter agant, ut reliquo corpore vestibus obvoluto, totam mulierem vix ab unius palmæ spatio (nihil enim præter vultum visitur) æstiment, adjungantque sibi non absque magno (si quid offendat postea) malè cohærendi periculo. Nam neque omnes tam sapientes sunt, ut solos mores respiciant, & in ipsorum quoque sapientum conjugiis, ad animi virtutes nonnihil additamenti corporis etiam dotes adjiciunt: certè tam fæda deformitas latére sub illis potest involucris, ut alienare prorsus animum ab uxore queat, cum corpore jam sejungi non liceat: qualis deformitas, si quo casu contingat post contractas nuptias, suam quisque sortem necesse ferat. Antè verò ne quis capiatur insidiis, legibus caveri debet: idque tanto majore studio fuit curandum, quod & soli illarum orbis plagarum singulis sunt contenti conjugibus, & matrimonium ibi haud sæpe aliter quàm morte solvitur, nisi adulterium in causa fuerit, aut morum

non

non ferenda molestia. Nempe alterutri sic offenso, facta ab senatu conjugis mutandi venia, alter infamem simul ac cœlibem perpetuò vitam ducit. Alioquin invitam conjugem cujus nulla sit noxa, repudiare, quòd corporis obtigerit calamitas, id verò nullo pacto ferunt: nam & crudele judicant, tum quenquam deseri, cum maximè eget solatio: & senectuti, quum & morbos afferat, & morbus ipsa sit, incertam atque infirmam fidem fore. Cæterùm accidit interdum, ut quum non satis inter se conjugum conveniant mores, repertis utrique aliis, quibuscum sperent se suavius esse victuros, amborum sponte separati, nova matrimonia contrahant, haud absque senatus autoritate tamen, qui nisi causa per se atque uxores suas diligentet cognita, divortia non admittit. Imò ne sic quidem facilè, quòd rem minimè utilem sciunt firmandæ conjugum caritati, facilem novarum nuptiarum spem esse propositam. Temeratores conjugii gravissima servitute plectuntur, & si neuter erat cælebs, injuriam passi (velint modò) repudiatis adulteris, conjugio inter se ipsi junguntur alioquin quibus videbitur. At si læsorum alteruter erga tam malè merentem conjugem in amore persistat, tamen uti conjugii lege non prohibetur, si velit in opera damnatum sequi: acciditque interdum, ut alterius pœnitentia alterius officiosa sedulitas miserationem commovens principi, libertatem rursus impetret. Cæterùm ad scelus jam relapso nex infligitur. Cæteris facinoribus nullam certam pœnam lex ulla præstituit, sed ut quodque atrox, aut contrà visum est, ita supplicium Senatus decernit. Uxores mariti castigant, & parentes liberos: nisi quid tam ingens admiserint, ut id publicè puniri morum intersit. Sed ferè gravissima quæque scelera servitutis incommodo puniuntur: id siquidem & sceleratis non minus triste, & Reipublicæ magis commodum arbitrantur, quàm si mactare noxios & protinus amoliri festinent. Nam & labore quàm nece magis prosunt, & exemplo diutius alios ab simili flagitio deterrent. Quòd si sic habiti rebellent atque recalcitrent, tum demum velut indómitæ belluæ, quas coërcere carcer & catena non potest, trucidantur. At patientibus non adimitur omnis omnino spes: quippe longis domiti malis, si eam pœnitentiam præ se ferant, quæ peccatum testetur magis eis displicere, quàm pœnam, principis interdum prærogativa, interdum suffragiis populi, aut mitigatur servitus, aut remittitur. Solicitasse ad stuprum, nihilo minus quàm stuprasse periculi est. In omni siquidem flagitio certum destinatumque conatum æquant facto. Neque enim id quod defuit ei putant prodesse debere, per quem non stetit, quo minus nihil defuerit. Moriones in deliciis habentur, quos ut affecisse contumelia magno in probro est, ita voluptatem ab stultitia capere non vetant. Siquidem id morionibus ipsis maximo esse bono censent, cujus qui tam severus ac tristis est, ut nullum neque factum neque dictum rideat, ei tutandum non credunt, veriti ne non satis indulgenter curetur ab eo, cui non modò nulli usui, sed ne oblectamento quidem (qua sola dote valent) futurus esset. Irridere deformem aut mutilum, turpe ac deforme non ei qui ridetur, habetur, sed irrisori, qui cuiquam quod in ejus potestate non erat, ut fugeret, id vitii loco stultè exprobret. Ut enim formam naturalem non tueri, segnis atque inertis ducunt, sic adjumentum ab fucis quærere, infamis apud illos insolentia est. Usu enim ipso sentiunt, quàm non ullum formæ decus uxores æquè ac morum probitas & reverentia commendet maritis. Nam ut forma nonnulli sola capiuntur, ita nemo nisi virtute atque obsequio retinetur. Non pœnis tantum deterrent à flagitiis, sed propositis quoque honoribus ad virtutes invitant, ideoque statuas viris insignibus, & de Republica præclarè meritis, in foro collocant, in rerum bene gestarum memoriam, simul ut ipsorum posteris, majorum suorum gloria calcar & incitamentum ad virtutem sit. Qui magistratum ullum ambierit, expers omnium redditur. Convivunt amabiliter, quippe nec magistratus ullus insolens aut terribilis est. Patres appellantur, & exhibent, iisdem defertur, ut debet, ab volentibus honor, non ab invitis exigitur. Ne principem quidem ipsum, vestis aut diadema, sed gestatus frumenti manipulus discernit: ut Pontificis insigne est, prælatus cereus. Leges habent perquàm paucas: sufficiunt enim sic institutis paucissimæ. Quin hoc inprimis apud alios improbant populos, quòd legum interpretumque volumina infinita non sufficiunt. Ipsi verò censent iniquissimum, ullos homines his obligari legibus, quæ aut numerosiores sint, quàm ut perlegi queant, aut obscuriores, quàm ut à quovis possint intelligi. Porrò causidicos, qui causas tractent callidè, ac leges vafrè disputent, prorsus omnes excludunt: censent enim ex usu esse, ut suam quisque causam agat, eademque referat judici, quæ narraturus patrono fuerat. Sic & minus ambagum fore, & facilius elici veritatem, dum eo dicente, quem nullus patronus fucum docuit, judex solerter expendit singula, & contra versutorum calumnias simplicioribus ingeniis opitulatur. Hæc apud alias gentes in tanto perplexissimarum acervo legum difficile est observari. Cæterum apud eos unusquisque est legis peritus: nam & sunt (ut dixi) paucissimæ, & interpretationum præterea ut quæque est maximè crassa, ita maximè æquam censent. Nempe quum omnes leges (inquiunt) ea tantum causa promulgentur, ut ab his quisque sui commonefiat officii, subtilior interpretatio paucissimos admonet (pauci enim sunt qui assequantur) quum interim simplicior ac magis obvius legum sensus omnibus in aperto sit: alioquin quod ad vulgus attinet, cujus & maximus est numerus, & maximè eget admonitu, quid referat, utrum legem omnino non condas, an conditam in talem interpreteris sententiam,

tiam, quam nisi magno ingenio & longa disputatione nemo possit eruere, ad quam investigandam neque crassum vulgi judicium queat attingere, neque vita in comparando victu occupata sufficere? His eorum virtutibus incitati finitimi, qui quidem liberi sunt & suæ spontis, (multos enim ipsi jam olim tyrannide liberaverunt) magistratus sibi, ab illis alii quotannis, alii in lustrum impetrant, quos defunctos imperio, cum honore ac laude reducunt, novosque secum rursus in patriam revehunt. Atque hi quidem populi optimè profectò ac saluberrimè reipublicæ suæ consulunt, cujus & salus & pernicies quum ab moribus magistratuum pendeat, quosnam potuissent elegisse prudentius, quàm qui neque ullo pretio queant ab honesto deduci, (utpote quòd brevi sit remigraturis inutile) aut ignoti civibus pravo cujusquam studio aut simultate flecti? Quæ duo mala, affectus atque avaritiæ, sicubi incubuere judiciis, illicò justitiam omnem, fortissimum reipublicæ nervum, dissolvunt. Hos Utopiani populos, quibus qui imperent ab ipsis petuntur, appellant socios: cæterùm quos beneficiis auxerunt, amicos vocant. Fœdera quæ reliquæ inter se gentes toties ineunt, frangunt, ac renovant, ipsi nulla cum gente feriunt. quorsum enim fœdus inquiunt, quasi non hominem homini satis natura conciliet: quam qui contempserit, hunc verba scilicet putes curaturum? in hanc sententiam eò vel maximè trahuntur, quòd in illis terrarum plagis, fœdera pactaque principum solent parum bona fide servari. Etenim in Europa, idque his potissimùm partibus, quas Christi fides & religio possidet, sancta est & inviolabilis ubique Majestas fœderum, partim ipsa justitia & bonitate principum, partim summorum reverentia metuque Pontificum: qui ut nihil in se recipiunt ipsi, quod non religiosissimè præstant, ita cæteros omnes principes jubent, ut pollicitis omnibus modis immorentur, tergiversantes verò pastorali censura & severitate compellunt. Meritò sanè censent turpissimam rem videri, si illorum fœderibus absit fides, qui peculiari nomine fideles appellantur. At in illo novo orbe terrarum, quem circulus æquator vix tam longè ab hoc nostro orbe semovet, quàm vita moresque dissident, fœderum nulla fiducia est: quorum ut quodque plurimis ac sanctissimis ceremoniis innodatum fuerit, ita citissimè solvitur, inventa facile in verbis calumnia, quæ sic interim de industria dictant callidè, ut nunquam tam firmis adstringi vinculis queant, quin elabantur aliqua fœdusque & fidem pariter eludant. Quam vafriciem, imò quam fraudem dolumque, si privatorum deprehenderent inter venisse contractui, magno supercilio rem sacrilegam & furca dignam clamitarent, hi nimirum ipsi, qui ejus consilii principibus dati semet gloriantur autores. Quo fit ut justitia tota videatur, aut non nisi plebeja virtus & humilis, quæque longo intervallo subsidat infra regale fastigium, aut uti saltem duæ sint, quarum altera vulgus deceat, pedestris & humirepa, néve usquam septa transilire queat, multis undique restricta vinculis: altera principum virtus, quæ sicuti sit quàm illa popularis augustior, sic est etiam logo intervallo liberior, ut cui nihil non liceat, nisi quod non libeat. Hos mores ut dixi principum, illic fœdera tam malè servantium puto in causa esse, ne ulla feriant Utopienses, mutaturi fortasse sententiam si hic viverent. Quanquam illis videtur, ut optimè serventur, malè tamen inolevisse fœderis omnino sanciendi consuetudinem, qua sit, ut (perinde ac si populum populo, quos exiguo spatio collis tantum aut rivus discriminat, nulla naturæ societas copularet) hostes atque inimicos invicem sese natos putent, meritoque in mutuam grassari perniciem, nisi fœdera prohibeant: quin his ipsis quoque initis, non amicitiam coalescere, sed manere prædandi licentiam, quatenus per imprudentiam dictandi fœderis, nihil quod prohibeat satis cautè comprehensum in pactis est. At illi contrà censent, neminem pro inimico habendum, à quo nihil injuriæ profectum est: naturæ consortium, fœderis vice esse, & satius valentiusque homines invicem benevolentia quàm pactis, animo quàm verbis connecti.

DE RE MILITARI.

Bellum, utpote rem planè belluinam, (nec ulli tamen belluarum formæ in tam assiduo atque homini est usu) summopere abominantur, contraque morem gentium fermè omnium nihil æquè ducunt inglorium, atque petitam è bello gloriam: eoque licet assiduè militari sese disciplina exerceant, neque id viri modò, sed fœminæ quoque statis diebus, ne ad bellum sint, quum exigat usus, inhabiles: non temerè capessunt tamen, nisi quo aut suos fines tueantur, aut amicorum terris infusos hostes propulsent, aut populum quempiam tyrannide pressum miserati (quod humanitatis gratia faciunt) suis viribus tyranni jugo & servitute liberent. Quanquam auxilium gratificantur amicis, non semper quidem quo se defendant, sed interdum quoque illatas retalient atque ulciscantur injurias. Verùm id ita demum faciunt, si re adhuc integra consulantur ipsi, & probata causa, repetitis ac non redditis rebus, belli autores inferendi sint: quod non tunc solùm decernunt, quoties hostili incursu abacta est præda, verùm tum quoque multo infestius, quum eorum negotiatores usquam gentium vel iniquarum prætextu legum, vel sinistra derivatione bonarum, injustam subeunt, justitiæ colore, calumniam. Nec alia fuit ejus origo belli, quod pro Nephelogetis adversus Alaopolitas, paulo ante nostram memoriam, Utopienses gessere, quàm apud Alaopolitas Nephelogetarum mercatoribus illata prætextu juris (ut visum est ipsis) injuria. Certè, sive illud jus, sive ea injuria fuit, bello tam atroci est vindicata, quum ad proprias utriusque partis vires odiaque, circumjectarum etiam

gentium studia atque opes adjungerentur, ut florentissimis populorum aliis concussis, aliis vehementer afflictis, orientia ex malis mala Alaopolitarum servitus demum ac deditio finierit, qua in Nephelogetarum (neque enim sibi certabant Utopienses) potestatem concessere, gentis, florentibus Alaopolitarum rebus, haudquaquam cum illis conferendæ. Tam acriter Utopienses amicorum, etiam in pecuniis, injuriam persequuntur, suas ipsorum non item: qui sicubi circumscripti bonis excidant, modò corporibus absit vis, hactenus irascuntur, uti quoad satisfactio fiat, ejus commercio gentis abstineant. Non quod minoris sibi curæ cives, quàm socii sint, sed horum tamen pecuniam intercipi, ægrius quàm suam ferunt, propterea quòd amicorum negotiatores, quoniam de suo perdunt privato, grave vulnus ex jactura sentiunt; at ipsorum civibus nihil nisi de publica perit: præterea quod abundabat domi, ac veluti superat, alioqui non emittendum foràs: quo fit, uti intertrimentum citra cujusquam sensum accidat. Quocirca nimis crudele censent, id damnum multorum ulcisci mortibus, cujus damni incommodum nemo ipsorum aut vita, aut victu persentiscat. Cæterùm si quis suorum usquam per injuriam debilitetur aut occidat, sive id publico factum consilio, sive privato sit, per Legatos re comperta, nisi deditis noxiis placari non possunt, quin illicò bellum denuncient. Noxæ deditos, aut morte, aut servitio puniunt. Cruentæ victoriæ non piget modò eos, sed pudet quoque, reputantes, inscitiam esse quamlibet pretiosas merces nimio emisse: arte doloque victos, & oppressos hostes impendio gloriantur, triumphumque ob eam rem publicitus agunt, & velut re strenuè gesta tropæum erigunt. Tunc enim demum viriliter sese jactant, & cum virtute gessisse, quoties ita vicerint, quomodo nullum animal præter hominem potuit, id est, ingenii viribus. Nam corporis inquiunt, ursi, leones, apri, lupi, canes, cæteræque belluæ dimicant: quarum ut pleræque nos robore ac ferocia vincunt, ita cunctæ ingenio & ratione superantur. Hoc unum illi in bello spectant, uti id obtineant: quod si fuissent antè consecuti, bellum non fuerant illaturi: aut si id res vetet, tam severam ab his vindictam expetunt, quibus factum imputant, ut idem ausuros inposterum terror absterreat. Hos propositi sui scopos destinant, quos maturè petunt: at ita tamen, uti prior vitandi periculi cura, quàm laudis aut famæ consequendæ sit. Itaque protinus indicto bello, schedulas ipsorum publico signo roboratas, locis maximè conspicuis hosticæ terræ, clàm uno tempore multas appendi procurant, quibus ingentia pollicentur præmia, si quis principem adversarium sustulerit: deinde minora, quanquam illa quoque egregia, decernunt, pro singulis eorum capitibus, quorum nomina in iisdem literis proscribunt: hi sunt, quos secundum principem ipsum, autores initi adversus se consilii ducunt. Quicquid percussori præfiniunt, hoc geminant ei, qui vivum è proscriptis aliquem ad se perduxerit, quum ipsos quoque proscriptos, præmiis iisdem, addita etiam impunitate, contra socios invitant. Itaque fit celeriter, ut & cæteros mortales suspectos habeant, & sibi invicem ipsi neque fidentes satis, neque fidi sint, maximoque in metu & non minore periculo versentur. Nam sæpenumero constat evenisse, uti bona pars eorum, & princeps inprimis ipse, ab his proderentur, in quibus maximam spem reposuerunt. Tam facilè quodvis in facinus impellunt munera, quibus illi nullum exhibent modum. Sed memores in quantum discrimen hortantur, operam dant, uti periculi magnitudo beneficiorum mole compensetur: eoque non immensam modò auri vim, sed prædia quoque magni reditus in locis apud amicos tutissimis, propria ac perpetua pollicitantur, & summa cum fide præstant. Hunc licitandi mercandique hostis morem, apud alios improbatum, velut animi degeneris crudele facinus, illi magnæ sibi laudi ducunt tanquam prudentes, qui maximis hoc pacto bellis, sine ullo prorsus prælio defungantur, humanique ac misericordes etiam, qui paucorum nece noxiorum numerosas innocentium vitas redimant, qui pugnando fuerint occubituri, partim è suis, partim ex hostibus, quorum turbam vulgusque non minus fermè quam suos miserantur, gnari non sua sponte eos bellum capessere, sed principum ad id furiis agi. Si res hoc pacto non procedat, dissidiorum semina jaciunt aluntque, fratre principis, aut aliquo è nobilibus in spem potiundi regni perducto. Si factiones internæ languuerint, finitimas hostibus gentes excitant, committuntque, eruto vetusto quopiam titulo, quales nunquam regibus desunt: suas ad bellum opes polliciti, pecuniam affluenter suggerunt, cives parcissimè, quos tam unicè habent charos, tantique sese mutuò faciunt, ut neminem sint è suis cum adverso principe libenter commutaturi. At aurum argentumque, quoniam unum hunc in usum omne servant, haud gravatim erogant, utpote non minus commodè victuri, etiam si universum impenderent. Quin præter domesticas divitias est illis foris quoque infinitus thesaurus, quo plurimæ gentes, uti antè dixi, in ipsorum ære sunt, ita milites undique conductos ad bellum mittunt, præsertim ex Zapoletis. Hic populus quingentis passuum millibus ab Utopia distat, orientem solem versus, horridus, agrestis, ferox, sylvas montesque asperos, quibus sunt innutriti, præferunt; dura gens, æstus, frigoris & laboris patiens, deliciarum expers omnium, neque agriculturæ student, & cùm ædificiorum, tum vestitus indiligens, pecorum duntaxat curam habent: magna ex parte venatu & raptu vivunt; ad solum bellum nati, cujus gerendi facultatem studiosè quærunt, repertam cupidè amplectun-

plectuntur, & magno numero egressi, cuivis requirenti milites vili semet offerunt. Hanc unam vitæ artem noverunt, qua mors quæritur. Sub quibus merent, acriter pro his & incorrupta fide dimicant, verùm in nullum certum diem sese obstringunt, sed ea lege in partes veniunt, ut posteriore die vel ab hostibus oblato majore stipendio sint staturi, iidem perendie, rursus invitati pluſculo, remigrant. Rarum oritur bellum, in quo non bona pars illorum in utroque sint exercitu. Itaque accidit quotidie, ut sanguinis necessitudine conjuncti, & qui iisdem in partibus conducti, familiarissimè semet invicem utebantur, paulo pòst in contrarias distracti copias, hostiliter concurrant, & infestis animis, obliti generis, immemores amicitiæ, mutuò sese confodiant, nulla alia causa in mutuam incitati perniciem, quàm quòd à diversis principibus exigua pecuniola conducti: cujus tam exactam habent rationem, ut ad diurnum stipendium unius accessione assis facile ad commutandas partes impellantur. Ita celeriter imbiberunt avaritiam, quæ tamen nulli est eis usui. Nam quæ sanguine quærunt, protinus per luxum, & eum tamen miserum, consumunt. Hic populus Utopiensis adversus quosvis mortales militat, quòd tanti ab his eorum conducatur opera, quanti nusquam alibi. Utopienses siquidem ut bonos quærunt, quibus utantur, ita hos quoque homines pessimos, quibus abutantur: quos, quum usus postulat, magnis impulsos pollicitationibus, maximis objiciunt periculis, unde plerumque magna pars nunquam ad exigenda promissa revertitur: superstitibus, quæ sunt polliciti, bona fide persolvunt, quo ad similes ausus incendantur. Neque enim pensi quicquam habent, quàm multos ex eis perdant, rati de genere humano maximam merituros gratiam se, si tota illa colluvie populi tam tetri ac nefarii, orbem terrarum purgare possent. Secundum hos eorum copiis utuntur, pro quibus arma capiunt: deinde auxiliaribus cæterorum amicorum turmis: postremò suos cives adjungunt, è quibus aliquem virtutis probatæ virum, totius exercitus summæ præficiunt. Huic duos ita substituunt, uti eo incolumi, ambo privati sint: capto aut interempto, alter è duobus velut hæreditate succedat, eique ex eventu tertius: ne (ut sunt bellorum sortes variæ) periclitante duce, totus perturbetur exercitus. E quaque civitate delectus exercetur ex his, qui sponte nomen profitentur. Neque enim invitus quisquam foràs in militiam truditur, quòd persuasum habeant, si quis sit natura timidior, non ipsum modò nihil facturum strenue, sed metum etiam comitibus incussurum. Cæterùm si quod bellum ingruat in patriam, ignavos hujusmodi, modò valeant corpore, in naves mixtos melioribus collocant: aut in mœnibus sparsim disponunt, unde non sit refugiendi locus: ita suorum pudor, hostis in manibus, atque adempta fugæ spes, timorem obruunt, & sæpe extrema necessitas in virtutem vertitur. At sicuti ad extremum bellum ex ipsis nemo protrahitur nolens, ita fœminas volentes in militiam comitari maritos, adeò non prohibent, ut exhortentur etiam, & laudibus incitent: profectas cum suo quamque viro pariter in acie constituunt: tum sui quemque liberi, affines, cognati circumsistunt, ut hi de proximo sint mutuo sibi subsidio, quos maximè ad ferendas invicem suppetias natura stimulat. In maximo probro est conjunx absque conjuge redux, aut amisso parente reversus filius. Quo fit, uti, si ad ipsorum manus ventum sit, modò perstent hostes, longo & lugubri prælio ad internecionem usque decernatur. Nempe ut omnibus curant modis, ne ipsis dimicare necesse sit, modò bello possint vicaria conductitiorum manu defungi: ita quum vitari non potest, quin ipsi ineant pugnam, tam intrepidè capessunt, quàm quoad licuit, prudenter detrectabant. Nec tam primo ferociunt impetu, quàm mora sensim & duratione invalescunt, tam obfirmatis animis, ut interimi citius, quàm averti queant. Quippe victus illa securitas, quæ cuique domi est, ademptaque de posteris anxia cogitandi cura (nam hæc sollicitudo generosos ubique spiritus frangit) sublimem & vinci dedignantem facit: at hæc militaris disciplinæ peritia fiduciam præbet: postremò rectæ opiniones (quibus & doctrina, & bonis reipublicæ institutis imbuti à pueris sunt) virtutem addunt: qua neque tam vilem habent vitam, ut temerè prodigant, neque tam improbè caram, ut quum honestas ponendam suadeat, avarè turpiterque retineant. Dum ubique pugna maxime fervet, lectissimi juvenes conjurati devotique ducem sibi deposcunt adversum: hunc apertè invadunt, hunc ex insidiis adoriuntur, idem eminus, idem cominus petitur, longoque ac perpetuo cuneo, submissis assiduè in fatigatorum locum recentibus, oppugnatur: raroque accidit (ni sibi fuga prospiciat) ut non intereat, aut vivus in hostium potestatem veniat. Si ab ipsis victoria sit, haudquaquam cæde grassantur: fugatos enim comprehendunt, quàm occidunt libentius: neque unquam ita persequuntur fugientes, ut non unam interim sub signis instructam aciem retineant: adeò ut, nisi cæteris superatis partibus, postrema acie sua victoriam adepti sint, elabi potius hostes universos sinant, quàm insequi fugientes, perturbatis suorum ordinibus, insuescant: memores sibimet haud semel usuvenisse, ut mole totius exercitus victa profligataque, quum hostes victoria gestientes, hac atque illac abeuntes persequerentur, pauci ipsorum in subsidiis collocati, ad occasiones intenti, dispersos ac palantes illos, & præsumpta securitate negligentes derepentè adorti, totius eventum prælii mutaverint: extortaque è manibus tam certa & indubitata victoria, victi victores invicem vicerint. Haud facile dictu est,

astutiores in struendis insidiis, an cautiores ad vitandas sint. Fugam parare credas, quum nihil minus in animo habent: contrà quum id consilii capiunt, nihil minus cogitare putes. Nam si nimium sese sentiunt aut numero, aut loco premi, tunc aut noctu, agmine silente, castra movent, aut aliquo stratagemate eludunt, aut interdiu ita sensim sese referunt, tali servato ordine, ut non minus periculi sit cedentes quàm instantes adoriri. Castra diligentissimè communiunt fossa præalta. Itaque, terra quæ egeritur introrsum rejecta: nec in eam rem opera mediastinorum utuntur: ipsorum manibus militum res agitur, totusque exercitus in opere est, exceptis qui pro vallo in armis ad subitos casus excubant: Itaque tam multis adnitentibus, magna multumque amplexa loci munimenta, omni fide citius perficiunt. Armis utuntur ad excipiendos ictus firmis, nec ad motum gestumve quemlibet ineptis, adeò ut ne natando quidem molesta sentiant: nam armati natare inter militaris disciplinæ rudimenta consuescunt. Tela sunt eminus sagittæ, quas acerrimè simul & certissimè jaculantur, non pedites modò, sed ex equis etiam: cominus verò non gladii, sed secures vel acie lethales, vel pondere, seu cæsim seu punctim feriant. Machinas excogitant solertissime, factas accuratissimè celant, ne antè proditæ quàm res postulet, ludibrio magis quàm usui sint: in quibus fabricandis hoc inprimis respiciunt, uti vectu faciles & habiles circumactu sint. Initas cum hostibus inducias tam sanctè observant, ut ne lacessiti quidem violent. Hostilem terram non depopulantur, neque segetes exurunt: imò ne hominum equorumve pedibus conterantur, quantum fieri potest, provident, rati in ipsorum usus crescere. Inermem neminem lædunt, nisi idem speculator sit. Deditas urbes tuentur: at nec expugnatas diripiunt, sed per quos deditio est impedita, eos enecant, cæteris defensoribus in servitutem addictis. Imbellem turbam omnem relinquunt intactam. Si quos deditionem suasisse compererint, his è damnatorum bonis aliquam partem impertiunt, reliqua sectione auxiliares donant: nam ipsorum nemo quicquam de præda capit. Cæterùm confecto bello, non amicis impensas in quos insumpsere, sed victis imputant, exiguntque eo nomine partim pecuniam, quam in similes bellorum usus reservant, partim prædia quæ sint ipsis apud eos perpetua non exigui census. Hujusmodi reditus nunc apud multas gentes habent, qui variis ex causis paulatim nati, supra septingenta ducatorum millia in singulos annos excrevêre: in quos è suis civibus aliquos emittunt, quæstorum nomine, qui magnificè vivant, personamque magnatum illic præ se ferant: at multum tamen superest quod inferatur ærario, nisi malint eidem genti credere: quod sæpe tantisper faciunt, quoad uti necesse sit, vixque accidit unquam ut totam reposcant. Ex his prædiis partem assignant illis, qui ipsorum hortatu tale discrimen adeunt, quale antè monstravi. Si quis princeps armis adversus eos sumptis, eorum ditionem paret invadere, magnis illicò viribus extra suos fines occurrunt. Nam neque temerè in suis terris bellum gerunt, neque ulla necessitas tanta est, ut eos cogat aliena auxilia in insulam suam admittere.

DE RELIGIONIBUS *Utopiensium.*

Religiones sunt non per insulam modò, verùm singulas etiam urbes variæ: aliis Solem, Lunam aliis, aliis aliud errantium siderum, Dei vice venerantibus. Sunt quibus homo quispiam, cujus olim aut virtus aut gloria enituit, non pro Deo tantùm, sed pro summo etiam Deo suspicitur. At multo maxima pars, eademque longè prudentior, nihil horum, sed unum quoddam Numen putant incognitum, æternum, immensum, inexplicabile, quod supra mentis humanæ captum sit, per mundum hunc universum virtute, non mole diffusum: hunc parentem vocant, origines, auctus, progressus, vices finesque rerum omnium huic acceptos uni referunt, nec divinos honores alii præterea ulli applicant. Quin cæteris quoque omnibus, quanquam diversa credentibus, hoc tamen cum istis convenit, quòd esse quidem unum censent summum, cui & universitatis opificium & providentia debeatur, eumque communiter omnes patria lingua Mithram appellant: sed eo dissentiunt, quòd idem alius apud alios habetur: autumantes quoque, quicquid id sit, quod ipse summum ducit, eandem illam prorsus esse naturam, cujus unius Numini ac Majestati, rerum omnium summa, omnium consensu gentium tribuitur. Cæterùm paulatim omnes ab ea superstitionum varietate descisicunt, atque in unam illam coalescunt religionem, quæ reliquas ratione videtur antecellere. Neque dubium est, quin cæteræ jam pridem evanuissent, nisi quicquid improsperum cuiquam inter mutandæ religionis consilia sors objecisset, non id accidisse casu, sed cœlitùs immissum interpretaretur timor, tanquam Numine, cujus relinquebatur cultus, impium contra se propositum vindicante. At posteaquam acceperunt à nobis Christi nomen, doctrinam, mores, miracula, nec minus mirandam tot Martyrum constantiam, quorum sponte fusus sanguis tam numerosas gentes in suam sectam longè lateque traduxit: non credas quàm pronis in eam affectibus etiam ipsi concesserint, sivè hoc secretius inspirante Deo, sive quòd eadem ei visa est hæresi proxima, quæ est apud ipsos potissima: Quanquam hoc quoque fuisse non paulum momenti crediderim, quòd Christo communem suorum victum audierant placuisse, & apud germanissimos Christianorum conventus adhuc in usu esse. Certè quoquo id momento accidit, haud pauci nostram in religionem coierunt, lymphaque sacra

sunt

sunt abluti. Verùm quoniam in nobis quatuor (totidem enim duntaxat supereramus: nam duo fatis concesserant) nemo, id quod doleo, Sacerdos erat, cæteris initiati, ea tamen adhuc Sacramenta desiderant, quæ apud nos non nisi Sacerdotes conferunt, intelligunt tamen, optantque ita, ut nihil vehementius: quin hoc quoque sedulò jam inter se disputant, an sine Christiani Pontificis missu quisquam è suo numero delectus Sacerdotii consequatur characterem: & electuri sanè videbantur: verùm quum ego discederem, nondum elegerant. Quin hi quoque religioni Christianæ, qui non assentiunt, neminem tamen absterrent, nullum oppugnant imbutum, nisi quòd unus è nostro cœtu me præsente coërcitus est. Is quum recens ablutus, nobis contrà suadentibus, de Christi cultu publicè majore studio quàm prudentia dissereret, usque adeò cœpit incalescere, ut jam nostra modò sacra cæteris anteferret, sed reliqua protinus universa damnaret, profana ipsa, cultores impios ac sacrilegos æterno plectendos igni, vociferaretur. Talia diu Concionantem comprehendunt, ac reum non spretæ religionis, sed excitati in populo tumultus agunt, peraguntque, damnatum exilio mulctant: siquidem hoc inter antiquissima instituta numerant, ne sua cuiquam religio fraudi sit. Utopus enim jam inde ab initio, cùm accepisset, incolas ante suum adventum de religionibus inter se assiduè dimicasse, atque animadvertisset eam rem, quòd in commune diffidentes singulæ pro patria sectæ pugnabant, occasionem præstitisse sibi vincendarum omnium: adeptus victoriam in primis sanxit, uti quam cuique religionem libeat, sequi liceat: ut verò alios quoque in suam traducat, hactenus niti possit, uti placidè ac modestè suam rationibus astruat, non ut acerbè cæteras destruat, si suadendo non persuadeat, neque vim ullam adhibeat, & conviciis temperet: petulantius hac de re contendentem exilio aut servitute mulctant. Hæc Utopus instituit, non respectu pacis modò, quam assiduo certamine atque inexpiabili odio funditùs vidit everti, sed quòd arbitratus est, uti sic decerneretur ipsius etiam religionis interesse: de qua nihil est ausus temereè definire, velut incertum habens, an varium ac multiplicem expetens cultum Deus, aliud inspiret alii. Certè vi ac minis exigere, ut quod tu verum credis, idem omnibus videatur, hoc verò & insolens & ineptum censuit: tum si maximè una vera sit, cæteræ omnes vanæ, facile tamen prævidit (modò cum ratione ac modestia res agatur) futurum denique, ut ipsa per se veri vis emergat aliquando atque emineat: sin armis & tumultu certetur, ut sint pessimi quique maximè pervicaces, optimam ac sanctissimam religionem ob vanissimas inter se superstitiones, ut segetes inter spinas ac frutices obrutum iri. Itaque hanc totam rem in medio posuit, & quid credendum putaret, liberum cuique reliquit, nisi quod sanctè & severè vetuit, ne quis usque adeò ab humanæ naturæ dignitate degeneret, ut animas quoque interire cum corpore, aut mundum temerè ferri, sublata providentia putet. Atque ideo post hanc vitam supplicia vitiis decreta, virtuti præmia constituta credunt. Contrà sentientem, ne in hominum quidem ducunt numero, ut qui sublimem animæ suæ naturam ad pecuini corpusculi vilitatem dejecerit: tantum abest, ut inter cives ponant, quorum instituta moresque (si per metum liceat) omnes floccifacturus sit. Cui enim dubium esse potest, quin is publicas patriæ leges aut arte clàm eludere, aut vi nitatur infringere, dum suæ privatim cupiditati serviat, cui nullus ultra leges metus, nihil ultra corpus spei superest amplius. Quamobrem sic animato nullus communicatur honos, nullus magistratus committitur, nulli publico muneri præficitur, ita passim velut inertis ac jacentis naturæ despicitur. Cæterùm nullo afficiunt supplicio, quòd persuasum habeant, nulli hoc in manu esse, ut quicquid libet, sentiat, sed nec minis adigunt ullis, animum ut dissimulet suum: nec fucos admittunt & mendacia, quæ velut proxima fraudi, mirum quàm habent invisa. Verùm ne pro sua disputet sententia, prohibent, atque id duntaxat apud vulgus: nam alioquin apud Sacerdotes gravesque viros seorsum non sinunt modò, sed hortantur quoque, confisi fore, ut ea tandem vesania rationi cedat. Sunt & alii, nec hi sanè pauci, nempe improhibiti, veluti neque ratione penitùs pro se carentes, neque mali, qui vitio longè diverso, brutorum quoque æternas esse animas opinantur: at nostris tamen neque dignitate comparandas, neque ad æquam natas felicitatem. Hominum enim cuncti ferè tam immensam fore beatitudinem pro certo atque explorato habent, ut morbum lamententur omnium, mortem verò nullius, nisi quem vident anxiè è vita invitumque divelli. Nempe hoc pro pessimo habent augurio, tanquam anima exspes ac malè conscia, occulto quopiam imminentis pœnæ præsagio reformidet exitum. Ad hoc, haudquaquam gratum Deo ejus putant adventum fore, qui quum sit accersitus, non accurrit libens, sed invitus ac detrectans pertrahitur. Hoc igitur mortis genus qui intuentur, horrent: itaque defunctos mœsti ac silentes efferunt, precatique propitium manibus Deum, uti eorum clementer infirmitatibus ignoscat, terra cadaver obruunt. Contra, quicunque alacriter ac pleni bona spe decesserint, hos nemo luget, sed cantu prosecuti funus, animas Deo magno commendantes affectu, corpora tandem reverenter magis quàm dolenter concremant, columnamque loco insculptis defuncti titulis erigunt. Domum reversi mores actaque ejus recensent, nec ulla vitæ pars aut sæpius, aut libentius, quàm lætus tractatur interitus. Hanc probitatis memoriam & vivis efficacissima rentur incitamenta virtutum, & gratissimum Defunctis cul-

tum putant, quos interesse quoque de se sermonibus opinantur, quanquam (ut est hebes mortalium acies) invisibiles. Nam neque felicium sorti conveniat, libertate carere migrandi quò velint, & ingratorum fuerit prorsus abjecisse desiderium amicos invisendi suos, quibus eos, dum viverent, mutuus amor caritasque devinxerat: quanquam bonis viris, ut cætera bona, auctam post fata potius, quàm imminutam conjectant. Mortuos ergo versari inter viventes credunt, dictorum factorumque spectatores, eoque res agendas fidentius aggrediuntur, talibus velut freti præsidibus, & ab inhonesto secreto deterret eos credita majorum præsentia. Auguria, cæteras que superstitionis vanæ divinationes, quarum apud alias gentes magna est observatio, negligunt prorsus atque irrident. Miracula verò, quæ nullo naturæ proveniunt adminiculo, velut præsentis opera testesque numinis venerantur: qualia & ibi frequenter extare ferunt, & magnis interdum ac dubiis in rebus publica supplicatione, certa cum fiducia procurant, impetrantque. Gratum Deo cultum putant naturæ contemplationem, laudemque ab ea. Sunt tamen, hique haud sanè pauci, qui religione ducti, literas negligunt, nulli rerum cognitioni student, neque otio prorsus ulli vacant; negotiis tantum, bonisque cæteris officiis statuunt futuram post fata felicitatem promereri. Itaque alii ægrotis inserviunt, alii vias reficiunt, purgant fossas, pontes reparant, cespites, arenam, lapides effodiunt, arbores demoliuntur ac dissecant, bigisque ligna, fruges, item alia in urbes important, nec in publicum modò, sed privatim quoque ministros ac plus quàm servos agunt. Nam quicquid usquam operis est asperum, difficile, sordidum, à quo plerosque labor, fastidium, desperatio deterreat, hoc illi sibi totum libentes hilaresque desumunt: cæteris otium procurant, ipsi pertuo in opere ac labore versantur; Nec imputant tamen, nec aliorum sugillant vitam, nec suam efferunt. Hi quò magis sese servos exhibent, eo majore apud omnes in honore sunt. Eorum tamen hæreses duæ sunt: altera cœlibum, qui non Venere modò in totum abstinent, sed carnium esu quoque; quidam animalium etiam omnium, rejectisque penitus tanquam noxiis vitæ præsentis voluptatibus, futuræ duntaxat per vigilias ac sudores inhiant, ejus propediem obtinendæ spe: alacres interim, vegetique. Altera laboris haud minus appetens, conjugium præfert, ut cujus nec aspernantur solatium & opus, naturæ debere se & patriæ liberos putant. Nullam voluptatem refugiunt, quæ nihil eos ab labore demoretur. Carnes quadrupedum vel eo nomine diligunt, quòd tali cibo se validiores ad opus quodque censeant. Hos Utopiani prudentiores, at illos sanctiores reputant. Quos quòd cœlibatum anteferunt matrimonio, asperamque vitam placidæ anteponunt, si rationibus niterentur, irriderent: nunc verò quum se fateantur religione duci, suspiciunt ac reverentur. Nihil enim solicitius observant, quàm ne temerè quicquam ulla de religione pronuntient. Hujusmodi ergo sunt, quos illi peculiari nomine, sua lingua Buthrescas vocant, quod verbum Latinè Religiosos licet interpretari. Sacerdotes habent eximia sanctitate, eoque admodum paucos. Neque enim plus quàm tredecim in singulis habent urbibus, pari templorum numero, nisi quum itur ad bellum: tunc enim septem ex illis cum exercitu profectis, totidem sufficiuntur interim, sed illi reversi, suum quisque locum recuperat, qui supersunt: hi quoad decedentibus illis ordine succedant, comites interea sunt Pontificis: Nam unus reliquis præficitur. Eliguntur à populo, idque cæterorum ritu magistratuum, occultis ad studia vitanda suffragiis: Electi à suo collegio consecrantur. Hi rebus divinis præsunt, religiones curant, ac morum veluti censores sunt; magnoque pudori ducitur, ab his quenquam tanquam vitæ parum probatæ accersi, compellarivé. Cæterùm ut hortari atque admonere illorum est, ita coërcere atque in facinorosos animadvertere, principis atque aliorum est magistratuum: nisi quòd sacris interdicunt, quos improbè malos comperiunt. Nec ullum ferè supplicium est quod horreant magis: nam & summa percelluntur infamia, & occulto religionis metu lacerantur, ne corporibus quidem diu futuris in tuto. Quippe ni properam pœnitentiam Sacerdotibus approbent, comprehensi impietatis pœnam Senatui persolvunt. Pueritia juventusque ab illis eruditur, nec prior literarum cura, quàm morum ac virtutis habetur: namque summam adhibent industriam, ut bonas protinus opiniones, & conservandæ ipsorum reipublicæ utiles, teneris adhuc & sequacibus puerorum animis instillent: quæ ubi pueris penitus insederint, viros per totam vitam comitantur, magnamque ad tuendum publicæ rei statum (qui non nisi vitiis dilabitur, quæ ex perversis nascuntur opinionibus) afferunt utilitatem. Sacerdotibus (ni fœminæ sint: nam neque ille sexus excluditur; sed rarius, & non nisi vidua natuque grandis eligitur) uxores sunt popularium selectissimæ. Neque enim ulli apud Utopienses magistratui major habetur honos, usque adeò, ut si quid etiam flagitii admiserint, nulli publico judicio subsint, Deo tantùm ac sibi relinquuntur. Neque enim fas putant, illum, quantumvis sceleſtũ, mortali manu contingere, qui Deo tam singulari modo velut anathema dedicatus est. Qui mos illis facilior est observatu, quòd Sacerdotes & tam pauci, & tanta cum cura deliguntur. Nam neq; temerè accidit ut qui ex bonis optimus ad tantam dignitatem, solius respectu virtutis, evehitur, in corruptelam & vitium degeneret, & si jam maximè contingeret, ut est mortalium natura mutabilis;

bilis; tamen qua ſunt paucitate, nec ulla præter honorem poteſtate præditi: ad publicam certè perniciem nihil magni ab his momenti pertimeſcendum ſit. Quos ideo tam raros atque infrequentes habent, ne dignitas ordinis, quem nunc tanta veneratione proſequuntur, communicato cum multis honore vileſceret, præſertim quum difficile putent frequentes invenire tam bonos, ut ei ſint dignitati pares, ad quam gerendam non ſufficit mediocribus eſſe virtutibus. Nec eorum æſtimatio apud ſuos magis, quàm apud exteras etiam gentes habetur: quod inde facilè patet, unde etiam natum puto. Nempe decernentibus prælio copiis, ſeorſum illi non admodum procul conſidunt in genibus, ſacras induti veſtes, tenſis ad cœlum palmis, primùm omnium pacem, proximè ſuis victoriam, ſed neutri cruentam parti comprecantur. Vincentibus ſuis decurrunt in aciem, ſævientesque in profligatos inhibent: vidiſſe tantum atque appellaſſe præſentes ad vitam ſatis, diffluentium contactus veſtium, reliquas quoque fortunas ab omni bellorum injuria defendit. Qua ex re apud omnes undique gentes tanta illis veneratio, tantum veræ Majeſtatis acceſſit, ut ſæpe ab hoſtibus non minus ſalutis ad cives reportarint, quam ab ipſis ad hoſtes attuliſſent. Siquidem aliquando conſtat, inclinata ſuorum acie, deſperatis rebus, quum ipſi in fugam verterentur, hoſtes in cædem ac prædam ruerent, interventu Sacerdotum interpellatam ſtragem, ac diremptis invicem copiis, pacem æquis conditionibus eſſe compoſitam atque conſtitutam. Neque enim unquam fuit ulla gens tam fera, crudelis, ac barbara, apud quos ipſorum corpus non ſacroſanctum atque inviolabile ſit habitum. Feſtos celebrant initialem atque ultimum cujuſque menſis diem, & anni item, quem in menſes partiuntur, circuitu lunæ finitos, ut ſolis ambitus annum circinat. Primos quoſque dies Cynemernos, poſtremos ipſorum lingua Trapemernos appellant: quæ vocabula perinde ſonant, ac ſi primifeſti & finifeſti vocentur. Delubra viſuntur egregia, utpote non operoſa modò, ſed, quod erat in tanta ipſorum paucitate neceſſarium, immenſi etiam populi capacia. Sunt tamen omnia ſubobſcura: nec id ædificandi inſcitia factum, ſed conſilio Sacerdotum ferunt, quòd immodicam lucem cogitationes diſpergere, parciore ac velut dubia colligi animos, & intendi religionem putant. Quæ quoniam non eſt ibi apud omnes eadem, & univerſæ tamen ejus formæ, quanquam variæ ac multiplices, in divinæ naturæ cultum velut in unum finem diverſa via commigrant: idcirco nihil in templis viſitur auditurve, quod non quadraret ad cunctas in commune videatur. Si quod proprium ſit cujuſquam ſectæ ſacrum, id intra domeſticos quiſque parietes curat. Publica tali peragunt ordine, qui nulli prorſus ex privatis deroget. Itaque nulla deorum effigies in templo conſpicitur, quo liberum cuique ſit, qua forma Deum velit è ſumma religione concipere. Nullum peculiare Dei nomen invocant, ſed Mithræ duntaxat, quo vocabulo cuncti in unam divinæ Majeſtatis naturam, quæcunque ſit illa, conſpirant. Nullæ concipiuntur preces, quas non pronunciare quivis inoffenſa ſua ſecta poſſit. Ad templum ergo in finifeſtis diebus veſpere conveniunt, adhuc jejuni, acturi Deo de anno menſeve, cujus id feſtum poſtremus dies eſt, proſperè acto, gratias. Poſtero die (nam is primifeſtus eſt) mane ad templa confluitur, ut inſequentis anni menſisve, quem ab illo auſpicaturi feſto ſint, fauſtum felicemque ſucceſſum comprecentur. At in finifeſtis antea quàm templum petunt uxores, domi ad virorum pedes, liberi ad parentum provoluti, peccaſſe fatentur ſeſe aut admiſſo aliquo, aut officio indiligenter obito, veniamque errati precantur. Ita ſi qua ſe nubecula domeſticæ ſimultatis offuderat, tali ſatisfactione diſcutitur, uti animo puro ac ſereno ſacrificiis interſint, nam intereſſe turbido, religio eſt, eoque odii iræve in quenquam ſibi conſcii, niſi reconciliati, ac defæcatis affectibus, ad ſacrificia non ingerunt ſeſe, vindictæ ſceleris, magnæque metu. Eò quum veniunt, viri in dextram delubri partem, fœminæ ſeorſum in ſiniſtram commeant. Tum ita ſe collocant, ut cujuſque domus maſculi ante patremfamiliâs conſideant, fœminarum materfamiliâs agmen claudat. Ita proſpicitur, uti omnes omnium geſtus foris ab his obſerventur, quorum autoritate domi ac diſciplina reguntur. Quin hoc quoque ſedulò cavent, uti junior ibi paſsim cum ſeniore copuletur, ne pueri pueris crediti, id temporis puerilibus tranſigant ineptiis, in quo deberent maximè religioſum erga Superos metum, maximum ac propè unicum virtutibus incitamentum concipere. Nullum animal in ſacrificiis mactant, nec ſanguine rentur ac cædibus divinam gaudere clementiam, qui vitam animantibus ideo eſt elargitus ut viverent. Thus incendunt, & alia item adoramenta, ad hæc cereos numeroſos præferunt, non quòd hæc neſciant nihil ad divinam conferre naturam, quippe ut nec ipſas hominum preces: ſed & innoxium colendi genus placet, & his odoribus luminibuſque, ac cæteris etiam ceremoniis, neſcio quomodo ſeſe ſentiunt homines erigi, atque in Dei cultum animo alacriore conſurgere. Candidis in templo veſtibus amicitur populus, Sacerdos verſicolores induitur, & opere & forma mirabiles, materia non perinde pretioſa. Neque enim auro intextæ, aut raris coagmentatæ lapidibus, ſed diverſis avium plumis tam ſcitè, tantoque artificio laboratæ ſunt, ut operis pretium nullius æſtimatio materiæ fuerit æquatura. Ad hoc in illis volucrum pennis plumiſque, & certis earum ordinibus, quibus in Sacerdotis veſte diſcriminantur, arcana quædam dicunt contieri myſteria, quorum interpretatione co-

gnita

gnita (quæ per sacrificos diligenter traditur) divinorum in se beneficiorum, suæque vicissim pietatis in Deum, ac mutui quoque inter se officii admoneantur. Quum primum Sacerdos ita ornatus ex adyto sese offert, cuncti protinus in terram venerabundi procumbunt, tam alto ab omni parte silentio, ut ipsa rei facies terrorem quendam velut præsentis cujuspiam numinis incutiat. Tellure paulum morati, dato ab Sacerdote signo, erigunt sese. Tum laudes Deo canunt, quas Musicis instrumentis interstinguunt, aliis magna ex parte formis, quàm quæ nostro visuntur orbe. Ex illis pleraque sicuti quæ nobis in usu sunt, multum suavitate vincunt, ita quædam nostris ne conferenda quidem sint. Verùm una in re haud dubiè longo nos intervallo præcellunt, quòd omnis eorum Musica, sive quæ personatur organis, sive quàm voce modulantur humana, ita naturales affectus imitatur & exprimit, ita sonus accommodatur ad rem, seu deprecantis oratio sit, seu læta, placabilis, turbida, lugubris, irata, ita rei sensum quendam melodiæ forma repræsentat, ut animos auditorum mirum in modum afficiat, penetret, incendat. Solennes ad ultimum conceptis verbis preces Sacerdos pariter populusque percensent, ita compositas, ut quæ simul cuncti recitant, privatim quisque ad semet referat. In his Deum & creationis, & gubernationis, & cæterorum præterea bonorum omnium, quilibet recognoscit autorem, tot ob recepta beneficia gratias agit: nominatim verò quòd Deo propitio in eam rempublicam inciderit, quæ sit felicissima, eam religionem sortitus sit, quam speret esse verissimam. Qua in re si quid erret, aut si quid alterutra melius, & quod Deus magis approbet, orare se, ejus bonitas efficiat, hoc ut ipse cognoscat. Paratum enim sequi se quaqua versus ab eo ducatur: sin & hæc reipublicæ forma sit optima, & sua religio rectissima, tum uti & ipsi constantiam tribuat, & cæteros mortales omnes ad eadem instituta vivendi, in eandem de Deo opinionem perducat, nisi per inscrutabilem ejus voluntatem etiam sit, quod in hac religionum varietate delectet. Denique precatur, ut facilè defunctum exitu ad se recipiat: quàm citò serove, præfinire quidem non audere se: quanquam, quod inoffensa ejus Majestate fiat, multo magis ipsi futurum cordi sit, difficillima morte obita ad Deum pervadere, quàm ab eo diutius prosperrimo vitæ cursu distineri. Hac prece dicta, rursus in terram proni, pauloque pòst erecti, discedunt pransum, & quod superest diei, ludis & exercitio militaris disciplinæ percurrunt.

Descripsi vobis quàm potui verissimè ejus formam Reipublicæ quam ego certè non optimam tantùm, sed solam etiam censeo, quæ sibi suo jure possit reipublicæ vendicare vocabulum. Siquidem alibi de publico loquentes ubique commodo, privatum curant: hi ubi nihil privati est, seriò publicum negotium agunt, certè utrobique meritò. Nam alibi quotus quisque est qui nesciat, nisi quid seorsum prospiciat sibi, quantumvis florente republica semet tamen fame periturum; eoque necessitas urget, ut sui potius, quàm populi, id est, aliorum, habendam sibi rationem censeat. Contra hic, ubi omnia omnium sunt, nemo dubitat (curetur modò ut plena sint horrea publica) nihil quicquam privati cuiquam defuturum. Neque enim maligna rerum distributio est, neque inops, neque mendicus ibi quisquam: & quum nemo quicquam habeat, omnes tamen divites sunt. Nam quid ditius esse potest, quàm adempta prorsus omni solicitudine læto ac tranquillo animo vivere? non de suo victu trepidum, non uxoris querula flagitatione vexatum, non paupertatem filio metuentem, non de filiæ dote anxium, sed de suo, suorumque omnium, uxoris, filiorum, nepotum, pronepotum, abnepotum, & quàm longam posterorum seriem suorum generosi præsumunt, victu esse ac felicitate securum? Quid quòd nihilo minus his prospicitur, qui nunc impotes, olim laboraverunt, quàm his qui nunc laborant. Hic aliquis velim cum hac æquitate audeat aliarum justitiam gentium comparare, apud quas dispeream, si ullum prorsus comperio justitiæ æquitatisque vestigium. Nam quæ hæc justitia est, ut nobilis quispiam, aut aurifex, aut fœnerator, aut denique alius quisquam eorum, qui aut omnino nihil agunt, aut id quod agunt, ejus generis est, ut non sit reipublicæ magnopere necessarium, lautam ac splendidam vitam, vel ex otio, vel supervacuo negotio consequatur: quum interim mediastinus, auriga, faber, agricola, tanto tamque assiduo labore, quem vix jumenta sustineant, tam necessario, ut sine eo ne unum quidem annum possit ulla durare respublica, victum tamen adeò malignum parant, vitam adeò miseram ducunt, ut longè potior videri posit conditio jumentorum, quibus nec tam perpetuus labor, nec victus multo deterior est, & ipsis etiam suavior, nec ullus interim de futuro timor. At hos & labor sterilis atque infructuosus in præsenti stimulat, & inopis recordatio senectutis occidit: quippe quibus parcior est diurna merces, quàm ut eidem possit dici sufficere, tantum abest ut excrescat, & supersit aliquid, quod quotidie queat in senectutis usum reponi. An non hæc iniqua est & ingrata respublica, quæ generosis, ut vocant, & aurificibus, & id genus reliquis, aut otiosis, aut tantum adulatoribus, & inanium voluptatum artificibus, tanta munera prodigit: agricolis contrà, carbonariis, mediastinis, aurigis & fabris, sine quibus nulla omnino respublica esset, nihil benignè prospicit? sed eorum florentis ætatis abusa laboribus, annis tandem ac morbo graves, omnium rerum indigos, tot vigiliarum immemor, tot ac tantorum oblita beneficiorum, miserrima morte repensat ingratissima? Quid quod ex diurno pauperum dimenso divites quotidie aliquid non

modò privata fraude, sed publicis etiam legibus abradunt: ita quod antè videbatur injustum, optime de Republica meritis pessimam referre gratiam, hoc isti depravatum etiam fecerunt, tum provulgata lege justitiam. Itaque omnes has, quæ hodie usquam florent, Respublicas animo intuenti ac versanti mihi, nihil, sic me amet Deus, occurrit aliud, quam quædam conspiratio divitum, de suis commodis Reipublicæ nomine tituloque tractantium: comminiscunturque & excogitant omnes modos atque artes, quibus, quæ malis artibus ipsi congesserunt, ea primùm ut absque perdendi metu retineant, post hoc ut pauperum omnium opera ac laboribus quàm minimo sibi rediment, eisque abutantur. Hæc machinamenta ubi semel divites publico nomine, hoc est etiam pauperum, decreverunt observari, jam leges fiunt. At homines deterrimi, cum inexplebili cupiditate, quæ fuerant omnibus suffectura, ea omnia inter se partiverint, quàm longè tamen ab Utopiensium Reipublicæ felicitate absunt? è qua cum ipso usu sublata penitùs omni aviditate pecuniæ, quanta moles molestiarum recisa, quanta scelerum seges radicitùs evulsa est? Quis enim nescit, fraudes, furta, rapinas, rixas, tumultus, jurgia, seditiones, cædes, proditiones, veneficia, quotidianis vindicata potius quàm refrenata suppliciis, interempta pecunia commori? ad hæc metum, solicitudinem, curas, labores, vigilias, eodem momento quo pecunia perituras? quin paupertas ipsa, quæ sola pecuniis visa est indigere, pecunia prorsus undique sublata, protinus etiam ipsa decresceret. Id quo fiat illustrius, revolve in animo tecum annum aliquem sterilem atque infœcundum, in quo multa hominum millia fames abstulerit: contendo planè in fine illius penuriæ, excussis divitum horreis, tantum frugum potuisse reperiri, quantum si fuisset inter eos distributum, quos macies ac tabes absumpsit, illam cœli solique parcitatem nemo omnino sensisset. Tam facilè victus parari posset, nisi beata illa pecunia, quæ præclarè scilicet inventa est, ut aditus ad victum per eam patesceret, sola nobis ad victum viam intercluderet. Sentiunt ista, non dubito, etiam divites, nec ignorant, quanto potior esset illa conditio, nulla re necessaria carere, quàm multis abundare superfluis, tam numerosis eripi malis, quàm magnis obsideri divitiis. Neque mihi quidem dubitare subit, quin vel sui cujusque commodi ratio, vel Christi Servatoris autoritas (qui neque pro tanta sapientia potuit ignorare, quid optimum esset, neque qua erat bonitate, id consulere quod non optimum sciret) totum orbem facile in hujus Reipublicæ leges jamdudum traxisset, nisi una tantum bellua, omnium Princeps parensque pestium, superbia, reluctaretur. Hæc non suis commodis prosperitatem, sed ex alienis metitur incommodis: hæc ne dea quidem fieri vellet, nullis relictis miseris, quibus imperare atque insultare possit: quorum miseriis præfulgeat ipsius comparata felicitas, quorum suis explicatis opibus, angat atque incendat inopiam. Hæc averni serpens mortalium pererrans pectora, ne meliorem vitæ capessant viam, velut remora retrahit ac remoratur. Quæ quoniam pressius hominibus infixa est, quàm ut facilè possit evelli, hanc Reipublicæ formam, quam omnibus libenter optarim, Utopiensibus saltem contigisse gaudeo, quia ea vitæ sunt instituta secuti, quibus Reipublicæ fundamenta jecerunt, non modò felicissimè, verùm etiam, quantum humana præsagiri conjectura contigit, æternum duratura. Extirpatis enim domi cum cæteris vitiis ambitionis, & factionum radicibus, nihil impendet periculi, ne domestico dissidio laboretur: quæ una multarum urbium egregiè munitas opes pessundedit. At salva domi concordia, & salubribus institutis, non omnium finitimorum invidia Principum (quæ sæpius id jam olim, semper reverberata tentavit) concutere illud imperium, aut commovere queat.

Hæc ubi Raphaël recensuit, quanquam haud pauca mihi succurrebant, quæ in ejus populi moribus legibusque perquàm absurdè videbantur instituta, non solum de belli gerendi ratione, & rebus divinis, ac religione, aliisque insuper eorum institutis: sed in eo quoque ipso maximè, quod maximum totius institutionis fundamentum est, vita scilicet victuque communi, sine ullo pecuniæ commercio, qua una re funditùs evertitur omnis nobilitas, magnificentia, splendor, majestas, vera, ut publica est opinio, decora atque ornamenta Reipublicæ: tamen quoniam defessum narrando sciebam, neque mihi satis exploratum erat, possetné ferre, ut contra suam sententiam sentiretur, præsertim quòd recordabar, eo nomine quosdam ab illo reprehensos, quasi vererentur, ne non satis putarentur sapere, nisi aliquid invenirent, in quo vellicare aliorum inventa possent: idcirco & illorum institutione, & ipsius oratione laudata, manu apprehendens, intrò cœnatum duco, præfatus tamen aliud nobis tempus, iisdem de rebus altius cogitandi, atque uberius cum eo conferendi fore: quod utinam aliquando contingeret. Interea quemadmodum haud possum omnibus assentiri quæ dicta sunt, alioqui ab homine citra controversiam eruditissimo, simul & rerum humanarum peritissimo: ita facilè confiteor, permulta esse in Utopiensium Republica, quæ in nostris civitatibus optarim verius, quàm sperarim.

HIERONYMUS BULSIDIUS THOMÆ MORO S. D.

NON sat fuit, Ornatissime More, olim omnem curam, operam, studium intulisse in rem & commodum singulorum, nisi vel ea (quæ tua pietas & liberalitas est) conferres in universum, ratus hoc tuum, qualecunque foret, beneficium, eo majorem hinc mereri favorem, venari gratiam, aucupari gloriam, quanto illud & latius propagatum, & in plures distributum, pluribus esset profuturum. Quod & si aliàs sem-

per præstare contenderis, tamen id maximè es nuper mira felicitate adsecutus, scilicet pomeridiano illo sermone abs te in literas relato, quem de rectè & bene constituta, ab omnibus expetenda, Utopiensium Republica edidisti. In cujus pulcherrimi instituti felici descriptione nihil est, in quo vel summa eruditio, vel absoluta rerum humanarum peritia desiderari possit. Quando ea quidem ambo in illo tanta paritate & æquabili congressu concurrunt, ut neutro alteri herbam porrigente, utrumque æquo Marte de gloria contendat. Tam siquidem multifaria polles doctrina, rursum tam multa, eaque certa rerum peritia, ut prorsus expertus affirmes, quicquid scripseris, doctissimè scribas, quicquid affirmandum destinaveris. Mira profectò raraque felicitas, ac planè eo rarior, quo magis ipsa sese invidens plurimis non præbet nisi raris, maximè iis, qui sicut candore velint, ita eruditione sciant, fide queant, autoritate possint, tam piè, rectè, providè in commune consulere, sicut tu jam facis probè: qui quòd non solum tibi, verum etiam toti te genitum orbi existimas, operæ pretium duxeris, hoc tuo pulcherrimo merito, vel totum ipsum orbem demereri: quod præstare alia ratione neque rectius neque melius potuisses, quàm ipsis mortalibus ratione pollentibus, eam Reipublicæ ideam, eam morum formulam, absolutissimumque simulacrum præscribere, quo nullò unquam in orbe visum sit vel salubrius institutum, vel magis absolutum, vel quod magis expetendum videatur, utpote multo quidem præstante, atque longo post se intervallo relinquente, tot celebratissimas, tantopere decantatas Lacedæmoniorum, Atheniensium, Romanorum Respublicas: quæ si iisdem essent auspiciis auspicatæ, iisdem, quibus hæc tua Respublica institutis, legibus, decretis, moribus moderatæ, profectò hæ nondum labefactatæ & solo æquatæ, jam proh dolor citra spem omnem instaurationis extinctæ jacerent; sed contrà, incolumes adhuc, beatæ, felices, fortunatissimè agerent: interim rerum dominæ, suum latè imperium terra marique sortitæ. Quarum quidem Rerumpublicarum tu miserandam miseratus sortem, ne aliæ itidem, quæ hodie rerum potitæ summum tenent, parem sustinerent vicem, prospicere voluisti, scilicet hac tua absolutissima Republica, quæ non tam in condendis legibus, quàm vel pro beatissimis Magistratibus formandis maximè elaboravit. Nec id quidem abs re, quando alioqui sine illis omnes, vel optimæ leges, si Platoni credimus, mortuæ censerentur: præsertim ad quorum Magistratuum simulacrum, probitatis specimen, exemplar morum, justitiæ imaginem, totus status, & rectus tenor cujusvis absolutæ Reipublicæ sit effingendus. In quo inprimis concurrant, prudentia in optimatibus, fortitudo in militibus, temperantia in singulis, justitia in omnibus. Quibus, quum tua, quam tantopere celebras, Respublica sit tam pulcherrimè, ut liquet, composita, non mirum si hinc veniat, non solùm multis timenda, sed & cunctis gentibus veneranda, simul omnibus seculis prædicanda. Idque eo magis, quòd in ea omnis proprietatis contentione sublata, nulli sit quippiam proprii. Cæterùm in rem ipsam commune, communia sunt omnibus omnia, adeò ut omnis res, quævis actio, seu publica, seu privata, non ad multorum cupiditatem, non ad paucorum libidinem spectet, sed ad unam justitiam, æquabilitatem, communionem sustinendam (quantulacunque sit) tota referatur. Quò illa integrè relata, omnis materies, fax & fomes, ambitus, luxus, invidentiæ, injuriæ facessant necesse est: in quæ nonnunquam aut privata rerum possessio, aut ardens habendi sitis, omniumque miserrima rerum ambitio, mortales vel reluctantes protrudit, maximo suo, idque incomparabili malo: quando hinc sæpenumero dissensiones animorum, motus armorum, & bella plus quàm civilia derepentè oriantur: quibus non solum florentissimus status beatissimarum Rerumpublicarum funditùs pessundatur, verùm illarum olim parta gloria, acti triumphi, clara tropæa, totiesque opima spolia de victis hostibus relata, penitùs obliterantur. Quòd si in his hæc nostra pagina minorem fortè, ac velim, fidem fecerit, certè in promptu aderunt testes, ad quos te relegem, locupletissimi; videlicet tot & tantæ olim vastatæ urbes, dirutæ civitates, prostratæ Respublicæ, incensi & consumpti vici: quorum uti hodie vix ullæ tantæ calamitatis reliquiæ, aut vestigia visuntur, ita nec nomina illorum ulla, quantumvis vetus & longè deducta historia, sat probè tenet. Quas quidem insignes clades, vastationes, eversiones, cæterasque belli calamitates, nostræ, si quæ sint, Respublicæ facilè evaserint, modò ad unam Utopiensium Reipublicæ normam sese ad amussim componentes, ab ea ne transversum quidem, ut ajunt, unguem recedant. Quod sic demum præstantes, tandem re ipsa cumulatissimè agnoscent, quantum hoc tuum in se collatum beneficium profuerit, maximè quo accedente didicerint, suam Rempublicam salvam, incolumem, triumphantem servare. Proinde tantum tibi suo præsentissimo servatori debituræ, quantum is haud injuria promeretur, qui non tantum aliquem è Republica civem, sed vel ipsam totam Rempublicam servarit. Interea vale, ac feliciter perge nonnihil usque meditari, agere, elaborare, quod in Rempublicam collatum illi perpetuitatem, tibi immortalitatem addat. Vale doctissime, & idem humanissime More, tuæ Britanniæ, ac nostri hujus orbis decus. Ex ædibus nostris Mechliniæ, Anno M. D. XVI.

HIERO-

HIERONYMO BUSLIDIO
Præposito Ariensi,
Catholici Regis à consiliis,
PETRUS ÆGIDIUS
Antverpiensis
S. D.

SUperioribus hisce diebus ornatissime Buslidi, misit ad me THOMAS ille MORUS, te quoque teste, cui notissimus est, eximium hujus ætatis nostræ decus, Utopiam insulam, paucis adhuc mortalibus cognitam, sed dignam inprimis, quam ut plus quam Platonicam omnes velint cognoscere, præsertim ab homine facundissimo sic expressam, sic depictam, sic oculis subjectam, ut quoties lego, aliquanto plus mihi videre videar, quam cum ipsum Raphaëlem Hythlodæum (nam ei sermoni æquè interfui ac MORUS ipse) sua verba sonantem audirem. Etiamsi vir ille haud vulgari præditus eloquentia sic rem exponeret, ut facile appareret, eum non ea referre, quæ narrantibus aliis didicisset, sed quæ cominus hausisset oculis, & in quibus non exiguum tempus esset versatus, homo mea quidem sententia, regionum, hominum, & rerum experientia vel ipso Ulysse superior, & qualem octingentis hisce annis nusquam arbitrer natum, ad quem collatus Vespucius nihil vidisse putetur. Jam præterquam quod visa quam audita narramus efficacius, aderat homini peculiaris quædam ad explicandas res dexteritas. Attamen eadem hæc quoties MORI penicillo depicta contemplor, sic afficior, ut mihi videar nonnunquam in ipsa versari Utopia. Et hercule crediderim, Raphaëlem ipsum minus in ea insula vidisse per omne quinquennium quod illic egit, quam in Mori descriptione videri liceat. Tantum hic occurrit undique miraculorum, ut ambigam, quid primum aut potissimum admirer, felicissimæ memoriæ fidem, quæ tot res auditas duntaxat penè ad verbum reddere potuerit: an prudentiam, qua vulgo ignotissimos fontes, unde omnia Reipublicæ vel oriuntur mala, vel oriri possent bona, sic animadvertit: an orationis vim ac facultatem, qua tanta sermonis Latini puritate, tantis dicendi nervis, tot res complexus est, præsertim unus in tot publica simul & domestica negotia distractus. Verùm hæc omnia tu minus admiraris, doctissime Buslidi, qui familiari etiam consuetudine penitus habes cognitum, homine majus ac propè divinum hominis ingenium. In cæteris igitur nihil est, quod illius scriptis queam adjicere: tantum tetrastichum vernacula Utopiensium lingua scriptum, quod à Mori discessu fortè mihi ostendit Hythlodæus, apponendum curavi, præfixo ejusdem gentis alphabeto, tum adjectis ad margines aliquot annotatiunculis. Nam quod de insulæ situ laborat MORUS, ne id quidem omnino tacuit Raphael, quanquam paucis admodum, ac velut obiter attigit, velut hoc alii servans loco. Atque id sanè, nescio quo modo, casus quidam malus utrique nostrum invidit: siquidem cum ea loqueretur Raphael, adierat Morum è famulis quispiam, qui illi nescio quid diceret in aurem. Ac mihi quidem tanto attentius auscultanti, comitum quispiam clarius, ob frigus opinor navigatione collectum, tussiens, dicentis voces aliquot intercepit. Verùm non conquiescam, donec hanc quoque partem ad plenum cognovero, adeò ut non solum situm insulæ, sed ipsam etiam poli sublationem sim tibi ad unguem redditurus, si modò incolumis est noster Hythlodæus. Nam varius de homine rumor adfertur; alii affirmant periisse in itinere, rursum alii reversum in patriam, sed partim suorum mores non ferentem, partim Utopiæ desiderio sollicitatum, eo remigrasse. Nam quòd hujus insulæ nomen nusquam apud Cosmographos reperiatur, pulchrè dissolvit Hythlodæus ipse. Siquidem fieri potuit, inquit, ut nomen quo Veteres sint usi, postea sit commutatum: aut etiam illos hæc fugerit insula, quando & hodie complures oriuntur terræ priscis illis Geographis intactæ. Quanquam quorsum attinet hic argumentis adstruere fidem, quum MORUS ille sit Autor? Cæterùm quod is ambigit de editione, equidem laudo, & agnosco viri modestiam. At mihi visum est opus modis omnibus indignum, quod diu premeretur, & cumprimis dignum, quod exeat in manus hominum, idque tuo potissimum nomine commendatum orbi: vel quod MORI dotes præcipue tibi sint perspectæ, vel quod nemo magis idoneus, qui rectis consiliis juvet Rempublicam, in qua jam annis compluribus summa cum laude versaris, tum prudentiæ, tum integritatis. Bene vale, studiorum Mœcenas, & hujus seculi decus. Antverpiæ Anno M D XVI. Cal. Novembr.


GUILIELMUS BUDÆUS
THOMÆ LUPSETO,
Anglo S.

GRatiam sanè ingentem à nobis iniisti, Lupsete adolescentum Doctissime, qui me porrecta mihi UTOPIA THOMÆ MORI, ad jucundissimæ simul & usui futuræ lectionis intentionem avertisti. Nam cum à me dudum precibus id contendisses, id quod meapte ipse sponte magnopere exoptatur⁹ eram, ut

THOMÆ LINACRI, Medici utraque lingua præstantissimi, libros sex de sanitate tuenda legerem, quos ille ex Galeni monumentis Latinitate nuper ita donavit, vel quibus ipse potius Latinitatem, ut si omnia ejus Autoris opera (quæ ego instar omnis medicinæ esse puto) Latina tandem fiant, non magnopere tum medicorum schola Græcæ linguæ cognitionem desideratura videatur: eum librum ex schedis LINACRI tumultuaria lectione ita percurri (quarum mihi usum tantisper à te indultum summi loco beneficii duco) ut ea lectione multum me profecisse existimem; sed ex libri editione, quæ nunc à te sedulo procuratur in officinis hujus urbis, ego majorem etiam profectum mihi spondeam. Hoc nomine cum me tibi obstrictum esse satis crederem, ecce tu mihi velut prioris beneficii vel appendicem vel auctarium UTOPIAM illam MORI donasti, hominis inprimis acris, ingenioque amœno, & in rerum humanarum æstimatione veteratoris. Eum librum cum ruri in manibus cursitando, satagendo, operis imperitando haberem (partim enim nosti, partim audisti, villaticis me negotiis alterum jam hunc annum multum operæ impendisse) usque adeo ejus lectione affectus sum, cognitis & perpensis Utopianorum moribus & institutis, ut penè rei familiaris procurationem intermiserim, atque etiam abjecerim, cùm nugas esse viderem artem omnem industriamque œconomicam, omnino curam censusampliatricem: qua tamē ipsa omne genus mortalium velut œstro quodam intestino & congenito exagitari, nemo est qui non videat & intelligat, ut legitimarum, propè dixerim & civilium, artium ac disciplinarum eum esse scopum fateri necesse sit, ut tam livida quam accurata solertia alter ab altero, qui cum civilitatis jus ei & interdum gentilitatis intercedit, quippiam semper abducat, abstrahat, abradat, abjuret, exprimat, extundat, exsculpat, extorqueat, excutiat, excudat, subducat, suffuretur, suppilet, involet, legibusque partim conniventibus, partim autoribus, auferat & intervertat. Id adeò magis in iis gentibus, apud quas jura quæ civilia & pontificia vocantur, amplius in utroque foro valent: quorum moribus & institutis eam invaluisse opinionem nemo non videt, ut homines cautionum prudentes, vel captionum potius, & inconsultorum civium aucupes, & formularum, id est, excipularum opifices, ac pactilis juris callentissimi, & litium concinnatores, jurisque controversi, perversi, inversi, consulti, antistites esse justitiæ æquitatisque existimentur, solique digni qui de æquo bonoque responsitent, atque etiam (quod majus est multo) qui cum imperio ac potestate statuant, quid unumquemque habere, quid non habere, quatenus quamdiuque liceat. Hallucinantis id utique sensus communis judicio. Quippe cùm plerique hominum crassis ignorantiæ lemis cęcutientes, tam æquissimam ferè causam unumquemque putemus habere, quàm maximè jus postulat, aut jure subnixus est: cùm si ad veritatis normam, & ad simplicitatis Evangelicæ præscriptum exigere jura velimus, nemo sit tam stupidus, quin intelligat, nemo tam væcors, quin fateatur si urgeas, tam jus & fas hodie ac jamdiu in sanctionibus Pontificiis, & jus atque æquum in legibus civilibus & Principum placitis dissidere, quàm Christi rerum humanarum conditoris instituta, ejusque Discipulorum ritus, ab eorum decretis & placitis, qui Crœsi & Midæ acervos bonorum finem esse putant, & felicitatis cumulum: adeo si justitiam finire nunc velis, quomodo priscis Autoribus placuit, quæ jus suum unicuique tribuat; vel nullibi eam in publico invenias, vel (si dicere id mihi permittam) culinariam quandam dispensatricem esse, ut fateamur necesse sit, sive nunc imperitantium mores spectes, sive civium inter se & popularium affectus. Nisi verò à germana mundique æquali justitia (quod jus naturale vocant) manasse jus id contenderint, ut quo quisque plus polleat, eo etiam plus habeat: quo autem plus habeat, eo plus eminere inter cives debeat: quo sit ut jam jure gentium receptum esse videamus, ut qui nec arte nec industria memorabili juvare cives suos & populares possunt, si modò pactiles illos nexus & contractiles nodos teneant, queis hominum patrimonia obstringuntur, quosque vulgus ignarum, hominesque literis humanioribus dediti, ac procul foro, animi causa aut veritatis indagandæ ergo agentes, partim Gordii vincula esse ducunt, partim circulatoria, nec magnopere miranda, ii millenorum civium censum, & sæpe singularum civitatum, aut etiam ampliorem habeant, iidemque tum locupletes, tum frugi homines, tum magnifici conquisitores honorificè vocitentur. Quippe iis seculis, iis institutis, iis moribus, in iis gentibus, quæ id jus esse statuerunt, ut tam summa fide atque autoritate quisque sit, quam maximis opibus penates suos architectatus est ipse hæredesque ejus. Idque eo magis atque magis, quo eorum adnepotes, horumque rursus abnepotes, patrimonia à majoribus parta luculentis certatim accessionibus cumulaverint: id est, quo longius latiusque confines, affines, cognatos, consanguineosque summoverint. At verò Christus possessionum conditor & moderator, Pythagoricam communionem & caritatem inter asseclas suos relictam, luculento sanxit exemplo, damnato capitis Anania ob temeratam communionis legem. Quo certè instituto Christus omne juris istius civilis Pontificiique adeo recentioris argumentosa volumina, inter suos quidem abrogasse mihi videtur: quod ipsum jus hodie arcem tenere prudentiæ videmus, ac fata nostra regere. UTOPIA verò insula, quam etiam UDEPOTIAM appellari audio, mirifica utique sorte (si credimus) Christianos ritus ac germanam ipsam sapientiam publicè privatimque hausisse perhibetur, intemeratamque ad hunc usque diem servasse: utpote quæ tria divina instituta, hoc est, bonorum malorumque inter cives æqualitatem, seu

malis

malis civilitatem, numeris omnibus suis absolutam, & pacis ac tranquillitatis amorem constantem ac pertinacem, & auri argentique contemptum, consertis (ut ajunt) manibus retinet, tria (ut ita loquar) everticula omnium fraudum, imposturarum, circumscriptionum, versutiarum, & planicarum improbitatum. Superi suo nomine facerent, ut hæc tria UTOPIANÆ legis capita trabalibus clavis firmæ ac statæ persuasionis in sensibus omnium mortalium figerentur; protinus superbiam, cupiditatem, contentionem væsanam, atque alia penè omnia vulnifica Stygii adversarii tela concidere languereque videres, jurisque illam voluminum vim immensam, tot eximia solidaque ingenia ad libitinam usque detinentia, ut cassa & vacantia, teredinibus permitti, aut involucris officinarum dicari. Proh divi immortales, quænam Utopianorum sanctitas eam divinitus beatitudinem emereri potuit, ut avaritia & cupiditas in eam unam insulam irrumpere, aut irrepere tot seculis non potuerint? nec inde justitiam cum pudore protervitate sua impudentiaque explodere & exigere? Deus nunc optimus maximus tam benigne cum iis provinciis egisset, quæ ab ejus sacratissimo nomine cognomentum retinent & amplectuntur: certè avaritia tot mentes alioquin egregias arduasque depravans & pessundans, semel hinc facesseret, & aureum seculum Saturniumque rediret. Hic enimverò periculum esse quispiam autumarit, ne fortè Aratus & Poëtæ prisci opinione falsi fuerint, qui justitiam è terris decedentem in signifero circulo collocaverunt. Restitisse enim eam in Utopia insula necesse est, si Hythlodæo credimus, necdum in cœlum pervenisse. Verum ego Utopiam extra mundi cogniti fines sitam esse percunctando comperi, insulam nimirum fortunatam, Elysiis fortasse campis proximam, (nam Hythlodæus nondum situm ejus finibus certis tradidit, ut Morus ipse testatur) multas quidem ipsam in urbes distractam, sed unam in civitatem coëuntes aut conspirantes, nomine Hagnopolin, suis utique ritibus bonisque acquiescentem, innocentia beatam, cœlestem quodammodo vitam agentem, ut infra cœlum, sic supra mundi hujus cogniti colluvionem: quæ in tot mortalium studiis, ut acribus & incitatis, sic inanibus & irritis, turbidè & æstuosè in præcipitium rapitur. Ejus igitur insulæ cognitionem THOMÆ MORO debemus, qui beatæ vitæ exemplar, ac vivendi præscriptũ ætate nostra promulgavit, ab Hythlodæo, ut ipse tradit, inventum, cui omnia fert accepta. Qui ut Utopianis civitatem architectatus sit, ritusque illis & instituta condiderit, id est, beatæ vitæ argumentum nobis inde mutuatus sit, & importarit: MORUS certè insulam & sancta instituta stylo orationeque illustravit, ac civitatem ipsam Hagnopolitanorum ad normam regulamque expolivit, omniaque ea addidit, unde operi magnifico decor venustasque accedit, & autoritas, etiamsi in ea opera navanda sibi tantum partes structoris vendicavit. Videlicet religio fuit majores sibi partes in eo opere sumere, ne Hythlodæus jure queri posset, gloriam sibi à Moro præcerptam, præfloratamque relinqui, si quando suos ipse labores literis mandare constituisset. Εὐλαβουμένου δῆθεν αὐτοῦ, μὴ ὑθλόδαιος αὐτὸς ὁ τῇ οὐδὲ ποτίαγε νήσῳ ἐμφιλοχωρῶν ἐπιφανείς ποτε δυσχεράνῃ καὶ βαρυνθοίη ταύτην ἀγνωμοσύνην αὐτοῦ τοῦ γε ἐγκαταλίποντος αὐτῷ προαπηνθισμένον τὸ ἠλέος τοῦ εὑρήματος τούτου. οὕτω γὰρ πεπεῖσθαι, πρὸς ἀνδρῶν ἐστὶν ἀγαθῶν τε καὶ σοφῶν. MORO autem homini per se gravi, & autoritate magna subnixo, fidem planè ut habeam, efficit Petri Ægidii Antverpiensis testimonium. Quem virum nunquam coram à me cognitum (mitto nunc doctrinæ morumque commendationem) eo nomine amo, quod Erasmi clarissimi viri, ac de literis sacris, profanis, omnique genus meritissimi, amicus est juratissimus, qui cum etiam ipse jamdiu societatem amicorum contraxi, literis ultrò citroque obsignatis. Vale, Lupsete mi dilectissime, & Linacrum Britannici nominis columen (quod quidem ad literas bonas attinet) non magis jam vestrum (ut spero) quàm nostrum, verbis meis saluta, vel coràm, vel epistola internuncia, idque primo quoque tempore. Is enim unus est paucorum, quibus me perlubens approbarim, si possim: cùm & ipse coram hic agens mihi se summè, Johannique Ruellio amico meo, studiorumq; consocio, probaverit, & ejus excellentem doctrinam, exactamque diligentiam in primis suspiciam, æmularique contendam. Velim etiam, ut MORO salutem unam & alteram mandato meo vel mittas, ut dixi, vel dicas: quem virum, in Minervæ sacratius album jamdiu opinione mea sermoneque meo relatum, de Utopia novi orbis insula summè & amo & veneror. Ejus enim historiam ætas nostra, posteræque ætates, habebunt velut elegantium utiliumque institutorum seminarium, unde translatitios mores in suam quisque civitatem importent & accommodent. Vale. Parisiis pridie Calend. August. M D XVII.



JOHANNES PALUDANUS
Cassiletensis.
M. PETRO ÆGIDIO S.D.

Utopiam Mori tui, simulque Epigrammata legi; nec satis scio, majorene cum voluptate, an admiratione. Felicem Britanniam, quæ nunc ejusmodi floreat ingeniis, ut cum ipsa possint antiquitate certare. Nos stupidos ac plus quam plumbeos, si ne tam vicinis quidem exemplis ad eam laudem capessendam expergefieri possumus. Αἰσχρὸς inquit Aristoteles, loquente Isocrate. At nobis turpe sit lucris tantum ac voluptatibus vacare, cum apud ultimos orbis Britannos, favore & benignitate Principum, sic vigeat eruditio. Quanquam hæc laus Græcorum & Italorum pene fuit propria, tamen habet & Hispania Veterum ali-

quot splendida nomina, quibus se jactat: habet Anacharsides suos effera Scythia: habet suum Dania Saxonem: habet suum Gallia Budæum: tot habet Germania celebres viros: tam multos insignesque habet Anglia. Nam quid de cæteris conjectandum est, si tantum præstat Morus, primum juvenis, deinde publicis ac domesticis negotiis adeo distractus, postremo quidvis profitens citius quam literas? Et soli nobis sat beati videmur, si probe prospectum sit cuticulæ & arcæ. Quin ipsi quoque excusso veterno ad hoc pulcherrimum certamen accingimur, in quo nec vinci turpe sit, & vincere pulcherrimum? Provocant huc tot undique exempla, provocat huc optimus Princeps Carolus, penes quem nulli rei amplius est præmium quam eruditæ virtuti. Provocat huc unicus ille rerum omnium bonarum Mœcenas, Joannes Sylvagius, Burgundiæ Cancellarius. Majorem in modum te rogo, doctissime Petre Ægidi, ut, cumprimum licebit, Utopiam evulgandam cures, quod quicquid ad Rempublicam bene instituendam pertinet, in hac, velut in speculo, liceat cernere. Utinam fiat, ut quemadmodum illi nostram religionem accipere cœperunt, ita nos ab illis administrandæ Reipublicæ rationem mutuemur? Id fortasse facile fieret, si Theologorum aliquot insignes & invicti in eam insulam se conferant, Christi fidem jam suppullulantem provecturi; simulque ejus gentis mores & instituta ad nos deportaturi. Multum debet Utopia Hythlodæo, per quem innotuit indigna quæ nesciretur: plus eruditissimo Moro, cujus penicillo nobis tam scite depicta est. Porro quod utrique debetur gratiæ, ejus non minima pars tibi expectanda est, qui & illius sermonem & hujus scriptum in lucem emiseris non mediocri delectamento futurum omnibus, majori fructui, si modo diligenter expenderint singula. Meum animum sic excitavit Utopia, ut jam olim à Musis desuetus denuo Musas lacessiverim: quam feliciter, tu judicabis. Bene vale, Petre Ægidi candidissime, bonorum studiorum & fautor & mysta. Lovanii ex ædibus nostris, Cal. Decembr. MDXVI.

❧ o ❧

EJUSDEM JO. PALUDANI
Rhetoris Lovaniensis
In novam insulam Utopianam
Epigramma.

Fortes Roma dedit, dedit & laudata disertos
Græcia, frugales inclyta Sparta dedit:
Massilia integros dedit, at Germania duros,
Comes ac lepidos Attica terra dedit:
Gallia clara pios, quondam dedit Africa cautos,
Munificos olim terra Britanna dedit:
Virtutum ex aliis aliarum exempla petuntur,
Gentibus, & quod huic desit, huic superat.
Una semel totam summam totius honesti
Insula terrigenis Utopiana dedit.

GERARDI NOVIOMAGI
Epigramma.

Dulcia, Lector, amas? sunt hic dulcissima quæque,
Utile si quæris, nil legis utilius.
Sive utrumque voles, utroque hæc insula abundat,
Quo linguam exornes, quo doceas animum.
Hic fontes aperit, recti pravique disertus,
Morus, Londini gloria prima suæ.

CORN. GRAPHÆUS
ad Lectorem.

Vis nova monstra, novo dudum nunc orbe reperto?
Vivendi varia vis ratione modos?
Vis qui virtutum fontes? vis unde malorum
Principia? & quantum in rebus inane latet?
Hæc lege, quæ vario Morus dedit ille colore,
Morus, Londinæ Nobilitatis honos.

Hexastichon
ANEMOLII POETÆ LAUREATI,
Hythlodæi ex sorore nepotis, in insulam Utopianam.

Utopia priscis dicta, ob infrequentiam,
Nunc civitatis æmula Platonicæ,
Fortasse victrix, (nam quod illa litteris
Delineavit, hoc ego una præstiti
Viris & opibus, optimisque legibus)
Eutopia *merito sum vocanda nomine.*

EJUSDEM
Tetrastichon.

Utopus me dux ex non insula fecit insulam,
Una ego terrarum omnium absque Philosophia,
Civitatem Philosophicam expressi mortalibus.
Libenter impertio mea, non gravatim accipio meliora.



THOMÆ

THOMÆ MORI
POEMATA,
QUIBUS PRÆMISSA SUNT
Quædam Ipſius & Guilielmi Lilii
PROGYMNASMATA.

FRANCOFURTI AD MOENUM,
Ex Officina Chriſtiani Genſchii.

BEATUS RHENANUS BILIBALDO PIRCKHEIMERO, Maximiliani Cæsaris Consiliario, & Senatori Norimbergensi,

S. D.

Belle prorsus convenire mihi visum fuit, clarissime Bilibalde, si THOMÆ MORI illius Britanniæ decoris Epigrammata, quæ nuper Erasmus noster Roterodamus ad me misit, tibi nominatim inscriberem: siquidem multis adeò rebus similes inter vos estis. Uterq; Jurisperitus, uterque cùm Romane, tum Græcè doctus, uterque non in publicis modò suæ civitatis functionibus versans, sed & ob singularem negotiorum explicandorum dexteritatem, & in dandis consiliis prudentiam, suo quisque Principi charissimus: ille potentissimo Britannorum Regi Henrico, tu sacratissimo Cæsari Maximiliano. Nam quid de fortunis attinet commemorare, quas utrique possidetis amplissimas, ut vel hoc quicquid est ornamenti, quod ex divitiis accedere putatur, neutri desit, quin potius edendis virtutum, maximè liberalitatis, exemplis abunde supersit materia. Sed & utrique pater obtigit non minus literis, quam senatoria familia clarus. Itaque cum amicitiæ similitudo sit autor & æqualitas, hanc Mori fœturam tibi nuncupare congruentissimum duxi, ut quem multis alioqui nominibus amore prosequeris, de his etiam Epigrammatis impensius complectaris, ames, magnifacias. Huc adde, quod nemini rectius mitti poterant hi lepidissimi lusus, quam ei, qui in hanc, quod ajunt, arenam aliquando sit descendere solitus. Nam is demum noverit, quàm sit egregia res doctum epigramma, quisquis ipse fuerit suum nonnunquam ingenium in hoc exercitationis genere periclitatus. Sed enim, id quod te non latet, argutiam habeat epigramma cum brevitate conjunctam, sit festivum, & acclamatiunculis, quæ ἐπιφωνήματα Græci vocant, subinde claudatur. Quas sanè dotes omnes cumulatissimè licet in his Moricis epigrammatibus reperire, præsertim in his quæ ipse genuit: nam in cæteris, quæ è Græcis versa sunt, inventionis laus priscis tribuitur. Quanquam hic quoque non minus magni fieri meretur, commodè reddens ex aliena lingua, quàm scribens: labor certe vertentis sæpè major. Siquidem qui scribit, liber est, & inventioni liberè vacat: at qui transfert, ad aliud subinde respicere cogitur, nimirum ad id quod vertendum desumsit: quod quoties fit, multo plus sudat ingenium, quàm cum suum aliquid progignit. Utrobique sanè mirus est THOMAS MORUS: nam elegantissimè componit, & felicissimè vertit. Quàm fluunt suaviter hujus carmina? Quàm est hic nihil coactum? Quàm sunt omnia facilia? Nihil hic durum, nihil scabrum, nihil tenebricosum. Candidus est, argutus, Latinus. Porrò gratissima quadam festivitate sic omnia temperat, ut nihil unquam viderim lepidius. Crediderim ego Musas quicquid usquam est jocorum, leporis, salium, in hunc contulisse. Quàm lusit eleganter ad Sabinum alienos pro suis tollentem liberos. Quàm salse Lalum ridet, qui videri Gallus tam ambitiose cupiebat? Sunt autem hujus sales nequaquam mordaces, sed candidi, melliti, blandi, & quidvis potius quam amarulenti. Jocatur etiam, sed ubique citra dentem: ridet, sed citra contumeliam. Jam inter epigrammatographos Pontanum & Marullum inprimis hodie miratur Italia: at dispeream, si non tantundem in hoc est naturæ, utilitatis verò plus. Nisi si quis inde magnopere se credit juvari, dum suam Neæram celebrat Marullus, & in multis ἀνίτλειαι, Heraclitum quendam agens: aut dum Jovius Pontanus veterum nobis Epigrammatistarum nequitias refert, quibus nihil sit frigidius, & boni viri lectione magis indignum, ne dicam Christiani. Scilicet usque adeò vetustatem istis æmulari cordi fuit: quam ne contaminarent, sic à sacris abstinuerunt, ut à Græcis olim Pomponius Lætus, ne Romanæ linguæ castimoniam violaret, homo superstitiose Romanus. Cæterùm quemadmodum hi lusus Mori ingenium ostendunt & insignem eruditionem, sic judicium nimirum acre, quod de rebus habet, ex UTOPIA cumulatissimè eluxerit. De qua paucis obiter meminero, quòd hanc accuratissimus in literis Budæus, incomparabilis ille melioris eruditionis antistes, & ingens atque adeò unicum Galliarum decus, ita ut decebat, luculenta præfatione laudavit. Habet ea hoc genus decreta, qualia nec apud Platonem, nec apud Aristotelem, aut etiam Justiniani vestri Pandectas sit reperire. Et docet minus forsan philosophicè, quam illi, sed magis Christianè. Quanquam (audi per Musas bellam historiam) cum hic nuper in quodam gravium aliquot Virorum consessu, Utopiæ mentio orta fuisset, & illam ego laudibus veherem, negabat quidam pinguis, plus habendum Moro gratiæ, quàm Actuario cuipiam scribæ, qui in curia aliorum sententias duntaxat enotet, doriphorematis ritu (quod ajunt) interim assidendo, nihil ipse censens: quod diceret ea omnia ex Hythlodæi ore excepta, & à Moro tantum in literas missa. Proinde Morum nullo laudandum alioqui nomine, nisi quòd hæc commodè retulisset. Et non deerant, qui hominis judicio, velut rectissimè sentientis,

albuм

album adjicerent calculum. Ἄρα οὐ σὺ τουτονὶ τὸν Μώρου χαριεντισμὸν δέχῃ, τοιούτους ἄνδρας οὐ τοὺς τυχόντας, ἀλλὰ τοὺς δοκίμους παρὰ τοῖς πολλοῖς, καὶ ταῦτα θεολόγους, πλανήσαντος. *Postremo si hoc quoque scire cupis: Guilielmus Lilius, Mori sodalis, cum quo vertendis Græcis epigrammatibus jam olim collusit, quæ Progymnasmatum titulo sunt inscripta, Britannus est, vir omnifariam doctus, non modò Græcos autores, sed & ejus nationis mores vernaculos domesticè notos habens, ut qui in insula Rhodo fuerit aliquot annos commoratus: is nunc ludum literarium, quem Londini Coletus instituit, magna cum laude exercet. Quod superest, cum tibi per occupationes licebit, quibus in obeundis legationibus administrandaque Republica, laboriosissimè distraheris, hoc libelli in manum cape; lege, & Moro, cujus os, ut puto, nondum vidisti, sed ex scriptis jampridem cognitum habes, fave. Bene vale clarissime vir. Basileæ, VII. Cal. Martias. M.D.XVIII.*

PROGYMNASMATA

THOMÆ MORI
& GUILIELMI LILII, Sodalium.

ΛΟΥΚΙΛΛΙΟΥ.

Μῦν ἀσκληπιάδης ὁ φιλάργυρος εἶδεν ἐν οἴκῳ,
Καὶ τί ποιεῖς, φησιν, φίλτατε μῦ παρ᾽ ἐμοί;
Ηδὺ δὲ μῦς γελάσας, μηδὲν φίλε, φησὶ, φοβηθῇς,
Οὐχὶ τροφῆς παρὰ σοὶ χρήζομεν, ἀλλὰ μονῆς.

T. MORI IN AVARUM.

Murem Asclepiades ut apud se vidit avarus,
Mus quid in æde facis, dixit, amice mea?
Mus blandè arridens, tolle, inquit, amice timorem:
Hic ego non victum quæro, sed hospitium.

G. LILII.

Murem Asclepiades in tecto vidit avarus,
Et quid apud me ô mus, inquit, amice facis?
Mus ridens, inquit, nihil ô verearis amice:
Non abs te victum, sed mihi quæro domum.

ΠΑΛΛΑΔΑ.

Πλοῦτον μὲν πλουτοῦντος ἔχεις, ψυχὴν δὲ πένητος,
Ω τοῖς κληρονόμοις πλούσιε, σοὶ δὲ πένης.

G. LILII IN AVARUM.

Divitias locupletis habes, animam sed egeni:
Hæredi ô dives, sed tibi solus egens.

T. MORI.

Divitias locupletis habes, inopis tibi mens est,
O miser hæredi dives, inopsque tibi.

ΛΟΥΚΙΑΝΟΥ.

Αγρὸς ἀχαιμενίδου γενόμην ποτὲ, νῦν δὲ μενίππου,
Καὶ πάλιν ἐξ ἑτέρου βήσομαι εἰς ἕτερον.
Καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔχειν μέ ποτ᾽ ᾤετο καὶ πάλιν οὗτος
Οἴεται εἰμὶ δ᾽ ὅλως οὐδενὸς, ἀλλὰ τύχης.

G. LILII DE POSSESSIONIBUS incertis.

Nuper Achæmenidæ, sed nunc sumus arva Menippi,
Et nunc hunc rursus, nunc alium petimus.
Ille etenim nuper, nunc & nos alter habere
Se putat: at nobis nil nisi casus inest.

T. MORI.

Nuper Achæmenidæ fueram, nunc ecce Menippi:
Atque alium rursus deveniam ex alio.
Me proprium nunc iste putat, proprium ille putabat:
Ast ego nullius sum, nisi sortis ager.

ΑΔΗΛΟΝ.

Σώματα πολλὰ τρέφειν, καὶ δώματα πολλ᾽ ἀνεγείρειν,
Ατραπὸς εἰς πενίην ἐστὶν ἑτοιμοτάτη.

T. MORI DE LUXU IMMODICO.

Multas ædificare domos, & pascere multos,
Est ad pauperiem semita recta quidem.

G. LILII.

Corpora multa alere, & complures ponere sedes,
Ipsa est ad summam semita pauperiem.

ΛΟΥΚΙΑΝΟΥ.

Ὡς τεθνηξόμενος τῶν σῶν ἀγαθῶν ἀπόλαυε,
Ὡς δὲ βιωσόμενος, φείδεο σῶν κτεάνων.
Ἐστὶ δ᾽ ἀνὴρ σοφὸς οὗτος, ὃς ἄμφω ταῦτα νοήσας,
Φειδοῖ, καὶ δαπανῇ μέτρον ἐφηρμόσατο.

G. LILII DE MODERATO SUMTU.

Divitiis utare tuis, tanquam moriturus:
Tanquam victurus, parcito divitiis.
Vir sapiens est ille quidem, qui hæc ambo volutans
Parcit, quique modum sumtibus applicuit.

T. MORI.

Tanquam jam moriturus partis utere rebus:
Tanquam victurus denuò parce tuis.
Ille sapit, qui perpensis his ritè duobus,
Parcus erit certo munificusque modo.

ΑΔΗΛΟΝ.

Ἐλπὶς καὶ σὺ τύχη, μέγα χαίρετε, τὸν λιμέν᾽ εὗρον
Οὐδὲν ἐμοὶ χ᾽ ὑμῖν, παίζετε τοὺς μετ᾽ ἐμέ.

T. MORI DE CONTEMTU fortunæ.

Jam portum inveni, Spes & Fortuna valete:
Nil mihi vobiscum est, ludite nunc alios.

G. LILII.

Inveni portum, Spes & Fortuna valete:
Nil mihi vobiscum, ludite nunc alios.

ΠΑΛΛΑΔΑ.

Γῆς ἐπέβην γυμνὸς, γυμνός θ᾽ ὑπὸ γαῖαν ἄπειμι,
Καὶ τί μάτην μοχθῶ, γυμνὸν ὁρῶν τὸ τέλος.

G. LILII DE MORTE.

Ingredior nudus terram, egredior quoque nudus,
Quid frustra studeo, funera nuda videns?

T. MORI.

Nudus ut in terram veni, sic nudus abibo:
Quid frustra sudo, funera nuda videns?

ΑΔΗΛΟΝ.

Οἶνος, καὶ τὰ λοετρὰ, καὶ ἡ περὶ κύπριν ἐρωὴ,
Ὀξυτέρην πέμπει τὴν ὁδὸν εἰς ἀΐδην.

T. MORI DE LUXU ET libidine.

Si quis ad infernos properet descendere manes,
Huc iter accelerant, balnea, vina, Venus.

G. LILII.

Nos caligantis rapiunt ad tecta tyranni,
Præcipiti cursu, balnea, vina, Venus.

ΠΑΛΛΑΔΑ.

Οὐχ' οὕτω βλάπτει μισεῖν ὁ λέγων ἀναφανδὸν,
Ὥσπερ ὁ τὴν καθαρὰν ψευδόμενος φιλίαν.
Τὸν μὲν γὰρ μισοῦντα προειδότες, ἐκτρεπόμεθα,
Τόνδε λέγοντα φιλεῖν, οὐ προφυλασσόμεθα.
Ἐχθρὸν ἐγὼ κεῖνον κείνω βαρὺν, ὅς ποτε λάθρη
Τὴν ἀπὸ τῆς φιλίης πίστιν ἔχων, ἀδικεῖ.

T. MORI DE FICTO
amico.

Non æquè nocet hic, qui sese odisse fatetur,
Atque hic qui puram fingit amicitiam.
Osorem monitus fugio: fugisse sed illum
Quomodo qui se me fingit amare, queo?
Pessimus hic certe est inimicus, quisquis amicus
Creditus, occulta subdolus arte nocet.

G. LILII.

Non is tam lædit, liquidè qui dixerit: odi,
Quàm qui sinceram fingit amicitiam.
Vitabis certè quem noveris esse nocentem:
Ast illum nunquam qui tibi dixit: amo.
Ille mihi gravis est hostis, qui clam nocuisse
Gaudet, quique fidem fert in amicitia.

ΕΙΣ ΛΑΚΑΙΝΑΝ, ΑΔΗΛΟΝ.

Γυμνὸν ἰδοῦσα λάκαινα παλίντροπον ἐκ πολέμοιο
Παῖδ' ἐὸν εἰς πάτραν ὠκὺν ἱέντα πόδα,
Αντίη αἴξασα, δι' ἥπατος ἤλασε λόγχην,
Ἄῤῥενα ῥηξαμένη φθόγγον ἐπὶ κταμενῷ.
Ἀλλότριον σπάρτας εἶπεν γένος, ἔῤῥε ποθ' ᾅδαν,
Ἔῤῥ' ἐπεὶ ἐψεύσω πατρίδα, καὶ γενέτας.

T. MORI DE MILITE
Spartano.

In patriam amissis celeri pede dum redit armis,
Conspiciens gnatum sæva Lacæna suum,
Obvia sublata corpus transverberat hasta,
Hæc super occisum mascula verba loquens:
Degener ô Spartes genus, ito in tartara tandem,
Ito, degeneras & patria & genere.

G. LILII.

Quum nudum è bello gnatum remeare Lacæna
Vidit, & in patrios accelerare lares.
Insultans contrà, pectus trajecerat hasta,
Horrida in extinctum voce virago furens:
Spartanam quando es patriam mentitus, avosque,
Ad manes tandem degener, inquit, abi.

ΑΓΑΘΙΟΥ.

Χωλὸν ἔχεις τὸν νοῦν ὡς τὸν πόδα, καὶ γὰρ ἀληθῶς
Εἰκόνα τῶν ἐντὸς σὴ φύσις ἐκτὸς ἔχει.

T. MORI IN CLAUDUM ET
stupidùm.

Clauda tibi mens est, ut pes: natura notasque
Exterior certas interioris habet.

G. LILII.

Tardus es ingenio, ut pedibus: natura etenim dat
Exterius specimen, quod latet interius.

ΑΔΗΛΟΝ.

Εἰ μὲν ἦν μαθεῖν ἃ δεῖ παθεῖν,
Καὶ μὴ παθεῖν, καλὸν ἦν τὸ μαθεῖν.
Εἰ δὲ δεῖ παθεῖν ἃ δεῖ μαθεῖν,
Τί δεῖ μαθεῖν; παθεῖν γὰρ χρή.

T. MORI, THEOPHRASTI
apud Aulum Gellium
dilemma.

Si vitare queas, quæ sunt patienda, sciendo:
Scire quidem pulchrum, quæ paterere, foret.
Sin quæ præscieris vitandi est nulla potestas,
Quid præscire juvat, quæ patiere tamen?

G. LILII.

Si posset casus quisquam præscire futuros:
Et vitare simul, scire suave foret.
Sin patienda tibi prorsus quæ scire requiris,
Quid præscisse juvat? namque necesse pati.

T. MORI, CARMINE JAMBICO
Trimetro.

Præscire si queas quæ oporteat pati,
Queasque non pati, bonum est ut præscias:
At si te oporteat, licet scias, pati,
Præscire quid juvat? necesse enim est pati.

ΠΑΛΛΑΔΑ

Δὶς δύ' ἀδελφοὺς ὅδ' ἐπέχει τάφος ἓν γὰρ ἐπέσχον
Ἦμαρ καὶ γενεῆς οἱ δύο, καὶ θανάτου.

T. MORI, IN DUOS FRATRES,
uno & natos & mortuos die.

Quattuor hic tumulus fratres complectitur: ex his
Lux simul una duos & parit, & perimit.

G. LILII.

Quattuor hic tumulus fratres habet: una duobus
Lux & natalis, mortis & una fuit.

ΑΔΕΣΠΟΤΟΝ.

Ζεὺς, κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς δι' ἔρωτα
Λήδης, εὐρώπης, ἀντιόπης, δανάης.

T. MORI, DE JOVE MUTATO.

Taurus, Olor, Satyrusque ob amorem, & Juppiter aurum est,
Europes, Ledes, Antiopes, Danaes.

G. LILII.

Taurus, Olor, Satyrus, per amorem Juppiter aurum,
Europæ, Ledes, Antiopæ, Danaes.

ΑΔΗΛΟΝ.

Ἐννέα τὰς μούσας φασίν τινες ὡς ὀλιγώρως
Ηνὶ δὲ καὶ σαπφὼ λεσβόθεν ἡ δεκάτη.

T. MORI, IN SAPPHO.

Musas esse novem referunt, sed prorsus aberrant:
Lesbica jam Sappho Pieris est decima.

G. LILII.

Quàm temerè dixere novem quidam esse sorores
Musarum: en Sappho Lesbis adest decima.

ΑΓΑΘΙΟΥ ΣΧΟΛΑΣΤΙΚΟΥ.

Ἢ σάτυρος τὸν χαλκὸν ὑπέδραμεν, ἢ διὰ τέχνης
Χαλκὸς ἀναγκασθεὶς, ἀμφεχύθη σατύρῳ.

G. LILII, IN ÆREAM SATYRI
statuam.

Aut Satyrus fusus circum æs, aut arte coactum
Illud idem circum fusum erat æs Satyro.

T. MORI.

Prorsum admiranda dum circumflectitur arte,
Aut Satyrum hoc tegit æs, aut Satyro æs tegitur.

EJUSDEM.

Aut isti Satyrus jam circumflectitur æri,
Aut isto Satyrus jam circumflectitur ære.

ΕΙΣ ΑΓΑΛΜΑ ΝΙΟΒΗΣ.

Ἐκ ζωῆς μὲ θεοὶ τεῦξαν λίθον, ἐκ δὲ λίθοιο
Ζωὴν πραξιτέλης ἔμπαλιν εἰργάσατο.

G. LILII, IN STATUAAM
Niobes.

Ex vita saxum Diî me fecere: sed ipse
Ex saxo vitam denuò Praxiteles.

T. MORI.

Diî ex viva lapidem fecere: at quum lapis essem,
Me vivam fecit denuò Praxiteles.

ΣΙΜΩ-

ΣΙΜΩΝΙΔΟΥ.

Δῆμος ἀθηναίων σὲ νεοπτόλεμ' εἰκόνι τῇδε
Τίμησ' εὐνοίης, εὐσεβίης θ' ἕνεκα.


T. MORI, IN STATUAM Neoptolemi.

Cecropis urbs te tota Neoptoleme hac statua ornat,
Ut faciat, faciunt hinc amor, hinc pietas.

G. LILII.

Hoc te donarat propter pietatem & amorem
Signo Cecropidûm turba, Neoptoleme.

PROGYMNASMATUM THOMÆ MORI, & GUILIELMI LILII, Sodalium.



THOMÆ MORI IN *Inaugurationem Regis & Reginæ* CARMEN GRATULATORIUM,

HENRICO VIII. Angliæ Regi *THOMAS MORUS, S.*

VEreor, Illustrissime Princeps, dum more Virginum, quæ satis formæ suæ non fidunt, picturæ lenocinio gratiam illepidis versiculis comparare studeo, ne eos qua maximè dote placere potuissent, id est, ipsius rei novitate, fraudarim. Nam quum illicò in præsentem coronationem tuam conscriptos eos pictori exornandos dedissem, effecit certè podagra, qua protinus quàm opus inchoavit, incommodissimè tentatus est, ut eos nunc tandem, serius aliquanto quam res postulare videbatur, exhibeam. Itaque si tecum pro insita humanitate tua liberius agi finis, haud scio, majoremne gratiam versiculis nostris pictoris manus adjecerint, an pedes ademerint. Quippe quibus effectum est, ut mihi verendum sit, ne non minus sera, ac proinde intempestiva, videri tibi possit hæc nostra gratulatio, quàm olim Tiberio Principi visa est Iliensium illa consolatio, qua eum de morte filii, jamdiu defuncti, consolabantur, quam ille faceta dicacitate delusit, respondens, se eorum quoque vicem dolere, quòd bonum militem amisissent Hectorem. Verùm eorum officium, ad luctum non senescentem modò, sed planè præmortuum, non potuit esse non ridiculum: meum verò ab hoc vitio vendicat immensa illa de celebri coronatione tua lætitia: quæ quum pectoribus omnium tam efficacem sui vim ac præsentiam impresserit, ut senescere vel integra ætate non possit, effecit nimirum, ut hoc meum officium non serò re peracta atque evanida, sed præsens in rem præsentem pervenisse videatur. Vale Princeps illustrissime, & (qui novus ac rarus Regum titulus est) amatissime.

IN SUSCEPTI DIADEMATIS DIEM HENRICI VIII.

Illustrissimi ac Faustissimi Britanniarum Regis, ac CATHARINÆ Reginæ ejus felicissimæ, THOMÆ MORI, Londoniensis, carmen gratulatorium.

SI qua dies unquam, si quod fuit, Anglia, tempus,
Gratia quo superis esset agenda tibi:
Hæc est illa dies niveo signanda lapillo,
Læta dies fastis annumeranda tuis.
Meta hæc servitii est, hæc libertatis origo,
Tristitiæ finis, lætitiæque caput.
Nam juvenem secli decus ô memorabile nostri
Ungit, & in Regem præficit ista tuum.
Regem qui populi non unius usque, sed orbis
Imperio dignus totius unus erat.
Regem qui cunctis lacrymas detergat ocellis,
Gaudia pro longo substituat gemitu.
Omnia discussis arrident pectora curis,
Ut solet excussa nube nitere dies.
Jam populus vultu liber præcurrit amœno,
Jam vix lætitiam concipit ipse suam.
Gaudet, ovat, gestit, tali sibi Rege triumphat,
Nec quicquam nisi Rex quolibet ore sonat.
Nobilitas, vulgi jamdudum obnoxia feci,
Nobilitas, nimium nomen inane diu,
Nunc caput attollit, nunc tali Rege triumphat,
Et meritò: causas unde triumphet, habet.
Mercator variis deterritus antè tributis,
Nunc maris insuetas puppe resulcat aquas.
Leges invalidæ prius, imò nocere coactæ,
Nunc vires gaudent obtinuisse suas.
Congaudent omnes pariter, pariterque rependunt
Omnes venturo damna priora bono.

Jam quas abdiderat cæcis timor antè latebris,
Promere quisque suas gaudet & audet opes.
Jam juvat ô, potuit tot furum si qua tot uncas
Tam circumspectas fallere præda manus.
Non jam divitias ullum est (magnum esse solebat)
Quæsitas nullo crimen habere dolo.
Non metus occultos insibilat aure susurros:
Nemo quod taceat, quodve susurret, habet.
Jam delatores volupe est contemnere, nemo
Deferri, nisi qui detulit antè, timet.
Conveniunt igitur simul ætas, sexus, & ordo,
Causaque non ullum continet ulla domi,
Quo minus intersint, dum sacris ritè peractis,
Rex init auspiciis regna Britanna bonis.
Quacunque ingreditur, studio conferta videndi
Vix sinit angustam turba patere viam.
Opplenturque domus, & pondere tecta laborant,
Tollitur affectu clamor ubique novo.
Nec semel est vidisse satis, loca plurima mutant,
Si qua rursus eum parte videre queant.
Ter spectare juvat. Quidni hunc spectare juvaret,
Quo natura nihil finxit amabilius?
Mille inter comites excelsior omnibus extat,
Et dignum augusto corpore robur habet.
Nec minus ille manu est agilis, quàm pectore fortis:
Seu res districto debeat ense geri,
Seu quum protentis avidè concurritur hastis,
Seu petat oppositum missa sagitta locum.
Ignea vis oculis, Venus insidet ore, genisque
Est color in geminis qui solet esse rosis.
Illa quidem facies alacri veneranda vigore
Esse potest teneræ virginis, esse viri.
Talis erat, Nympham quum se simulavit Achilles:
Talis, ubi Æmoniis Hectora traxit equis.
O si animi præstans unà cum corpore virtus
Cerni, natura non prohibente, queat.
Imò etiam vultu virtus pellucet ab ipso:
Est facies animi nuntia aperta boni.
Quàm matura gravi sedeat prudentia mente,
Quàm non sollicití pectoris alta quies,
Quoque modo sortem ferat & moderetur utramque,
Quanta verecundæ cura pudicitiæ,
Quàm tranquilla fovet placidum clementia pectus,
Quàm procul ex illo fastus abest animo:
Principis egregius nostri (quas fingere non est)
Præ se fert certas vultus & ipse notas.
At quæ justitia est, regnandi quas habet artes,
Prosequitur populum qua pietate suum:
Hæc facilè ex vultu fiunt illustria nostro,
Hæc sunt ex nostris conspicienda bonis.
Quòd sic afficimur, quod libertate potimur,
Quodque abiere timor, damna, pericla, dolor:
Quòd rediere simul, pax, commoda, gaudia, risus,
Eximii virtus Principis inde patet.
Enervare bonas immensa licentia mentes,
Idque etiam in magnis assolet ingeniis.
At quamvis erat antè pius, mores tamen illi
Imperium dignos attulit imperio.
Nam bona quæ pauci sera fecere senecta,
Protinus in primo præstitit ille die.
Illicò correptos inclusit carcere, quisquis
Consilio regnum læserat antè malo.
Qui delator erat, vinclis constringitur arctis,
Ut mala quæ multis fecerat, ipse ferat.
Ad mercaturas aperit mare: si quod ab illis
Durius exactum est ante, remisit onus.
Despectusque diu Magnatum nobilis ordo,
Obtinuit primo pristina jura die.
Ille Magistratus & munera publica, vendi
Quæ suevere malis, donat habenda bonis.
Et versis rerum vicibus feliciter, antè
Quæ tulit indoctus præmia, doctus habet.
Legibus antiquam (nam versæ evertere regnum
Debuerant) subitò vimque decusque dedit.
Omnis cumque prius prorsus desc isceret ordo,
Protinus est omnis redditus ordo sibi.
Quid quòd in his etiam voluit rescindere quædam,
Ut populo possit commodus esse suo:
Quæ tamen ante suo novit placuisse parenti,
Sic patriam, ut decuit, prætulit ille patri.
Nec miror: quid enim non Principe fiat ab illo,
Cui cultum ingenuis artibus ingenium est?
Castalio quem fonte novem lavere sorores,
Imbuit & monitis Philosophia suis.
Nominibus populus multis obnoxius omnis
Regi erat: hoc unum pertimuitque malum.
At Rex hinc metui quum posset, posset & inde
Congerere immensas, si voluisset, opes:
Omnibus ignovit, securos reddidit omnes,
Sollicitique malum sustulit omne metus.
Ergo alios populi Reges timuere: sed istum,
Per quem nunc nihil est quod timeatur, amant.
Hostibus ô Princeps multum metuende superbis:
O populo Princeps non metuende tuo.
Illi te metuunt: nos veneramur, amamus,
Illis noster erit, cur metuaris, amor.
Sic te securum, demptoque satellite tutum,
Undique præstabunt, hinc amor, inde timor.
Extera bella quidem, coëat si Gallia Scotis,
Sit tantum concors Anglia, nemo timet.
At procul intestina aberunt certamina: nam quæ
Semina, quas causas, unde oriantur, habent?
Primùm equidem de jure tuæ tituloque coronæ
Quæstio jam non est ulla, nec esse potest.
Quæ certare solet jam tu pars utraque solus;
Nobilis hanc litem solvit uterque parens.
Ast magis abs te etiam est populi procul ira, tumultus
Impia civilis quæ solet esse caput.
Civibus ipse tuis tam charus es omnibus unus,
Ut nemo possit charior esse sibi.
Quòd si forte duces committeret ira potentes,
Solvetur nutu protinus illa tuo.
Tanta tibi est majestatis reverentia sacræ,
Virtutes meritò quam peperere tuæ.
Quæ tibi sunt, fuerant patrum quæcunque tuorum,
Sæcula prisca quibus nil habuere prius.
Est tibi namque tui Princeps prudentia patris,
Estque tibi matris dextra benigna tuæ.
Est tibi mens aviæ, mens relligiosa paterna,
Est tibi materni nobile pectus avi.
Quid mirum ergo, novo si gaudeat Anglia more,
Cùm qualis nunquam rexerat antè, regat?
Quid quod lætitia hæc quæ visa est non potuisse
Crescere, conjugio crevit adaucta tuo?
Conjugio, superi quod decrevere benigni,
Quo tibi, quoque tuis consuluere bene.
Illa tibi conjunx, lætus communia tecum
Quam vidit populus sceptra tenere tuus:

Cujus

Cujus habent tantam cælestia numina curam,
Ut thalamis ornent nobilitentque tuis.
Illa est, quæ priscas vincat pietate Sabinas,
Majestate sacras vicerit heroidas.
Illa vel Acestes castos æquarit amores,
Vel prompto superet consilio Tanaquil.
Illo ore, hoc vultu, forma est spectabilis illa,
Quæ talem ac tantam sola decere potest.
Eloquio fœcunda cui Cornelia cedat,
Inque maritali Penelopeja fide.
Illa tibi Princeps multos devota per annos,
Sola tui longa mansit amore mora.
Non illam germana soror, nec patria flexit,
Non potuit mater, non revocare pater.
Unum te matri, te prætulit illa sorori:
Te patriæ, & charo prætulit illa patri.
Illa tibi felix populos hinc inde potentes
Non dissolvenda junxit amicitia.
Regibus orta quidem magnis, nihiloque minorum est
Regum, quàm quibus est orta, futura parens.
Hactenus una tui navem tenet ancora regni,
Una: sat illa quidem firma, sed una tamen.
At Regina tibi sexu fœcunda virili
Undique firmatam perpetuamque dabit.
Proveniunt illi magna ex te commoda, rursus
Ex illa veniunt commoda magna tibi.
Non alia ulla fuit certè te digna marito:
Illa non alius conjuge dignus erat.
Anglia thura feras, sacrumque potentius omni
Thure, bonas mentes innocuasque manus.
Connubium ut superi hoc, sicuti fecere, secundent,
Ut data cælesti sceptra regantur ope.
Utque ipsis gestata diu hæc diademata, tandem
Et natus nati gestet, & inde nepos.

EJUSDEM, IN SUBITUM IMBREM, qui in pompa Regis ac Reginæ largè obortus, nec Solem abstulit, nec duravit.

Dum peterent sacras Rex & Regina coronas,
Pompa qua nunquam pulchrior ulla fuit:
Aureus explicuit latè se Phœbus, eratque
Læta dies populi consona pectoribus.
Ast ubi jam mediam celebris pervenit in urbem,
Tota statim æthereis pompa rigatur aquis.
Nulla tamen Phœbi subduxit lumina nubes,
Et minima nimbus perstitit ille mora.
Res bene contra æstus cecidit, rem sive quis ipsam
Spectet, sive omnem, non potuit melius.
Principibus nostris uberrima tempora spondent,
Et Phœbus radiis, & Jovis uxor aquis.

EJUSDEM, AD REGEM.

Cuncta Plato cecinit tempus quæ proferat ullum,
Sæpe fuisse olim, sæpe aliquando fore.
Ver fugit ut celeri, celerique revertitur anno,
Bruma pari ut spacio quæ fuit ante, redit:
Sic inquit rapidi, post longa volumina cæli
Cuncta per innumeras sunt reditura vices.
Aurea prima sata est ætas, argentea post hanc,
Ærea post illam, ferrea nuper erat.
Aurea te Princeps redierunt Principe secla,
O possit Vates hactenus esse Plato.

EJUSDEM AD REGEM, DE SPECTACULIS equestribus per eum editis, epodon Jambicum.

Quæcunque Reges ediderunt hactenus
Equestrium spectacula,
Lugubris illa semper aliqua reddidit
Vel calamitas insignia:
Vel casus aliquis prospero parum Jove,
Admixtus inter ludicra:
Aut tabido transverberati militis
Madens harena sanguine:
Aut lanceis icta, ungulisve sonipedum
Obtrita plebs ferocium:
Turbamve comprimens simul miserrimam
Lapsæ ruina machinæ.
Verum tua hæc spectacula ô Rex omnium
Quæ vidimus pulcherrima,
Non ulla clades, sed tua digna indole
Insignit innocentia.

EJUSDEM, DE UTRAQUE rosa in unum coalita.

Purpureæ vicina fuit rosa candida, utramque
Utraque dum certant, sit prior utra, premit.
Utraque sed florem rosa jam coalescit in unum,
Quoque potest uno lis cadit illa modo.
Nunc rosa consurgit, nunc pullulat una: sed omnes
Una habet hæc dotes, quas habuere duæ.
Scilicet huic uni species, decor, atque venustas,
Et color, & virtus, est utriusque rosæ.
Alterutram ergo rosam vel solam quisquis amavit,
Hanc in qua nunc est, quicquid amavit amet.
At qui tam ferus est, ut non amet, ille timebit,
Nempe etiam spinas flos habet iste suas.

IN RHETOREM INDOCTUM. è Græco.

Quinque solœcismis donavi rhetora Flaccum,
Quinque statim decies reddidit ille mihi.
Nunc numero hos, inquit, paucos contentus habeto,
Mensura accipies quando redibo Cypro.

IN SUSPICIONEM. è Græco.

Magnam habet in rebus vim ac pondus opinio. Non vis
Lædere, velle tamen si videare, peris.
Sic & Philoleon quondam occidêre Crotonæ,
Quem falso credunt velle tyrannum agere.

IN RHETOREM INFANTEM scitè pictum. è Græco.

Ipse tacet Sextus, Sexti meditatur imago.
Ipsa est rhetor imago, ab imagine rhetor imago est.

IN CÆCUM ET CLAUDUM, mendicos.

Claudipedem gestat cæcis vicinus ocellis,
Conducitque oculos arte, locatque pedes.

ALITER.

Cæcus claudipedem gestat, prudenter uterque
Rem gerit: atque oculos hic locat, ille pedes.

ALITER.

Cæcus fert claudum, atque opera conducit eadem:
Istius ille oculos, illius iste pedes.

ALITER.

Claudum cæcus onus grave, sed tamen utile vectat:
Prospicit atque oculis, huic regit ille pedes.

IDEM, FUSIUS.

Tristis erat nimium miseris fortuna duobus,
Huîc oculos, illi dempsit iniqua pedes.
Sors illos coplat similis, claudum vehit alter:
Sic sua communi damna levant opera.
Hic pedibus quovis alienis ambulat, itur
Huîc recta alterius semita luminibus.

IDEM, ALITER.

Utilius nihil esse potest, quàm fidus amicus,
Qui tua damna suo leniat officio.
Fœdera contraxere simul mendicus uterque
Cum claudo solida cæcus amicitiæ.
Claudo cæcus ait, collo gestabere nostro:
Rettulit hic, oculis cæce regêre meis.
Alta superborum fugitat penetralia regum,
Inque casa concors paupere regnat amor.

ALITER.

Cum claudo cæcus sic lege paciscitur æqua, ut
Hic ferat illum humeris, hunc regat ille oculis.

PINUS NAUTICA LOQUITUR, vento subversa.
è Græco.

Pinus ego ventis facile superabilis arbor,
Stulte quid undivagam me facis ergo ratem?
An non augurium metuis? quum persequitur me
In terra, Boream quî fugiam in pelago?

IDEM, ALITER.

Ventis pinus humo sternor, quid mittor in undas?
Jam nunc passa prius quàm nato naufragium.

IN NAVIM EXUSTAM.

Jam ratis æquoreas oneraria fugerat undas,
Matris at in terræ deperiit finibus.
Corripitur flammis, atque ardens auxiliares
Quas maris hostiles fugerat, optat aquas.

CUNICULA LOQUITUR, QUÆ elapsa mustelæ incidit in disposita venatorum retia.

Mustelam obliquo dilapsa foramine fugi,
Sed feror humanos heu misera in laqueos.
Hic ego non vitam celerem, non impetro mortem,
Servor ut heu rabidis objiciar canibus.
Qui mea dum laniant scelerato viscera morsu,
Spectat, & effuso sanguine ridet homo.
O durum genus, atque fera truculentius omni,
Nex cui crudelem præbet acerba jocum.

INNOCENTIAM OBNOXIAM esse injuriæ. è Græco.

Ausus erit mordere malum vel mus, vetus hoc est
Verbum, sed longè res habet ipsa secus.
Innocuos audet vel mus mordere, nocentem
Tangere non audet territus ipse draco.

IN EFFLATUM VENTRIS.
è Græco.

Te crepitus perdit, nimium si ventre retentes:
Te properè emissus servat item crepitus.
Si crepitus servare potest & perdere, nunquid
Terrificis crepitus regibus æqua potest?

DE MORTIS ÆQUALITATE.
è Græco.

Victor ad Herculeas penetres licet usque columnas,
Te terræ cum aliis pars manet æqua tamen.
Iro par moriere, obolo non ditior uno:
Et tua te (sed non jam tua) solvet humus.

IN SORDIDUM.
è Græco.

Te ditem appellant omnes, ego planè inopem te.
Nam facit usus opes, testis Apollophanes.
Si tu utare tuis, tua fiunt: sin tua serves
Hæredi, tua jam nunc aliena facis.

VENATUS ARANEÆ.

Insidiata vagam comprendit aranea muscam,
Et lentis trepidam cassibus implicuit:
Jamque hiat in morsum. Sed sæpe os inter & offam,
Ut verbum vetus est, multa venire solent.
Sors muscæ miseretur, & adversatur arachnæ,
Inque malam è misera transtulit exitium.
En stimulante fame properans invadis utramque
Sturne; ruunt casses: hæc fugit, illa perit.
Sic misero spes est plerumque secure sub ipsa,
Inter & armatos mille malo metus est.

IN CYNICUM STULTE ABSTInentem. è Græco.

Barbati Cynici, baculoque vagantis egeni,
In cœna magnam conspicimus sophiam.
Scilicet hic raphanis Cynicus primùm atque lupino,
Ne virtus ventri serviat, abstinuit.
At niveum postquam bulbum conspexit ocellis,
Jam rigidum & sapiens excutit ingenium:
Flagitat, atque avidè spem præter devorat omnem,
Virtuti bulbus nil, ait, officiet.

EPITAPHIUM MEDICI.
è Græco.

Thessalus Hippocrates, Cous genere, hac jacet urna,
Phœbi immortalis semine progenitus.
Crebra tropæa tulit morborum armis medicinæ,
Laus cui magna: nec id forte, sed arte fuit.

IN SERVUM MORTUUM.
è Græco.

Hic servus dum vixit, erat, nunc mortuus idem,
Non quàm tu, Dari magne, minora potest.

IN ANCILLAM MORTUAM.

Antè fuit solo Sosime corpore serva,
Nunc fato pars est hæc quoque missa manu.

IN PISCATOREM ADAMATUM.
è Græco.

Pisces dum captat piscator, divitis illum
Nata videt, visi flagrat amore viri:
Deînde viro nubit. Sic illi ex paupere vita,
Magna superbarum copia venit opum.
Muneris hoc nostri est, Venus inquit: verba retorquens
Fortuna, hæc nostri est muneris, inquit hera.

IN REPENTE FELICEM E MISERO.
è Græco.

Non tibi quòd faveat, sic te fortuna levavit:
Vel de te liqueat, vult, sibi quid liceat.

IN MEDIOCRITATEM.
è Græco.

Invidiâ est pejor miseratio, Pindarus inquit,
Felici invidiam splendida vita facit.
At nimium miseros miseramur: dent superi ut sim
Nec nimium felix, nec miserandus ego.
Scilicet extremis longè mediocria præstant:
Infima calcantur, summa repentè ruunt.

NIHIL

NIHIL PRODESSE TORQUERI metu mali venturi.

è Græco.

Cur patimur stulti? namque hæc vecordia nostra,
Urat ut indomitus pectora nostra metus.
Seu mala non venient, jam nos metus urit inanis:
Sin venient, aliud fit metus ipse malum.

MONOSTICHUM IN LAUDEM POEmatis Homerici. è Græco.

Ipse quidem cecini, scripsit divinus Homerus.

IN RIDICULUM JUDICIUM.

è Græco.

Lis agitur, surdusque reus, surdus fuit actor:
Ipse tamen judex surdus utroque magis.
Pro ædibus hic petit æs, quinto jam mense peracto.
Ille refert, tota nocte mihi acta mola est.
Aspicit hos judex: Et quid contenditis, inquit,
An non utrique est mater? utrique alite.

AD LUCERNAM NOCTURNAM.

Lychne reversuram ter te juravit amica,
Nec redit, ô pœnas det tibi, si Deus es.
Ludenti cum nocte places, extinguere; & aufer
Tam sacra tam sacris lumina luminibus.

LAIS ANUS AD SPECULUM.

è Græco.

Nequiter arrisi tibi, quæ modò gratia? amantum
Turbam in vestibulis Lais habens juvenum,
Hoc Veneri speculum dico. Nam me cernere talem
Qualis sum nolo, qualis eram nequeo.

IN MORTIS DIEM OMNIBUS incertum.

Non ego quos rapuit mors, defleo, defleo vivos,
Quos urunt longo fata futura metu.

ALIUD.

Fleres, si scires unum tua tempora mensem;
Rides, quum non sit forsitan una dies.

IN APUM INDUSTRIAM.

è Græco.

Mellis apes fluvios ipsæ sibi in æthere fingunt,
Ipsæ quos habitant ædificant thalamos.
Grata apis humanæ frugesque facillima vitæ est,
Non bovis, aut curvæ falcis egebit ope.
Tantum opus hic situla est, ubi dulcia pocula mellis
Ubertim parvo fundat ab alveolo.
Congaudete sacræ, varios & pascite flores,
Ætherei volucres nectaris artifices.

IN ANUM FUCIS FRUSTRA utentem.

Sæpe caput tingis, nunquam tinctura senectam,
Aut tensura genis quæ tibi ruga tuis.
Desine jam faciem stibio perfundere totam,
Ne persona tibi hæc sit modò, non facies.
Cum nihil assequeris fuco stibioque, quid amens
Vis tibi? nunquam Hecuben hæc facient Helenen.

IN HOMINIS NATIVITATEM.

è Græco.

Heus homo si memor es, quid te dum gigneret egit
Tum pater, ex animo jam tumor ille cadet.
At Plato te fastu, dum somniat, inflat inani,
Æternumque vocat semen & æthereum.
Factus es ecce luto, quid suspicis alta? sed istud
Plasmate, qui te ornat, nobiliore feret.
Quin si vera voles audire, libidine fœda
Natus es è coitu, guttula & è misera.

DE ASTROLOGO RIDICULO.

Non Cumæa sacro Vates correpta furore,
Certius afflata mente futura videt:
Quàm meus Astrologus divinis clarus in arte
Prævidet inspecto sidere præterita.

ALIUD, IN ASTROLOGUM UXORIS impudicæ maritum.

Astra tibi æthereo pandunt sese omnia Vati,
Omnibus & quæ sint fata futura, monent.
Omnibus ast uxor quòd se tua publicat, id te
Astra, licet videant omnia, nulla monent.

IN EUNDEM, JAMBICUM.

O chare nobis siderum cœlestium
Inspector astris, ipse nunc Phœbus tibi
Optem libenter indicare clanculum
Quiddam, quod ad te pertinens quàm maximè,
Dum cuncta lustro, deprehendi pridie,
Quàm tu redires nuper ex aula domum.
Sed territat Venus, minatur & mihi
Secundum amorem, qui nihilo secundior
Mihi sit futurus, quàm fuit Daphnes prior:
Quicquam cuivis garrulus si deferam
De se marito, quale detuli prius.
Nescibis ergo hoc, cæteras rerum vices
Docebo te. Nuptæ sed in rebus tuæ
Si quid tua non cedat ex sententia,
Hoc omnibus prius patebit, quàm tibi.

ALIUD, IN EUNDEM.

Quid inter alta stultè quæris sidera
In humo manentis conjugis mores tuæ?
Quid alta spectas? infrà id est cui tu times?
Dum jam tu, agat quid illa, quæris in polo,
Hæc quæ libebat, interim egit in solo.

ALIUD, IN ASTROLOGUM eundem.

Sidera vestigas inter cœlestia demens
Cur dubia semper mente, quid uxor agat?
Si nescis qualis tibi sit, crede esse pudicam:
Quod tibi persuades, si bene, jam bene habes.
Quid cognoscere vis, quæ non nisi cognita lædunt?
Quid fieri studio vis miser ipse tuo?
Hic furor haud dubiè est, quum jam desistere possis:
Quærere sollicitè, quod reperire times.

ALIUD, IN ASTROLOGUM.

Saturnus procul est, jamque olim cæcus, ut ajunt,
Nec propè discernens à puero lapidem.
Luna verecundis formosa incedit ocellis,
Nec nisi virgineum virgo videre potest.
Juppiter Europen, Martem Venus, & Venerem Mars,
Daphnen Sol, Hyrcen Mercurius recolit.
Hinc factum Astrologe est, tua quum capit uxor amantes,
Sidera significent ut nihil inde tibi.

DE FORMA, DILEMMA.

Quid forma confert, Hercules nihil cerno.
Si ferveas, deformis ecce formosa est:
Sin frigeas, formosa jam fit informis.
Quid forma confert, Hercules nihil cerno.

DE ASTROLOGO, DE QUO suprà.

Sæpe suam inspectis uxorem Candidus astris,
Prædicat en Vates omnibus, esse bonam.
Inspectis iterum, postquam uxor adultera fugit,
Prædicit Vates omnibus, esse malam.

PARÆNESIS AD VIRTUTEM veram.

Heu miseris quicquid misero blanditur in orbe,
Illicò marescens, ut rosa verna cadit.
Nec quenquam usq; adeò placidis complectitur ulnis
Sors, ut non aliqua parte molesta premat.
Imbibe virtutes, & inania gaudia sperne:
Sunt animi comites gaudia vera boni.

AD CONTEMPTUM HUJUS vitæ.

Nos velut instabiles ventus quatit omnis aristas:
Quolibet impellunt spes, dolor, ira, metus.
Nil habet in rebus pondus mortalibus ullum,
Momento pudor est, si moveare levi.

MORTEM NON ESSE METUENDAM, cum sit finis malorum. è Græco.

Non stultum est mortem matrem timuisse quietis?
Quam fugiunt morbi, mœstaque pauperies?
Sola semel miseris sese mortalibus offert,
Nec quisquam est ad quem mors iterum rediit.
At reliqui morbi varii, multique vicissim
Nunc hunc, nunc illum, terq; quaterq; premunt.

IN EPISCOPUM QUENDAM sordidum ac perparcum.

Vita Sibyllinos mea si duraret in annos,
Non bonitas unquam præsulis excideret.
Jugera multa soli locat, amplas possidet urbes,
Centum stipatus progreditur famulis.
Me tamen exigui census, quum nuper adirem,
Excipit, & verè comiter alloquitur.
Quin abiens nigri gustarem ut pocula vini,
E loculo clavem liberat ipse suo.

DE VICISSITUDINE FORTUNÆ. è Græco.

Lubrica non servat certum fortuna tenorem,
Sed rotat instabilem cæca subinde rotam.
Sternere summa libet, libet infima tollere, rerum
Inque vicem nulla vertere lege vices.
Maxima quum bona sunt, jam sunt mala proxima: rursus
Maxima quum mala sunt, proxima jam bona (sunt.
Forti animo mala fer, nec bis miser esto dolore:
Ne citò venturis præmoriare bonis.

VITA BREVIS.

Non tibi vivacem furor est spondere senectam,
Quum non sit vita certa vel hora tua.
Finge age Nestoreum sis perventurus in ævum,
Longa tument multis tempora fœta malis.
Omnia ut effugias viridis quibus angitur ætas,
Tædia longa tibi curva senecta feret.
Tu tamen ad seros (nulli quod contigit) annos
Ut venias nullo percitus antè malo.
Hoc tamen exiguum est, ubi nunc tot Nestoris anni?
Ex tanto superest tempore nulla dies.

PATIENTIA.

Tristia qui pateris, perfer: Sors tristia solvet.
Quòd si non faciat Sors, tibi mors faciet.

VITA IPSA CURSUS AD MORtem est.

Nugamur, mortemque procul, procul esse putamus:
At mediis latet hæc abdita visceribus.
Scilicet ex illa, qua primùm nascimur hora,
Prorepunt juncto vitaque morsque pede.
Partem aliquam furtim qua se metitur, & ipsam
Surripit è vita qualibet hora tua.
Paulatim morimur, momento extinguimur uno,
Sic oleo lampas deficiente perit.
Ut nihil interimat, tamen ipso in tempore mors est:
Quin nunc, interea dum loquimur, morimur.

DIVES AVARUS PAUPER EST SIBI. è Græco.

Divitias animi solas ego judico veras,
Qui rebus pluris se facit ipse suis.
Hunc adeò ditem, hunc opulentum ritè vocamus,
Magnarum quis sit qui videt usus opum.
Calculus at sit quem miserè numerandus adurit,
Qui miserè semper divitias cumulet:
Hic ut apes parvo crebroque foramine fosso,
Sudat in alveolo, mella alii comedunt.

DILEMMA EPICURI.

Dejiciat miseram tibi nulla molestia mentem,
Si longa est, levis est: si gravis est, brevis est.

CONTRA.

Dejicit heu miseram, prosternit & utraque mentem,
Longa, nec ulla levis: nec gravis, ulla brevis.

DE MORTE.

Somniat, hic ditem qui se putat esse, videtque
Morte experrectus illico quàm sit inops.

SOLA MORS TYRANNICIDA est.

Duriter es quicunque viris oppressus iniquis,
Spem cape: spes luctus leniat alma tuos.
Versilis in melius vel te Fortuna reponet,
Ut solet excussa nube nitere dies.
Aut libertatis vindex frendente tyranno,
Eruet injecta mors miserata manu.
Auferet hæc (quo plus tibi gratificetur) & illum,
Afferet atque tuos protinus ante pedes.
Ille opibus tantis, fastuque elatus inani,
Ille ferox crebris antè satellitibus.
Hic neque torvus erit, vultu nec ut antè superbo,
Sed miser, abjectus, solus, inermis, inops.
O quid vita tibi dedit unquam tale? vicissim
Jam ridendus erit, qui metuendus erat.

CARMEN VERSUM E CANTIONE Anglica.

O cor triste malis miserè immersumque profundis
Rumpere: sit pœnæ terminus iste tuæ.
Sanguinolenta tuæ dominæ tua vulnera pande,
Illa brevi est, quæ nos dividet una duos.
Quàm miser ergo diu sic heu lacrymabo, querarque?
Mors ades, & tantis horrida solve malis.

IN AMICAM FOEDIFRAGAM JOCOsum, versum è cantione Anglica.

Dii melius, venêre mihi hæc quæ somnia nocte?
Tota semel mundi machina versa ruit.
Nec sua lux Phœbo constabat, nec sua Phœbe,
Jamq; tumens omnem straverat æquor humum.
Majus adhuc mirum, vox en mihi dicere visa est,
Heus tua jam pactam fregit amica fidem.

DE CUNICULO BIS CAPTO.

E rete extrahor, è digitis in rete relabor,
Heu semel heu fugi, bis miser ut caperer.

IN VIRGINEM MORIBUS HAUD virgineis.

Blanda, salax, petulans, audax, vaga, garrula virgo,
Si virgo est, virgo est, bis quoque quæ peperit.

IN

IN UXORES.

Hoc quisque dicit, rebus in mortalibus
Quod tristius sit, ac magis viros gravet,
Natura nil produxit his uxoribus.
Hoc quisque dicit, dicit: at ducit tamen.
Quin sex sepultis, septimam ducit tamen.

IN EASDEM.

Res uxor gravis est, poterit tamen utilis esse,
Si properè moriens det sua cuncta tibi.

IN IMAGINEM DISSIMILEM.
è Græco.

Hæc tua quam nuper pinxit Diodorus imago,
Cujusvis magis est, quàm tua Menodote.

IN EANDEM.

Sic se totum isthac expressit imagine pictor,
Ut nulli tam sit, quàm tibi dissimilis.

CHORIAMBICUM DE VITA SUAVI.
è Græco.

Non est cura mihi Gygis,
Qui Rex Sardibus imperat.
Aurum non ego persequor,
Reges non miser æmulor.
Curæ est, barba suavibus
Unguentis mihi perfluat.
Curæ est, ut redolentibus
Cingam tempora floribus.
Curæ sunt hodierna mî,
Nam quis crastina noverit?
Tornato bene Mulciber
Argento mihi poculum
Jam nunc effice concavum,
Et quantum potes imbibum.
Et fac illud ut ambiant
Non currus, neque sidera,
Orion neque flebilis.
Vites fac virides mihi,
Botri fac mihi rideant
Pulchro cum Dionysio.

IN MEDICUM IMPOSTOREM,
qui guttulam ficti balsami magno vendidit.

Febre laboranti Medicus, feret O tibi certe
Aut nihil, aut tantum balsamus inquit, opem.
Sed nemo me præter habet, perpaululum & ipse,
Gutta emitur libris non minus una decem.
Nunc mihi quinq; dabis, reliquas mihi quinq; daturus
Sanus, ut has nunquam te moriente petam.
Nunquam rem facies, tanto in discrimine qui vis
Tam chara guttæ ponere dimidium.
Pacta placent, minimoque è vitro & sindone tecto,
Jactat petit gladii cuspide gutta merum,
Abluat ut vino mucronem, æger rogat: absit,
Inquit, adhuc libras bis gerit ille decem.
Gutta, ait, una sat est, & erat satis: unica tantum
Gutta potest: unam vix bibit, & moritur.
O nimis adverso contractum sidere pactum,
Hinc gutta, hinc vita dimidium periit.

IN FUCATUM.
è Græco.

Tingis capillos fœmina, at quî scis, rogas?
Nigri fuere, quum referres è foro.

IN IMAGINEM MALE
redditam.

Effigie studuit tua in hac ostendere pictor,
Expressisse queat quàm tibi dissimilem.

IN IMAGINEM BENE REDDITAM.

Hac tua tam verè facies expressa tabella,
Ut jam non tabula hæc sit tibi, sed speculum.

IN EANDEM.

Quam mihi monstrasti demiror Posthume pictor,
Effigiem quanta finxerat arte tuam.
Inspicit hanc quisquis, si te conspexerit unquam,
Si non artificis tangitur invidia.
Tam simile hic ovo non esse fatebitur ovum,
Effigies hæc est quàm tibi dissimilis.

IN ANGLUM, GALLICÆ LINGUÆ
affectatorem.

Amicus & sodalis est Lalus mihi,
Britanniaque natus, altusque insula.
At cum Britannos Galliæ cultoribus
Oceanus ingens, lingua, mores dirimant:
Spernit tamen Lalus Britannica omnia,
Miratur, expetitque cuncta Gallica.
Toga superbit ambulans in Gallica,
Amatque multum Gallicas lacernulas.
Zona, locello, atque ense gaudet Gallico,
Filtro, bireto, pileoque Gallico,
Et calceis, & subligare Gallico,
Totoque denique apparatu Gallico.
Nam & unum habet ministrum, eumque Gallicum.
Sed quem (licet velit) nec ipsa Gallia
Tractare quiret plus (opinor) Gallicè,
Stipendii nihil dat, atque id Gallicè.
Vestitque tritis pannulis, & Gallicè hoc.
Alit cibo parvo, & malo, idque Gallicè.
Labore multo exercet, atque hoc Gallicè.
Pugnisque crebro pulsat, idque Gallicè.
In cœtu, & in via, & foro, & frequentia
Rixatur, objurgatque semper Gallicè.
Quid? Gallicè illud? imò semigallicè.
Sermonem enim (ni fallor) ille Gallicum
Tam callet omnem, quàm Latinum Psittacus.
Crescit tamen, sibique nimirum placet,
Verbis tribus si quid loquatur Gallicis.
Aut Gallicis si quid nequit vocabulis,
Conatur id, verbis licet non Gallicis,
Canore saltem personare Gallico,
Palato hiante acutulo quodam sono,
Et fœmina instar garrientis molliter,
Sed ore pleno, tanquam id impleant fabæ,
Balbutiens videlicet suaviter
Pressis quibusdam literis, Galli quibus
Ineptientes abstinent, nihil secus,
Quàm vulpe Gallus, rupibusque navita.
Sic ergo linguam ille & Latinam Gallice,
Et Gallice linguam sonat Britannicam.
Et Gallice linguam refert Lombardicam.
Et Gallice linguam refert Hispanicam.
Et Gallice linguam sonat Germanicam.
Et Gallice omnem, præter unam Gallicam,
Nam Gallicam solam sonat Britannice.
At quisquis insula satus Britannica,
Sic patriam insolens fastidiet suam,
Ut more simiæ laboret fingere,
Et æmulari Gallicas ineptias:

Ex amne Gallo ego hunc opinor ebrium.
Ergo ex Britanno ut Gallus esse nititur,
Sic dii jubete, fiat ex gallo capus.

IN NICOLAUM, MALUM
Medicum.

Nunc video haud rerum tantum, sed & ipsa virorum
Nomina non temerè, sed ratione dari.
Nicoleus nomen Medici est: quî convenit? inquis,
Hoc potius nomen debuit esse ducis.
Dux populos armis vincit: sed & iste venenis
Et populum, & fortes sternit ubique duces.
Sæpe ducem bello repetunt, bis nemo rebellat
Huîc Medico: vero est nomine Nicoleus.

IN IMAGINEM ELEGANTEM,
sed deformissimi.

Ipsam judice me Venerem superabat Apellis,
Hæc tua quæ visa est nuper imago mihi.
Pictor in hanc omnes unam consumpserat artes,
Spectari hac una quid valuit, voluit.
Qualis in ore decor, qui nasus, qualia labra,
O quales oculi, qualis ubique color.
Tam fuit ex omni longe pulcherrima parte,
Quam fuit à nulla parte tibi similis.

IN IMAGINEM DISSIMILEM.

Nuper ut ingredior pictoris forte tabernam,
Effigies oculis est tua visa meis.
Ex te dum pictor sic exprimat omnia, vultum
Immotum credo te tenuisse diu.
Sic te totum inspecta refert: intelligo cuja est,
Protinus ut pictor rettulit esse tuam.

IN PARCUM MORIENTEM.

Chrysalus heu moritur dives, dolet, ingemit: unquam
Nemo magis tristi pectore fata tulit.
Non quoniam ipse perit, cui nil se vilius ipso est,
Sed nummi pereunt quattuor in tumulum.

IN GRAMMATICUM PUTIDUM.

Quum mihi Grammaticus mentem subit Heliodorus,
Nostra solœcismos illico lingua timet.

IN PROGNOSTEN RIDICULUM.

Hoc anno in regno Rex nobilis ille quiescet
Gallorum, celeber scripserat Astrologus.
Rex vix incœpto vita defungitur anno,
Jam nil se Vates quo tueatur, habet.
Rem quidam risu cœpit defendere, verum est
Augurium, Rex jam nonne quievit? ait.
Latius hoc verbum prorepit, & undique ridens
Id populus, Rex jam nonne quievit? ait.
Audit ut in populo hoc Vates, jam seriò verum est
Augurium, Rex jam nonne quievit? ait.

IN VEHEMENTER NASUTUM.
è Græco.

Nunquam Procle manu nares emungere possis:
Nam tua nare manus, magna licet, minor est.
Quando Jovem inclamas sternutās, quippe nec audis:
Tam procul ab nasus prominet aure tuus.

IN POETAM FURIOSUM.
è Græco.

Sunt etiam in Musis furiæ, quibus ipse Poëta
Fis, per quas temere carmina multa facis.
Ergo age plurima scribe precor: tibi nempe furorem
Non ego majorem quem precer invenio.

IN PERPUSILLUM. è Græco.

Grus ne te rapiat Pygmæo sanguine gaudens,
Si sapias, media tutus in urbe mane.

NEGLIGENDI VULGI RUMORES.
è Græco.

Tu teipsum oblectes, & vulgi verba loquacis
Sperne: bene hic de te dicet, & ille malè.

IN FATUUM. è Græco.

Quem mordent pulices, extinguit morio lychnum,
Non me, inquit, cernent amplius hi pulices.

DE SOMNO. E GRÆCO,
Sententia Aristotelis.

Fermè dimidium vitæ dormitur, in illo
Æquales spacio dives inopsque jacent.
Ergo Crœse tibi Regum ditissime, vitæ
Fermè dimidio par erat Irus egens.

ALIUD.

Non es, dum in somno es, dum nec te vivere sentis,
Felix, at somnus ni veniat, miser es.
Qui felix igitur sorte indulgente superbit,
Inflatusque levi prosperitate tumet:
Nox quoties venit, aut toties jam desinit esse
Felix, aut toties incipit esse miser.

QUID INTER TYRANNUM
& Principem.

Legitimus immanissimis
Rex hoc tyrannis interest:
Servos tyrannus quos regit,
Rex liberos putat suos.

SOLLICITAM ESSE TYRANNI
vitam.

Magna diem magnis exhaurit cura tyrannis,
Nocte venit requies, si tamen ulla venit.
Nec tamen hi pluma requiescunt mollius ulla,
In dura pauper quam requiescit humo.
Ergo tyranne tibi hæc pars felicissima vitæ est,
In qua mendico par tamen esse velis.

BONUM PRINCIPEM ESSE
patrem non Dominum.

Princeps pius nunquam carebit liberis,
Totius est regni pater.
Princeps abundat ergo felicissimus,
Tot liberis, quot civibus.

DE BONO REGE ET
populo.

Totum est unus homo regnum, idq; cohæret amore:
Rex caput est, populus cætera membra facit.
Rex quot habet cives (dolet ergo perdere quenquam)
Tot numerat partes corporis ipse sui.
Exponit populus sese pro Rege, putatque
Quilibet hunc proprii corporis esse caput.

BONA NON COGNOSCI, NISI
dum amittuntur.

Perdendo bona nostra fere cognoscimus omnes,
Dum possidemus, spernimus.
Sic populo quoque sæpe malus, sed serò benignum
Commendat hæres Principem.

TYRANNUM IN SOMNO NIHIL
differre à plebejo.

Erigit ergo tuas insane superbia cristas,
Quòd flexo curvet se tibi turba genu,
Quòd populus nudo surgat tibi vertice, quòd sit
Multorum in manibus vitaque, morsque tuis.
At somnus quoties artus adstringit inertes,
Hæc tua jam toties gloria dic ubi sit?
Tunc ignave jaces trunco non impar inani,
Aut paulo functis ante cadaveribus.

Quod

Quod nisi conclusus timide intra tecta lateres,
In cujusque foret jam tua vita manu.

DE PRINCIPE BONO ET MALO.

Quid bonus est Princeps? canis est custos gregis, inde
Qui fugat ore lupos, quid malus? ipse lupus.

IN RAPTOREM ET PATRONUM.

Raptam se queritur virgo, crimenque negari
Non potuit. Raptor jam periturus erat.
Callidus at subito patronus protrahit ipse
Membrum deducta veste virile rei.
Hoccine virgo tua membrum fuit, inquit, in alvo?
Illa verecundo mota pudore negat.
Vicimus ô Judex, clamat Patronus, ea ipsa est:
Id negat en sine quo se negat ipsa rapi.

IN FUREM ET PATRONUM.

Dum furti metuit damnari Clepticus, amplo
Non sine consuluit munere causidicum.
Hic ubi sæpe diuque immensa volumina volvit,
Spero, ait, effugies Cleptice, si fugias.

IN ASTROLOGUM QUI FACTUM prædixit. è Græco.

Sæpe patri frater quòd debuit esse superstes,
Hoc velut uno omnes Astrologi ore canunt.
Ast Hermoclides obiturum præ patre solus
Dixit: sed dixit, postquam obiisse videt.

IN HUJUS VITÆ VANITATEM.

Damnati ac morituri in terræ claudimur omnes
Carcere, in hoc mortem carcere nemo fugit.
Carceris in multas describitur area partes,
Inque aliis alii partibus ædificant.
Non aliter quam de regno de carcere certant,
In cæco cupidus carcere condit opes.
Carcere obambulat hic vagus, hic vincitur in antro,
Hic servit, regit hic: hic canit, ille gemit.
Jam quoq; dum carcer non tanquam carcer amatur:
Hinc aliis alii mortibus extrahimur.

REGEM NON SATELLITIUM, SED virtus reddit tutum.

Non timor invisus, non alta palatia Regem,
Non compilata plebe tuentur opes.
Non rigidus vili mercabilis ære satelles
Qui sic alterius fiet, ut hujus erat.
Tutus erit populum qui sic regit, utiliorem
Ut populus nullum censeat esse sibi.

POPULUS CONSENTIENS REgnum dat & aufert.

Quicunque multis vir viris unus præest,
Hoc debet his quibus præest:
Præesse debet neutiquam diutius,
Hi quàm volent quibus præest.
Quid impotentes Principes superbiunt?
Quòd imperant precario?

IN PERPUSILLUM. è Græco.

Ex atomis Epicurus totum fabricat orbem,
Alchime, dum nihil his credidit esse minus.
Ex te fecisset, si tum Diophante fuisses,
Nempe atomis multo es tu Diophante minor.
Aut fortè ex atomis jam cætera scriberet esse,
Ast ipsas ex te scriberet esse atomos.

IN AMOREM CASTUM ET INcestum. è Græco.

Hi duo destruxere duos, incestus & almus:
Dum contrà occurrunt, hinc amor, inde pudor.
Phædram amor Hippolyti consumserat igneus, ipsum
Interimitque sacer proh pudor Hippolytum.

IN URBEM ROMAM. è Græco.

Gradivi genus Hector ave, si quid sub humo audis,
Respira, & patriæ nomine cresce tuæ.
Ilios urbs colitur, nunc inclyta gens colit illam,
Quam tu Marte minor, Martis amica tamen.
Myrmidones periere, ades & dic Hector Achilli,
Esse sub Æneadis undique Thessaliam.

DE MEDIOCRITATE. è Græco.

Ingratum est quicquid nimium est. Sic semper amarum est,
Ut verbum vetus est, mel quoque si nimium est.

IN VEHEMENTER INFELICEM. è Græco.

Nunquam vixisti ô pauper, nunquam morieris.
Nemper miser visus vivere mortuus es.
At quibus immensa est fortuna, pecunia multa,
His vitæ finem mors aliquando facit.

IN PYTHAGORÆ ECHEMYTHIAM. è Græco.

Rebus in humanis magna est doctrina tacere,
Testis erit sapiens hic mihi Pythagoras.
Nempe loqui doctus, reliquos docet ille tacere,
Magnum hoc ad requiem pharmacon inveniens.

RIDICULUM IN GELLIAM.

Quid modo sæclorum miremur monstra priorum,
Quod loquitur taurus, quod cadit imbre lapis?
Monstra antiqua novum superat, surrexerat ecce
Ante tenebrosum Gellia vesper heri.
Plus dicturus eram, nisi me ridere putares:
Surrexit mediam sed tamen ante diem.
Mira licet sæpe, illa tamen videre priores,
Sæpe potest forsan cernere posteritas.
Istud at hesternam nemo unquam viderat ante,
Et post hanc poterit nemo videre diem.

IN PALLADEM VENEREMQUE. è Græco.

Cur ita me lædis Venerem Tritonia virgo,
Corripis in digitos cur mea dona tuos?
Scilicet Idæis memor esto in rupibus olim,
Me, non te, pulchram censuit esse Paris.
Hasta tua est, ensisque tuus: mihi vendito malum,
Mars modo sit malo pristinus ille satis.

VITAM HOMINIS ESSE NIHIL.

Nos tenuem strictis spirantes aera fibris
Vivimus, & Phœbi lampada conspicimus.
Quotquot vivimus hic, sumus omnes organa, sed quæ
Vivificis animat flatibus aura levis,
Quod tua si tenuem restringat palma vaporem,
Eripiens animam miseris usque stygem.
Sic sumus ergo nihil, Plutoni pascimur omnes,
E flatu minimo nos levis aura fovet.

IN PUGIONEM HEBETEM HEBETIS. è Græco.

Plumbeus hic mucro tuus est obtusus, hebesque,
Mucro aciem ingenii fert tuus iste tui.

DE GLORIA, ET POPULI JUDICIO.

Maxima pars hominum fama sibi plaudit inani,
Atque levis vento fertur in astra levi.
Quid populi tibi voce places? sæpe optima cæcus
Dat vitio, & temerè deteriora probat.
Sollicitus pendes alieno semper ab ore,
Ne laudem cerdo quam dedit, eripiat.

Fors tamen irridet, quo tu laudante superbis:
Ex animo laudet, laus tamen illa fugit.
Quid tibi fama facit? toto lauderis ab orbe,
Articulus doleat, quid tibi fama facit?

RIDICULUM, IN Ministrum.

Muscas è cratere tulit conviva priusquam
Ipse bibit, reddit rursus, ut ipse bibit.
Addidit & causam: muscas ego non amo, dixit,
Sed tamen è vobis nescio num quis amet.

DE CANE VENANTE.

Os canis implet anas, alium capturus hiabat,
Non capit: at quam jam ceperat ore, fugit.
Sic miser interea dum rem captas alienam,
Sæpius & meritò perdis avare tuam.

CANIS IN PRÆSEPI, avarus homo.

In præsepe canis fœno nec vescitur ipse,
Nec sinit ut fœnum qui cupit edat equus.
Servat avarus opes, opibus non utitur ipse,
Atque alios uti qui cupiunt, prohibet.

IN ORESTEM PARANTEM OCCIdere matrem. è Græco.

Qua gladium intrudes, per ventrem ne, anne papillas?
Te peperit venter, te lactavere papillæ.

QUOD PAUCIS ORANDUS DEUS.

Da bona sive rogere Deus, seu nulla rogere:
Et mala sive rogere nega, seu nulla rogere.

IN DIGAMOS. è Græco.

Qui capit uxorem defuncta uxore secundam,
Naufragus in tumido bis natat ille freto.

DE SOMNO ÆQUANTE PAUperem cum divite.

Somne quies vitæ, spes & solamen egenis,
Divitibus noctu quos facis esse pares.
Tristia demulces Lethæo pectora rore,
Excutis & sensum totius inde mali.
Læta benignus opes inopi per somnia mittis.
Quid falsas rides dives opes inopis?
Divitibus verè curas, tormenta, dolores,
Pauperibus falsæ gaudia vera ferunt.

IN DEFORMEM ET IMPROBUM. è Græco.

Pingere difficile est animum, depingere corpus,
Hoc facile est: in te sunt tamen ambo secus.
Nam pravos animi mores natura revelans,
Fecit ut emineant undique perspicui.
Sed formæ portenta tuæ deformia membra
Quis pingat? quando hæc cernere nemo velit?

IN CAPPADOCEM VIRULENTUM. è Græco.

Vipera Cappadocem mordens mala, protinus hausto
Tabifico periit sanguine Cappadocis.

IN STATUAM FERREAM. è Græco.

Effigiem statuêre tibi Rex perditor orbis
Ex ferro, ut longè vilius ære foret.
Hoc fecere fames, cædes, furor, æris egestas,
Hæc tua, quis omnes perdit? avaritia.

AD CANDIDUM, QUALIS Uxor deligenda.

Jam tempus id petit
Monetque Candide,
Vagis amoribus
Tandem renuncies,
Tandemque desinas
Incerta Cypridis
Sequi cubilia:
Quærasque virginem,
Quam ritè jam tibi
Concorde vincias
Amore conjugem,
Quæ jam genus tuum,
Quo nil beatius,
Fœcunda dulcibus
Natis adaugeat.
Pater tibi tuus
Hoc antè præstitit.
Quod à prioribus
Prius receperis,
Non absque fœnore
Rependе posteris.
Non sit tibi tamen
Hæc cura maxima,
Spectare Candide
Quid dotis afferat,
Quàm sitve candida.
Infirmus est amor,
Quem stultus impetus
Decore concitus
Parit, vel improbus
Ardor pecuniæ.
Quicunque amaverit
Propter pecuniam,
Amatur huic nihil
Præter pecuniam:
Capta pecunia
Vanescit illico,
Item fugax amor,
Fereque jam prius
Perit quàm nascitur.
At nec pecunia,
Quam avarus antea
Miser cupiverat,
Juvare postea
Quicquam potest, ubi
Quam non amaverit
Invitus: attamen
Omnino cogitur
Tenere conjugem. (hac
Quid forma? numquid
Vel febre decidit?
Annisve deperit?
Ut Sole flosculus,
Tum defluentibus
Genæ coloribus
Amor, ligaverant
Quem hac sola vincula,
Solutus aufugit.
At verus est amor,
Quem mente perspicax,
Ratione consule
Prudens inierit:
Et quem bono omine
Virtutis inclytæ,
(Quæ certa permanens
Non febre decidit,
Annisve deperit)
Respectus efficit.
Primū ergo quam voles
Amice ducere,
Quibus parentibus
Sit orta perspice:
Ut mater optimis
Sit culta moribus,
Cujus tenellula
Mores puellula
Insugat, exprimat.
Tum qua sit indole,
Quàm dulcis, hos vide;
Ut ore virginis
Insit serenitas,
Ab ore virginis
Absitque torvitas.
At rursus ut tamen
Sit in genis pudor,
Nec ore virginis
Insit procacitas:
Et sit quieta, nec
Cingat salacibus
Viros lacertulis.
Vultu modesta sit,
Nec spectet undique
Vagis ocellulis.
Proculque stulta sit
Parvis labellulis
Semper loquacitas:
Proculque rusticum
Semper silentium.
Sit illa vel modo
Instructa literis,
Vel talis ut modo
Sit apta literis.
Felix, quibus bene
Priscis ab optimis
Possit libellulis
Vitam beantia
Haurire dogmata.
Armata, cum quibus
Nec illa prosperis
Superba turgeat,
Nec illa turbidis
Misella lugeat
Prostrata casibus.
Jucunda sic erit (erit
Semper, nec unquam
Gravis, molestave
Vitæ comes tuæ.
Quæ docta parvulos
Docebit & tuos
Cum lacte literas
Olim nepotulos.
Jam te juvaverit
Viros relinquere,
Doctæque conjugis

Sinu quiescere;
Dum grata te fovet,
Manuque mobili:
Dum plectra personant,
Et voce (qua nec est
Progne sororcula
Tua suavior)
Amœna cantilat,
Apollo qua velit
Audire carmina.
Jam te juvaverit
Sermone blandulo,
Docto tamen, dies
Noctesque ducere.
Notare verbula
Mellita maximis
Non absque gratiis
Ab ore melleo
Semper fluentia:
Quibus coërceat,
Si quando te levet
Inane gaudium:
Quibus levaverit,
Si quando deprimat
Te mœror anxius:
Certabit in quibus
Summa eloquentia
Jam cum omnium gravi
Rerum scientia.
Talem olim ego putem,
Et vatis Orphei
Fuisse conjugem,
Nec unquam ab inferis
Curasset improbo
Labore fœminam
Referre rusticam.
Talemque credimus
Nasonis inclytam,
Quæ vel patrem queat
Æquare carmine,
Fuisse filiam.
Talemque suspicor
(Qua nulla carior
Unquam fuit patri,
Quo nemo doctior)
Fuisse Tulliam.
Talisque, quæ tulit
Gracchos duos fuit,
Quæ quos tulit, bonis
Instruxit artibus:
Nec profuit minus
Magistra quàm parens.
Quid prisca sæcula
Tandem revolvimus?
Utcunque rusticum,
Unam tamen tenet
Nostrumque virginem,
Tenet, sed unicam,
At sicut unicam
Plerisque præferat:
Cuique conferat
Ex his fuisse, quæ
Narrantur omnibus
Tot retrò sæculis,
Quæ nunc & ultimam
Monet Britanniam
Perlata pennulis
Fama volucribus,
Laus atque gloria
Orbis puellula
Totius unica,
Ac non modo suæ
Cassandra patriæ.
Dic ergo Candide,
Si talis & tibi
Puella nuberet,
Quales ego tibi
Suprà recensui:
Desit licet queas
Formam requirere,
Dotisve quod parum
Lucrere conqueri.
Hic sermo verus est,
Quæcunque sit, satis
Est bella quæ placet
Nec quisquam habet magis,
Quàm qui sibi satis
Quodcunque habet, putat.
Si nunc me amet mea,
Ut nil ego tibi
Amice mentiar.
Cuicunque gratiam
Formæ negaverit
Natura virgini:
Certè licet siet
Carbone nigrior,
Foret tamen mihi hac
Virtutis indole
Olore pulchrior.
Cuicunque lubrica
Dotem negaverit
Fortuna virgini:
Certè siet licet
Vel Iro egentior,
Foret tamen mihi hac
Virtutis indole
Te Crœse ditior.

RIDICULUM, IN MINACEM.

Thrasonis uxorem bubulcus rusticus
Absente eo vitiaverat.
Domum reversus miles ut rem comperit,
Armatus & ferus insilit.
Tandem assecutus solum in agris rusticum,
Heu clamat heus heus furcifer.
Restat bubulcus, saxaque in sinum legit,
Ille ense stricto clamitat,
Tu conjugem meam attigisti carnifex?
Respondit imperterritus,
Feci. Fateris? inquit. At ego omnes Deos
Deasque testor ô scelus,
In pectus hunc ensem tibi capulotenus,
Ni fassus esses, abderem.

DE MEDIOCRITATE, è Græco.

Agros ego haud porrectiores appeto,
Non auream aut Gygis beatitudinem,
Quæ sit satis sibi, vita sat eadem est mihi.
Illud Nihil nimis, nimis mihi placet.

HECTOR MORIENS. E GRÆCO.

Projicitote meum Danai post fata cadaver.
Nam metuunt lepores occisi membra leonis.

IN STULTUM POETAM.

Scripserat Æneam nulli pietate secundum,
Vates secundus nemini.
Quidam igitur Regem dum vult laudare, Maronem
Pulchrè æmulatus scilicet,
Hic, hic est, inquit, Princeps cui nemo secundus.
Hac laude Rex indignus est,
Ipse sed est Vates dignissimus: ergo age demus
Utrique laudem debitam.
Hic, hic est igitur Vates, cui nemo secundus,
Rex qui secundus nemini.

IN QUENDAM QUI SCRIPSERAT Hymnos de divis, parum doctè, testatus in Præfatione, se ex tempore scripsisse, nec servasse leges carminum, & argumentum non recipere eloquentiam.

Hic sacer Andreæ cunctos ex ordine fastos
Perstringit mira cum brevitate liber.
Ipsos quos cecinit superos, dum scriberet omnes,
Credibile est vati consuluisse suo.
Non subitò scripsit, sed sic, ut scribere posset
Quantumvis longo tempore non melius.
Et pia materia est priscisque intactus ab ipsis,
Servatus fato est huic operi iste stylus:
Seque quòd ad numeros non anxius obligat omnes,
Hoc quoque non vitio, sed ratione facit.
Majestas operis metro esse obnoxia non vult,
Nempe ibi libertas est, ubi spiritus est.
Ipsa operis pietas indocto sufficit: at tu
Castalio quisquis fonte bibisse soles,
Singula si trutines, erit hinc tibi tanta voluptas,
Quanta tibi ex alio non fuit antè libro.

IN STRATOPHONTA PUGILEM ignavum. è Græco.

Dux Ithacus patria bis denos abfuit annos,
Quum rediit, celeri cognitus usque cani est.
Te pugil O Stratophon, certantem quattuor horas,
Et canis & populus dedidicere simul.
Quin etiam speculum de te si consulis ipse,
Juratus Stratophon te Stratophonta neges.

IN PUGILEM IGNAVUM. è Græco.

Nesimus ecce pugil Vatum consultat Olympum,
An ventura sibi sera senecta foret.
Fors rude donatus vives, ait ille: minatur
Certanti gelidus sed tibi falce Deus.

IN PARASITUM. è Græco.

Stare putes stadio Eutichydes quum curreret, at quum
Curreret ad cœnam, nempe volare putes.

IN BIBONEM. E GRÆCO.

Serta, unguenta, meo ne gratificare sepulchro,
Vina, focus, lapidi sumptus inanis erit.
Hæc mihi da vivo; cineres miscere falerno,
Nempe lutum facere est, non dare vina mihi.

IN BIBONEM. E GRÆCO.

E terra genitus, sub terram morte recondar:
Ergo lagena mihi terrea plena veni.

IN MULIEREM FOEDAM.
è Græco.

Te speculum fallit; Speculum nam Gellia verum
Si semel inspiceres, nunquam iterum inspiceres.

IN FOEDAM. E GRÆCO.

Fugerit ad Parthos, vel ad Herculis usque columnas,
Visa semel, positis vestibus, Antipatra.

IN FOEDAM. E GRÆCO.

Qui miser uxorem deformem duxit, habebit
Vespere, jam accenso lumine, adhuc tenebras.

IN BARBA TANTUM PHILOSOphum. è Græco.

Si promissa facit sapientem barba, quid obstat,
Barbatus possit quin caper esse Plato?

DE LICENTIA.

Ultra concessos indulta licentia fines
Provehitur celeri, non revocanda, gradu.
Si patiare, pedem calcet tibi vespere conjux,
Calcabit surgens hæc tibi mane caput.

EPITAPHIUM ABYNGDONII
Cantoris.

Attrahat huc oculos, aures attraxerat olim
Nobilis Henricus Cantor Abyngdonius.
Unus erat, nuper mira qui voce sonaret,
Organa qui scitè tangeret, unus erat.
Vellensis primo templi decus, inde sacellum
Rex illo voluit nobilitare suum.
Nunc illum Regi rapuit Deus, intulit astris,
Ipsis ut nova sit gloria cœlitibus.

ALTERUM DE EODEM.

Hic jacet Henricus, semper pietatis amicus,
Nomen Abyngdon erat, si quis sua nomina quærat.
Uvellis hic Ecclesia fuerat succentor in alma,
Regis & in bella Cantor fuit ipse capella.
Millibus in mille Cantor fuit optimus ille,
Præter & hæc ista, fuit optimus orgaque nista.
Nunc igitur Christe quoniam tibi serviit iste,
Semper in orbe soli, da sibi regna poli.

IN JANUM HÆREDEM
Abyngdonii.

Scripsi elegum carmen, Jano me hærede rogante,
Quod tumulum Henrici signet Abyngdonii.
Displicet, & doctis bene displicuisset. At illi
Displicet hoc tantum, si quid inest melius.
Non resonant isti versus, ait. Illicò sensi,
Quales lactucas talia labra petant.
Ridendos ergo ridens effutio versus.
Hos vorat applaudens Janus utraque manu.
Hos tumulo insculpsit, sub eundem protinus obdi,
Atque iisdem dignus versibus, ipse legi.
Antè retroque bifrons Janus Deus omnia vidit,
Talpa, effrons videt hic Janus utrinque nihil.

AD AULICUM.

Sæpe mihi jactas faciles te ad Principis aures
Libere & arbitrio ludere sæpe tuo.
Sic inter domitos sine noxa sæpe leones
Luditur, ac noxa non sine sæpe metu.
Infremit incerta crebra indignatio caussa,
Et subito mors est, qui modo ludus erat.
Tuta tibi non est, ut sit secura voluptas:
Magna tibi est, mihi sit, dummodo certa, minor.

IN TYNDALUM DEBITOREM.

Ante meos quàm credideram tibi Tyndale nummos,
Quum libuit, licuit te mihi sæpe frui.
At nunc si tibi me fors angulus offerat ullus,
Haud secus ac viso, qui pavet, angue, fugis.
Non fuit unquam animus, mihi crede, reposcere nummos:
Non fuit: at ne te perdere cogar, erit.
Perdere te salvo nummos volo, perdere utrumque
Nolo, sat alterutrum sit periisse mihi.
Ergo tibi nummis, aut te mihi redde, retentis:
Aut tu cum nummis te mihi redde meis.
Quod tibi si neutrum placeat, nummi mihi saltem
Fac redeant: at tu non rediture, vale.

IN MENDICUM GERENTEM
se pro Medico.

Tu te fers Medicum, nos te plus esse fatemur,
Una tibi plus est litera, quàm Medico.

IN UXOREM IMPUDICAM.

Est fœcunda mei, fœcunda est uxor Arati,
Nempe suo genuit ter sine fœta viro.

IN PERPUSILLUM.
è Græco.

Ut fugeret miseræ Diophantus tædia vitæ,
Usus Arachneo est stamine pro laqueo.

DE PUELLA, QUÆ RAPTUM
finxit.

Conspiceret solam juvenis cum fortè puellam,
Et sibi oportunum crederet esse locum.
Improbus invitam cupidis amplectitur ulnis,
Basiaque & plus quàm basia ferre parat.
Illa reluctata est, legemque irata minatur,
Qua miser, effuso sanguine, raptor obit.
Instititi ille tamen juvenili ardore protervus,
Nunc precibus satagit, nunc superare metu.
Non precibus, non illa metu superata reclamat,
Calce petit, mordet dente, manuque ferit.
Ira subit juvenem jam pæne libidine major,
Et ferus, O demens siccine pergis? ait.
Per tibi ego hunc ensem juro, simul extulit ensem,
Commoda ni jaceas, ac taceas, abeo.
Illico succubuit tam tristi territa verbo:
Atque age, sed quod agis, vi tamen, inquit, agis.

IN CHRYSALUM.

Chrysalus in sylvis loculos quum conderet, hæsit,
Certa loci possent quæ sibi signa capi.
At super ut summa raucum videt arbore corvum,
Hic mihi conspicua est, inquit, abitque, nota.
Capti sola scopi redeuntem copia lusit:
Nam sua jam in quavis arbore signa videt.

IN ASTROLOGUM.

Dum tua quos noster celebrat pro Vatibus error,
Fata cient positu sideris Astrologi:
Hæc dum stella favet, dumque hæc tibi stella minatur,
Pendula mens inter spemque metumque tua est.
Prospera seu venient, venient reticentibus illis,
Assolet & subitum lætius esse bonum.

Seu

Seu venient adversa, diu nescire juvabit,
Usura & medii temporis usque frui.
Quin jubeo fatis etiam prohibentibus ipsis,
Fac tibi mens hilares transigat æqua dies.

IN CRUCE DIGNUM.
è Græco.

Mastaurωn Elementa tibi duo subtrahe prima,
Nemo te reliquis dignior esse potest.

E GRÆCO.

Fortis erat bello Timocritus, hic jacet ergo,
Fortibus haud parcis Mars fere, sed timidis.

E GRÆCO.

Ista Neoclidæ gnatos habet urna gemellos:
Servitio hic patriam liberat, hic vitio.

AD QUENDAM CUI UXOR
mala domi.

Uxor amice tibi est semper mala: quum malè tractas,
Fit pejor: sed fit pessima, quando bene.
Sed bona si moriatur erit, melior tamen id si
Te faciat vivo: ast optima, si properè.

DE NAUTIS EJICIENTIBUS MONA-
chum in tempestate, cui fuerant confessi.

Cum tumida horrisonis insurgeret unda procellis,
Et maris in lassam ferveret ira ratem:
Religio timidis illabitur anxia nautis,
Heu parat, exclamant, hoc mala vita malum.
Vectores inter Monachus fuit, hujus in aurem
Se properant vitiis exonerare suis.
Ast ubi senserunt nihilo sibi mitius æquor,
Sed rapido puppim vix superesse freto;
Quid miri est, ait unus, aqua si vix ratis extat,
Nostrorum scelerum pondere adhuc premitur.
Quin Monachum hunc, in quem culpas exhausimus omnes,
Ejicite, & secum hinc crimina nostra ferat.
Dicta probant, rapiuntque virum, simul in mare torquent,
Et lintrem levius quàm prius isse ferunt.
Hinc, hinc quàm gravis est peccati sarcina, disce,
Cujus non potuit pondera ferre ratis.

AD CANDIDUM, PAROCHUM
vitæ improbæ.

Factus es ô populi Pastor mi Candide magni:
Ter tibi, terque tuo gratulor ergo gregi.
Aut mihi judicium minuit favor, aut tuus usquam
Non potuit talem grex habuisse patrem.
Non tibi vanarum est fastosa scientia rerum,
Quippe nec in populum est utilis illa tuum.
At raræ tibi sunt virtutes, sic tibi raros
Patribus ex priscis credo fuisse pares.
Quid faciant fugiantve tui, quo cernere possint,
Vita potest claro pro speculo esse tua.
Tantum opus admonitu est, ut te intueantur, & ut tu
Quæ facis, hæc fugiant: quæ fugis, hæc faciant.

E GRÆCO.

Naufragus hac situs est, jacet illa rusticus urna,
Ad styga sive solo par via, sive salo.

IN POSTHUMUM EPISCOPUM.

Præsul es, & merito præfectus Posthume sacris,
Quo magis in toto non erat orbe sacer.
Gaudeo tam magnum, tam sanctum gaudeo munus,
Tandem non temerè nunc, velut ante dari.
Nempe errare solet temerarius impetus: at te
Delectum magna sedulitate patet.
Namque ubi de multis tantummodo sumitur unus,
Sæpe malus casu, pessimus arte venit.
At te, de multis legitur si millibus unus,
Stultior haud possit, deteriorve legi.

DE BOLLANO.

Urticis lectum Bollano urentibus omnem
Insternunt socii, quum cubiturus erat.
Se tamen urticis ustum negat, haud negat illas
In tenebris nudum se reperisse tamen.
Unguibus aut igitur vitata carne necesse est,
Aut nudis tantùm dentibus inciderint.
Cum tamen in tenebris illæsus repperit herbas,
Urticas quanam repperit esse nota?

DE VULPE ÆGROTA ET LEONE,
Apologus.

Dum jacet angusta vulpes ægrota caverna,
Ante fores blando constitit ore leo:
Ecquid amica vales? citò me lambente valebis,
Nescis in lingua vis mihi quanta mea.
Lingua tibi medica est, vulpes ait: at nocet illud,
Vicinos quòd habet tam bona lingua malos.

DE LEONE ET LYSIMACHO.

Dum domitus placido leo lamberet ore magistrum,
Provocat exemplo quemlibet ipse suo.
Cumque diu ex tanta prodiret nemo corona,
Prosiliit forti pectore Lysimachus.
Ipse, ait, audebo linguam tetigisse leonis,
Sed tam vicinis dentibus haud faciam.

IN FABIANUM ASTROLOGUM.

Uno multa die de rebus fata futuris,
Credula quum de te turba frequenter amat.
Inter multa unum si fors mendacia verum est,
Illico vis Vatem te Fabiane putem.
At tu de rebus semper mentire futuris,
Si potes hoc, Vatem te Fabiane putem.

IN REGEM SCOTIÆ, QUI ARCEM
Norhamam proditam sibi tamen op-
pugnavit, dissimulans prodi-
tam esse.

Scote quid oppugnas Norhamam viribus arcem?
Antè tibi falsa proditione datam.
Artibus ergo malis capta fuit arce voluptas
Magna tibi forsan, sed brevis illa fuit.
Teque, tuisque mala (merita sed) morte peremptis,
Ars intra est paucos capta, recepta dies.
Proditor inque tuo peteret cum præmia regno,
Mors sceleri est merces reddita digna suo.
Proditor ut pereat, pereat cui proditur hostis,
Invicta in fatis arx habet ista suis.

EPITAPHIUM JACOBI REGIS
Scotorum.

Scotorum Jacobus Princeps, regno hostis amico,
Fortis & infelix hac ego condor humo.
Quanta animi fuerat, fidei vis tanta fuisset:
Cætera contigerant non inhonesta mihi.
Sed pudet heu jactare, queri piget: ergo tacebo,
Garrulaque O utinam fama tacere velis.
Vos tamen O Reges moneo, Rex nuper & ipse,
Ne sit (ut esse solet) nomen inane fides.

IN MALUM PICTOREM.

Exprimit egregia pictor mirabilis arte,
Dira canis pavitans ut fugit ora lepus.
Intima naturæ scrutatus viscera fingit,
In cursu leporem retro metu aspicere.

Tam bene qui leporem fugientem expresserit, opto,
Sit lepus, & fugiens ipse retro aspiciat.

IN EUNDEM.

Cum cane sic pictus lepus est, ut dicere nemo
Esset uterve canis, posset, uterve lepus.
Pictor ubi hoc didicit, quod inerti defuit arti,
Supplevit miro callidus ingenio.
Res ut aperta foret, longeque facesseret error,
Subscripsit tantum, est hic canis, iste lepus.

DE TYNDARO.

Non minimo insignem naso dum fortè puellam
Basiat, en voluit Tyndarus esse dicax.
Frustra ait ergo tuis mea profero labra labellis,
Nostra procul nasus distinet ora tuus.
Protinus erubuit, tacitaque incanduit ira,
Nempe parum salso tacta puella sale.
Nasus ab ore meus tua si tenet oscula, dixit,
Qua nasus non est, hac dare parte potes.

IN GERMANUM BRIXIUM FALSA scribentem de Chordigera nave Gallorum, & Herveo ejus duce.

Hervea dum celebras Brixi, tua carmina damnas.
Nam tibi scripta mala est res bene gesta fide.
Historiam spondes illa Germane poesi,
Quæ modò quum non sit vera, nec historia est.
Aut odio incipiant, aut indulgere favori,
Et quisnam historiis qui modò credat, erit?
Jamque nec ipse tuus per te laudem Herveus ullam
Sublata rerum possit habere fide.

IN EUNDEM, DE EODEM HERVEO & eadem nave, quæ in pugna navali conflagravit.

Brixius immerita quòd sustulit Hervea laude,
Quòd merito adversum fraudat honore ducem.
Quòd de Chordigera mendacia mille carina
Contrà quàm sese res habuere, canat:
Non equidem miror, neque pravo falsa favore,
Quod voluit prudens scribere, credo tamen.
Sed de Chordigera, vatem qui vera doceret,
Quivit adhuc reducem nemo referre pedem.
Ipse tamen (sciret quo certius omnia) dignus,
Qui media præsens nave fuisset, erat.

VERSUS EXCERPTI E CHORDIGERA Brixii, ad quos alludunt quædam epigrammata sequentia.

Circumeunt unum dextra, lævaque Britanni
Hervea, tela volant brumali grandine plura
In caput unius Hervei: quæ fortiter heros
Excutiens clypeo, contraria in agmina vertit.

POSTEA DE EADEM Chordigera.

Ipse suos Herveus comites hortatur, & instat,
Atque inter primos audax magno impete in hostes
Invehitur, ferit hos misso per tempora telo,
Transigit huîc gladio costas, huîc ilia nudat,
Decutit his caput impacta per colla bipenni,
His latus, his humeros hasta præstringit acuta.

EPIGRAMMA MORI, ALLUDENS ad Versus superiores.

Quod ferit hos Herveus misso per tempora telo,
Iliaque & costas transigit huîc gladio,
Decutit his caput impacta per colla bipenni,
His humeros hasta perforat atque latus:
Tum clypeo adversa quòd tela volantia parte
Fortiter excutiens unde volant, regerit.
Effugit hoc sensum, tot telis pugnet ut unus,
Isque cui clypeo est altera onusta manus.
Fortis huic pugnæ rerum natura repugnat,
Præteritum quiddam est hac puto parte tibi.
Namque ubi magnanimum produxeris Hervea, telis
Pugnantem pariter quattuor, & clypeo,
Fortè tibi exciderat: sed debuit antè moneri
Lector, tunc Herveo quinque fuisse manus.

ALIUD, DE EODEM.

Miraris clypeum, gladium, hastam, tela, bipennem,
Herveus quoque gerat belligeretque modo.
Dextera crudeli manus est armata bipenni,
Instructa est gladio sæva sinistra suo.
Jam telum, telique vicem quæ præbeat, hastam
Fortiter (impressis dentibus) ore tenet.
At quia tela caput brumali grandine plura
Involitant, clypeum collocat in capite.
Duritia capitis draco cesserit, ungue Celæno,
Sic elephas illi dentibus impar erat.
Ergo novum adversos monstrum procurrit in hostes,
Terribilis rictu, terribilisque manu.

HIC PRIMUS VERSUS BRIXII EST, quo Hervea jam moriturum de se facit vaticinantem.

Inter Phœbeos non aspernandus alumnos,
Hervei magna canit Brixius acta ducis.
Inter Phœbeos non aspernandus alumnos,
Herveum, hostes, socios, concremat atq; rates.
Inter Phœbeos non aspernandus alumnos:
Unde igitur vates, quæ cecinit, didicit?
Inter Phœbeos non aspernandus alumnos,
Phœbeo reliquum est audiat ex tripode.

IN EUNDEM, VERSUS POETARUM suffurantem.

Priscos Poetas nemo te colit magis,
Legitve diligentius.
Nam nemo priscis è Poetis omnibus
Est, cuius ipse ex versibus,
Non hinc & inde flosculos & gemmulas
Manu capaci legeris,
Vatem redonans tanto honore protinus,
Scriptis tuis ut inseras.
Beasque Vatem: nempe quæ tu congeris,
Suos parentes indicant,
Magisque resplendent tua inter carmina,
Quàm nocte lucent sidera.
Tantum decus Vati invidere nemini
Soles, amicus omnium,
Ne quis, decus prioris olim seculi,
Neglectus abs te defleat.
Ergo sacrati ne Poetarum modi
Longo situ obsolescerent,
Injuria tu vindicatos temporis
Novo nitore percolis.
Hoc est vetustis arte novitatem dare,
Qua re nihil felicius.
Ars O beata, quisquis arte isthac tamen
Vetusta novitati dabit,
Is arte nulla (quamlibet sudet diu)
Novis vetustatem dabit.

ALLU-

ALLUSIO AD CENOTAPHIUM Hervei.

Hervea cum Deciis unum conferre duobus,
Ætas te Brixi judice nostra potest.
Sed tamen hoc distant, illi quòd sponte peribant,
Hic periit, quoniam non potuit fugere.

PHOEBUS BRIXIUM ALLOQUITUR.

Vis de grandisono quid sentio scire libello,
Qui arma, necemq; Hervei bellipotentis habet?
Ergo sacer Phœbo sacra hæc oracula Vates
Accipe, Phœbæo reddita de tripode.
Una opere in toto deest syllaba, mille supersunt.
Plenum opus est: nam quid posset abesse minus?
Una uno hæc legitur, sed non legitur tibi mense,
Mens. *Et plus quàm medium syllaba mensis habet.*

IN BRIXIUM POETAM.

Brixi tale tuo natum est ænigma libello,
A Sphinge opponi possit ut Oedipodi.
Chordigera est tibi tota frequens, tibi non tamen usquam est
Cor. *Cordigeræ in toto syllaba prima libro.*

AD SABINUM, CUI UXOR absenti concepit.

Subsidium vitæ, seræ spes una senectæ,
Nata tibi est soboles, curre Sabine domum.
Curre, salutanda est uxor fœcunda, videnda est
Chara tibi soboles, curre Sabine domum.
Curre, inquam, ac propera, nimiumq; videbere lentus,
Quantumvis properes, curre Sabine domum.
Jam queritur conjux de te tua, jam tua de te
Conqueritur soboles, curre Sabine domum.
Nunquam ingratus ades, neq; cum soboles tibi nata (est,
Sed neq; cum genita est, curre Sabine domum.
Curre ut adesse, puer sacro dum fonte lavatur,
Nunc saltem possis, curre Sabine domum.

AD CANDIDUM LAUDANTEM sanctos viros, cum ipse esset malus.

Sæpe bonos laudas, imitaris Candide nunquam:
Laudo, inquis, posita Candidus invidia.
Nam quicunq; bonos imitatur, & æmulus idem est.
O lacte, ô nivibus Candide candidior.

QUIS OPT. REIPUB. STATUS.

Quæris uter melius, Rexne imperet, anne Senatus?
Neuter (quod sæpe est) si sit uterq; malus.
Sin sit uterq; bonus, numero præstare Senatum,
Inq; bonis multis plus reor esse boni.
Difficile est numerum forsan reperire bonorum,
Sic facile est unum sæpius esse malum.
Et fuerit medius sæpe inter utrumq; Senatus:
Sed tibi vix unquam Rex mediocris erit.
Consilioq; malus regitur meliore Senator,
Rex consultores sed regit ipse suos.
Alter ut eligitur populo, sic nascitur alter:
Sors hic cæca regit, certum ibi consilium.
Illeq; se factum populo, populum sibi factum,
Scilicet hic ut sint quos regat ipse putat.
Rex est in primo semper blandissimus anno,
Omni anno consul Rex erit ergo novus.
Rex cupidus longo populum corroserit ævo,
Si consul malus est, spes melioris adest.
Nec me nota movet, quæ pastam fabula muscam
Ferre jubet, subeat ne malè pransa locum.
Fallitur, expleri regem qui credit avarum,
Nunquam hæc non vacuam mittet hirudo cutem.
At patrum consulta gravis dissensio turbat,
Regi dissentit nemo: malum hoc gravius.
Nam quum de magnis varia est sententia rebus,
Quæstio sed tamen hæc nascitur unde tibi?
Estne usquam populus, cui regem sive senatum
Præficere arbitrio tu potes ipse tuo?
Si potes hoc, regnas: nec jam cui, consule, tradas
Imperium: prior est quæstio, an expediat.

DE FUSCO POTORE.

Potando Medicus perituros dixit ocellos
Fusco, qui cùm se consuluisset, ait:
Perdere dulcius est potando, quàm ut mea servem
Erodenda pigris lumina vermiculis.

AD AMICUM.

Littera nostra, tuis quantum mihi colligo scriptis,
Sera tibi veniet, nec tibi sera tamen.
Nec bello veniunt intempestiva peracto,
Quæ bello poterant tela juvare nihil.

DE REGE & RUSTICO.

Rusticus in sylvis nutritus venit in urbem,
Rusticior Fauno, rusticior Satyro.
En populus plena stetit hinc, stetit inde platea,
Unaq; vox tota, Rex venit, urbe fuit.
Rusticus insolita vocis novitate movetur,
Quidnam ita respectet turba, videre cupit.
Rex subitò invehitur, celebri præeunte caterva,
Aureus excelso conspiciendus equo.
Tum verò ingeminant, vivat rex: undiq; regem
Attonito populus suspicit ore suum.
Rusticus, ô ubi rex? ubi rex est? clamat: at unus,
Ille, ait, est illo qui sedet altus equo.
Hiccine rex? puto me derides, rusticus inquit,
Ille mihi picta veste videtur homo.

IN EPISCOPUM ILLITERATUM; de quo antè Epigramma est sub nomine posthumi.

Magne Pater clamas, occidit littera, in ore
Hoc unum, occidit littera, semper habes.
Cavisti bene tu, ne te ulla occidere possit
Littera, non ulla est littera nota tibi.
Nec frustra metuis ne occidat littera, scis non
Vivificet qui te spiritus esse tibi.

DE SACERDOTE RIDICULE ADmonente populum de jejunio, cum dies jam præterisset.

Admonuit populum noster cum fortè sacerdos,
Proxima quos fastos afferat hebdomada:
Martyris Andreæ magnum & memorabile festum est,
Scitis, ait, carus quàm fuit ille DEO.
Squallida lascivam tenuent jejunia carnem,
Hoc suetum est, sancti hoc instituere patres.
Præmoneo ergo omneis, in martyris hujus honorem,
Quòd jejunari debuit, inquit, heri.

DE QUODAM MALE CANTANTE, & bene legente.

Tam malè cantasti, possis ut Episcopus esse,
Tam bene legisti, ut non tamen esse queas.
Non satis esse putet, si quis vitabit utrumvis,
Sed fieri si vis præsul, utrumque cave.

AD SABINUM.

Quos antè conjux quattuor
Natos Sabine protulit,
Multum eccè dissimiles tibi,
Tuos nec ipse deputas.

Sed quem tibi puellulum
Enixa jam nuperrimè est,
Solum tibi simillimum
Pro quattuor complecteris.
Adulterinos quattuor
Vocas, repellis, abdicas.
Hunc unicum ceu γνήσιον,
Qui sit tibi hæres, destinas.
Hunc ergo in ulnis gestiens,
Exosculandum ab omnibus,
Ut filium fert simia,
Totam per urbem bajulas.
Atqui graves tradunt Sophi,
Quibus labor studiumq; id est,
Secreta quicquid efficit
Natura perscrutarier.
Ergo graves tradunt Sophi,
Quodcunq; matres interim
Imaginantur fortiter,
Dum liberis datur opera,
Ejus latenter & notas,
Certas & indelebiles,
Modoq; inexplicabili
In semen ipsum congeri:
Quibus receptis intimè,
Simulq; concrescentibus,
A mente matris insitam
Natus refert imaginem.
Quum tot abesses millibus,
Dum gignit uxor quattuor,
Quòd esset admodum tui
Secura, dissimiles parit.
Sed unus omnium hic puer
Tui refert imaginem,
Quòd mater, hunc dum concipit,
Sollicita de te plurimùm,
Te tota cogitaverat,
Dum pertimescit anxia,
Ne tu Sabine incommodus
Velutq; lupus in fabulam
Supervenires interim.

DE PRINCIPE & RUSTICO Selando, ridiculum.

Quum spectaret aquas princeps, in ponte resedit,
Primoresq; suos ante stetere pedes,
Rusticus adsedit, modico tamen intervallo,
Civilemq; dato se putat esse loco.
Suscitat hunc quidam, & cum principe, dixit, eodem
Ponte sedere audes rustice? nonne pudet?
Ille refert, scelus est in eodem ponte sedere?
Quid si pons longus millia dena foret?

DE AULICO, RIDICULUM.

Quum descendit equo, de circumstantibus uni
Aulicus hunc teneas quisquis es inquit, equum.
Ille, ut erat pavidus, dixit: Domine ergo ferocem
Hunc rogo qui teneat, sufficit unus, equum?
Unus ait potis est retinere, subintulit ille:
Si potis est unus, tu potes ipse tuum.

IN MILITEM FUGACEM, & annulatum.

Aureus iste manus miles cur annulus ornat,
Jure tuos ornet, qui meliore pedes?
Utilior nuper, meliorq; in Marte feroci
Planta tibi palmis una duabus erat.

IN TUSCUM POTOREM.

Perdis ait Tusco Medicus tua lumina vino,
Consultat secum quid velit ergo sequi.
Sidera, terra, fretumq; solent quæcunque videri,
Omnia sunt, inquit, visa revisa mihi.
Multa mihi, sed vina tamen gustanda supersunt,
Multa refert annus, quum nova musta novus.
Jam certus firmusq;, valebitis, inquit, ocelli,
Nempe satis vidi, non satis usque bibi.

IN ARNUM PERJURUM.

Jurasti satis Arne diu, tandem obtinuisti,
Jurare ut posthac jam tibi non sit opus.
Cœpit ubiq; tuo Vir juratissime verbo,
Quàm juramento non minor esse fides.

IN EUNDEM.

Et semper juras, & cunctis Arne minaris,
Vis scire utilitas quæ venit inde tibi?
Sic juras, ut nemo tibi jam denique credat:
Sic minitaris, ut has nemo minas metuat.

IN EUNDEM.

Arno nemo magis pedibus valet usque, sed olim
Frigore contractas perdidit ille manus.
Optat bella tamen, cui pes citus, utraq; manca est
Cui manus in bello, scis puto, quid faciet.
At cui lingua procax, manus est ignava, procax est
Huic non ignava lingua secanda manu.

DE MARULLO.

Admonuit Medicus lippum Theodore Marullum,
Ne vinum, cæcus ni velit esse, bibat.
Pareat ut Medico (quanquam ægrè) abstemius esse
Ecce duos totos sustinet usque dies.
Post sitit assueti revocatus imagine vini,
Jamq; foràs Medico vera minante ruit.
Ventum erat ad vinum, quum sic sua lumina mœstus
Affatur, posito jam peritura mero.
Hùc iter est, huc me fidi duxistis ocelli,
Nunc bibite, & dulces ambo valete duces.
Gustus odorq; manent, miratur abire colorem,
In nigras abeunt lumina dum tenebras.
Hoc tamen adversum lenit solamine casum,
Dote meri minima quòd cariturus erat.

IN RISCUM EQUITEM IMBELLEM.

Riscus eques prudens, longoq; peritus ab usu,
Dissimiles, causa non sine, pascit equos.
Namq; alit ille duos, volucrem præverterit alter,
Alter sed pigro pigrior est asino.
Hic ergo non festinantem ad prælia defert,
Ille prius tuba quàm clanxerit, inde refert.

IN GELLIAM.

Mentitur qui te dicit mea Gellia fuscam:
Judice me non es Gellia fusa, nigra es.

IN EANDEM.

Candida sum, dicis, fateor, sed candida quum sis,
Cur tibi candorem hunc obtegit atra cutis?

IN EUPARIPHUM VESTE, oppignorato fundo, empta.

Non miror sudare tua te pondere vestis,
Quattuor hæc terra jugera vestis habet.
Quantum viventi tibi terræ ingesseris usquam,
Tam magnum tumulum, nec tumulatus habet.

IN GAREMANUM, VENDITIS agris pauperem.

En patrios nuper Garemanus vendidit agros,
Nunc subitò fama vivere fertur inops.

Non illi ingenium, non illi industria desit:
Verum inimica Viro fata nocere puto.
Nam putres fulvo glebas mutaverat auro
Callidus, & nunquam rem tamen ille facit.

AD SABINUM.

Interiêre duæ, conjux tibi tertia nupsit,
Nec tibi fida tamen de tribus ulla fuit.
Non tantum ergo tuas, sed damnas improbe totum
Fœmineum irata mente Sabine genus.
Si tamen hanc æqua rem vis expendere lance,
Fies erga ipsas mitior ipse tuas.
Nam tres quum fuerint iîsdem tibi moribus omnes,
Astra hæc nascenti fata dedere tibi.
Si genesis tua te semper jubet esse cuculum,
Scilicet expectas uxor ut astra regat?
Casta futura alii fuerat: quòd adultera tecum est,
Hoc meritò fatis imputat illa tuis.

IN NAUFRAGUM MORSUM à vipera in littore. è Græco.

Æquoris insanas evasit naufragus undas,
Tristius Afra salo præbet arena solum.
Dum jacet ecce gravi pressus prope littora somno
Nudus, & infesto fessus ab usq; freto:
Vipera trux perimit: frustra fugis æquora frustra,
Heu miser, in terris debita fata tibi.

DE CHIRURGO & ANU.

Unxit anus ægros velans Chirurgus ocellos,
Utile persuadens hoc fore quinq; dies.
Interea mappas, pelves, mortaria, discos,
Quicquid onus tutum non facit, inde rapit.
Quum sanata oculos circumtulit illa revinctos,
Instrumenta suæ sentit abesse domus.
Mercedem ergo exacta, tua contingeret, inquit,
Uberior pactum est ut mihi visus ope. (est:
At video nunc quam antè minus, quorum usus in æde
Vidi multa prius, nunc video inde nihil.

AD QUENDAM LEVEM.

Quàm tibi mens levis est, tibi si pes tam levis esset,
In medio leporem posses prævertere campo.

DE HERODE & HERODIADE.

Coram Herode Herodiadis dum filia saltat,
Dum quo debuerat displicuisse placet,
Ebrius affectu rex conjugis, ebrius illo
Fortunæ luxu, prætereaq; mero:
Opta ait ô Virgo, dabitur, juravimus, hujus
Dimidium regni poscere si libeat,
Impia suggestu sceleratæ filia matris,
Inquit: Baptistæ da precor ergo caput.
Dona petis Virgo (si saltatricula Virgo est)
Quæ vix sustineas cernere dona petis.
O funesta parens, ô nata dira noverca,
Saltare, atq; homines quam jugulare doces.
Rex dolet, & tristis concedit, nempe coactus
Jurisjurandi relligione sui.
O regem fidum, sed tunc tantummodo fidum,
Majus perfidia est quum scelus, ipsa fides.

AD QUENDAM EBRIOSUM.

Tecum in colloquium quòd non properantius ivi,
Segniciem incusas, conquererisq; meam.
Confiteor verè, tibi non in tempore veni,
Serior aut citior debuit hora legi.
Aut utinam ejusdem venissem mane diei,
Aut tibi venissem mane sequente die.
Nunc res luce nimis tractari cœpit adulta,
Quando tua factum est ebrietate nihil.

IN PICTURAM HERODIANÆ mensæ.

Sanguine funesta est Herodis mensa virili,
Sanguine funesta est mensaq; Flaminii.
Tam similes cædes similes fecere puellæ,
Illam saltatrix obtinet, hanc meretrix.
Id tamen intererat, meretrici vita nocentis,
At saltatrici penditur innocui.

IN EANDEM PICTURAM.

Ora viri fœdo sancti fluitantia tabo,
Decussumq; gerit regia mensa caput.
Corpora sic regi rex Atreus ambo Thyesti
Natorum apposuit frater edenda patri.
Sic regi Odrysio natum regina peremptum
Fida soror, genitrix perfida ponit Itym.
Talia regales ornant bellaria mensas:
Crede mihi, non est pauperis iste cibus.

IN VEHEMENTER NASUTUM. è Græco.

Si tuus ad solem statuatur nasus, biante
Ore, bene ostendas dentibus, hora quota est.

IN FUCATUM. è Græco.

Cur emitur fucus, coma, dens, mel, ceraq;: posset
Quum persona tibi tota minoris emi?

IN HISTRIONEM. è Græco.

Cætera ad historiam, quiddam tamen, id quoque magnum,
Jam tibi saltatum contra erat historiam.
Dum Nioben ageres, stabas tanquam lapis esses:
Quum fieres Canapeus, ecce repentè cadis.
At Canacem gladio referens, quum vivus abisti,
Hoc tibi saltatum contra erat historiam.

IN HISTRIONEM. è Græco.

Saltavit Nioben, saltavit Daphnida Memphis:
Ligneus ut Daphnen, saxeus ut Nioben.

SOBRIOS ESSE DIFFICILIORES. è Græco.

Vespere quum bibimus, homines sumus atq; benigni:
Mane homini siccus trux fera surgit homo.

IN ANDREAM IN MARE vomentem.

Gratus es Andrea, dignusq; cui bene fiat,
Nam pisces toties qui te pavêre, repascis.

DE EODEM.

Æquoris edisti piscis, irascitur æquor:
Eq; tuo fœtus exigit ore suos.

IN PUELLAM DIVARICATIS tibiis equitantem.

Ergo puella viri quis te negat esse capacem,
Quum tua tam magnum circũdant crura caballum?

AD GALLUM SUBLEGENTEM veterum Carmina.

Vatibus idem animusq;, & verè spiritus idem,
Qui fuit antiquis, est modò Galle tibi.
Carmina namq; eadem, versusq; frequenter eosdem,
Quos fecere illi, tu quoque Galle facis.

IN SCURRAM PAUPEREM.

Scurra ubi jam fures totam sibi nocte videret
Scrutantes magna sedulitate domum:
Risit, & ô media quid vos hic nocte videtis?
Miror, ait, media nil ego cerno die.

DE SOLICITA POTENTUM vita.

Semper habet miseras immensa potentia curas,
Anxia perpetuis sollicitudinibus.
Non prodit multis nisi circumseptus ab armis,
Non nisi gustato vescitur antè cibo.
Tutamenta quidem sunt hæc: tamen hæc male tutum
Illum, aliter tutus qui nequit esse, docent.
Nempe satellitium metuendos admonet enses:
Toxica prægustans esse timenda docet.
Ergo timore locus quisnam vacat hic? ubi gignunt,
Hæc eadem pellunt, quæ metuenda, metum.

IN PRIVIGNUM, COLLAPSA novercæ statua oppressum. è Græco.

Flore novercalem cingis privigne columnam,
Morte ratus mores interiisse malos.
Te tamen illa premit subitò inclinata: novercæ,
Si privigne sapis, ipsa sepulchra, fuge.

AD QUENDAM POETAM extemporalem.

Hos quid te scripsisse mones ex tempore versus?
Nam liber hoc loquitur, te reticente, tuus.

IN NOVERCAS. è Græco.

Privigno vel amans infortunata noverca est:
Hippolyto gravis hoc Phædra docere potest.

IN QUENDAM QUI DICEBAT, Carminibus suis non defuturum genium.

Hoc habet Hispani festivum epigramma Poetæ,
Victurus genium debet habere liber.
Dum legis hunc versum, jam tu quoque scribere versus
Tota mente paras, sed sine mente tamen.
Quæve canas, qualive modo contemnis: ea est spes,
Victura hæc genio qualiacunque suo.
Namque tuis genium vir tam geniose Camœnis,
Non dubitas aliquem mox alicunde fore.
Tu tamen & cariturus erit tuus hic liber, opta
Ut careat genio, qui caret ingenio.
Cui genius vitam producat si quis, erit quis
Ex geniis, adsunt qui tibi mille, malis.
Sed neque sic vivet, vati si credis eidem,
Nam non vivere, sed vita, valere bene, est.
Quòd si vita libri est jugi languescere probro,
Detur & æterna vivere morte tibi.

DE CUPIDITATE REGNANDI.

Regibus è multis regnum cui sufficit unum,
Vix rex unus erit, si tamen unus erit.
Regibus è multis regnum bene qui regat unum,
Vix tamen unus erit, si tamen unus erit.

DE DEDITIONE NERVIÆ Henrico VIII. Angliæ Regi.

Belliger invictam domuit te Nervia Cæsar,
Non tamen extremis absque utriusque malis.
Te capit Henricus, capit & sine sanguine, princeps
Magno tam major Cæsare quàm melior.
Sensit honorificum sibi rex cepisse, tibique
Utile sensisti non minus ipsa capi.

DE FABULLA & ATTALO.

Fabulla nuper nescio quid Attalo
Irata, & illum commovere gestiens,
Ostendereque quàm prorsus hunc nihili putet,
Juravit illi, si sibi centum forent
Membra, mulier quibus fit, è centum tamen
Præstare dignaretur haud unum Attalo.
Non inquit ille? quæ, malum, est isthæc nova
Frugalitas tibi? quæve parsimonia?
Certè solebas esse liberalior.
Unum ne de centum gravareris modò
Avara commodare? at aliquando unicum
Tantum quum haberes, unicum tamen viris
Centum solebas dare benigna centies.
Heu metuo ne quid ista portendat tibi
Monstrosa tandem parcitas, magni mali.

DE FEBRICITANTE, & MEDICO bibaci.

Febre laboraret mihi quum puer hemitritæo,
Fortè ibi Sauromatæ posco medentis opem.
Sensit ut admoto salientem pollice venam,
Fortis, ait, calor est, sed calor ille cadet.
Flagitat ergo cyphum, fundumque exhaurit ad imum,
Quantum nec Bitias ebibiturus erat.
Haurit, ad æquales ægrotum provocat haustus,
Et facere hoc temerè ne videatur, ait:
Æstuat hic valde, valde bibat ergo necesse est,
Non parvo obruitur magna liquore pyra.

DE HESPERO CONFITENTE.

Ex more sacro dum Sacerdoti Hesperus
Commissa fassus expiaret crimina,
Explorat hujus ille conscientiam,
Et cautus omne examinat scelerum genus:
Interque multa quærit, an unquam malos
Ritu prophano crediderat in dæmonas.
Vah ego ne credam in dæmones, inquit, Pater?
Multo labore vix adhuc credo in Deum.

DE OCCASIONE DEO. è Græco.

Unde erat hic plastes? Sicyonius. At quis erat? dic:
Lysippus, tu quis? tempus ego omne domans.
Cur summis instas digitis? roto semper. At alas
Cur pedibus gestas? ut levis aura feror.
At dextram cur armat acuta novacula? signum est,
Quòd conferri acies non potis ulla mihi est.
Cur coma fronte jacet? quòd qui me prendere captat,
Præveniat. Calvum est cur tibi retrò caput?
Quòd postquam levibus præceps effugero pennis,
Nil aget à tergo qui revocare volet.
Unde igitur posses documentum sumere, talem
Artificis posuit me tibi docta manus.

DE PHYLLIDE & PRISCO, impariter amantibus.

Tam Phyllis Cupido bene nubet candida Prisco,
Quàm bene spumanti vitrea lympha mero.
Phyllida Priscus amat calido ferventius igne,
Frigidius gelida Priscus amatur aqua.
Jungetur tutò, nam si simul ardeat illa,
Sustineat flammas quæ domus una duas?

DE NUMMIS ANTIQUIS APUD Hieronymum Buslidianum servatis.

Roma suis olim Ducibus quàm debuit, illi
Tam debent omnes Buslidiane tibi.
Roma suis Ducibus servata est: ipse reservas
Romanos Roma præmoriente duces.
Nam quæ Cæsareos antiqua numismata vultus,
Aut referunt claros tumve priusve viros;
Hæc tu sæclorum studio quæsita priorum
Congeris, & solas has tibi ducis opes.
Cumque triumphales densus cinis occulat arcus,
Ipse triumphantum nomen & ora tenes.

Nec jam Pyramides Procerum monumenta suorum
Tam sunt, quàm pyxis Buslidiane tua.

AD EUNDEM.

Ecquid adhuc placidam mi Buslidiane Camœnam
Tua coërces capsula?
In tenebras abdis cur dignam luce, quid illi?
Quid invides mortalibus?
Musæ fama tuæ toto debetur ab orbe,
Quid huic repellis gloriam?
Gratus ab hac fructus toti debetur & orbi,
Quid unus obstas omnibus?
An tibi casta procul cœtu cohibenda virili
Cohors videtur virginum?
Sunt hæc virginibus fateor metuenda, sed illis
Devirginari quæ queunt.
Ede tuam intrepidus pudor est inflexilis illi,
Nec is rudis, vel rusticus.
Ut tua non ipsi cessura est virgo Dianæ,
Pudore grata lacteo:
Sic tua non ipsi cessura est Virgo Minervæ,
Sensu, lepôre, gratia.

AD BUSLIDIANUM DE ÆDIBUS Magnificis Mechliniæ.

Culta modò fixis dum contemplabor ocellis
Ornamenta tuæ, Buslidiane, domus;
Obstupui, quonam exoratis carmine fatis
Tot rursus veteres nactus es artifices?
Nam reor illustres vafris ambagibus ædes,
Non nisi Dædaleas ædificasse manus.
Quod pictum est illic, pinxisse videtur Apelles:
Quod sculptum, credas esse Myronis opus.
Plastica quum video, Lysippi suspicor artem:
Quum statuas, doctum cogito Praxitelem.
Disticha quodq; notant opus, at quæ disticha vellet,
Si non composuit, composuisse Maro.
Organa tam varias modulis imitantia voces,
Sola tamen veteres vel potuisse negem.
Ergo domus tota est vel sæcli nobile prisci,
Aut quod prisca novum sæcula vincat, opus.
At domus hæc nova nunc, tardè seroq; senescat,
Tunc videat Dominum, nec tamen usque, senem.

DE PHILOMENO & AGNA, conjugatis mala fide.

En redeunt nostro Veneris miracula sæclo,
Qualia nec prisco tempore facta reor;
Flos juvenes inter Philomenus, & Agna puellas,
Junguntur Paphiæ ritè favore Deæ.
Ille sed heu nimium laudata voce superbit,
Illa tumet placidi laudibus ingenii.
Ergo conjugium votis tam sæpe petitum,
Non Veneri acceptum, sed retulere sibi.
Ingratis adimit formam Dea, neve coirent
Mutati, dispar indit utriq; genus.
Mox Philomenus avem quavis æstate canentem
In cuculum: inq; avidam vertitur Agna lupam.

MEDICINÆ AD TOLLENDOS fœtores anhelitus, provenientes à cibis quibusdam.

Sectile ne tetros porrum tibi spiret odores,
Protinus à porro fac mihi cepe vores.
Denuò fœtorem si vis depellere cepæ,
Hoc facile efficient allia mansa tibi.
Spiritus at si post etiam gravis allia restat,
Aut nihil, aut tantum tollere merda potest.

AD LECTOREM DE NOVO TEstamento, verso ab Erasmo Roterodamo.

Sanctum opus, & docti labor immortalis ERASMI
Prodit, & ô populis commoda quanta vehit!
Lex nova nam veteri primum est interprete læsa,
Scribentum varia post vitiata manu.
Sustulerat forsan mendas Hieronymus olim,
Sed periere pigro tam bona scripta situ.
Tota igitur demptis versa est jam denuò mendis,
Atq; nova Christi lex nova luce nitet.
Nec tamen ambitiose singula verba notavit,
Sanctum habuit quicquid vel mediocre fuit.
Quo fit ut hæc celeri si quis prætervolet ala,
Huic nihil hic magni fortè putetur agi.
Idem si presso relegat vestigia gressu,
Censebit majus commodiusve nihil.

AD REVERENDISSIMUM THOMAM Cardinalem & Archi-Episcopum Eboracensem; in librum Novi Testamenti, ei ab Erasmo datum.

Unice Doctorum Pater ac Patrone Virorum,
Pieridum pendet cujus ab ore chorus,
Cui populus quantum defert & cedit honore,
Virtutes infra est tantum honor ipse tuas.
Ab liber iste tuo longè tibi venit ERASMO,
Hunc precor hoc animo quo dedit ipse, cape.
Nec dubito, capies: operi nam jure favorem
Autor, & Autori conciliabit opus.
Ille tui cultor semper fuit, est opus ipsum
Lex Christi, studium quæ fuit usque tuum.
Illa paratur ab hac prudens tibi lege facultas,
Qua Momo coram reddere jura potes.
Namq; ita perplexas populo mirante querelas
Discutis, ut victus queat non ipse queri.
Non humana tibi facit hoc sollertia, sed lex
Christi, judiciis unica norma tuis.
Ergo opus hoc placido Præsul dignissime vultu
Excipe, & Autori, quod facis, usq; fave.

AC REVERENDISSIMUM ARCHI-Episcopum Cantuariensem.

Quod bene sunt collata tuo pie Præsul ERASMO
Tanta tua toties munera prompta manu,
Quàm non ducat iners quæ tu facis otia; monstrant
Multa, sed in primis indicat illud opus.
Ediderit quamvis numerosa volumina, fructu
Non sine, vincit opus cuncta priora novum.
Cunctorum utilitas, sed honor te est inter & illum:
Præstitit ille operam, tu bone Præsul opem.
At partem ille suam toto tibi pectore cedit,
Quicquid agit, meritis imputat omne tuis.
Hunc petit ille sui fructum Pater alme laboris,
Carus ut hoc tu sis omnibus, ille tibi.

EPITAPHIUM IN SEPULCHRO Johannæ, olim uxoris Mori, destinantis idem sepulchrum & sibi & Aliciæ, posteriori uxori.

Chara Thomæ jacet hoc Johanna uxorcula Mori,
Qui tumulum Aliciæ hunc destino, quiq; mihi.
Una mihi dedit hoc conjuncta virentibus annis,
Me vocet ut puer & trina puella Patrem.

Altera privignis (quæ gloria rara novercæ est)
Tam pia, quam gnatis vix fuit ulla suis.
Altera sic mecum vixit, sic altera vivit,
Charior incertum est, hæc sit, an hæc fuerit.
O simul, ô juncti poteramus vivere nos tres
Quàm bene, si fatum relligioq; sinant.
At societ tumulus, societ nos obsecro cœlum.
Sic mors, non potuit quod dare vita, dabit.

AD SE GESTIENTEM LÆTITIA, quod evaserat tempestatem.

Quid juvat insanas maris evasisse procellas?
Lætitia est, ut non sit tibi vana, brevis.
Talis febre quies ægris intermicat, illæ
Dum per acerba status itq; reditq; vices.
Quàm te plura manent optata tristia terra,
In rapido fuerant quàm subeunda freto?
Aut ferrum, aut varii præcedent funera morbi,
Quorum uno est quovis mors minus ipsa gravis.
Quin eadem tumidas frustra vitata per undas,
Te premet in plumis insidiosa tamen.

IN PINGUEM QUENDAM PAtrem, cui frequens erat in ore, Scientia inflat.

Quemlibet inflat ais vel teste scientia Paulo,
Hanc fugis: unde igitur tu Pater ample tumes?
Vix gestas crasso turgentem abdomine ventrem,
Inflaturq; levi mens tibi stultitia.

IN CHELONUM.

Cur adeò invisum est pigri tibi nomen aselli?
Olim erat hoc magnus Chelone Philosophus.
Ne tamen ipse nihil differre puteris ab illo,
Aureus ille fuit, plumbeus ipse magis.
Illi mens hominis asinino in corpore mansit:
At tibi in humano est corpore mens asini.

DE FELE & MURE.

Muscipula exemptum feli dum porrigo murem,
Haud avido prædam protinus ore vorat.
Sed trepidum in media captivum exponere terra
Sustinet, & miris ludere læta modis.
Adnutat cauda, tremulis inspectat ocellis,
Et lasciva caput jactat in omne latus.
Molliter attonitum pede suscitat ire parantem,
Corripit, inq; vicem datq; negatq; viam.
Mox pede sublimem jaculatur, & excipit ore,
Deinde abit, & falsæ spem facit usq; fugæ.
Excubat, & saltu fugientem læta reprendit
Protinus, inq; locum quo fuga cœpta redit.
Digrediturq; iterum, mirandoq; improba sensu
Quæ misero mens est experimenta capit.
Hoc dum sæpe facit, securaq; longius exit,
Mus rimam subitò repperit & subiit.
Illa cito revocata gradu frustra obsidet antrum,
Hic latebra tectus tutus ab hoste fuit.
Muscipula occiderat, nisi quòd tutela salusq;
Feles, interitus quæ solet esse, fuit.

GRATULATUR, QUOD EAM REpererit incolumem, quam olim fermè puer amaverat.

Vivis adhuc, primis ô me mihi charior annis,
Redderis atque oculis Elisabetha meis.
Quæ mala distinuit mihi te fortuna tot annos,
Panè puer vidi, panè reviso senex.
Annos vita quater mihi quattuor egerat, inde
Aut duo defuerant, aut duo panè tibi.
Quum tuus innocuo rapuit me vultus amore,
Vultus, qui quo nunc fugit ab ore tuo?
Cum quondam dilecta mihi succurrit imago,
Hei facies quàm nil illius ista refert.
Tempora quæ, teneræ nunquam non invida formæ,
Te rapuere tibi, non rapuere mihi.
Ille decor nostros toties remoratus ocellos,
Nunc tenet à vultu pectora nostra tuo.
Languidus admoto solet ignis crescere flatu,
Frigidus obruerat quem suus antè cinis.
Tuq; facis quamvis longè diversa priori,
Ut micet admonitu flamma vetusta novo.
Jam subit illa dies quæ ludentem obtulit olim
Inter virgineos te mihi prima choros.
Lactea cum flavi decuerunt colla capilli,
Cum gena par nivibus visa, labella rosis.
Cùm tua perstringunt oculos duo sidera nostros,
Perq; oculos intrant in mea corda meos.
Cum velut attactu stupefactus fulminis hæsi
Pendulus à vultu tempora longa tuo.
Cum sociis risum exhibuit nostrisq; tuisq;
Tam rudis & simplex & malè tectus amor.
Sic tua me cepit species: seu maxima verè,
Seu major visa est quàm fuit, esse mihi:
Seu fuit in causa primæ lanugo juventæ,
Cumq; nova suetus pube venire calor:
Sidera seu quædam nostro communia natu
Viribus afflarant utraq; corda suis.
Namq; tui consors arcani conscia pectus
Garrula prodiderat concaluisse tuum.
Hinc datus est custos, ipsisq; potentior astris
Janua, quos vellent illa coire vetat.
Ergo ita disjunctos diversaq; fata secutos,
Tot nunc post hyemes reddidit ista dies.
Ista dies qua rara meo mihi lætior ævo,
Contigit occursu sospitis alma tui.
Tu prædata meos olim sine crimine sensus,
Nunc quoque non ullo crimine cara manes.
Castus amor fuerat, ne nunc incestior esset,
Si minus hoc probitas, ipsa dies faceret.
At superos, qui lustra boni post quinque valentem
Te retulere mihi, me retulere tibi,
Comprecor, ut lustris iterum post quinque peractis
Incolumis rursus contuar incolumem.

THOMAS MORUS MARGARETHÆ, Elisabethæ, Ceciliæ, ac Joanni, dulcissimis liberis S. P.

Quattuor una meos invisat epistola natos,
Servet & incolumes à Patre missa salus.
Dum peragratur iter, pluvioq; madescimus imbre,
Dumq; luto implicitus sæpius hæret equus:
Hoc tamen interea vobis excogito carmen,
Quod ratum, quanquam sit rude, spero fore.
Collegisse animi licet hinc documenta paterni,
Quanto plus oculis vos amet ipse suis:
Quem non putre solum, quem non male turbidus aër,
Exiguusq; altas trans equus actus aquas,
A vobis poterant divellere, quo minus omni
Se memorem vestri comprobet esse loco.

Nam crebrò dum nutat equus, casumq; minatur,
Condere non versus desinit ille tamen:
Carmina quæ multis vacuo vix pectore manant,
Sollicito patrius ritè ministrat amor.
Non adeò mirum si vos ego pectore toto
Complector, nam non est genuisse nihil.
Provida conjunxit soboli natura parentem,
Atque animos nodo colligat Herculeo.
Inde mihi teneræ est illa indulgentia mentis,
Vos tam sæpe meo sueta fovere sinu.
Inde est vos ego quòd soleo pavisse placenta,
Mitia cum pulchris & dare mala pyris.
Inde quòd & Serum textis ornare solebam,
Quòd nunquam potui vos ego flere pati.
Scitis enim quàm crebra dedi oscula, verbera rara,
Flagrum pavonis non nisi cauda fuit.
Hanc tamen admovi timideq; & molliter ipsam,
Ne vibex teneras signet amara nates.
Ah ferus est, diciq; Pater non ille meretur,
Qui lacrymas nati non fleat ipse sui.
Nescio quid faciant alii, sed vos bene scitis
Ingenium quàm sit molle piumq; mihi.
Semper enim quos progenui vehementer amavi,
Et faci'is (debet quod Pater esse) fui.
At nunc tanta meo moles accrevit amori,
Ut mihi jam videar, vos nec amasse prius.
Hoc faciunt mores puerili ætate seniles,
Artibus hoc faciunt pectora culta bonis:
Hoc facit eloquio formatæ gratia linguæ,
Pensaq; tam certo singula verba modo.
Hæc mea tam miro pertentant pectora motu,
Astringuntq; meis nunc ita pignoribus:
Ut jam quod genui, quæ patribus unica multis
Causa est, adfectus sit propè nulla mei.
Ergo natorum carissima turba meorum,
Pergite vos vestro conciliare patri.
Et quibus effectum est vobis virtutibus istud,
Ut mihi jam videar vos nec amasse prius,
Efficitote (potestis enim) virtutibus iisdem,
Ut posthac videar vos nec amare modò.

EXCUSAT, QUOD DUM LOQUEretur cum eximio quodam Patre, nobilem quandam Matronam ingressam thalamum, atque aliquandiu colloquentibus illis adstantem, non animadverterat.

Quum tua dignata est bonitas me visere nuper,
Atque humilem, Præsul magne, subire casam:
Interea dum verba seris tam dulcia mecum,
Penderem ut vultu totus ab ipse tuo:
Ecce (quod ah mihi sero mei retulere ministri,
Nempe ubi tot res est acta diebus) heri
Matrona ingreditur, cultu spectanda superbo,
Sed quem forma tamen vicit, & hanc probitas:
Venit in usq; torum, stetit & mihi tempore longo
Proxima, contingens & cubito cubitum.
Inspicit antiquæ selecta numismata formæ,
Claraq; tam claris gaudet imaginibus.
Sumere dignatur tenuis bellaria mensæ,
Venit & à dulci dulcior ore sapor.
Nostra nec in tantum vertuntur lumina lumen,
O mihi plus ipso nate stupore stupor.
Nunc ignosco mei quòd non monuere ministri,
Tam stupidum certè nemo putavit herum.
Oh oculos, longè qui prospexisse solebant,
Si qua refudisset tale puella jubar.
An senui? torpentq; meo mihi corpore sensus?
Surgenti an genius mane sinister erat?
An tu, ne nisi te quicquam sentire valerem,
Surpueras lepido me mihi colloquio?
Arte lyraq; feras in se converterat Orpheus,
In te mellifluis vertor & ipse sonis.
Sed tuus intentat magnum lepor iste periclum,
Neglectam sese ne putet illa mihi.
Hospita ne limis quum tam propè staret, ocellis
Vidisse, & visam dissimulasse ferar.
At vel hiulca prius mihi terra dehisceret optem,
Quàm sit in hoc animo tam fera barbaries,
Ut si quando, leves veluti mihi missa per auras,
In thalamum penetret candida nympha meum,
Non saltem aspiciam (si plura licere negetur)
Quaq; licet memet candidus insinuem.
Ut miserum est non posse loqui? nam cuncta fatetur,
Qui sermonis inops nulla negare potest.
Nunc mihi sermonis quia non est copia Galli,
Quæ sola est dominæ patria lingua meæ.
Omnibus absolvar, non excusabimur uni,
Judice qua, causa statq; caditq; mea.
Vulnus ab Æmonia qui quondam pertulit hasta,
Rursus ab Æmonia est cuspide nactus opem.
Dedecus hoc lepidæ quoniam peperere fabellæ,
Quum dominæ & mihi me surripuere tuæ:
Dedecus hoc lepidæ debent purgare fabellæ,
Meq; meæ dominæ conciliare tuæ.

VERSUS SUMPTI EX ANTIMORO Brixii, ad quos alludit Epigramma quod subjungitur.

Hæc mihi dictanti adstabant diræ auribus omnes,
Et furiæ infernis concita turba vadis.
A lecto, & sacris caput irretita colubris,
Tisiphone, & terrens ore Megæra truci.

MORUS.

Brixius audivit postquam id reprehendere multos,
Quod falsa tantum scriberet.
Corrigere ut possit vitium hoc, aliquid modo visum est,
Verum quod esset, edere:
Quod foret indubium, quod verum nemo negaret,
Authore quanquam Brixio.
Vix reperit quicquam cui non tamen ipsius omnem
Eidem elevaret vanitas.
Ast ubi dispexit, mentemq; per omnia torsit
Deliberandus diu:
Unum tandem, omnes una quod voce fatentur,
Omni esse vero verius,
Invenit, & scribit lepidum lepidissimus omnes
Cingere caput sibi furias.

IN

IN CHORDIGERAM NAVEM, ET Antimorum sylvam Germani Brixii Galli.

Brixius en Germanus habet sylvamq; ratemque,
Dives opum terra, dives opum pelago.
Utraq; vis illi quid præstat scire? vehuntur
In rate stultitiæ, sylvam habitant furiæ.

IN HUNC HENDECASYLLABUM, imò tredecim syllabarum versum Germani Brixii Galli, ex Anti-Moro sumptum.

Excussisse, hominumq; in ora protulisse.

MORUS.

Quòd versus adeò faceres enormiter amplos,
Quàm nemo antiquus, nemo Poëta novus:
Sæpe diu mecum miratus quærere cœpi,
Accidit hoc Brixi qua ratione tibi?
At tandem didici, metiri te tua suetum
Non numero aut pedibus carmina, sed cubitis.

IN IDEM.

Carmina Germani quod in hendecasyllaba Lector
Syllaba conjecta est terna super decimam,
Da veniam: haud didicit tantum numerare, ut ab uno
Ordine perveniat rectus ad undecimum.
Nolo mihi numeret stellas, aut æquoris undas,
Criminave (hoc plus est) carminis ipse sui.
Pergama si numeret quot sunt obsessa per annos,
Si poterit Musas dinumerare novem,
Octo pedes cancri, septena vel ostia Nili,
Fastorumve libros qui tibi Naso manent.
Si numeret cœli plagas, Phœbive caballos,
Tres numeret furias, ter tribus ipse furens.
Ipse suos (sed ne certem sine pignore, dura
Si vincar vinci conditione volo:)
Ipse suos oculos (quum sint duo) si numerarit,
Unum ego tunc patiar perterebretis ei.



THOMÆ MORI
DIALOGI LUCIANEI,
è Græcis
IN LATINUM SERMONEM CONVERSI,
Adjecta
DECLAMATIONE,
Qua Luciani Tyrannicidæ respondetur.



Francofurti ad Mœnum,
EX OFFICINA
CHRISTIANI GENSCHII.



Ornatissimo Doctissimoque Viro

THOMÆ RUTHALO,

Regio apud Anglos Secretario,

THOMAS MORUS

S. P. D.

SI quisquam fuit unquam, Vir Doctissime, qui Horatianum præceptum impleverit, voluptatemque cum utilitate conjunxerit, hoc ego certè Lucianum inprimis puto præstitisse. Qui & superciliosis abstinens Philosophorum præceptis, & solutioribus Poëtarum lusibus, honestissimis simul & facetissimis salibus, vitia ubique notat atque insectatur mortalium. Idque facit, tam scitè, tantaque cum fruge, ut quum nemo altius pungat, nemo tamen sit, qui non æquo animo illius aculeos admittat. Quod quum nunquam non egregiè faciat, fecisse tamen mihi singulari quodammodo videtur in tribus his Dialogis, quos ob idipsum è tanto festivissimorum numero potissimum delegi, quos verterem, aliis tamen alios fortasse longè prælaturis. Nam ut è virginibus non eandem omnes, sed alius aliam, pro suo cujusque animo præfert, deamatque, non quam præcipuam tuto possit asserere, sed quæ sibi videatur: ita è lepidissimis Luciani Dialogis, alius alium præoptat, mihi certè isti præcipuè placuerunt, neque temerè tamen (uti spero) neque soli. Nam ut à brevissimo incipiam, qui Cynicus inscribitur, quique posse videatur ipsa brevitate contemni, nisi nos Horatius admoneret, sæpe etiam in exiguo corpore vires esse præstantiores: ipsique minimas etiam gemmas esse videremus in pretio. In ejus ergo delectu honorifico calculo mecum suffragatus est Divus Joannes Chrysostomus, Vir acerrimi judicii, Doctorum fermè omnium Christianissimus, & Christianorum (ut ego certè puto) doctissimus, quem usqueadeò Dialogus hic delectabat, ut bonam ejus partem in Homiliam quandam, quam in Joannis Evangelium commentatus est, inseruerit. Neque id immeritò. Quid enim placere Viro gravi, vereque Christiano debuit, quàm is Dialogus, in quo dum aspera, parvoque contenta Cynicorum vita defenditur, mollis atque enervata delicatorum hominum luxuria reprehenditur? Nec non eadem opera, Christianæ vitæ simplicitas, temperantia, frugalitas, denique arcta illa atque angusta via, quæ ducit ad vitam, laudatur. Jam Necromantia (nam hic secundo Dialogo titulus est) non satis auspicato vocabulo, sed materia tamen felicissima, quàm salsè taxat, vel Magorum præstigias, vel inania Poetarum figmenta, vel incertas quavis de re Philosophorum inter se digladiationes? Superest Philopseudes, qui non fine Socratica Ironia totus versatur (id quod titulus ipse declarat) in ridenda, coarguendaque mentiendi libidine: Dialogus nescio certè lepidiorne, an utilior. In quo non valde me movet, quod ejus animi fuisse videatur, ut non satis immortalitati suæ confideret, atque in eo fuisse errore, quo Democritus, Lucretius, Plinius, plurimique itidem alii. Quid enim mea refert quid sentiat his de rebus ethnicus, quæ in præcipuis habentur fidei Christianæ mysteriis? Hunc certè fructum nobis afferet iste Dialogus, ut neque magicis habeamus præstigiis fidem, & superstitione careamus, quę passim sub specie religionis obrepit, tum vitam vi agamus minus anxiam, minus videlicet expavescentes tristia quæpiam ac superstitiosa mendacia, quæ plerumque tanta cum fide atq; authoritate narrantur, ut beatissimo etiam Patri Augustino, Viro graviss. hostiq; mendaciorum acerrimo, nescio quisnam veterator persuaserit, ut fabulam illam de duobus Spurinis, altero in vitam redeunte, altero decedente, tanquam rem suo ipsius tempore gestam pro vera narraret, quam Lucianus in hoc Dialogo, mutatis tantum nominibus, tot annis antequam Augustinus nasceretur, irrisit. Quo minus mireris, si pinguioris vulgi mentes suis figmentis afficiant ii, qui se tum demum rem magnam confecisse putant, Christumq; sibi devinxisse perpetuò, si commenti fuerint, aut de sancto aliquo Viro fabulam, aut de inferis tragœdiam, ad quam vetula quæpiam aut delira lacrymetur, aut pavida inhorrescat. Itaque nullam ferè Martyris, nullam virginis vitam prætermiserunt, in quam non aliquid hujusmodi mendaciorum inseruerint, piè scilicet: alioqui enim periculum erat, ne veritas non posset sibi ipsa sufficere, nisi fulciretur mendaciis. Nec veriti sunt eam religionem contaminare figmentis, quam ipsa veritas instituit, & in nuda voluit veritate consistere, nec viderunt usque adeo nihil istiusmodi fabulas conducere, ut nihil perniciosius officiat. Nempe (ut memoratus Pater Augustinus testatur) ubi admixtum subolet mendacium, veritatis illicò minuitur ac labefactatur

ctatur

ctatur autoritas. Unde sæpe mihi suspicio suboritur, magnam hujusmodi fabularum partem, à vafris ac pessimis quibusdam nebulonibus, hæreticisque confictam, quibus studium fuit, partim ex incauta, simplicium potius, quàm prudentium credulitate voluptatem capere, partim fabularum fictarum commercio, fidem veris Christianorum historiis adimere: quippe qui frequenter quædam, his quæ in sacra Scriptura continentur, tam vicina confingunt, ut facile se declarent, adludendo lusisse. Quamobrem quas Scriptura nobis historias divinitùs inspirata commendat, eis indubitata fides habenda est. Cæteras vero ad Christi doctrinam, tanquam ad Critolai regulam, applicantes cautè & cum judicio, aut recipiamus, aut respuamus, si carere volumus & inani fiducia, & superstitiosa formidine. Sed quò progredior? Epistola ferè jam librum superat: nec interim tamen verbum de tuis laudibus ullum, in quas alius fortasse totus incubuisset: quarumque citra ullam adulandi suspicionem ubertimam mihi materiam præbuissent (ut cæteras virtutes tuas omittam) vel egregia doctrina tua, summaq; in rebus agendis prudentia: quam tot in diversis nationibus, in tam arduis negotiis, tam feliciter actæ legationes declarant: vel singularis fides, gravitasque, quam nisi satis perspectam exploratamque habuisset, nunquam te prudentissimus Princeps sibi à secretis esse voluisset. Sed cæterarum virtutum tuarum prædicationi unica modestia tua reluctatur: quæ facit, ut quum laudanda tam libenter facias, fecisse te tamen non libenter audias. Parco igitur pudori tuo: hoc unum duntaxat abs te precatus: ut has in Græcis literis studii mei primitias æquo animo suscipias, sinasque ut qualecunque apud te sint amoris officiique in te mei monumentum, quas tibi sim ausus eo majori fiducia committere, quod etsi tam acre tibi judicium sit, ut quicquid erratum fuerit, nemo penetrantius videat: is tamen est ingenii tui candor, ut nemo libentius conniveat.

Vale.

LUCIANI CYNICUS,

THOMA MORO interprete.

LUCIANUS & CYNICUS.

QUid tu tandem? Barbam quidem habes, & comam, tunicam non habes, nudusque conspiceris, ac sine calceis, delecta nimirum vaga inhumanaque ac ferina vita: tum proprio corpore, contra quam faciunt cæteri, semper usus incommodè, nunc huc nunc illuc circuis, in arido solo cubans, adeò ut plurimum sordium tritum isthoc pallium referat, alioqui nec ipsum tenui filo, vel molle, vel florulentum. *Cyn.* Neque enim indigeo: si quid est hujusmodi, ut comparetur facilimè, dominoque minimum exhibeat negotii, id inquam mihi sufficit. At tu per Deos dic mihi, putasne esse in luxu vitium? *Luc.* Imò admodum. *Cyn.* Contra in frugalitate virtutem? *Luc.* Admodum. *Cyn.* Cur igitur quum me videas viventem frugalius quàm vulgo faciunt homines, eos verò sumptuosius, me, non illos arguis? *Luc.* Quia non frugalius, per Jovem, videris mihi, sed egentius vivere, imò vitam omnino egenam atque inopem. Nam tu nihil à mendacis differs, qui cibum mendicant in diem. *Cyn.* Vis ergo videamus (quandoquidem huc processit oratio) quidnam inopia sit, quidque rursus copia? *Luc.* Si tibi quidem ita videtur. *Cyn.* Nunquid ergo satis id cuique est, quicquid ipsius explet necessitatem? an aliud quippiam dicis? *Luc.* Esto istud. *Cyn.* Indigentia verò quicquid cujusquam usui deest, nec eò, quò sit necesse, pervenit? *Luc.* Scilicet. *Cyn.* Nihil igitur meis in rebus deest. Nihil enim in his est, quod necessitatem non expleat meam. *Luc.* Quo pacto illud ais? *Cyn.* Scies si consideres in quem usum eorum quodque paratum est, quorum egemus, ut domus: an non tegumenti gratia? *Luc.* Maximè. *Cyn.* Quid vestis, cujus gratia? nonne tegumenti etiam ipsa? *Luc.* Sanè. *Cyn.* At ipso per deos tegumento, cujus rei gratia indiguerimus, nonne ut melius se habeat id quod tegitur? *Luc.* Mihi quidem sic videtur. *Cyn.* Utrum igitur tibi pejus se habere hi videntur pedes? *Luc.* Nescio. *Cyn.* Atqui hoc pacto didiceris. Quodnam pedum officium est? *Luc.* Ingredi. *Cyn.* An deterius ergo ingredi pedes tibi videntur mei, quàm aliorum? *Luc.* Istud verò fortasse non. *Cyn.* At non possent, seu sese melius seu deterius haberent, officium suum præstare? *Luc.* Fortasse. *Cyn.* Pedibus ergo nihil pejus affectus videor, quàm alii? *Luc.* Non videris. *Cyn.* Quid corpus verò meum? Num deterius quàm reliquorum? Nempe si deterius se haberet, esset idem imbecillius: corporis quippe virtus robur est. An meum ergo debilius? *Luc.* Non videtur. *Cyn.* Neque pedes ergo tegumento videntur egere, neque reliquum corpus: quippe si egerent, malè haberent. Egestas etenim omnino mala, ac pejus habere se facit ea quibuscunque adfuerit. At ne ali quidem deterius corpus videtur meum, quod quibuslibet cibis alitur. *Luc.* Manifestum

est id quidem. *Cyn.* Nam nec vegetum esset robustumque, si aleretur male: mala siquidem alimenta corpus tabefaciunt. *Luc.* Ista quidem ita se habent. *Cyn.* Quo pacto igitur, dic mihi, his ita se habentibus, me arguis, vitamque improbas meam, ac miseram prædicas? *Luc.* Ideo per Jovem, quòd quum natura (quam tu colis) ac superi terram in cōmuni statuerint, ex ea multa nimirum ac bona ediderint, ut nobis omnia superessent abundè, non in necessitatem modò, verum in voluptatem quoque; tu tamen horum omnium aut maximæ saltem partis expers es, nec eorum quoquā frueris, nihilo certè magis, quàm feræ. Nempe aquam bibis, quam etiam bibunt feræ: comedis verò quicquid offenderis, quemadmodum canes, tum cubile nihilo melius canibus habes: quandoquidē gramen tibi sufficit, quemadmodum & illis: pallium præterea circumfers nihilo mendico decentius. Quamquam si tu his contentus rectè sapis, tum Deus profectò neutiquam rectè fecit, primum quòd oves effecit lanatas, deinde vites dulcis vini feraces, ac reliquum deinde apparatum varietate mirabilem, & oleum, & mel, & reliqua omnia, ut nos edulia quidem omnigena haberemus, potum dulcem haberemus, pecunias haberemus, mollem lectum haberemus; præterea pulchras domos, ac reliqua demum omnia mirum in modū præparata. Nam & ipsa quoque artium effecta Deorum dona sunt. At vivere omnibus hujusce bonis privatum, id fuerit profectò miserum, etiamsi ab alio quopiam priveris; quemadmodum hi qui servantur in vinculis: longè verò miserius, si quis ipse sese omnibus bonis privet. Nam ea demum manifesta insania est. *Cyn.* Et rectè quidem fortasse dicis. Verùm istuc dic mihi: Si quis divite quopiam alacriter atque humanè, quin prolixe quoq; exhibente convivium, tum hospites excipiente, & multos simul & omnigenos, alios quidem imbecillos, alios autem robustos, deinde apponente multa atq; omnigena: si quis inquam, omnia corripiat, omniaque deglutiat, non ea tantum quæ vicina sunt, sed ea quoq; quæ procul absunt, præparata videlicet invalidis, ipse tamen valens, quum unum duntaxat ventrem habeat, nec multis ut nutriatur, indigeat, diutius tamen quàm alii multi immoretur, hic vir cujusmodi tibi videtur esse? probusne? *Luc.* Non mihi quidem. *Cyn.* Quid verò, num temperans? *Luc.* Ne id quidem. *Cyn* Quid verò si quis ejusdem mensæ particeps, multa illa ac varia negligat, uno quopiam ex his quæ proximè apponuntur, electo, cum satis in suam habeat necessitatem, id decenter edat, eoq; solo utatur, cætera illa ne respiciat quidem: an non hunc temperantiorem & meliorem Virum illo putabis? *Luc.* Ego certè. *Cyn.* Utrum ergo jam intelligis, an me oportet dicere? *Luc.* Quid nam? *Cyn.* Quod Deus illi quidem pulchrè convivium instruenti similis est, ut qui apposuerit multa ac varia, atque omnigena, uti essent quæ cuiq; conveniant, alia quippe valentibus, alia rursus ægrotantibus, atque alia quidem robustis, alia verò invalidis: non ut omnibus utamur omnes, sed ut his utantur singuli, quæ suæ cujusq; naturæ conveniunt, & ex his ipsis, quacunque re maximè quemque indigere contigerit. At vos illum qui per insatiabilitatem atque incontinentiam omnia corripit, refertis, ut qui rebus uti velitis omnibus, & undecunq; partis, non solis contenti præsentibus, existimantes propriam quidem neq; terram, neq; mare sufficere, sed importantes ab ipsis usq; terræ finibus voluptates, patriisq; rebus peregrina præferentes, sumptuosaq; frugalibus, atque ea quæ difficile comparantur his, quæ sunt comparatu facilia: in summa, deniq; molestias malaq; potius eligentes, quàm absque molestiis vivere. At isti quidem, plurimi ac pretiosi beatique apparatus, quibus exultatis, per magnam ad vos miseriam ærumnamq; perveniunt. Aurum ipsum tam optabile, si libet, argentumque considera: domus considera sumtuosas, vestes operosas considera, atque ejus generis omnia, quanto negotio emuntur, quot laboribus, periculis, imò sanguine ac cæde, quantoq; hominum interitu: non ideo solum quòd dum navigant, propter ista pereūnt complures, ac dum quærunt, parantq;, gravia perferunt; sed ob id quoq;, quòd digladiationes multas pariunt, quodque ob ea insidiantur invicem & amicis amici, & parentibus liberi, & maritis conjuges. Sic opinor Eriphylem quoq; auri gratia prodidisse maritum. Atque hæc quidem omnia fiunt, quum tamen vestes illæ variæ nihilo magis quicquam queant calefacere, aurataq; illa ædificia nihilo prorsus magis tegant, nec pocula illa argentea potui quicquam magis conducant, sed nec aurei illi, nec eburnei lectuli somnum suaviorem præbeant; imò videbis frequenter in eburneo lecto sumtuosisque stromatibus beatis illis somnum contingere non posse. Præterea omnigenæ illæ circa edulia curæ, nihilo magis alunt, quin tabefaciunt potius corpora, iisdemq; morbos ingenerant. Quid autem dicere attinet, libidinis gratia quantas molestias mortales & faciunt & patiuntur? quamquam facile est isti cupiditati mederi, nisi quis velit indulgere deliciis. At ne hæc quidem insania corruptelaque sufficere videtur mortalibus; sed jam rerum etiam usum pervertūt, singulis rebus ad id utentes, ad quod minimè paratæ sunt, quemadmodum lecto si quis uti carpenti loco velit, ac tanquam curru. *Luc.* Quisnam is est? *Cyn* Vos, inquam, qui hominibus tanquam jumentis utimini. Nam eos jubetis, ut lecticas, tanquam currus, in cervicibus ferant. Ipsi verò in sublimi residetis delicati, atque illinc homines perinde tanquam asinos aurigamini, imperantes ut hac non illac eant, & qui hæc facitis maximè, iidem maximè beati videmini. Tum hi qui piscium carnibus non tantum ut alimentis utuntur, verùm tincturas etiam quasdam ex his machinantur: eos dico, qui purpuram tingunt, nonne & hi præter naturam his utuntur, quæ à Deo præparata sunt? *Luc.* Non per Jovem, siquidem tingere etiam potest, non comedi tantum purpuræ caro. *Cyn.*

At

At non in id tamen nata est. Nam & cratere quispiam, si præter naturam detorqueat, ollæ loco posset uti, nec in id tamen paratus erat. Sed quo pacto posset quispiam universam illorum infelicitatem percurrere, quæ tanta est? At tu me quoque quòd nolo ejus esse particeps, incusas. Vivo ego tamen quemadmodum modestus ille, his videlicet duntaxat, quæ mihi apponuntur, vescens, ac frugalissimis utens; variis verò illis atque omnigenis minimè inhians. Ac deinde quum paucis egeam, ac minimè multis utar, ferinam tibi videor vitam vivere. Atqui hac ratione tua Dii profectò in periculum veniunt, ne & ipsi sint feris etiam deteriores, quippe qui rei nullius indigent. Verum ut exactius intelligas, cujusmodi horum utrumque sit, vel paucis videlicet egere, vel multis; considera quòd pluribus egent, primum pueri quàm adulti, deinde mulieres quàm viri, tum ægroti quàm valentes: atque omnino in summa, inferiora quælibet præstantioribus plurimum indigent. Proinde Dii omnino nullius egent rei, qui verò ad deos accedunt proximè, quàm minimis egent. An Herculem putas omnium hominum præstantissimum, quippe divinum virum, Deumque rectè creditum, miserum tunc fuisse, quum circuiret nudus, pelle duntaxat indutus, harum rerum nostrarum nihil desiderans? At ille miser profectò non erat, quippe qui miseriam ab aliis propulsabat, neq; rursus pauper, qui terra marique dominabatur. Nempe quocunque intendisset impetum, omnes quaquaversum superabat, nec in quemquã sui temporis incidit, qui se vel æquarit unquam, vel vicerit, quoad ex humanis excessit. At tu illi stromata putas calceosque defuisse, ob id mundum obambulasse tantum virum? Dicendum profectò non est. Sed continens erat ac fortis, & moderatè vivere volebat, non indulgere deliciis Quid Theseus ejus discipulus? An non rex erat Atheniensium omnium, ac filius etiam, ut ferunt, Neptuni, sua certè tempestate fortissimus? Attamen ille quoque voluit sine calceis esse, ac nudus ingredi, barbamque & comam nutrire placuit ei; nec ei tamen solum, sed omnibus etiam veteribus placuit, nempe meliores erant quàm vos: atque adeo ne sustinuisset quidem eorum quisquam aliquid hujusmodi, nihilo profectò magis quàm leo quispiam sese tonderi. Siquidem carnis mollitiem ac lævorem decere mulieres existimabant, ipsi verò sicuti erant, ita videri quoque viri volebant: ac barbam quidem cultum viri ducebant, quemadmodum in equis jubam, in leonibus barbam, quibus Deus splendoris quandam atque ornamenti venustatem dedit, sic & viris barbam adjunxit. Illos igitur ego æmulor, veteres, inquam, illos imitari volo: hujus verò tempestatis homines non æmulor mirabilis hujus felicitatis nomine, quam in epulis & vestibus habent, dum poliunt ac lævigant singulas corporis partes, ac ne secretiorum quidem ullam, ita ut instituit natura, dimittentes. At mihi certè pedes opto, ut nihil equinis differant, quales Chironis fuisse ferunt. Tum ut ipse stromatis non egeam, more leonum, nec cibo egeam magis exquisito, quàm canes. Contingat præterea mihi, ut terra quævis mihi per se pro cubili sufficiat. Domum verò ut mundum hunc existimem. Alimenta demũ ut ea deligam, quæ facilimè comparari possint. Aurum verò argentumq; ne desiderem unquam, neque ego, neq; meorum amicorum quisquam. Omnia namq; mala inter homines ex horum cupiditate nascuntur, & seditiones, & bella, & insidiæ & cædes. Hæc omnia fontem habent plus habendi cupidinem. At hæc à nobis abscedat procul, ne unquam plus satis appetam, minus verò quum habeam, ferre æquo animo valeam. Nostra quidem ita se habent. Plurimum profectò à vulgi sententiis ista dissentiunt. Neq; quicquam ergo mirandum est, si ab his differimus habitu, à quibus tantum differimus instituto. Sed te demiror, quonam pacto, quum suam quandam citharœdo vestem tribuas cultumq;, atq; adeò tibicini suum, & tragœdo suum; bono viro cultum vestemque propriam nullam existimas, sed eandem ei cum vulgo habendam censes, idque quum vulgus malum sit. Quòd si bonorum cultus proprius debet esse ullus, quinam deceat magis quàm hic meus, qui maximè luxuriosis pudendus sit, quemque illi maximè aversentur? Cultus ergo meus hujusmodi est, squalidum esse, hirsutum esse, tritum pallium indui, comã producere, ac sine calceis ingredi. Vester vero cinædorum ornatui simillimus est, nec dignoscere vos quisquam ab illis possit, neque colore vestium, neque mollicie, neque camisiarum numero, neque lacernis, neque calceis, neque capillorum cura, neq; odore. Nam & redoletis ut illi, præsertim vos qui estis felicissimi. Et quidẽ quid facias, quum vir eundem cum cinædis odorem oleat? Etenim in ferendis laboribus nihil illis præstatis: voluptatibus vero nihilominus quàm illi superamini, eadem comeditis, eodem modo dormitis, atque inceditis, imò vero incedere non vultis, sed gestari potius, tanquam sarcinæ, alii ab hominibus, alii vero à jumentis. At me pedes ipsi gestant, quocunque sit opus; egoq; & frigus tolerare sufficio, & calorem pati, eaque quæ dii obtulerint, minimè molestè ferre, ideo videlicet quia miser sum. Vos vero propter hanc felicitatem nulla estis fortuna cõtenti, sed omnium pœnitet, ac præsentia ferre non potestis, absentia desideratis, hyeme quidẽ optantes æstatem, æstate rursus hyemem, atque in calore frigus, in frigore vicissim calorem: quemadmodum ægrotantes, morosi semper & queruli, quod in illis quidem facit morbus, in vobis vero mores. Atque hæc ita quum sint, jam nos in vitam vestram traducere æquũ censetis, nostramque corrumpere: quum sæpe malè consulta sint quæ facitis, ipsiq; sitis in vestris ipsorum negotiis minime circumspecti, nihilq; eorum judicio ac ratione, sed consuetudine cupiditatis faciatis. Quamobrem nihil profectò differtis vos ab his qui torrente feruntur: illi quippe quocunq; fluxus intenderit, eo rapiuntur: & vos itidem, quocunque libidines. Ac simili-

ſimiliter quidem vobiſcum agitur, ut cum quodam qui equum inſanum aſcenderat: equus virum corripiens abſtulit, hic verò amplius jam deſilire equo currente non poterat. Quidam verò quum occurriſſet ei, rogavit quonam tenderet? hic reſpondit, quocunque huic videtur, equum demonſtrans. Quòd ſi vos quiſquam roget, quò feramini? ſi verum vultis dicere, dicetis in univerſum quidem: quocunq; videatur affectibus; ſigillatim verò, interdum quocunq; voluptati, interdum quocunque ambitioni, interdum rurſus quò lucri ſtudio. Quin interdum ira, interdum metus, interdum aliud quippiam hujusmodi vos auferre videtur. Neque enim unum duntaxat equum vos, ſed multos inſilientes, nunc hunc, nunc illum, furioſos quidem omnes avehimini. Auferunt ergo vos in barathrum, ac prærupta. Vos tamen priuſquam cadatis, caſuros vos eſſe neſcitis. At hoc detritum pallium quod vos ridetis, comaque habitusque meus tantam habet vim, ut vitam mihi quietam præbeat, utque agam quicquid volo, verſerque cum quibus volo. Nempe ex indoctis atque ineruditis hominibus nemo me adire voluerit, ob hunc habitum: at molles etiam qui ſunt admodum procul declinant: congrediuntur verò ſcitiſſimi atque modeſtiſſimi, & qui virtutem cupiunt, hi potiſſimùm congrediuntur mecum, horum ego conſuetudine delector. Eorum verò fores qui homines vocantur, non obſervo, tum coronas aureas ac purpuram pro faſtu habeo, atq; homines ipſos derideo. At ut cultum hunc intelligas bonos modò viros, ſed ipſos etiam Deos decere, atque eum deinde, ſi libet, irrideas, deorum ſtatuas conſidera, utri videantur vobisne, an mihi ſimiliores: neque Græcorum ſolum, ſed barbarorum etiam templa circumſpicias, utrum ipſi dii, ut ego, comati barbatiq; ſint, an quemadmodum vos, raſi fingantur, atque pingantur. Quin plurimos etiam ſine tunicis conſpicies, ut me nunc eſſe vides. Quo pacto igitur audeas poſthac hunc habitum vitio dare, quum deos etiam decere videatur?

MENIPPUS,

SIVE

NECROMANTIA LUCIANI,

Thoma Moro interprete.

MENIPPUS. PHILONIDES.

SAlve atrium, domusq; veſtibulum meæ: ut te lubens aſpicio lucri redditus. *Phil.* Numnam hic Menippus eſt, canis ille? Non hercle alius, niſi ego fortè ad Menippos omnes hallucinor. At quid ſibi vult habitus hujus inſolentia? clava, lyra, leonis exuviæ? Adeundus tamẽ eſt. Salve Menippe. Unde nobis adveniſti? diu eſt quod in urbe non vidimus. *Menip.*

Adſum reverſus mortuorum è latibulis,
Foribusq; triſtium tenebrarum nigris:
Manes ubi inferi manent ſuperis procul.

Phil. O Hercules, clam nobis Menippus vita functus eſt, revixitque denuo. *Menip.*

Non, ſed me adhuc vivum recepit tartarus.

Phil. Quænam cauſa tibi fuit novæ hujus atque incredibilis viæ? *Menip.*

Juventa me incitavit, atque audacia,
Quàm pro juventa haud paululum impotentior.

Phil. Siſte ô beate tragica, & ab Jambis deſcendens ſic potius ſimpliciter eloquere, quænam hæc veſtis, quæ cauſa tibi itineris inferni fuit, quum alioqui neque jucunda, neque delectabilis ſit via? *Menip.*

Res dilectæ gravis me infernas egit ad umbras,
Conſulerem manes ut vatis Tireſiai.

Phil. Atqui deliras, alioqui non hoc pacto caneres apud amicos conſarcinatis verſibus. *Menip.* Ne mireris amice: nuper enim *cum Euripide atque Homero verſatus, neſcio quo pacto verſibus ſic impletus ſum, ut numeri mihi in os ſua ſponte confluant.* Verum dic mihi, quo pacto res humanæ hic ſe habent in terris, & quidnam in urbe agitur? *Phil.* Nihil novi. Sed quemadmodum prius actitabant, rapiunt, pejerant, fœnerantur, uſuras colligunt. *Menip.* O miſeri atque infelices: neſciunt enim, qualia de noſtris rebus nuper apud inferos decreta ſunt, qualesque ſorte jacti ſunt in divites iſtos calculi, quos per Cerberum nullo pacto poterunt effugere. *Phil.* Quid ais? Novine aliquid apud inferos noſtris de rebus decretum eſt? *Menip.* Per Jovem, & quidem multa, verùm prodere non licet, neque arcana quæ ſunt, revelare, ne quis fortè nos apud Rhadamanthum impietatis accuſet. *Phil.* Nequaquam Menippe per Jovem, ne amico ſermonem hunc invideas. Nam apud hominem tacendi gnarum, & initiatum præterea ſacris, ediſſeres. *Menip.* Dura profectò jubes, & neutiquam tuta, verùm tui gratia tamen audendum eſt. Decretum eſt ergo, divites iſtos ac pecunioſos aurum tanquam Danaen ſervantes abſtruſum. *Phil.* Ne prius ô beate, quæ ſunt decreta dixeris, quàm ea percurras omnia quæ abs te audire libentiſſimè velim: quæ videlicet deſcenſus cauſa fuerit, quis itineris dux: deinde ex ordine, & quæ illic videris, & quæ audieris omnia. Veriſimile eſt enim te, quum res pulchras videndi curioſus ſis, eorum quæ viſu aut auditu digna videbantur nihil omnino prætermiſiſſe. *Menip.* Parendum etiam in his tibi eſt. Nam quid facias, urgente amico. Ac primum ſanè tibi expediam, quæ res animum meum ad hunc deſcenſum impulerit. Ego igitur quum adhuc puer eſſem, audiremque Homerum atque Heſiodum, ſeditiones ac bella canentes, non ſemideorum modò, ſed ipſorum etiam deorum, adulteria quoque, violentias, rapinas, ſupplicia, patrum expulſiones, & fratrum & ſororum nuptias: hæc me herclè omnia bona pulchraq; putabam, & ſtudioſè erga ea afficiebar. Poſtquam verò in virilem jam ætatem pervenirem, hic leges rurſus jubentes audio Poëtis apprimè contraria, neque videlicet adulteria committere, neque ſeditiones

movere

movere, neque rapinas exercere. Hæc igitur hæsitabundus constiti, incertus omnino quo me pacto gererem. Neque enim deos unquam putavi mœchaturos, aut seditiones invicem fuisse moturos, nisi de his rebus perinde ac bonis judicassent. Neque rursus legumlatores his adversa jussuros, nisi id conducere existimarent. Quoniam igitur in dubio eram, visum est mihi Philisophos istos adire, atque his me in manus dedere, rogareque uti me utcunque liberet, uterentur, vitæque viam aliquam simplicem ac certam ostenderent. Hæc igitur mecum reputans ad eos venio, imprudens profectò, quod me ex fumo (ut ajunt) in flammam conjicerem. Apud hos enim maximè diligenter observans summam reperi ignorantiam, omniaque magis incerta, adeo ut præ his illico mihi vel idiotarum vita jam aurea videretur. Alius etenim soli me jussit voluptati studere, atque ad eum scopum universum vitæ cursum dirigere, in eo ipsam sitam esse felicitatem. Alius rursus omnino laborare, corpusque siti, vigiliis, ac squalore subigere, miserè semper adfectum, contumeliisque obnoxium assiduè, Hesiodi sedulo inculcans celebria illa de virtute carmina, & sudorem videlicet, & acclivem in verticem montis ascensum. Alius contemnere jubet pecunias, earumque possessionem indifferentem putare. Alius contrà bonas ipsas etiam divitias esse pronuntiat. De mundo vero quid dicam? de quo ideas, incorporeas substantias, atomos, & inane, ac talem quandam pugnantium invicem nominum turbam in diem audiebam, & quod absurdorum omnium maximè fuit absurdum, de contrariis unusquisque quum diceret, invincibiles admodum rationes ac persuasibiles adferebat, ut nec ei qui calidum, nec ei qui frigidum idem prorsus esse contenderent, contrà quicquam hiscere potuerim, atque id, quum tamen manifestè cognoscerem fieri nunquam posse, ut eadem res calida simul frigidaque sit. Prorsus igitur tale quiddam mihi accidebat, quale solet dormitantibus, ut interdum capite annuerem, interdum contra abnuerem. Præterea quod multo erat istis absurdius, vitam eorum diligenter observans, comperi eam cum ipsorum verbis præceptisque summopere pugnare. Eos enim qui spernendam censebant pecuniam, avidissimè conspexi colligendis divitiis inhiare, de fœnore litigantes, pro mercede docentes, omnia denique nummorum gratia tolerantes. Ii verò qui gloriam verbis aspernabantur, omnem vitæ suæ rationem in gloriam referebant. Voluptatem rursus omnes fermè palàm incessebant, clanculum verò ad eam solam libenter confluebant. Ergo hac quoque spe frustratus magis adhuc ægrè, molesteque tuli. Aliquantulum tamen inde memet consolabar, quòd unà cùm multis & sapientibus & celeberrimis Viris ipse insipiensque essem, atque verè adhuc ignarus oberrarem. Pervigilanti mihi tandem, atque hisce de rebus mecum cogitanti, venit in mentem, ut Babylonem profectus Magorum aliquem ex Zoroastri Discipulis ac Successoribus convenirem. Audieram siquidem eos inferni portas carminibus quibusdam ac mysteriis aperire, & quem libuerit illuc tutò deducere, ac rursus inde reducere. Optimè ergo me facturum putavi, si cum horum quopiam de descensu paciscens Tiresiam Bœotium consulerem, ab eoque perdiscerem (quippe qui Vates fuerit & sapiens) quæ vita sit optima, quamque sapientissimus quisque potissimum elegerit. Ac statim quidem exiliens quàm poteram celerrimè Babylonem versus rectà contendi. Quò quum venio, diversor apud Chaldæorum quendam hominem certè sapientem, atque arte mirabilem, coma quidem canum, admodumque promissa barba venerabilem. Nomen autem illi fuit Mithrobarzanes. Orans igitur obsecransque vix exoravi, ut quavis mercede vellet, in illam me viam deduceret. At tandem homo me suscipiens, primùm quidem dies novem ac viginti cum Luna simul incipiens abluit ad Euphratem, mane Solem orientem versus perducens, ac sermonem quempiam longum mussitans, quem non admodum exaudiebam. Nam (quod in certamine præcones inepti solent) volubile quiddam atque incertum proferebat, nisi quòd quosdam visus est invocare dæmones. Post illam igitur incantationem ter mihi in vultum spuens deducit rursus, oculos nusquam in obvium quemquam deflectens. Et cibus quidem nobis glandes erant, potus autem lac, atque mulsum, & Choaspi lympha, lectus verò in herba sub dio fuit. At postquam jam præparati satis hac diæta sumus, medio noctis silentio ad Tigridem me fluvium ducens, purgavit simul atque abstersit, faceque lustravit ac squillam, tum pluribus itidem aliis, & magicum simul illud carmen submurmurans, deinde totum me jam incantans, ac ne à spectris læderer circumiens, reducit domum, ita ut eram reciprocantem: ac reliqua noctis parte navigationi nos præparavimus. Ipse igitur magicam quandam vestem induit, Medorum vesti utplurimum similem: ac me quidem his quæ vides, ornavit, clava videlicet, ac leonis exuviis, atque insuper lyra. Jussit præterea ut nomen si quis me roget, Menippum quidem ne dicerem, sed Herculem, Ulyssem, aut Orpheum. *Phil.* Quid ita ô Menippe? neq; enim causam aut habitus, aut nominis intelligo. *Men.* Atqui perspicuum id quidem est, ac neutiquam arcanum. Nam his qui ante nos ad inferos olim vivi descenderant putavit si me assimilaret, fore ut facilius Æaci custodias fallerem, atque nullo prohibente transirem, utpote notior tragico admodum illo cultu emissus. Jam igitur dies apparuit, quum nos ad flumen ingressi in recessum devenimus. Parata siquidem ab illo fuerant cymba, sacrificia, mulsa, & in id Mysterium denique quibuscunque opus erat. Hæc postquam ergo quæ prompta erant, imposuimus, tum nos quoque

Ingredimur tristes, lacrymisq; implemur obortis.

Atque

Atque aliquantisper quidem in fluvio ferimur: deinde in sylvam delati sumus, ac lacum quendam in quem Euphrates conditur. Tum hoc quoque transmisso, in regionem quandam pervenimus solam, sylvosam, atq; opacam, in quam descendentes (præibat enim Mithrobarzanes) & puteum effodimus, & oves jugulamus, & foveam sanguine conspergimus. At magus interim accensam facem tenens, haud amplius jam summisso murmure, sed voce quàm poterat maxima clamitans, dæmones simul omnes convocat, Pœnas, Erinnes, Hecaten nocturnam, excelsamque Proserpinam, simulque polysyllaba quædam nomina barbara atque ignota commiscet. Statim ergo tremere omnia, & rimas ex carmine solum ducere, ac porrò Cerberi latratus audiri, & jam res planè tristis ac mœsta fuit.

Umbrarum at timuit rex imis sedibus Orcus.

Ac protinus quidem inferorum patebant pleraque, lacus, Pyriphlegethon, ac Plutonis regia. Tum per illum descendentes hiatum, Rhadamanthum propemodum metu reperimus extinctum. Ac Cerberus primum quidem latrabat, commovitque sese. At quum ego lyram celerrimè correptam pulsassem, cantu statim sopitus obdormit: deinde posteaquam ad lacum venimus, tranare ferè non licuit. Jam enim onustum erat navigium, & ejulatu certè plenum. Vulnerati quippe in eo navigabant omnes, hic fæmur, ille caput, alius alio quopiam membro luxatus, usqueadeò, ut mihi certè ex bello quopiam adesse viderentur. At optimus Charon quum leonis videret exuvias, esse me ratus Herculem recepit, transq; vexit libens; tum exeuntibus quoque nobis monstravit semitam. Sed quoniam jam eramus in tenebris, præcedit quidem Mithrobarzanes, ego autem à tergo continuus illi comes adhæreo, quoad in pratum quoddam venimus maximum, asphodelo consitum, ubi circumfusæ undiq; mortuorum stridulæ nos sequuntur umbræ. Tam paulo procedentes longius, ad ipsum Minois tribunal accessimus. Erat ipse quidem in solio fortè quodam sublimi sedens. Astabant autem illi Pœnæ, Tortores, mali Genii, Furiæ. Ex altera parte plurimi quidam adducti sunt, ex ordine longa fune vincti. Dicebantur autem adulteri, lenones, mœchi, homicidæ, adulatores, sycophantę, ac talis hominum turba quidvis in vita patrantium. Seorsum autem divites ac fœneratores prodibant pallidi, ventricosi ac podagrici, quorum quisq; trabe vinctus erat, ferri pondere duorum talentorum imposito. Nos igitur astantes, & quæ fiunt omnia conspicimus, & quę dicuntur auscultamus. Accusant autem novi quidam atque admirabiles Rhetores. *Phil.* Quinam ergo hi per Jovem sunt? ac ne isthuc quidem te pigeat dicere. *Men.* Umbrasne unquam istas nosti, quas opposita soli reddunt corpora? *Phil.* Quidni? *Men.* Hæ nos igitur quum primū functi vita sumus accusant, testantur, atque redarguunt, quicquid in vita peccavimus. Et sanè quædam ex his dignæ admodum fide videntur, utpote nobiscum versatę semper, nostrisq; nusquam digressæ corporibus. Minos igitur curiosè quemlibet examinans, impiorum relegabat in cœtum, pœnas ibi sceleribus suis dignas luiturum. In hos pręcipuè tamen incenditur, quos opes, dum viverent, ac dignitates inflaverant, quique adorari se ferè expectabant, nimirum brevi perituram eorum superbiam fastumque detestatus: quippe qui non meminissent mortales ipsi quum sint, sese bona quoque mortalia consecutos. At nunc splendida illa exuti omnia, divitias, inquam, genus, munia, nudi ac vultu demisso steterunt, tanquam somnium quoddā humanam hanc felicitatem recogitantes, adeò ut hæc dum conspicarer nimis quàm delectatus fuerim. Et si quem eorum fortè agnoveram, accessi, atq; in aurem silenter admonui, qualis in vita fuerat, quantopereq; fuerat inflatus: tum quum plurimi mane fores ejus obsidentes pulsi interim exclusique à famulis illius expectabant egressum. At ipse vix tandem illis exoriens, puniceus, aureus, aut versicolor, felices ac beatos se facturum salutantes putabat, si pectus dextramve porrigens, permitteret osculandam. Illi verò audientes ista molestè ferebant. At Minos quiddam etiam judicavit in gratiam. Quippe Dionysium Siciliæ tyrannum multis & atrocibus criminibus & à Dione accusatum, & gravi Stoicorum testimonio convictum, Cyrenæus Aristippus interveniens (nam illum valde suspiciunt inferi, ejusque plurimum ibi valet autoritas) fermè jam Chimæræ alligatum absolvit à pœna, asserens illum eruditorum nonnullos olim juvisse pecunia. Tum nos à tribunali discedentes, ad supplicii locum pervenimus. Ubi ô amice & multa & miseranda audire simul ac spectare licuit. Nam simul & flagrorum sonus auditur, & ejulatus hominum in igne flagrantium, tum rotæ, & tormenta, & catenæ: Cerberus lacerat, & Chimæra dilaniat, cruciănturq; pariter omnes, captivi, reges, præfecti, pauperes, mendici, divites, & jam scelerū omnes pœnitebat. Et quosdam quidem eorum, dum intuemur, agnovimus, videlicet qui nuper è vita discesserant. At hi se pudentes tum occulebant, nostroque subtrahebant aspectui, aut si nos aliquando respiciebant, id serviliter admodum abjecteque faciebant, atque hi quidem quàm olim putas onerosi fastuosique in vita? At pauperibus malorum dimidium remittebatur, & quum interquievissent, denuò repetebantur ad pœnam. Sed illa quoque, quæ fabulis feruntur aspexi, Ixionem, Sisyphum, Phrygiumque graviter affectum Tantalum, genitumq; terra Tityum, Dii boni, quantum? integrum stratus agrum occupabat. Hos tandem prætereuntes, in campum venimus Acherusium, ubi semideos, heroidasque reperimus, atq; aliam simul mortuorum turbam in gentes tribusque dispositam, alios quidem vetulos quosdam ac marcidos, atq; (ut Homerus ait) evanidos, alios verò juveniles & integros, & hos potissimum ob illam condiendi efficaciam Ægyptios. Verùm dignoscere quemlibet haud proclive fuit, adeò nudatis ossibus omnes erant invicem similimi, nisi quòd vix tandem eos diu inten-

intendentes agnovimus. Quippe conferti considebant obscuri atque ignobiles, nullumque servantes amplius pristinæ formæ vestigium. Cum igitur multi simul ossei consisterent, invicem omnino similes, qui terrificum quiddam per cavos oculorum orbes transpicerent, dentesque nudos ostenderent, hæsitabam certè mecum, quonam signo Thersitem à Nireo illo formoso discernerem, aut mendicum Irum à Phæacum rege, aut Pyrrhiam coquum ab Agamemnone. Quippe quibus jam nihil veteris permansit indicii, sed ossa fuerunt inter se similia, incognibilia, nullis inscripta titulis, nullique unquam dignoscenda. Hæc igitur spectanti mihi persimilis hominum vita pompæ cuipiam longæ videbatur, cui præsit ac disponat quæque fortuna, ex his qui pompam agunt, diversos variosque cuique habitus accommodans. Alium siquidem fortuna deligens, regiis ornat insignibus, & tiaram imponens, & satellites addens, & caput diademate coronans. Alium servi rursus ornatum induit, hunc formosum effigiat, hunc deformem atque deridiculum fingit: nam omnigenum, ut opinor, debet esse spectaculum. Quin habitus quorundam plerumque in media quoque pompa demutat, neque perpetuo eodem sinit ordine cultuque progredi quò prodierant. Sed ornatu commutato Crœsum quidem coëgit servi captivique vestes induere; Mæandrium autem olim inter servos incedentem, Polycratis vicissim ornat tyrannide. Et aliquantisper quidem eo cultu permittit uti: verùm ubi jam pompæ tempus præteriit, apparatum quisque restituens, & cum corpore simul exutus amictu, qualis antè fuit, efficitur, nihil à vicino differens. Quidam tamen ob inscitiam, quum suos fortuna cultus exigit, ægrè ferunt atque indignantur, tanquam propriis quibusdam bonis privati, ac non potius alienis, quibus paulisper utebantur, exuti. Quin in scena quoque vidisse te plerumque puto histriones istos tragicos (ut fabulæ ratio poscit) modò Creontes, modò Priami fiunt, aut Agamemnones. Idemque (si fors tulerit) paulo antè tam graviter Cecropis aut Erichthii formam imitatus, paulo pòst servus, Poëta jubente, progreditur. At quum fabulæ jam finis affuerit, quisque auratas illas vestes exutus, personam deponens, & ab altis illis crepidis descendens, pauper atque humilis obambulat, haud amplius Agamemnon ille Atreo prognatus, aut Creon Menœcei filius, sed Polus filius Chariclei Suniensis, aut Satyrus filius Theogitonis Marathonius. Sic se mortalium res habent, quemadmodum mihi tum spectanti videbatur. *PHIL.* Dic mihi, Menippe, isti qui magnificos altosque tumulos habēt super terram, & columnas, imagines, titulos, nihilone sunt apud inferos plebeis quibuslibet umbris honoratiores? *MEN.* Nugaris tu quidem; Nam si vidisses Mausolum, Carem illum dico Pyramide celebrem, sat scio, nunquam ridere desiisses, ita in antrum quoddam abstrusum despectim abjectus est, in reliqua mortuorum turba delitescens. Hoc tantum commodi mihi videtur ex monumento referre, quod imposito tanto pondere, laborat magis & premitur. Nam quum Æacus, ô amice, locum cuique metitur, dat autem cui plurimum haud amplius pedem, necesse est eo jacere contentum, seseque ad loci modum contrahere. At vehementius multo risisses, opinor, si reges hosce nostros, satrapasque vidisses apud eos mendicantes, & aut salsamenta vendentes, aut primas ipsas literas urgente inopiâ profitentes, & quemadmodum contumeliis à quovis afficiantur, atque in faciem cædantur, perinde atque vilissima mancipia. Itaque Philippum Macedonem conspicatus, continere me certè non potui: ostensus est mihi in angulo quodam detritos calceos mercede resarciens. Quin alios præterea multos erat videre mendicantes in triviis, Xerxes videlicet, Darios, ac Polycrates. *PHIL.* Admiranda narras ista de regibus, pæneque incredibilia. Socrates autem quid facit, ac Diogenes? & si quis est sapientum alius? *MEN.* Socrates profectò etiam ibi obversatur, omnesque redarguit: versantur autem cum illo Palamedes, Ulysses, & Nestor, & quisquis est alius inter defunctos garrulus. Inflantur autem illi etiamnum, atque intumescunt ex haustu veneni crura. At optimus Diogenes Sardanapalo vicinus Assyrio, Midæque Phrygio, atque aliis item pluribus ex istorum sumptuosorum numero manet, quos quum ejulantes audit, veteris fortunæ magnitudinem recogitantes, & ridet, & delectatur, ac supinus cubans, ut plurimum cantat, aspera nimis atque injucunda voce illorum ejulatus obscurans, adeò ut id ægrè ferentes, nec Diogenem ferre valentes, de mutanda sede deliberent. *PHIL.* De his jam satis quidem. Cæterum quodnam illud decretum est, quod initiò dixeras adversus divites esse sancitum? *MEN.* Bene admones: nescio enim quo pacto, quum hac de re dicere proposuissem, ab instituto sermone procul aberravi. Dum igitur ibi versabar, magistratus concionem advocaverunt, his videlicet de rebus, quæ in commune conducerent. Conspiciens ergo multos concurrere, me quoque cum illis simul immiscens, unus de numero eorum qui in concione aderant, efficior. Agitata sunt igitur & alia multa: postremò verò de divitibus negotium; in quos posteaquam plurima fuissent objecta, violentia, superbia, fastus, injuriæ, assurgens tandem ex populo primas quidam, hujusmodi decretum legit: Quoniam, inquit, multa divites perpetrant in vita, rapientes ac vim inferentes, inopesque omnimodo despectui habentes, Curiæ populoque visum est, ut quum functi vita fuerint, corpora quidem eorum pœnas cum aliis sceleratorum corporibus luant: animæ verò sursum remissæ in vitam, in asinos demigrent, donec in tali rerum statu quinquies ac vicies decem annorum millia transegerint, asini semper ex asinis renati, onera ferentes, atque à pauperibus agitati. Dein ut liceat illis è vita excedere. Hanc sententiam dixit Calvarius, patre Aridello, patria Manicensis, tribu Stygiana. Hac igitur lege recitata, approbaverunt principes, scivit plebs, adfremuit Proserpina, allatravit Cerberus: sic enim rata quæ inferi statuunt autenticaque fiunt. Quæ igitur in concione agebantur, erant hujusmodi. Tum ego statim,

cujus gratia veneram, Tiresiam adeo atque illi re, uti erat, ordine narrata supplicavi, ut mihi diceret, quodnam optimum vitæ genus putaret? Hic verò subridens (est autem vetulus quispiam cæcus, pallidus, voce gracili) ô fili, inquit, causam tuæ perplexitatis scio à sapientibus istis profectam, haudquaquam idem invicem iisdem de rebus sentientibus, verùm haud fas est id tibi proloqui: siquidem quod Rhadamanthus interdixit. Nequaquam, inquam, ô patercule, sed dic amabo, neque me contemnas, qui in vita te etiam ipso cæcior oberro. Abducens ergo me, procul ab aliis auferens, ad aures mihi inclinans: Optima est, inquit, idiotarum privatorumque vita, ac prudentissima. Quamobrem ab hac vanissima sublimium consideratione desistens, mitte principia semper ac fines inquirere, & vafros hosce syllogismos despuens, atque id genus omnia nugas æstimans, hoc solum in tota vita persequere, ut præsentibus bene compositis, minimè curiosus, nulla re solicitus, quàm plurimum potes hilaris vitam ridensque traducas. Hæc quum dixisset, rursus Asphodelorum in pratum sese corripuit. Ego igitur (nam & nunc vesper erat) age, inquam, ô Mithrobarzane quid cunctamur, ac non hinc rursus abimus in vitam? Ad hæc ille: confide, inquit ô Menippe, brevem quippe facilemque tibi monstrabo semitam: & me protinus abducens in regionem quandam magis priore tenebricosam, manu procul ostendens subobscurum tenueque, ac velut per rimam influens lumen: illud, inquit, Trophonii templum est, atque illac ad inferos è Bœotia descenditur: hac ascendes, atque illicò fueris in Græcia. Ego igitur hoc sermone gavisus, salutato Mago difficulter admodum per angustas antri fauces subrepens, nescio quo pacto in Lebadiam perveni.

LUCIANI PHILOPSEUDES, SIVE INCREDULUS, Thoma Moro Interprete.

TYCHIADES AC PHILOCLES.

Potes mihi, Philocles, dicere, quidnam id tandem sit, quod multos in mentiendi cupiditatem adducit, ut pariter gaudeant, quum & ipsi nihil sani loquuntur, & his qui talia narrant, maximè animum intendant? *PHIL.* Multa Tychiade sunt, quæ nonnullos mortales mentiri compellunt, quia in rem vident conducere. *TYC.* Nihil ad rem hæc, ut ajunt: neque enim de his rogabam, qui quum usus postulat mentiuntur: venia nimirum hi, imò laude plerique eorum digni sunt, quicunque vel hostes fefellerunt, vel ad salutem tali quopiam pharmaco usi sunt in necessitatibus: cujusmodi multa Ulysses etiam fecit, ut & vitam suam & sociorum reditum redimeret: sed de illis, vir optime, dico, qui nulla necessitate mendacium ipsum veritati longè anteponunt, ipsa re videlicet delectati, atque in ea sine ulla idonea occasione versati. Isti ergo scire cupio, cujus commodi gratia istud agant. *PHIL.* An alicubi tales aliquos jam deprehendisti, quibus hæc insita sit mentiendi libido? *TYC.* Et quidem admodum multi sunt hujusmodi. *PHIL.* Quid aliud ergo in causa sit quòd mentiuntur, nisi dementia? siquidem rem pessimam optimæ loco præoptant. *TYCH.* Hoc nihil est, nam ego tibi multos ostenderim ad cætera prudentes, ac sapientia mirabili: nescio tamen quo pacto captos hoc malo, mendaciique studiosos, adeò ut ego certè molestè feram, quòd viri tales, omnibus cæteris in rebus optimi, gaudent tamen & se, & eos in quos inciderint, fallere. Nam Veteres illi, id quod tibi notius est quàm mihi, Herodotus, Ctesiasque Cnidius, atque his superiores, denique Homerus ipse, viri celebres, mendaciis etiam scriptis utebantur, ut non solum eos fallerent, à quibus tunc audiebantur, verùm usque ad nos etiam mendacium per manus traditum perveniret, in pulcherrimis versibus metrisque servatum. Me ergo sæpe illorum versuum nomine subiit pudor, si quando cœli sectionem, ac Promethei vincula recensent, gigantumque rebellionem, atque omnem illam de inferis tragœdiam. Et quo pacto ob amorem Jupiter in taurum & cygnum versus sit: & quemadmodum ex muliere quispiam in aviculam, ursamve mutatus sit. Pegasos præterea, Chimærasque, & Gorgonas, ac Cyclopas, atque id genus omnia, admodum absurdas monstrosasque fabulas, & quæ mentes afficere puerorum queant, qui larvam adhuc lamiamque metuunt: quanquam poëtica sint fortasse tolerabilia. At urbes jam gentesque totas una voce ac publicitùs mentiri, an non hoc ridiculum? Veluti quum Cretenses sepulchrum Jovis ostendere non pudet: Athenienses Erichthonium editum è terra ferunt, primosque illos homines in Attica olerum more ex terra emersisse. Hi tamen multo verecundiores quàm Thebani, qui ex serpentis dentibus sativos quosdam progerminasse narrant. Quòd si quis hæc, quum sint ridicula, vera esse non credat, sed ea prudenter examinans, Corœbi cujuspiam, aut Margitæ existimet esse credere aut Triptolemum in alatis draconibus per aërem vectum esse, aut Pana quendam ex Arcadia in Marathonem venisse auxilio, vel Orithyiam à Borea raptam esse, impius nimirum hic atque insanus videatur eis: quippe qui tam manifesta veraque non credat. Usque adeò obtinet mendacium. *PHIL.* At Poëtis, Tychiade, urbibusque fuerit fortassis ignoscendum: nam illi delectationem illam quæ ex fabula proficiscitur, ut quæ maxima sit illecebra, poematibus suis immiscent, qua potissimum erga auditores opus habent. Athenienses verò Thebanique, & si qui sunt alii, patriæ suæ plus Majestatis ex hujusmodi figmentis conciliant: quòd si quis fabulas auferat è Græcia, nihil obstiterit, quo minus earum narratores fame intereant, quando jam nemo futurus sit hospitum, qui verum vel gratis audire velit. At si qui nulla tali causa, gaudent tamen mendacio, hi omnino ridiculi meritò videantur. *TYC.* Rectè dicis, nam ego protinus ab Eucrate illo celebri venio, ubi multa incredibilia ac fabulosa quum audissem, imò verò medio inser-

in sermone discessi, non ferens narrationem tam supra fidem, sed me velut furiæ quædam abegerunt, dum monstrosa multa, atque absurda referret. *PHIL.* Atqui, Tychiade, vir gravis Eucrates est, & nemo certè crediderit illum tam promissa barba virum sexagenarium, & qui præterea sit plurimum in Philosophia versatus, sustinuisse ut alium quenquam audiret se præsente mentientem, nedum ut ipse tale quicquam audeat. *TYC.* At nescis amice qualia referebat: tum ea quàm constanter asserebat: præterea quàm sanctè in plerisque jurabat, admotis etiam filiis; adeò ut ego quum eum respicerem, varia mecum cogitarem, interdum quidem illum insanire, neque animo constare, interdum verò ita cogitabam, fugisse me, quòd impostor esset, ac tantum temporis sub leonis pelle ridiculam quandam simiam circumtulisset: adeò absurda narrabat. *PHIL.* Quænam illa (per Lares) sunt Tychiade? nam cupio cognoscere quamnam præstigiaturam sub tam longa barba occuluerit. *TYC.* Solebam quidem etiam aliàs, Philocles, aliquoties eum intervisere, si quando videlicet multo otio abundarem. Hodie verò quum esset mihi res cum Leonticho (est autem, ut scis, amicus mihi) edoctus à puero, eum se ad Eucratem mane contulisse, ut eum morbi inspiciendi causa viseret, amborum nomine, nempe ut & Leontichum convenirem, & Eucratem viderem, ignoraveram autem quòd ægrotaret, ad eum pervenio. At Leontichum ibi jam non invenio: nam paulo antè ut dicebant exiverat: alios verò confertos reperio, in quibus erat & Cleodemus Peripateticus, & Dinomachus Stoicus, & Jon, nosti virum? illum dico, qui ex Platonica doctrina magnam sui admirationem expectat, ut qui solus mentem viri deprehenderit, quique ejus oracula aliis quoque possit enarrare. Vides quos tibi viros nomino, nimirum omni sapientia atque omni virtute præditos, utpote ipsum ex quaque secta caput, reverendos herclè omnes, atque aspectu propemodum terribiles. Aderat præterea Medicus Antigonus, ut usui in morbo esset advocatus opinor: & melius jam habere se videbatur Eucrates, ac morbus quidam ex familiaribus erat; humor enim rursus in pedes ei descenderat. Sedere me ergo Eucrates in lecto juxta se jussit voce languidulè remissa paululum, quum me conspiceret: quanquam interim dum ingrederer, vociferantem eum, ac vocem intendentem audieram: tamen ego admodum curiosè cavens ne pedes ejus tangerem, ubi me vulgaribus istis verbis purgaveram, quòd eum ægrotare nescíverim, quod ubi rescissem, curriculo venerim, adsedi propè. Et illis quidem sermo jam de morbo erat, & quædam jam antè dixerant, quædam verò etiam tunc narrabant: præterea medicamenta quædam quisque proferebat. Cleodemus igitur: Si quis ergo (inquit) sinistra manu tollens humo mustelæ dentem, sic interfectæ, ut antè dixi, in leonis pellem alligaverit, nuper excoriati, ac deinde circum crura posuerit, illicò sedatur dolor. Non in leonis pellem (inquit Dinomachus) ut ego audivi, sed in cervæ potius fœmellæ, virginis adhuc & nondum initæ, & res quidem magis est hoc pacto credibilis: velox enim cerva est, maximeque valet pedibus: & leo quidem fortis est, pinguedoque ejus, ac manus dextra, pilique qui recti è barba prominent, magnam vim obtinent, si quis uti noverit, cum proprio cuique carmine: at pedum curam minimè pollicentur. Et ipse quoque, inquit Cleodemus, olim sic putabam, cervina pelle utendum, propterea quòd cerva velox esset, at nuper vir quidam Libycus, peritus profectò in rebus hujusmodi, contra me docuit, cervis ostendens velociores esse leones: quippe qui eas, inquit, etiam persequendo capiunt. Laudabant qui aderant, tanquam rectè dixisset Libycus ille. Tum ego: Putatis, inquam, incantamentis quibusdam sedari talia: aut foris admotis appendiculis, quum intus malum grassetur? Riserunt hunc sermonem meum: & palàm in me magnam damnabant amentiam, qui apertissimas res ignorarem, & quibus nemo qui sapiat, contradicat, quin sic se habeant. At Medicus certè Antigonus delectari mihi visus est hac rogatione mea. Jamdudum autem neglectui habitus fuerat, opinor, quum opem Eucrati ferre ex arte vellet, denuntians videlicet vino ut abstineret, atque oleribus vesceretur, & vigorem animo omnino minueret. Cleodemus ergo subridens interim: Quid ais, inquit, Tychiade? incredibile tibi videtur esse, ut ex rebus hujusmodi parentur quædam adversus morbos remedia? Mihi certè videtur, inquam ego: nisi naribus adeò mucosis sim, ut credam ea quæ foris applicantur, nihilque cum his quæ morbos excitant intus communicant, per verbula tamen, ut dicitis, ac præstigiaturam operari: & quum appenduntur, sanitates immittere: id profectò nunquam fieri possit, nec si quis vel in Nemei leonis pellem sedecim mustelas integras insuerit. Ego profectò leonem ipsum è doloribus sæpe claudicantem vidi in universa suiipsius pelle. Nimium idiota es, inquit Dinomachus, neque unquam tibi curæ fuit, ut disceres quonam modo res istiusmodi adversus morbos, quum adhibentur, conferunt: ac mihi videris, ne notissima quidem ista recepturus: febrium videlicet istarum profligationes, quæ cætera quodam ambitu recurrunt, tum serpentum demulsiones, ac bubonum sanationes &c. quæcunque anus etiam jam faciunt. Quòd si illa fiunt omnia, cur tandem non putabis hæc etiam similibus rebus fieri? Infinita congeris, inquam, Dinomache, clavumque, ut ajunt, clavo extrudis. Neque enim constat ea quæ commemoras, ejusmodi vi fieri. Quamobrem nisi reddita ratione persuaseris primum natura fieri posse, ut febris tumorque vereatur aut nomen aliquod divinum, aut dictionem aliquam barbaricam, ob idque ex inguine fugiat aniles adhuc fabulæ sunt, quæcunque retulisti. Tu mihi videris, inquit Dinomachus, quum ista dicas, ne deos quidem esse credere. Siquidem putas fieri non posse, ut per sacra nomina remedia morbis adferantur. Hoc, inquam ego, vir optime, ne dixeris: mihi enim prohibet quo minus, etiam si maximè dii sint, ista tamen sint vana. Ego verò &

rò & deos colo, & medelas eorum video, & levamenta quæ laborantibus conferunt, pharmacis videlicet atque arte medica restituentes. Itaque Æsculapius ipse ejusque posteri salutaria pharmaca admoventes medebantur ægrotis: non leones, aut mustelas circumligantes. Mitte hunc, inquit Ion. At ego vobis mirabile quiddam narrabo. Eram adhuc adolescentulus, annos natus fermè quatuordecim, quum quidam ad patrem meum venit nuntians ei, Midam vitis cultorem, servum etiam aliis in rebus robustum atque industrium, circa plenum jam forum à vipera morsum jacere jam putrefacto crure. Etenim dum ligaret palmites, ac vallis circumplicaret, adrepentem bestiolam maximum ei pedes momordisse digitum. Tum illam quidem illicò aufugisse, & sese rursus in latebram condidisse. Illum verò ejulare perditum è doloribus. Hæc ergo quum nuntiarentur, jam Midam ipsum videbamus lectica domum à conservis adportari, inflatum totum, lividum, ac superficie tabefactum, vix jam spirantem. Pater ergo quum id molestè ferret, amicorum quispiam, qui tum fortè aderat: Bono animo es, inquit. Ego enim virum quendam Babylonium ex Chaldæis, quos vocant, protinus huc adducam, qui sanabit hominem: & ne diem narrando conteram, venit Babylonius, ac Midam restituit: effugato ex corpore veneno, quadam incantatione, & ad pedem ejus appenso virginis defunctæ lapillo, quem è columna exciderat. Atque istud quidem hactenus forsan mediocre fuerit. Tum Midas jam ipse sublato, in quo allatus erat scabello, discessit in agrum: tantum potuit incantatio, & columnaris ille lapis. At idem iste Babylonius alia præterea divina planè fecit. Nempe in agrum profectus mane, quum pronuntiasset sacra quædam ex vetusto codice septem nomina, sulphure ac face lustrato loco, in orbem ter obambulans, serpentes omnes invitos excivit: quicunque intra eam regionem erant. Veniebant ergo tanquam ad incantationem tracti, serpentes multi, atque aspides, & viperæ, & cerastæ, & jaculi, phrynique, ac physali: relinquebatur autem unus draco, annosus, prorepere (ut opinor) ob senectam non valens, qui non fuerat audiens dicto. At magus: Non adsunt omnes, inquit. Tum unum quendam ex serpentibus, eum videlicet qui natu minimus erat, selectum legatum mittebat ad draconem; ac paulo pòst venit etiam ille. At postquam jam collecti constitissent, Babylonius in eos insibilavit. Atque illi repentè admodum omnes ab ejus flatu incensi sunt, nobis interim admirantibus. Tum ego, dic mihi inquam Ion: Serpens ille legatus, juvenem illum dico, utrum manu deduxit draconem, qui jam (ut ais) senuerat, an ille baculum gestans innitebatur? Ludis tu quidem, inquit Cleodemus. At ego, qui & ipse quoque olim minus talia credebam, quàm nunc tu, putabam enim nulla ratione fieri posse, ut ea crederem, tamen quum volantem primùm conspicerem, peregrinum illum barbarum (erat autem ut ferebant ex Hyperboreis) credidi, ac victus sum: quum tamen multum diuque repugnassem: nam quid facerem quum eum cernerem in aëre volantem, atque id interdiu, ac super aquam ingredientem, atque per medium ignem incedentem, idque lentè ac sensim? Tune, inquam ego, ista videbas, virum Hyperboreum volantem, aut super aquas ambulantem? Et maximè inquit ille, carbatinas indutum, quo calceamenti genere illi potissimum utuntur. Nam minutula ista quid attinet referre, quæcunque fecit, quo pacto amores immiserit, ac dæmones exegerit, mortuosque marcidos in vitam revocaverit, atque Hecaten ipsam palàm conspectibus exhibuerit, Lunamque è cœlo detraxerit? Quin ego vobis referam quæ ab eo fieri conspexi in Glaucia Alexiclis filio. Glaucias hic quum patris nuper defuncti substantiam suscepisset, Chrysidem amabat Demæneti filiam, ac me quidem præceptore in disciplina utebatur: ac nisi amor ille à studio deduxisset eum, universam Peripatheticorum doctrinam perdidicisset: ut qui octo & decem quum esset annorum, jam absolverat analytica: tum physicam auscultationem in finem usque percurrerat. Amore tamen victus, mihi rem omnem significat. Ego verò quemadmodum par erat, quippe qui præceptor eram, Hyperboreum illum magum ad eum duco: conductum quatuor illicò minis in manum datis. Oportebat enim præparari quiddam ad sacrificia: tum sedecim præterea, si Chryside potiretur. Ille verò crescentem observans Lunam (nam tunc utplurimum hujusmodi sacra peraguntur) fossam quum effodisset in aperto quodam loco domus, sub dio circa mediam noctem, evocavit nobis primum quidem Anaxiclem Glauciæ patrem, ante septem menses vita defunctum. Succensebat autem ob amorem senex, atque indignabatur: tandem tamen ei permisit, ut amaret. Postea verò Hecaten quoque eduxit, adferentem unà Cerberum: tum Lunam detraxit, multiforme quoddam spectaculum, & quod aliàs aliud apparebat. Primum quidem muliebrem formam referebat: deinde in vaccam formosam vertebatur: postremò verò catula videbatur. Hyperboreus ille tandem, quum finxisset quendam è luto Cupidinem: Abi, inquit, atque, huc perducas Chrysidem: ac lutum quidem protinus evolabat: paulo pòst autem affuit illa pulsans ostium. Tum ingressa Glauciam complectitur, eum quàm insanissimè deperiens, & cum eo versata est, quoad gallos canentes audivimus. Tum verò Luna subvolabat in cœlum, atque Hecate subiit terram, cæteraque spectra disparuerunt: & Chrysidem tandem emisimus circa ipsum fermè diluculum. Hæc, Tychiades si conspexisses, haudquaquam amplius dubitasses, esse multa in carminibus istis commoda. Bene dicis, inquam, ego credidissem equidem, si vidissem ea: nunc verò ignoscendum mihi puto, si qualia vos videtis, acutè perspicere non possum: veruntamen Chrysidem illam quam dicis, novi, mulierem planè meretricem ac facilem: nec video sanè cujus gratia ad illam egueritis luteo illo legato, magoque ex Hyperboreis usque, atque ipsa insuper Luna: quippe quam viginti drachmis ducere in Hyperboreos usque potuisses.

potuisses. Mirificè enim sese offert ad hanc incantationem mulier, & contrarium quiddam spectris istis habet. Nam ea quidem æris ferrive sonum si audierint, fugiunt (nam id vos prædicatis) illa verò si argentum uspiam sonuerit, accurrit ad tinnitum. Præterea ipsum etiam magum admiror: quòd cum ditissimas mulieres in amorem sui possit elicere, atque ab eis solida talenta suscipere, is tamen ob quatuor minas admodum tantilli lucelli avidus Glauciam amoris compotem fecerit. Ridiculè facis, inquit Ion, qui nihil credis. Ego te libenter ergo rogaverim quid de his respondeas, qui dæmoniacos liberant erroribus, adeò manifestè spectra illa carminibus ejicientes? Atque hæc me dicere non opus est, verum omnes noverunt, Syrus ille ex Palæstina, qui harum rerum artifex est, quàm multos mortales suscipiat, qui ad Lunam concidant, oculosque distorqueant, spumaque os oppleant: quos tamen erigit ac sanos remittit, magna accepta mercede, diris eos malis liberans. Etenim quum jacentibus instet, rogaveritque, unde sint in corpus ingressi, ægrotus quidem ipse tacet: dæmon verò respondet (aut lingua Græca loquens, aut barbarica, aut undecunque fuerit ipse) & quomodo, & unde intravit in hominem. Ille verò adjurans eum, ac ni paruerit minitans etiam, expellit abigitque dæmonem. Quin ego quoque dæmonem quendam exeuntem vidi, nigrum certè, & colore fumidum. Non magnum erat, inquam, ego talia te Ion cernere: cui ipsæ etiam apparent Ideæ, quas vestræ familiæ parens ostendit Plato: rem videlicet spectatu tenuem atque evanidam, quantum ad nos homines lusciosos. Itane solus Ion, inquit Eucrates, istiusmodi vidit: ac non alii etiam multi inciderunt in dæmones: alii noctu, alii etiam interdiu? Ego profectò non semel, sed millies jam talia conspexi: ac primum quidem turbabar ad ea: jam verò ob consuetudinem nihil novum aut prodigiosum mihi videre videor, maximeque nunc ex quo annulum mihi Arabs dedit ex ferro de cruce quapiam sumpto, factum: carmenque docuit nominibus multis plenum, nisi fortè ne mihi quidem fidem sis habiturus Tychiade. At quî fieri possit, inquam, ut Eucrati non credam Dinonis filio, viro inprimis sapienti, ac liberè, quæ sibi videntur, domi in privato suo cum autoritate narranti? Illud ergo de statua, inquit Eucrates, quæ omnibus qui in domo sunt singulis noctibus apparet, tum pueris, tum adolescentibus, tum senibus, hoc inquam, non à me duntaxat audieris, verum etiam à nostris omnibus. De qua statua? inquam ego. Non vidisti (inquit) quum ingredereris, statuam quandam in atrio collocatam, sanè quàm pulchram, opus Demetrii: qui statuas humana specie fingere consuevit? Nonne illam dicis, inquam, quæ discum jacit: quæ inclinata est ad emissuri gestum, reflexa in eam quæ discum fert, altero pede modicè inflexo, quæque se erectura videtur unà cum jactu? Non, inquit: nam unum est ex Myronis operibus ille disci jactator, quem dicis. Sed nec eam quæ est ei proxima: eam loquor cui teniis caput vinctum est, formosam illam; nam id Polycleti opus est. Verum eas quæ à dextra sunt egredientibus omitte, inter quas & tyrannicidæ illi stant, Critiæ Nesiotæ plasmata. Tu verò an non ad aquam illam quæ influit, quampiam vidisti ventre prominulo, calvam, seminudatam, vulsis quibusdam barbæ pilis, insignibus venis vero homini simillimam? Pelichus dux Corinthius esse videtur. Per Jovem, inquam, vidi quandam à dextra Saturni, quæ tænias coronasque aridas habebat, pectoreque folia quædam inaurata. Ego, inquit Eucrates, ea inauravi, quum me sanasset triduo, febre pereuntem. Eratne igitur etiam Medicus, inquam ego, optimus iste Pelichus? Est, neque ride, inquit Eucrates: alioqui homo te haud multo pôst invadet. Novi ego certè quantum valeat hæc quam tu rides statua. An non ejusdem putas esse immittere febres in quos voluerit, quandoquidem potis est ejicere? Propitia inquam, placataque sit hæc statua mihi, quæ tantum valeat. Quidnam ergo aliud facientem eam viderunt omnes qui in domo sunt? Quum primum nox est, inquit, hæc è base descendens in qua steterat, in orbem totam domum circuit: omnes occurrunt ei interdum etiam canenti: nec quisquam est quem unquam læserit, divertere tantum oportet. Illa verò prætererit, nihil intuentes infestans, quum & lavat sæpe, & tota nocte ludit, ut ex ipso aquæ strepitu licet audire. Vide ergo, inquam ego, ne fortè non Pelichus hæc statua sit, sed Talus potius Cretensis, qui apud Minoem fuisse dicitur. Nam & ille æreus quidam Cretæ custos erat. Quòd si non ex ære, sed ex ligno facta esset, nihil eam prohiberet, quin non opus Demetrii, sed una potius ex Dædali machinis esse videatur. E base namque (ut ais) etiam ista fugit. Vide, inquit, ô Tychiade, ne te posthac scommatis hujus pœniteat. Novi quidem ego, quid illi evenerit, qui obolos surripuit, quos ei quoque novilunio suspendimus. Prorsus atrocia, inquit Ion, oportebat accidere: quippe qui sacrilegus erat: quomodo ergo illum ultus est, ô Eucrates? nam audire cupio, etiam si quàm maximè Tychiades iste diffisurus est. Multi, inquit ille, ad pedes ejus oboli jacebant, aliaque item numismata quædam argentea ad crus ejus affixa cera, ac laminæ quoque argenteæ: vota cujusque, aut merces ob sanationem ejus, qui ab eo liberatus esset, quum febre detineretur. At erat nobis servus quidam Libycus sceleratus, equorum curator. Hic noctu aggressus est ea auferre omnia, abstulitque digressam jam quum observasset statuam. At quum primum reversus intellexit sacrilegio se compilatum Pelichus, vide quo pacto sese ultus est, atque furti prodidit Libycum. Tota nocte atrium obambulabat in orbem miser, exire non valens, tanquam in Labyrinthum incidisset, quoad orta die jam deprehensus est, ea tenens quæ furto abstulerat: ac tum quidem comprehensus, plagas non paucas recepit, nec temporis multum superstes malum malè periit: vapulans, ut dicebat, singulis noctibus: adeò ut vibices postridie apparerent in corpore. I nunc, & post ista quoque Tychiades Pelichum ride, ac me tanquam coætaneum Minoi jam delirare puta. At ô Eucrates, inquam ego,


quàm diu æs erit æs, operisque plastes Demetrius Alopecensis fuerit, qui non Deos sed homines fingere consuevit, Pelichi nunquam statuam verebor: quippe qui nec ipsum etiam viventem, si mihi minaretur, admodum timuissem. Ad hæc Medicus Antigonus: Et mihi ô Eucrates, inquit, Hippocrates æreus est magnitudine fermè cubitali, qui duntaxat quum lucerna extincta sit, totam in orbem domum ambit, perstrepens ac pyxides evertens, pharmacaque commiscens, atque ostia circumvertens: maximeque siquando sacrificia prætermittimus, quibus in singulos annos ei sacrificamus. Postulat ergo, inquam ego, etiam Hippocrates Medicus jam ut sibi sacrificetur: indignaturque nisi in tempore justorum sacrificiorum epulis accipiatur? quem nimirum decebat boni consulere, si quis ei libaverit, aut mulsum inspersérit, aut caput coronaverit. Audi ergo, inquit Eucrates, istud certè etiam testibus probavero quod ante annos quinque vidi. Erat fermè vindemiæ tempus. Ego verò in agrum circa meridiem vindemiatum dimissis operariis, in sylvam solus abibam: cogitans interim quiddam, atque considerans. At postquam in saltum perveni, canum primò latratus insonuit. Ego verò Mnasona filium meum, cum æqualibus venientem, ludere venarique (quemadmodum solebat) conjiciebam. At res haudquaquam sic se habebat: verum paulo pòst facto terræmotu, sonoque velut è tonitru, mulierem advenientem video terribilem: proceritate fermè semistadiali: habebat autem in sinistra facem, in dextra verò gladium viginti circiter cubitorum. Et infernè quidem pedibus erat serpentinis, supernè verò Gorgonem referens vultu atque aspectus horrore: pro coma quidem draconibus, tanquam cæsarie circumcincta: aliis collum amplectentibus, aliis etiam per humores sparsis. Videte, inquit, amici quo pacto etiam inter narrandum exhorrui: & simul hæc dicens Eucrates, ostendit omnibus brachii sui setas erectas metu. Ion ergo ac Dinomachus, & Cleodemus vehementer inhiantes auscultabant eum viri senes, tanquam naribus traherentur, adorantes apud se tam incredibilem Colossum: mulierem semistadialem, Giganteum quoddam Mormolycium. Ego verò considerabam interim, cujusmodi erant hi qui cum juvenibus sapientiæ nomine versentur, vulgoque in admiratione habeantur: quum sola nimirum canicie barbaque ab ipsis differant infantibus: cæterùm etiam illis ipsis facilius ductiles ad credenda mendacia. Dinomachus ergo, dic mihi, inquit, Eucrates: illi canes deæ, quanta magnitudine erant? Elephantis, inquit ille, proceriores Indicis, nigri & ipsi hirsutique, sordido squalidoque villo. Ego igitur quum viderem, restiti, inverso protinus in interiorem digiti partem (quod Arabs mihi dederat) sigillo. Hecate ergo percusso draconicis illis pedibus solo, hiatum effecit maximum & qui immani magnitudine penitus æquaret tartarum. Deinde paulo pòst abiit in eum desiliens. Ego verò præsente animo porrecta cervice inclinatus, inspexi apprehensa arbore quapiam, quæ vicina stabat, ne obortis mihi tenebris ac vertigine, in caput præceps inciderem: deinde conspexi ea quæ in inferno sunt omnia: Pyriphlegetontem, lacum, Cerberum, manes: adeò ut quosdam etiam eorum agnoscerem. Patrem ergo meum manifestè cernebam adhuc his ipsis amictum, quibus eum sepelivimus. Quid agebant (inquit Ion) ô Eucrates, animæ? Quid aliud, inquit ille, quàm per tribus familiasq; cum amicis cognatisque versantur, in Asphodelo collocati? Contradicant ergo etiam nunc (inquit Ion) Epicurei sacro Platoni, ejusque de anima rationibus. At tu nonne Socratem etiam ipsum Platonemq; videbas inter manes? Socratem (inquit) vidi: neque illum tamen evidenter, nisi quod inde conjeci, quoniã calvus ac ventricosus erat. Platonem verò non cognovi: nam apud amicos vera fateri oportet. Simul ergo atq; ego omnia conspexi, & hiatus coiit, & ex famulis meis quidam quærentes me, atque in his Pyrrhias hic, supervenere hiatu nondũ plenè obducto. Dic Pyrrhia, annon vera narro? Per Jovem (inquit Pyrrhias) & latratum audivi per hiatum: & ignis quidam à face mihi suffulgere videbatur. Tum risi ego profectò, teste latratum ignemq; in cumulum addente. Tum Cleodemus: Haudquaquam nova ista, inquit, neque aliis invisa vidisti. Nam & ipse haud ita pridem quum ægrotarem, tale quiddam conspexi. Prospiciebat mihi curabatque Antigonus hic, ac septima dies erat: febrisque ô qualis incendio certè vehementior. Omnes ergo me relinquentes solum, clausis foribus foris manebant. Sic enim jusseras Antigone: si quo pacto possem obdormiscere. Tunc igitur astitit mihi juvenis quidam vigilanti, pulcher admodum, veste circumamictus candida. Ac me quum excitasset, per hiatum quendam ducit ad inferos: sicuti illicò cognovi, Tantalum quum viderem ac Titium Sisyphumque. At cætera vobis quid commemorem? Postquam vero ad Tribunal perveni (aderat autem & Æacus, & Charon, Parcæq; atque Erinnyes) quidam velut rex (Pluto certè mihi videbatur) assedit singulorum nomina percensens, qui morituri erant, quos diem jam vitæ præscriptum præteriisse contigerat. Juvenis ergo me adducens illi exhibuit. At Pluto tunc incanduit, & ad eum qui me ducebat; Nondum illi completum est stamen, inquit: abeat ergo: tu vero fabrum Demylum adduc: jam siquidem ultra colum vivit. Tum ego lætus recurrens, ipse quidem jam febre liber eram: denuntiabam verò omnibus, quòd Demylus esset moriturus. Manebat autem nobis in vicinia ægrotans etiam ipse nonnihil, ut renuntiatum est. Ac paulo pòst audimus ejulatum eorum qui lugebant eum. Quid miri est, inquit Antigonus? Ego etenim quendã novi post vigesimum diem quàm sepultus est, resurrexisse. Nam hominem & antequam moreretur, & postquam resurrexit, ipse curavi. Et quo pacto (inquam ego) in diebus viginti neque tabuit corpus, neque præterea fame corruptum est, nisi fortassis Epimenidem quempiam tu curasti? Hæc quum diceremus, protinus ingrediebantur Eucratis filii è palæstra redeuntes. Alter quidẽ jam ex ephebis excesserat, alter verò annos natus erat circiter quindecim. Tum salutatis nobis juxta

patrem

patrem adsidebant in lecto, ac mihi quidem sella illata est. Tum Eucrates tanquam è conspectu filiorum admonit⁹: Sic his frui mihi contingat, inquit; simulq; manū eis injecit, ut apud te Tychiades vera narrabo. Felicis memoriæ uxorem meam horum matrem noverunt omnes, quo pacto dilexerim: nam declaravi his rebus quas in eam feci, non modò dum viveret, verum etiam postquam vita functa est. Quippe qui mundum ejus universum, vestemque qua dum viveret oblectabatur, in rogum illius injecerim. Septima verò post mortem die, ego quidem in eundem lectum incumbebam quemadmodum nunc, luctum eum mihi commitigans, quem de illa conceperam. Legebam enim tacitus Platonis illum de anima libellum. Ingreditur interim Demænete ea ipsa, atque adsidet juxta: quemadmodum nunc Eucratides hic, minorem designans filium. Hic verò illicò tremuit admodum pueriliter, ac dudum ad narrationem pallebat. Ego verò (inquit Eucrates) ut conspexi, amplexus eam singultim lacrymabam. Illa verò me vociferari non patiebatur, verum incusabat me, quòd quum ei fuissem in reliquis gratificatus omnibus, è sandaliis aureis alterum non cremaverim, superesse autē id dicebat, quod sub arca ceciderat: atque ob id nos quum non inveniremus, alterum tantum cremaveramus. Nobis autem adhuc differentibus, scelestissimus quidam caniculus, qui mihi in deliciis erat, in lecto cubans allatrabat, ea verò ad latratum evanuit. At sandalium sub arca repertum est: posteaque à nobis incensum. An hæc etiam, Tychiades, recusabis credere, quum tam sint evidentia, quotidieque observentur? Per Jovem, inquam ego, digni fuerint, quibus aureo sandalio nates puerorum more feriantur, si qui ista non credant, atque usque adeò impudenter verò resistant. Interea Pythagoricus intrabat Arignotus, comatus ille, ab aspectu venerabilis. Nosti illum doctrinæ nomine celebrem, qui cognominatur sacer. Atque ego quidem, ut eum conspexi, respiravi: hoc ipsum, quod proverbio dici solet, advenisse mihi ratus: nempe securim quampiam adversus mendacia. Occludet, inquam, eis ora vir sapiens, adeò monstrosa narrantibus: atque prorsus, juxta vulgatum illud adagium, repente Deum immissum esse mihi hunc à fortuna putabam. Hic verò postquam adsedit, assurgente ei ac cedente Cleodemo, primum de morbo percontatus est, seque audisse dicebat, Eucratem jam se melius habere. At quidnam, inquit, inter vos philosophamini? nam interim dum ingrediebar subauscultavi, ac mihi certè videmini in re quapiam pulchra conversari. Quid aliud, inquit Eucrates, quàm ut huic adamantino persuadeamus (me demonstrans) ut dæmones credat aliquos esse, phātasmataque, ac mortuorum animas super terram obambulare, & sese quibus libitum fuerit ostendere? Ego igitur erubui, vultumque dejeci reveritus Arignotum. At ille, vide (inquit) Eucrates, num hoc dicat Tychiades, eorum tantum qui violenter interierint, animas errare, veluti si quis suffocatus, aut capite truncatus, crucive suffixus fuerit, aut alio quopiam istiusmodi modo è vita discesserit: eas verò quæ fatali morte naturalique discesserint, haudquaquam ampli⁹ oberrare. Nam hoc dicat, non usque adeò absurda dixerit. Per Jovem, inquit Dinomachus, ne esse quidem istiusmodi, nec præsentia cerni putat. Quid ais, inquit Arignotus in me torvè aspiciens, nihil horum tibi videtur fieri? præsertim quū omnes (ut ita dicam) videant? Ignosces, inquam ego, mihi, si non credo: nam solus omnium non video: quòd si vidissem, profectò & credidissem, quemadmodum & vos. Atqui, inquit ille, si quando Corinthum veneris, roga ubi sit Eubatidæ domus. Atque ubi tibi fuerit indicata, nempe circa Craneum, in eam ingressus, dic janitori Tibio, velle te videre, unde dæmonem Pythagoricus Arignotus quum adduxisset, abegerit, ac deinceps habitabilem domum reddiderit. Quidnam hoc erat Arignote? rogabat Eucrates. Inhabitabilis erat, inquit ille, diu propter terricula: quòd si quis inhabitasset, expavefactus illicò fugiebat exactus à quodam horrendo ac terribili spectro. Deciderat ergo jam, tectumque rumpebatur, neque quisquam erat omnino qui in eam ingredi fuerit ausus. Ego verò ubi hæc audivi, libellos sumens (sunt autem Ægyptii mihi de talibus rebus admodum multi) veni in domum circa primam vigiliam, dehortante hospite, ac fermè detinente, postquam didicerat quò iturus essem, in certum, ut putabat, exitium. At ego sumpta lucerna solus ingredior, atque in vastissimo atrio collocato lumine, humi sedens tacitè legebam. Adest verò dæmon ille, cum quopiam è vulgo se congressurum ratus, ac me quoq; quemadmodum alios perterriturum, squallidus, hirsutus, ac tenebris nigrior. At hic quum adstaret, undique me adsultim petens tentavit, si quà posset expugnare, ac modò in canem, modò in taurum, modò in leonem vertebatur. At ego correpto in manum quàm maximè horrendo carmine, simulq; vocem imitatus Ægyptiam, & incantans eum, in domicilii tenebrosi angulum quendam compuli. At quum animadvertissem, ubi se in terram condidit, tum destiti. Mane autem desperantibus universis, ac me quemadmodum alios mortuum sese reperturos putantibus, præter omnium spem progrediens, Eubatidem adeo, feliciter illi adnuntians, quòd puram sibi ac spectris liberam domum jam liceret incolere. Atque illum assumens aliosque multos (sequebantur autem hujus inopinatæ rei gratia) quum ad locum duxissem, ubi condentem se dæmona conspexeram, jussi ut sumptis ligonibus matulisque suffoderent. Atque ubi id fecerant, inventum est ferè ad passum defossum cadaver quoddam marcidū, ossibus tantum humana specie cohærentibus. Illud igitur effossum sepelivimus, domus verò postea turbari prodigiis desiit. Hæc ubi narravit Arignotus, vir prodigiosa sapientia ac reverendus omnibus, nemo erat ex his qui aderant, qui non multam mihi imputaret insaniam, qui talia non credam, narrante præsertim Arignoto. Ego tamen nihil veritus neque comam, neque illam quam de eo habebant opinionem. Quid hoc inquam, Arignote? Etiam tu talis eras, in quo mihi sola veritatis spes fuit, fumo plenus

plenus ac simulacris? Illud ergo nobis in te quod dici solet evenit: ut thesaurum quum speraverimus, carbones offenderimus. At tu, inquit Arignotus, si neque mihi credis narranti, neque Dinomacho, aut huic Cleodemo, neque ipsi Eucrati: dic age quemnam digniorem, cui his de rebus fides habeatur, existimas, qui nobis dicat contraria? Per Jovem, inquam eo, virum apprimè mirabilem Abdera oriundum illum Democritum, cui tam firmiter erat persuasum, ejusmodi nihil esse in rerum natura posse, ut quum se in monimento extra portas clausisset, ibique degeret dies noctesque scribens atque componens, juvenesq; eum quidam illudere cupientes ac perterrefacere, nigra veste in modum cadaveris ornati, ac personis in capita adfictis circumsistentes, illum circumsilirent, crebrò subsilientes: hic neque eorum commenta pertimuerit, neque eos omnino respexerit, sed inter scribendum: Desistite, inquit, ineptire. Adeò firmiter credidit animas nihil esse postquam è corporibus exierint. Hoccine ais, inquit Eucratres, dementem quempiam virum esse Democritum? siquidem sic existimavit. Ego verò vobis etiam aliud referam, quod mihi ipsi contigit, non quod ab alio acceperim: fortassis etiam tu Tychiades quum audieris, compelleris accedere, ipsa narrationis veritate coactus. Quum in Ægypto versarer adhuc adolescens, à patre videlicet doctrinæ gratia transmissus, cupiebam navigio profectus in Coptum, illinc adiens Memnonem, miraculum illud audire, eum videlicet sonum reddentem ad orientem Solem. Illum igitur audivi non hoc vulgari modo, quo audiunt alii sonum quempiam inanem, sed mihi oracula etiam edidit Memnon, ipse aperto ore septem versibus: quod nisi esset supervacaneum, ipsos vobis versus recenserem. Inter navigandum verò incidit in nos unà navigans vir Memphiticus quidam, ex sacris illis scribis, mirabili sapientia, & qui universam Ægyptiorum doctrinam callebat. Dicebatur autem 23. annos in adytis subterraneis, mansisse, Magiam interea doctus ab Iside. Pancratem dicis (inquit Arignotus) Præceptorem meum, virum sacrum, rasum, lineis indutum, doctum, pureque lingua Græca loquentem, procerum, simum, labiis promissis, cruribusque gracilibus. Illum ipsum, inquit ille, Pancratem; ac primum quidem quis esset ignorabam: at postquam vidi eum, si quando in portum appulissemus, cùm alia multa miracula facientem, tum Crocodilis insidentem, & cum feris versantem, illas verò reverentes eum, caudisque adulantes, agnovi sacrũ quempiam virum esse, paulatimque comitate mea me in ejus amicitiam ac familiaritatem insinuavi, adeò ut omnia arcana communicaret. Ac tandem mihi persuadet, ut famulis omnibus in Memphide relictis, se solus consequerer: neque enim defuturos nobis ministros. Atque ex eo tempore sic vitam duximus. Quum in diversorium quodpiam veniremus, homo accepto pistillo, scobinave, aut pessulo, vestibus implicans, quum in id carmen quoddam dixisset, effecit ut ambularet, utque aliis omnibus homo videretur. Illud ergo abiens, & aquam hauriebat, & cœnam parabat, instruebatque atque in omnibus commodè subserviebat ministrabatque nobis. Deinde postquam jam satis hujus ministerii fuit, scobinam rursus scobinam, ac pessulum pessulum, aliud recitans carmen reddebat. Hoc ego vehementer conatus non reperiebam, quo pacto ab illo expiscarer. Nam id mihi invidebat, quanquã in aliis esset facilimus. At quadam die in angulo quodam tenebricoso clam illo delitescens subauscultavi propius incantationem illam. Erat autem trisyllaba. Tum ille quum pistillo mandasset quæ curanda erant, abiit in forum. At ego postridie illo apud forum occupato, acceptum pistillum quum ornassem, syllabas illas simili modo pronuntians, aquam jussi ut hauriret. Tum impleram amphoram quum tulisset, Desiste inquam, neque aquam amplius haurito, sed rursus esto pistillum. At illud mihi haud amplius jam obtemperare volebat, sed aquam hauriebat continuè, quoad hauriendo totam domum nobis impleret. At ego quum resistere huic rei non valerem, timebam autem ne Pancrates reversus (id quod etiam evenit) irasceretur, correpta secure pistillum in duas partes disseco. At utraque pars amphoram sumens hauriebat aquam, jamque unius loco duo mihi ministri esse cœperunt. Interea Pancrates supervenit, ac re intellecta illas quidem in ligna rursus, quemadmodum ante carmen erant, mutavit. At ipse me clanculum relicto, nescio quò clanculum se subducens abiit. At possis istud etiam nunc, inquit Dinomachus, hominem ex pistillo facere? Per Jovem, inquit ille, dimidia ex parte scio: nam in priorem formam nunquam à me restitui potest, postquam semel aquarius esse cœperit; sed deserenda nobis domus esset aquæ jam impleta. Non desistitis, inquam ego, hujusmodi monstrosa narrare viri senes? Alioqui horum saltem adolescentium gratia incredibiles istas ac terribiles fabulas aliud in tempus omittite, ne clanculum terroribus ac prodigiosis fabulamentis impleantur. Parcere ergo eis oportet, ne talia consuescant audire, quæ eos per totam vitã comitata perturbabunt, atque ad omnem strepitum meticulosos reddent, posteaquam eos omnigena superstitione impleverint. Rectè admonuisti me, inquit Eucrates, quum superstitionem dixisti. Nam quid tibi Tychiade de rebus hujusmodi videtur: de oraculis loquor ac vaticiniis, & quæcunque quidam numine afflati proclamant, quæve ex adytis audiuntur? aut quæ virgo numeris eloquens futura prædicit? an videlicet nec talia credis? At ego quòd añulum quendam sacrum habeo, Pythii Apollinis imaginem exprimente sigillo, quodque hic Apollo mecum loquitur, non dico, ne tibi videar ad gloriam meam res incredibiles narrare. Cæterum quæ apud Amphilochum audivi in Mallo, heroë mecum diu differente, Deumque meis de rebus consulente, tum quæ ipse vidi, volo vobis narrare: deinde ex ordine & quæ vidi in Pergamo, & quæ audivi in Pataris. Itaque quum ex Ægypto redirem domum, audiremque illud in Mallo vaticinium apertissimum simul ac verissimum esse, tamen sic oracula dare, ut ad rem respondeat his, quæcunque Propheta quispiam in sche-

schedulam inscripta tradiderit: rectè me facturum putavi, si dum præternavigarem, experirer oraculum, Deumque de futuris quippiam consulerem. Hæc adhuc Eucrate dicente, quum viderem quàm longè res esset processura, quodque non brevem incepisset de oraculo tragœdiam, ratus non expedire, uti solus contradicerem omnibus, relinquens eum ex Ægypto adhuc in Mallum navigantem: nam & intelligebam molestam illis esse præsentiam meam, utpote qui dissentirem refelleremque eorum mendacia: Atqui ego abeo, inquam, quæsiturus Leonticum, nam opus habeo cum eo congredi. At vos quandoquidem parum sufficere vobis res humanas putatis, ipsos etiam Deos denique in fabularum vobis partem vocate. Atque hæc simul ac dixi, discessi. Illi verò alacres jam libertatem nacti, ut est verisimile, mutuò sese epulis accipiebant, ac mendaciis ingurgitabant. Talibus ô Philocles apud Eucratem auditis, venio per Jovem inflato ventre, non aliter quàm hi qui musto poti sunt, opus habens vomitu. Tum libenter alicunde magno emerim pharmacum aliquod, quod mihi oblivionem induceret eorum quæ audivi, ne me nonnihil earum rerum lædat inhærens memoria: nempe monstra, dæmones, atque Hecatas mihi videre videor. PHIL. Quin mihi quoque ô Tychiade, tale quiddam hic sermo tuus attulit: ajunt etenim non solum in rabiem verti, atque aquam formidare, quoscunque rabidi canes mordeant: verum etiam si quem mordicus homo morsus momorderit, illum morsum quoque non minus canino validurum, atque eum etiam eodem modo formidaturum. Quin tu ergo videris, quum sis ipse apud Eucratem à multis mendaciis morsus, mihi quoque morsum illum communicasse, adeò mihi mentem dæmonib⁹ implevisti. TYCH. At bono animo simus, amice, quum magnum adversus hujusmodi res remedium habeamus, veritatem rectamque omnibus in rebus rationem: quo si utamur, nullis hujusmodi vanis stultisque mendaciis turbabimur.



LUCIANI DECLAMATIO PRO Tyrannicida, THOMA MORO Interprete.

ARGUMENTUM DECLAM.

Ascendit quidam in arcem, ut tyrannum occideret: at ipsum quidem non invenit, filium autem ejus quum peremisset, gladium reliquit in corpore. Tyrannus ingressus, ac filium jam conspicatus mortuum, eodem gladio se transfixit. Is qui ascenderat, ac tyranni filium interemerat, tanquam tyrannicida præmium petit.


DECLAMATIO.

QUum duos tyrannos, Judices, uno die peremerim, alterum quidem jam ætate defectum, alterum verò florentem, eoque ad scelerum successionem idoneum, adsum tamen unicum ob utrumque præmium petiturus: idque quum solus omnium qui unquam fuere tyrannicidæ, sceleratos duos uno ictu sustulerim atque mactaverim: filium quidem gladio, patrem verò nimio illo quo in filium ferebatur, affectu. Tyrannus igitur ob ea quæ gessit, satis nobis supplicii dedit, quippe qui & vivens filium spectavit occisum, & tandem (quod maximè præter omnem spem fuit) ipse sui coactus est tyrannicida fieri. Filius igitur à me peremptus est, inservivit autem mihi etiam mortuus, ad aliam mortem: nam qui vivens injurias unà cum patre fecit, mortuus patrem ut potuit, interfecit. Qui tyrannidem ergo sustuli, ego sum: ensisque qui peregit omnia, meus est; ordinem tantum immutavi cædium, ac perimendi sceleratos novavi modum: illum qui fortior erat, & qui ulcisci poterat, amolitus ipse: senem verò soli relinquens gladio. Ego igitur ob ista etiam amplius aliquid à vobis expectabam, sperabamque me præmia pro peremptorum numero suscepturum, ut qui vos non præsentibus tantum malis eripuerim, sed futurorum quoque metu liberaverim, ac certè vobis libertatem præstiterim, nullo hærede scelerum relicto. At interim tot rebus à me præclarè editis, in periculum venio, ne à vobis nullo præmio donatus abeam, solusque mercede frauder, quam leges à me servatæ statuerunt. Hic itaque meus adversarius, nullo Reipublicæ studio, sicut ait, istud agere videtur, sed eorum cæde commotus, ut in eum qui mortis eis causa fuit, ulciscatur. Sed vos judices auscultate paulisper dum tyrannidis mala (quanquam ipsi probè sciatis) expono: nam & hoc pacto melius beneficii magnitudinem cognoveritis, & magis item gaudebitis, reputantes quibus estis malis liberati. Neque enim quemadmodum aliis plerisque jam sæpe accidit, ita nos quoque simplicem tyrannidem & unicam servitutem sustinuimus: neque unius Domini libidinem pertulimus, sed soli omnium quos unquam similis pressit infelicitas, duos unius loco tyrannos habuimus, & in duplices miseri injurias distracti sumus. At moderatior admodum senex erat, & in ira mitior, & ad supplicia segnior, & ad libidines tardior: utpote ætate jam impetus ejus vehementiam cohibente, & voluptatum appetitiones refrænante. Et ad causas quidem facinorum invitus à filio dicebatur impelli, quum ipse non admodum tyrannicus esset, nisi quòd illi parebat: nam in filium (ut jam ostendit) propensus supra modum fuit. Omnia illi filius erat, illi obtemperabat: & injustè fecit quicquid ille jubebat, & puniebat quos ille volebat: in omnibus illi morem gerebat, ac denique sub illius tyrannide vivebat, & ultroneus filii cupiditatum satelles erat. At juvenis verò honore ætatis gratia patri cessit, & solo imperii nomine abstinuit: cæterùm re ipsa tyrannidis caput ipse fuit. Firmitas quoque ac tutamentum principatus ab illo pendebat, quoniam & quod ex injuriis provenit, solus ipse fruebatur. Ille erat qui satellites ducebat, qui custodias regebat, qui subditos feriebat,

riebat, qui insidiatores terrebat. Ille erat qui ephebos rapuit, qui nuptias temeravit, cui virgines adductæ sunt: & si quæ cædes erant, si qua exilia, pecuniarum expilationes, tormenta, contumeliæ, hæc omnia juvenis fiebant audacia: nam senex ipse obsequebatur, & comes in malis erat, & tantum filii scelera comprobabat. Et res quidem nobis intolerabilis facta est: nam quum animi libidines ab imperio sumunt licentiam, nullum injuriarum finem faciunt. At illud tamen nos urebat maximè, diuturnam, imò æternam potius futuram hanc servitutem sciebamus, & tradendam per successionem Rempublicam populumque alii post alium domino ac scelerato hæreditatem cessuram. Aliis profectò non parvam spem hæc res facit, quod perpendere possunt, ac secum dicere: at jam cohibebitur, at jam morietur, ac paulò post erimus liberi. De illis verò nihil tale sperabatur, sed jam nunc paratum imperii cernebamus hæredem. Quamobrem nec suscipere negotium audebat fortium quisquam, qui tamen eadem mecum cupiebant: sed desperabatur omnino libertas, & inexpugnabilis videbatur tyrannis, cum necesse esset tam multos aggredi. At me nihil ista deterruerunt, neque perpensa negotii difficultate detrectavi, neque periculum expavi. Solus quidem, solus adversus tam fortem ac multiplicem tyrannidem, imò verò non solus, sed cum gladio auxiliari conscendi, consorte etiam tyrannicidii, mortem præ oculis habens, sed propriam tamen cædem communi libertate compensans. Cum in primam ergo custodiam incidissem, ac satellites haud facile amovissem, obvium quemque perimens, & quicquid obsisteret conficiens, in ipsum negotii caput ferebar, in ipsum unicum tyrannidis robur, in ipsam nostrarum calamitatum materiam: & in summa arcis custodia constitutus, quum illum conspexissem sese generosè defendentem, atque resistentem, vulneribus multis tamen interfeci: ac jam quidem sublata tyrannis erat, facinus confectum erat, atque exinde protinus omnes liberi. Senex relictus est ille solus, inermis, custodibus exutus, magno illo satellite suo adempto destitutus, nec amplius ulla generosa manu dignus. Ibi ego mecum Judices talia cogitabam: Totum negotium meum bene se habet: omnia peracta sunt, omnia strenuè perfecta sunt. Quonam ergo iste qui superest, plectetur modo? me siquidem ac dextera mea indignus est: præcipuè verò facinore tam splendido ac juvenili & generoso confecto, cujus gloriam addita hac tam inerte cæde minuerem. Dignum autem quærere carnificem quempiam oportet, verum post ærumnam, tum ne & hanc lucrifaciat; videat, puniatur, appositum tantum ensem habeat: huic ergo reliqua committo. Hæc ubi statuissem, illinc amolior. Ille verò sicut ego ante divinaveram fecit, ac tyrannum interfecit, fabulæque meæ supremum actum addidit. Adsum ergo popularem vobis gubernationem adferens, & omnibus securitatem denuntians, ac libertatem feliciter annuntians. Nunc igitur factis meis fruimini. Sceleratis enim (uti videtis) arx vacat, imperat autem nemo, sed & honores tribuere licet, & judicare, & ex legibus contradicere: atque hæc vobis ex me, atque hoc facinore meo profecta sunt, atque ex illa una cæde, postquam pater haud amplius vivere potuit. Dignum igitur ob ista censeo, debitum à vobis mihi præmium dari: non quod studiosus lucri sim, aut qui parva magnipendam: neque quod ob mercedem de patria benemereri in animum induxerim, sed quod mea officia cupiam vestro præmio esse comprobata, ne despectus sit, neve inglorius fiat meus conatus, tanquam à vobis mancus, & præmio judicetur indignus. At iste contradicit, & me præter æquum ait facere, qui honorari velim, ac præmium referre: non enim esse me tyrannicidam, neque factum à me quicquam secundum legem esse, sed facto meo quiddam ad præmium petendum deesse. Rogo igitur eum, quid reliquum à me desideras? non volui? non ascendi? non peremi? non liberavi? num imperat quisquam? num jubet quisquam? num Dominus minatur quisquam? num me maleficorum effugit quisquam? non dixeris. Sed omnia pacis plena, & leges omnes redditæ, & manifesta libertas, & popularis gubernatio firma, & conjugia inviolata, & pueri extra periculum, & virgines tutæ, & festas agens ferias ob communem felicitatem civitas. Quis est igitur horum omnium causa? quis illa sustulit, ista præbuit? Etenim si me quisquam est hoc honore dignior, illi hac mercede cedo, ac præmio isthoc abstineo. Sin verò solus ego cuncta peregi, audens, periclitans, adoriens, interimens, puniens, alterum in altero ulciscens: quid mea calumniaris officia? quid ingratum erga me populum facis? At ipsum non occidisti tyrannum: lex autem tyrannicidæ præmium statuit. Interest ergo quicquam, dic mihi, an ipsum perimas, an mortis ei causam præbeas? Ego certè nihil puto, nempe hoc solum legislator spectavit, libertatem & popularem statum, ac sceleratorum amolitionem: istud honoravit, istud gratia dignum censuit, quod factum à me non esse non queas dicere. Si enim illum occidi, quo occiso iste non potuit vivere, ipse nimirum mactavi. Cædes mea, manus illius erat. Ne nimium ergo curiose de mortis modo disputes, neque examines, quomodo interiit: sed an amplius non sit, an per me est, quòd amplius ille non sit. Quandoquidem hoc quoque mihi videris excussurus, & sycophantam in benemerentes acturus, si quis non ense, sed lapide, lignové, aut alio quopiam modo peremisset. Quid verò si tyrannum fame obsessum, ad mortis necessitatem adegissem? etiamne tum requireres meamet manu peractam cædem? alioqui deesse adhuc aliquid mihi ad legem implendam diceres? atque id graviore supplicio interfecto malefico? Unum solum examina, istud interroga, in hoc curiosus inquire, quis facinorosorum superest? quis injuriæ metus imminet? quæ vestigia calamitatum? Sin

verò purgata sunt ac pacata omnia: sycophantæ est, modum rerum calumniantem, velle præmio ipsis factis debito fraudare. Ego siquidem hoc quoque in legibus declaratum memini, (nisi forsan ob longam servitutem sim quæ in illis dicuntur oblitus) causas mortis duas esse: sive quis ipse occiderit: seu si quis ipse quidem non occiderit, neque manu rem gesserit, coëgit tamen, atque occasionem necis dedit. Æqualiter hunc etiam lex plectendum censet, atque admodum quidem justè: nam præbitam interitus causam nihilo judicavit ipso facto minorem; ac reliqua jam de modo necis quæstio supervacua est. Illum ergo qui sic occiderit, puniendum tanquam homicidam æquum censeas, absolvique nullo pacto velis: qui verò eodem quo ille modo civitati benefecerit, indignum benemeriti præmio duces? Neque enim istud possis dicere, me videlicet id fecisse tantum: bonum autem exitum quendam temerè, non me id destinante, consequutum. Quid ergo pertimuissem amplius, eo qui fortior erat interempto? Quid in vulnere gladium reliquissem, nisi idipsum omnino quod erat futurum prædivinassem? Nisi hoc fortasse dixeris, quòd qui peremptus est, tyrannus non erat, neque hoc nomen obtinebat, neque multa vos ob id libenter, si necaretur, præmia dedissetis: sed hoc nunquam dices. Ergo interempto tyranno, illi qui causam præbuit non reddes præmium? O curiositatem! quomodo necatus est curas, quum libertate fruaris; aut ab eo qui democratiam restituit, amplius aliquid postulas? Atqui lex (ut dicis) ipsum rerum caput examinat, media autem omnia valere finit, neque ultrà curiosius inquirit. Quid enim, qui in exilium tyrannum compulisset, non honorem jam tyrannicidæ tulisset? Imo ac valde quidem justè: nam & ille libertatem pro servitute præstitit. At quod à me factum est, non exilium, nec redintegrandæ rebellionis metus, sed omnino perfecta sublatio est, & generis illius universi internecio, ac totius mali radicitùs excisio. Ac nunc, per Deos, omnia mihi ab initio in finem usque (si videtur) excutite, an prætermissum quicquam ad implendam legem fuerit, & an quicquam mihi defuit, quod adesse tyrannicidæ debuit. Ante omnia igitur animum adesse generosum decet, atque Reipublicæ studiosum, paratumque pericula pro communi commodo subire, ac propria morte multorum salutem redimere: ergò ad id mihi quicquam defuit? an animo fractus sum? an pericula prospiciens, per quæ mihi vadendum erat, detrectavi? non id dixeris. Mane ergo in hoc solo, ac me finge ex eo solo quod volui, atque isto consilio fui, etiamsi nihil inde boni provenisset, tamen ob mentem ipsam assurgentem præmium tanquam benemerentem petere; quum tamen ego non potuerim, sed alius me sequutus tyrannum occiderit, absonum (dic mihi) aut absurdum esset tribuere? maximeque si dicerem, ô viri, volui, cupivi, aggressus sum, atque animi mei signa dedi: solus honore dignus sum. Quid tum responsurus esses? Nunc verò non id dico, sed & ascendi, & periclitatus sum, atque innumerabilia priusquam adolescentem peremeram, feci. Neque enim rem usque adeo facilem esse suspicemini, custodiam superare, at satellites opprimere, unumque tot viros avertere. Sed fermè maximum in tyrannicidio, atque ipsum rei caput istud est. Nam ipse quidem tyrannus non magnum opus est, neque magno negotio conficiendum, neque expugnatu difficile, sed ea potius quæ muniunt ac tuentur tyrannidem, quæ qui vicerit, is omnia peregerit: nam reliquum quidem parum est. Siquidem istud ad tyrannum usque penetrare, nequaquam licuisset mihi, nisi custodum qui eos cingunt, ac satellitum omnium victori, ac nisi eos omnes prius devicissem. Nihil amplius adjicio, sed iis rursus immoror. Custodias superavi, satellites inquam, tyrannum incustoditum, inermem, nudum reddidi. Ob hæcné honore tibi dignus videor? an adhuc à me cædem postulas? Atqui si cædem etiam quæris, nec istud quidem deest. Neque enim incruentus sum, sed perpetravi magnam ac nobilem necem juvenis florentis atque omnibus metuendi, per quem etiam ille tutus ab insidiis erat, quo solo confidebat, qui multorum loco satellitum sufficit. Quid tum ergo, num præmio dignus sum? num tantarum rerum honore fraudabor? Quid enim si satellitem, unum si ministrum quempiam tyranni peremissem? quid si servum honoratiorem? an non magnum etiam hoc tibi videretur ascendere, atque in media arce, in mediis armis aliquem ex amicis tyranni conficere? Nunc autem etiam illum qui peremptus est considera: filius erat tyranni, imò tyrannus gravior, ac dominus inclementior, ac tortor crudelior, extortor violentior. Tum quod maximum fuit, hæres omnium atque successor: postremò, qui in longum poterat nostras calamitates extendere. Visne hoc me solum fecisse, tyrannum autem ipsum adhuc ereptum fuga vivere? Munus ob ista peto. Quid dicitis? non dabitis? Non illum quoque suspexistis? non Dominus? non gravis? non intolerandus erat? Nunc verò etiam caput ipsum intelligite. Quod enim iste à me flagitat, id quam optimè fieri potuit, peregi, ac tyrannum alterius nece necavi, non vulgariter, neque uno ictu, quod illi post tot scelera maximè fuit optandum: sed dolore multo prius exagitans, & in oculis ostendens miserè prostrata, quæ illi fuerant charissima, filium quanquam malum, tamen ætate florentem, ac patri similem, sanguine ac tabo plenum. Hæc sunt patrum vulnera, hi legitimorum tyrannicidarum gladii. Hæc tyrannis crudelibus digna mors, hoc supplicium sceleribus tantis debitum. Nam illicò mori, illicò nescire, nullum tale spectaculum cernere, nihil habet tyrannica pœna dignum. Non enim ignorabam (te appello) non inquam ignorabam, imò nec alius quisquam, quantum ille erga filium gerebat affectum, & quòd post illum vivere ne paululum quidem dignaretur.

Atque omnes fortasse patres sunt in filios ejusmodi. At hic certè aliquid supra cæteros habebat, idque meritò, quippe qui illum solum videbat ducem servatoremque tyrannidis, solumque pericula patris præoccupantem, ac firmitatem imperio præstantem. Unde etiam quanquam non ob amorem, at ob desperationem saltem statim illum sciebam moriturum, quum cogitaret inutilem sibi vitam futuram, securitate quam illi filius præbebat ablata. Omnibus igitur illum simul circumsepsi, natura, dolore, desperatione, terrore, ac temporum etiam futurorum metu. His in illum commilitonibus usus sum, & ad ultimum illud consilium coëgi. Interiit nobis orbus, afflictus, dolens, lacrymans, luctum lugens, brevem quidem, sed qui patri sufficiat, & quod gravissimum est, ipse à seipso, quod mortis genus omnium est miserrimum, multoque acerbius quàm si inferatur ab alio. Ubi mihi gladius est? num quis illum agnoscat alius? num cujusquam alterius telum est? quis illum in arcem duxit? ante tyrannum quis usus est? quis illum tyranno misit? O ensis mecum communicans, rerum à me bene gestarum successor, post tot discrimina, post tot mortes despicimur, & indigni præmio videmur. Si enim ob istud solum hunc à vobis honorem peterem, si dicerem: O viri, tyranno mortem cupienti, ac tum inermi fortè deprehenso, meus iste subservivit gladius, atque operam suam ad consequendam libertatem commodavit omnibus: honore ac præmio indignum putassetis? Dominum tam popularis rei non retaliassetis? non inter benefactores inscripsissetis? non inter sacra gladium ipsum reposuissetis? non secundum Deum illum coluissetis? Nunc mecum cogitate, qualia tyrannum ipsum ante mortem & fecisse, & dixisse sit verisimile. Quum filium perimerem, ac vulneribus multis in parte corporis conspicua perfoderem, quo videlicet genitor ureretur, atque aspectu primo stupesceret, miserabiliter exclamavit atque inclamavit patrem, non ut auxiliator esset aut commilito, quippe qui jam senex erat atque invalidus, sed domesticorum malorum spectator. Ego illinc digredior, totius quidem tragœdiæ autor. Reliqui verò histrioni cadaver, & scenam, & ensem, ac cætera quæ fabulæ supererant. At ille quum adesset, ac videret filium, quem habebat unicum, vix respirantem, lacerum ac morte plenum, vulnera quoque illa densa, ac multa, & lethalia gerentem, sic exclamavit: O nate, sublati sumus, interempti sumus, tyranni cæsi sumus: ubi iste interfector est? ad quid mihi parcit? cui me reservat malo per te jam fili præmortuum? nisi me forte utpote senem contemnit, & lentè me perimere decrevit: ac mortem mihi producit, ut necem mihi faciat longiorem. Et simul ista dicens, ensem quærebat: ipse autem erat inermis, ut qui omnem in filio spem reposuerat. At ne is quidem defuit: jamdudum enim à me antè præparatus erat, atque ad facinus futurum relictus. Ergo ex corpore evellens, & ex vulnere gladium eximens, jamdudum me occidisti, peremisti, nunc verò mihi finem facito. O ensis, inquit, patri lugenti consolator veni, atque infelicem senis manum adjuva, jugula tyrannum, perime, ac luctu solve. Utinam in te prior incidissem, utinam ordinem cædis incepissem, cecidissem quidem, at ut tyrannus tantum, at ultorem sperans: nunc verò ut orbus, nunc verò ut etiam carnifice egens. Et hæc simul dicens, vulnus intulit tremulus, impotens, cupiens quidem, invalidus tamen ad facinoris ministerium. Quot sunt ista supplicia? quot vulnera? quot mortes? quot tyrannicidia? quot præmia? Et tandem vidistis omnes jacentem juvenem, opus neque parvum, neque facile, senem verò illi circumfusum, cruorem utriusque inhærentem, atque illam libertatis & victoriæ parentem libitinam, & nostri ensis operam: ensem verò ipsum inter utrumque monstratum, declarantem quam non indignus Domino sit, testantemque quòd mihi sit fideliter obsequutus. Hoc si ego fecissem, obscurius fuisset, nunc verò redditur ipsa novitate splendidius. Qui tyrannidem ergo omnem sustuli, ego sum: opus autem in multos distributum est, quemadmodum in fabula. Atque egi primas quidem partes ego, secundas verò filius, tertias tyrannus ipse, ensis autem subservivit omnibus.



DECLAMATIO
THOMÆ MORI,
Lucianicæ respondens.

NOn putaveram Judices, ei qui (id quod ego nunc facio) publicam causam suscepisset agendam, opus fore, ut cur id facere instituerit, rationem reddat: neque enim ullum fore periculum, ne id malitia potius aggressus, quàm pietate videatur, quum hoc certissimum præ-

præbeat magnę integritatis argumentum, quòd aliorum omnium comodis elegerit suo privato labore consulere. Quod quanquam omnes istiusmodi causarum patronos merito posse existimem ab omni calumniæ suspicione defendere, me tamen omnium meritissimè, qui ut omnibus prosim, non solum hunc mihi laborem desumsi, sed inimicitias etiam cum eo viro contraxi, qui se tyrannos quoque jactat occidisse. Sed quoniam nihil tam rectè cœptum esse video, quod non improborum vellicet ac depravet iniquitas, & quosdam jam nunc mussitantes audio, qui istius oratione persuasi, hoc meum officium in pejorem partem rapiunt: statui Judices vobis hujus actionis meæ causas exponere, ne quis industriæ meæ malignus interpres eam dolori, odio, vel invidiæ conetur ascribere. Ac primum, qui est cur tyranni mortem dolore puter? nam id iste mihi nuper objecit, probationem verò nullam attulit, dixisse tantum contentus, & credi sibi sine argumento, sine teste postulat: imò, inquit, nisi doleres, nisi tyranni mortem ulcisci cuperes, mecum non contenderes. Ergo eo solo lugere me tyranni mortem probas, quòd tibi, ob ejus necem præmium injustè petenti, ego me justè opposui? Vis videre quàm nihil dicis? Si te tyrannum occidisse probes, ego tecum litigare, nec si velim possem, nec si possem velim. Nunc verò quid aliud contra te dicturus sum, quàm quòd illum non occidisti? Si tu interfecisses, nihil quererer, imò laudarem, admirarer, ac præmium primus decernerem: nunc verò ideo tibi contradico, ideo tibi honorem denego, ideo adversor, ideo queror, quia tyrannum non occidisti. Num igitur occisum protinus dolere videor? Ostendisse potius, Judices, debuit, me tyranno fuisse vel sanguine conjunctum, vel affinitate propinquum, vel beneficiis devinctum, vel scelerum communione fœderatum. At istorum quicquam ne fingere quidem potuit: ergo si neque cognatus illi, neque affinis fui, si mea opera nunquam in cujusquam injuriam usus est, si ab illo beneficii nihil in me collatum est, si me acerba servitute cum cæteris simul oppressit, si me illius interitus libertati vobiscum unà restituit: quid causæ est ut illius mortem meæ salutis ac libertatis auspicium doleam? At odii certè tantundem causæ est. Nam quid egit quòd odium in illum provocaret meum? Primò tyranni filium interfecit: postea verò tyranno sibi manus inferente, iste prę̨mium tanquam tyrannicida petiit: quorum alterum, puta quod juvenem peremit, quanquam idipsum parum consultè, parumque ex communi commodo fecerat, nisi dii nobis fuissent propitii, fecit ille tamen animo (quantum ego certè suspicor) non malo: alterum verò, nempè quod præmium postulat, quum non meruerit, ut nunc sunt hominum ingenia, non miror, & ignosco certè, modò possit auferre. Neutrum istorum odium in illum meum concitat. Extra hæc nihil unquam fecit, quod ad me ullo modo pertineat: ergo tam iniquus sim, ut hominem vix tandem satis aut de facie, aut fama notum, qui me nec re offenderat, nec verbo læserat, gratis odio persequerer? Restat invidiæ diluenda suspicio, quæ talis est, ut nullo malo carere velim libentius. Nam quum omnia vitia sint suapte natura perniciosa, nullum tamen est livore pestilentius, quodque pectus, cui semel insederit gravioribus tormentis exagitet. Nempe alterius fortunam suum infortunium ducere, secundis aliorum rebus æstuare, alienis laudibus uri, aliena felicitate torqueri, an non summa miseria, non extrema dementia est? Itaque si à quoquam alio vitio, Judices, absum, ab hoc certè longissimè absum. Cujus unquam fortunas impetii? Cujus res bene gestas elevavi? Cujus laudibus unquam detraxi? Cujus famam labe respersi? Certè ab hujus vitii suspicione si me mediocris ista fortuna mea non asserit, quæ non tam inops est, ut aliorum opibus ac præmiis invideam, si me anteacta vita non vindicat: quæ non usque adeo est rerum bene gestarum indiga, ut aliena debeam laude tabescere: at ipsa me hercle causa prorsus absolvit: quæ talis est, ut potius omnium veniam, quam cujusquam mereatur invidiam. Quæso, Judices, quod tandem odii signum, quod invidiæ documentum præ me fero? Non provoco, non irascor, non accuso, urbem tantum in jus vocatam ab illo defendo. Sed cur sedentibus ergo cæteris, ac tacentibus universis, atque in his multis & clarissimis viris, & autoritate præstantibus, & multo ad dicendum instructioribus, ego potissimum surgo, & petenti præmia contradico? Illi ipsi profecto quin mecum sentiant non dubito: & quin ex his plerique sint, qui hoc ipsum officium, nisi ego jam suscepissem, libenter fuerint obituri: neque tamen ideo culpandus sum, quod me pro patria primus obtulerim. Quicquid est, alieni silentii causas non debeo: me certè ad dicendum cum Reipublicæ causa, tum deorum immortalium respectus incitabat: nempe quum viderem satis tenues ærarii nostri proventus, præsentem pecuniam nimis exiguam, tum instare multas necessarii sumptus occasiones, non ferebam uti civitas hoc insuper non necessario sumptu mulctaretur. Tyrannicidii præmium quantum sit, non ignoratis, ac meritò quidem: quod enim pretium satis grande sit, quo agri, foci, fortunæ, liberi, conjuges, salus ac libertas omnium, postremo ipsæ deorum aræ atque templa redimuntur? Quod quo majus atque urbi onerosius est, eo magis à nobis prospiciendum est, ne temerè collocetur. Satis, Judices, satis impensæ ac sumptus imminet, satis effundendum est, ut ærarium nostrum tam profundè, non iste etiam cui nihil debemus, exhauriat. Præterea quum hoc tyrannicidium sola deorum clementia provenerit, qui toties inclamati calamitatum tandem nostrarum miserti, crudelissimi nos jugo tyranni solvere, ac libertati reddere voluerunt,

 non

non ferendum putavi, ut civitas honorem gratiamque diis merentibus ablatam, homini non merenti tribueret. Totum autem hoc negotium fortunæ deorumque benignitati deberi, huic nihil gratiæ, apertissimis argumentis docebo: quod dum facio, quæso, Judices, diligenter attendite. Tria sunt quorum iste quodlibet sufficere sibi ad hunc honorem consequendum putat, vel quod tyranni peremit filium, vel quod tyrannum tentavit occidere, vel quod pater filii nece commotus ense, quem iste reliquerat, mortem sibi conscivit. Ergo illius adolescentis cædes tyrannicidium videtur? Quid ni? nempe & ille (inquit) tyrannus erat. Quis id credat, Judices, urbem unam duobus suffecisse tyrannis? duos tyrannos invicem concordes eadem incoluisse mœnia? unius urbis ambitu potuisse contineri, quorum alterutri vix vel orbis universus suffecerit? Quisquis id credendum duxerit, is mihi parum videtur tyrannicam considerare naturam: nam legitimæ quoque potestates, ac non solum legibus gubernantes, sed etiam legibus obtemperantes, ac tyrannide tanto intervallo mitiores, ambitione tamen ita vincuntur, ut nec vel intimorum amicorum vitæ parcant, potius quàm eos habeant imperii sui consortes. Quis tyrannum credat natura ferum ac violentum imperii sui, cujus ardore hominum leges protriverit, deorum contempserit, vitam neglexerit, socium quenquam admittere? Quin brutorum quoque pleraque fermè, quæ (quod tyrannorum proprium est) rapto vivunt, quibus solius pabuli cura impressit aliqua tyrannicæ naturæ vestigia, in proprios fœtus sęviunt, potius quam socios illos venationis accipiant. Et hominem tyrannum putamus, quem fastus inflat, ambitio stimulat, cupiditas urget, gloria sollicitat, suam cum quoquam posse communicare tyrannidem? At iste non solum duos tyrannos facit, verum etiam adolescentem plus quam tyrannum vult videri: nam civibus atroces (inquit) injurias fecit, cæde, rapina, stupro, omnibus denique scelerum formis insignis. Nomine quidem abstinuit, cæterum re ipsa tyrannidis caput erat, ac parente plus potuit, eum ut volebat, rexit. At longè contrà se res habet, Judices; Nimirum impotens semper ac formidolosa res tyrannis est: neque filius profectò patrem tulisset si posset, neque filio tantum permisisset pater ut posset. Nemo tyrannis est hærede suspectior, qui eo majorem parenti metum incutit, quo magis ferocem ejus indolem ac tyrannicos mores expresserit. Continebat ergo filii sui cupiditates, atque adolescenti stringebat potius quàm laxabat habenas, ne viribus nimium invalescens juvenis, imperii avidus, atque opibus insolens, nec sibi jam imperans, tandem ne parenti quidem parceret, quin jam Saturno superi Jovem præferrent. Nam si injurias interdum fecit, quid aliud quàm se parenti satellitem præbuit? ex quibus quotusquisque est, qui non grassetur, nuptias violet, domos compilet, fana dispoliet, obvios cædat, atque optimum quemque trucidet? Sed quoniam unus est, cujus potentia atque umbra freti, tam scelerata grassantur audacia, pœnas alioqui facinorum suorum vel illi, vel publicis legibus daturi, ipsi quidem latrones, homicidæ, fures, adulteri: solus autem unus ille scelerum Princeps, sub cujus nomine omnes impune delitescunt, tyrannus est. At ille adolescens si quando patrabat aliquid atrocius, patrem semper sic imperasse dicebat: neque ego quin imperarit dubito. Nam filius quanquam ea indole fuit, ut parentem aliquando videretur (si ad tantam pervenisset ætatem) flagitiis ac sceleribus æquaturus, tamen in hac adolescentia præ illius crudelitate ac sævitia quibus jam à puero semper assuetus insenuerat, rudis adhuc miles, ac vix tyro fuit, neque ferè magnum quicquam, nisi à patre jussus atque edoctus agebat. Sed sive non nisi jussus illa faciebat, sive ipse etiam injussus audebat, tamen quum tanquam jussus egerit, quum neque tyranni nomen usurparit, neque se pro tyranno gesserit, sed patri se parêre significarit, & ausorum suorum causas in illum retulerit, quum alium se potentiorem esse confessus sit, cujus viribus fideret, à quo omnis ejus penderet impunitas: furem si velis, aut sacrilegum, vel si quod aliud nomen mavis, appelles, at is profectò non est, in quo fieri tyrannicidium potest. Quòd si illum omnia solum potuisse, ac re ipsa tyrannum fuisse contendas, & (quod paulo antè jactabas) ilicò ejus morte liberam fuisse Rempublicam; fingamus obsecro adhuc parentem vivere, sed non fugatum tamen: quod nescio cur ipse finxisti, quippe quem nec ipse fugaveras, nec cur ei fugiendum esset effeceras. Filio enim tantum per insidias adempto, reliquis viribus integris, non video cur patri magis desperandum aut fugiendum fuerit, quàm si aut filius ei natus non fuisset, aut peste correptus obiisset. Patrem ergo fingamus (ut dixi) viventem, ac filio quidem unico orbatum, sed satellitum tamen caterva cinctum, cædem filii lacrymantem, sed interfectori minantem, atque omnia suppliciorum genera destinantem, in forum vultu tristi quidem, sed tamen truci procurrere, & prolato quem tu reliquisti gladio, ingentia polliceri præmia, si quis ejus ensis Dominum prodiderit: hic tu foro jam ab illo atque ejus satellitibus occupato, & in caput tuum quæstione jam haberi cœpta, in publicum fortis tyrannicida procurre, & in medios globos irruens tyrannum te occidisse proclamita, libertatem omnibus denuntia, ac tyrannicidii præmium postula. Quid fugis? quid latebras quæris? quid tyrannicida metuis? An non libera est Respublica? an non tyrannus occisus est? neque ergo is quem peremisti, tyrannus erat, sed quidam potius tyranni satelles: neque ejus morte civitas libertati restituta est, quod solum paulo ante dicebas hujus legis spectasse latorem. At hæredem (inquit) occidi. Quid mihi hæredes nominat? quid in tyrannide leges memorat? Legum ista nomina sunt: juris est ista successio. An piratæ filium si demortui patris locum impleverit,

verit, hæredem quisquam dixerit? Intestatus semper tyrannus moritur, quippe legibus ab illo captivis, quæ solæ ratum facere testamentum possunt. Proinde qui defuncti locum tyranni subit, hæres non est, sed novus tyrannus. Non enim succedit, sed invadit. At illi nunc paruissemus. Istud quî constat? Ego contra tyranno mortuo populum illicò liberum esse dico. Alioqui frustra lex tyrannicidæ præmium statuit, si alterius morte in alterius potestatem recidimus. Sed longè secus, Judices: defuncto enim quolibet casu tyranno, populus jam tum liber dum amici luctu occupantur, dum stupent ejus morte satellites, illicò sese in libertatem asseruisset, neque plus filius adversus populi vires tum valuisset, quàm nunc potest quisquam, vel ex amicis tyranni potentissimus, aut genere quisquis ei fuit post filium proximus, ad quem, si successionis nomen atque hæreditatis audiendum est, tam nunc tyrannis pertinet, quàm ad filium pertinuisset. Qui satellitem igitur, qui amicum, qui cognatum, qui filium tyranni peremerit, frustra tyrannicidium jactaverit. Tyrannus ipse solus est, cujus necem tanto præmio Respublica mercatur. Sed volui, (inquis) pertentavi, periclitatus sum: quod negarine possit, filio tyranni perempto, spe futuræ tyrannidis extincta, præclarum animi mei documentum reliqui, vel hoc solum sufficere mihi ad hunc honorem puto. Hic vide, obsecro, quàm nihil malevolè, quàm simpliciter agam tecum omnia, quàm ex re tua totum hoc negotium minimè suspiciosus interpreter. Nam si alius hanc ageret causam, nec tamen ex inimicis tuis, sed ex acrioribus istis actoribus quispiam, qui locos omnes excutiunt, & suspicionibus urgent, ac molestè nimium premunt: sic Hercules hunc tractaret locum, ut te nec id tentasse unquam, nec destinasse contenderet. Quòd si tu vociferareris, mirari te quenquam tam insigni esse impudentia, ut talia dicere occiso in ipso conatu tyranni filio audeat; hic ille protinus quasi fieri non potuerit (inquit) ut non patriam liberaturus, quod non præstitisti, non tyrannum occisurus, quem non attigisti, sed ipsum potius juvenem quem trucidasti perempturus, ascenderis: illatam tibi privatim aliquam ulturus ac retaliaturus injuriam. Hic si instaret, urgeret, premeret, ac certas aliquas probationes illius animi tui ac propositi flagitaret, vides (ut opinor) in quantas traheretis angustias. Sed ego tecum hoc pacto non agam, quippe qui in rebus (cujusmodi ista est) vehementer obscuris, assuevi semper in meliorem partem esse proclivior. Permitto itaque tibi, ut ista fecisse animo in Rempublicam propenso videaris. Voluisti ergo, ac tentasti prorsus auferre tyrannidem. Hoccine tibi videtur isto præmio compensandum? Primùm quod voluisti, quis non videt quam sit exiguum? Nam hac ratione omnes tyrannicidii præmium peteremus. Quis enim tam frigido in Rempublicam animo fuerit, ut tyrannum crudelissimum non libenter auferre voluerit? Tentando verò quid aliud declarasti, quam quod esse tyrannicida voluisti? Quòd te præterea periculis exposuisti, an id præmium meruerit ullum, postea videbimus: quod autem istud non meruerit, spero vobis, Judices, esse vel sola legis recitatione perspicuum. Quæ quum præmium nisi tyrannicidæ non statuat, qui vero tyrannum non ceciderit, esse tyrannicida non possit: quantumlibet quispiam tentaverit, quantiscunque sese periculis exposuerit, frustra tyrannicidii præmium, nisi cæso tyranno, petierit. Nam ei qui dum conatur occidere, in exilium compulerit, præmium quidem: sed neque tantum, neque tanquam tyrannicidæ decernam. Etenim si morbo quopiam laborans denuntiem, quicunque me sanaverit, ei recuperata valetudine, tria me talenta daturum, veniat aliquis spe mercedis inductus, qui mei curam suscipiat: deinde medicamentis quibusdam adhibitis, ubi frustra se conari senserit, artem suam morbo victam confessus, me jam deploratum relinquat, aliqua tamen molestiæ parte levatum: sanitatis illi mercedem, quia non sanavit, non debeo: rursus quia profuit, inanem prorsus à me dimittere haud æquum est. At si post mille pharmaca, nihilo tamen melius habentem destituat: præmii nihil meretur, qui nihil juvit: gratiæ verò tantundem ferè, qui quod mederi tentavit, sui gratia, non mei fecit. Quod si insigniter medicæ artis ignarus, rem tamen aggredi fuerit ausus, atque aliquantisper miserè venenis adfectum postea dimittat: quum jam non modò nihil opis tulit, sed plurimum doloris addidit, etiamsi sese gratis obtulerit: utrum amore dignus est, quod me suo labore tam diu nulla præmii spe tam officiose vexavit? an summo potius odio, quod temere sese meo periculo ei negotio, cujus erat imperitus, immiscuit? Huic rei, Judices, haud multum mihi videtur præsens causa dissimilis. Lex enim tyrannicidam conducere vehementer alicunde studet, eique præmium certum, tyranno cæso, pollicetur. Sed tyrannicidam quum dicit, Judices, hominem quærit artificem: non manu tantum fortem, sed pectore quoque multo magis valentem, consilio potius quam viribus præstantem: qui insidias tendere, laqueos abscondere, occasiones captare noverit. Ergo hanc provinciam si quis hujusmodi susceperit, qui tyrannum ipsum arte & insidiis adoriatur, adorsum opprimat, oppressum interimat, nec re cœpta semel, nisi perfecta desistat: hic tyrannicidii præmium audacter postulet. Sin id quidem non potuerit, quod autem proximum est & confine fecerit: tyrannum videlicet vel in exilium abegerit, vel ad deditionem condonata vita coëgerit, vel ad deponendam tyrannidem certa conditione compulerit: hunc ego præmio dignum, neque nullo quidem, neque tamen tyrannicidæ judico. At si quis manu potens, mentis inops, illarum penitus ignarus artium, quibus instructum esse tyrannicidam oportet, qui rem viribus egere tantum, ac non consilio putet, qui denique Ajaci multo sit, quam Ulyssi, similior, sed Ajaci tamen jam abjudicatis armis insanienti, armenta hominum loco trucidanti, si hujusmodi, inquam, quispiam rem tantam conficiendam sibi desumpserit: tum

nec

nec insidias collocans, nec tempus eligens, nec occasionem expectans; impetu quodam proruat: nec ab ipso tamen tyranno incipiat, sed in satellites ejus insiliat, dato interim illi sibi cavendi loco: tum subducto tyranno, re temerè cœpta, stultè gesta, per ignaviam relicta, ac penitus infecta, sola sibi fuga, abjecto etiam gladio consulat: postea verò vel defuncto, vel interfecto tyranno, in publicum prodeat: præmium tanquam tyrannicida postulet, atque hujusmodi utatur oratione: Volui, Judices, ausum sum, tentavi, periclitatus sum; utrum, Judices, illi tyrannicidii præmium decerneretis, qui tyrannum tentavit occidere? an malam potius gratiam haberetis, ac dignum etiam supplicio duceretis, quòd sua temeritate non se solum frustra periculis objecerat, sed urbem etiam universam in summum discrimen unà præcipitaverat: utpote qui tyrannum stultè irritando fecerit & civibus infestiorem, & adversus insidias cautiorem? Videtis ergo, Judices, quemadmodum id quod iste vel solum satis esse confidebat, usqueadeò nihil adjuvat, ut etiam nonnihil officiat. Quamobrem si neque is, quem peremit, tyrannus fuit: nec satis tyranni filium occidisse fuit; tentasse verò temerè, plus quàm frustra fuit: reliquum est, ut ultimum illud, tyranni videlicet ipsius mortem, excutiamus, quam iste sibi nos debere disputat. Hoc totius negotii caput est, hoc si vobis iste persuaserit, causæ nihil est quin vicerit; contraque si ego hanc partem vicero, atque sacram hanc, quod ajunt, anchoram illi præcidero, nonne illicò necesse est fluctuet, ac naufragio pereat? Idcirco, Judices, hic etiam atque etiam obsecro, ut quàm maximè sitis attenti, dum tyranni cædem doceo, ex qua tota ista pendet controversia, nihil ad istum quicquam pertinere. Totum ergo hunc locum, Judices, sic ab isto tractatum esse meministis, ut qui vobis persuadere cuperet, uti crederetis, eum jam tum, quum filium perimeret, parentem, quod postea fecit, præscisse facturum. Sciebam, inquit, satis esse filium occidere, sciebam patrem illicò sese post mortem filii pertempturum. Imò sciebas certè, quum sic hanc causam ageres, opus esse tibi ut illa præscisse videreris. Alioqui frustra te præmium tyrannicidii petiturum, si neque ipse tyrannum peremisses, neque id saltem fecisses, unde illi scires exitium imminere. Eam ob rem, Judices, exitum ejus facti tam certum videri voluit, ut vobis etiam audientibus dixerit, ob idipsum sese à tyranno manum abstinuisse, eumque sibiipsi pariter, & istius gladio reliquisse: quem alioqui, ut ait, facilè potuisset occidere, fecissetque, nisi de exitu securus scilicet, tunc de industria pepercisset, ut paulo post miserius interiret. Hic igitur quid faciam? quo me potissimum vertam? unde argumenta conquiram, quibus hunc probem non esse rerum futurarum præscium? Quin illum percontemur potius, ac rationes aliquas exigamus, quibus ille nobis fidem rei tam longè supra fidem faciat, unde hanc tam mirabilem divinandi peritiam nactus sit, utrumne homine quopiam docente didicerit, an numine potius inspirante conceperit. Dic igitur nobis, Tiresia, quonam probamento facies, uti constet comprehensam esse tibi rerum futurarum scientiam? defossum alicubi thesaurum effode, cogitationes nostras evolve, abstrusum aliquid atque occultatum erue, quod miremur omnes: nempe ejusdem artis esse puto, & quæ præsentia latent edicere, & quæ sunt futura prædicere. Aut si tu futuris duntaxat vales, aliqua nunc edissere aliquot post hoc annis, aut si libet, seculis potius eventura: quæ quum ex tuo præscripto ceciderint omnia, tum demum redito, & futura te præscisse dicito. Interim profectò ægrè, quantum suspicor, obtinebis, ut quod te nesciente fiebat, id præscisse credatis antequam fieret. Quòd si tum, quum filium interimeres, ignorabas patrem sese, quod postea fecit, occisurum: cur tu nunc ejus cædis præmium postulas, quam nisi velis impudenter esse mendax, fateare necesse est, te ignorante, atque adeo ne cogitante quidem, perpetratam esse? Sed ideo se fortasse putat hujus etiam necis autorem: quoniam illa cædes quam fecit, istius quoque, tametsi præter spem, causa tamen aliquo modo fuit. Qua in re vos longè alia, Judices, opinor esse sententia. Neque enim si tyrannum casu quisquam aut mente captus occidisset, ei tyrannicidii præmium decerneretis. Quid ita? nempe quòd inscius uterque atque imprudens occidisset, quanquam istius causa est aliquanto, ut mihi videtur, inferior. Nam si alter uter illorum præmium peteret, tametsi peteret qui peremisset ignarus, atque ideo frustra peteret, peteret tamen qui peremisset: nunc verò, & isto nesciente, & non ab ipso peremptus est. At nihil ego, inquit, neque casu, neque imprudens feci: sed filium consulto trucidavi, atque ita patri volens ac prudens mortis causam præbui: qui, ni ego filium occidissem, adhuc tyrannus viveret. Age accedam etiam propius. Si tu tyrannum aggressus ut perimeres: deinde victus ab eo, projecto etiam gladio, fugeres, atque is equo te persequutus, equo collapso, præceps in gladiũ tuum tam opportunè caderet, ut eodem transfigeretur: an non hic posses eadem omnia dicere, voluisse te videlicet, ac volentem aggressum esse: volentem igitur prudentemque causas ei mortis attulisse? nam nisi tu illum fuisses adortus, ille non fuisset occisus. Sed nonne vides, ut eadem opera, vel magis fuga tua gloriari liceat, & ignaviæ tuæ præmium petere? Nam nisi tu fugisses, ille non cecidisset: nisi tu gladium turpiter abjecisses, nec transfixus ille fuisset. Postremò hac ratione ignavos etiam tyrannicidas esse liceat. Quemadmodum licet volens adortus esses ut interimeres: tamen postquam re infecta fugisses, quod postea factum esset, tuum non judicaretur, licet id factum non fuisset, nisi tu aliquid ante fecisses: ita etiam si tyrannum perempturus ascendisti, filiumque dum patrem quæris, occidisti: tamen cum pergere ac perficere quod inceperas, vel timore non ausus sis, vel negligentia nolueris, vel casu non potueris, sed re prorsus infecta redieris, quicquid inde postea te inscio atq; insperante provenerit, id à te profectum esse ne dixeris: siquidem quicquid

quid tuum dici potest, ibi desiit, ubi tu destitisti. At nec istud fortassis ei quod ipse fecit, simile esse concedet. Sed mihi hoc pacto rursus opponet. Is quem tu proponis, non ea mente tyrannum aggressus est, ut se postea victo ac fugiente, ille victor dum persequeretur, occumberet. Ideoque quod non proposuit, meritò suum vocare non potest, At ego eo proposito peremi filium, ut pater sese dolore commotus occideret: atque id facturum animo meo percepi. Videtis, Judices, ut nobis illa divinatione sua rursus occurrit? Quæremus igitur ab eo, quonam pacto præsenserit? præsciveritne? an conjecerit? Si se præscivisse respondeat, neminem credo ei crediturum: sin conjecisse, interim nescisse se fatetur: sed opinatum esse tantum, hoc est dubitasse, incertum fuisse: postremò quid aliud quàm ignorasse? Sed videamus tamen quibus signis, quàm perspicuis argumentis rem tam inopinabilem ita collegerit eventuram, ut quod alius nemo sperare potuisset, id ille sibi tanquam certum atque inopinabile proposuerit. Noveram, inquit, quàm miserè deperibat filium. Itane id tandem adeò te certum ac securum reddidit, ut necem ejus non tanquam fortè secuturam, sed necessariò futuram destinares? Scio, Judices, haud mediocres illos affectus esse, quos erga liberos parentum pectoribus insevit natura, neque tamen aut tantos, aut cuiquam tam exploratos crediderim, ut promittere sibi ac spondere audeat, id quod iste se fecisse narrat, interempto filio patrem ultroneum ei comitem futurum. Nam quotusquisque ex his, quorum filii, & unici, & carissimi quotidie vel morbo cadunt, vel dolo pereunt, vel bello occumbunt, vel casu intereunt, usque adeò mœrore consternatur, ut sibi mortem sua sponte consciscat? Sed amori, inquit, etiam desperatio non minor occasio desiderandæ mortis accessit. Quamobrem obsecro, an tu quum filium perimeres, reliquos unà satellites omnes occidisti? non dices, opinor, stragem te tantam fecisse. Cæteros igitur adhuc retinebat: opum satis, virium satis habebat. Quapropter uno adempto, quum tot adhuc essent incolumes, quorum omnium intererat maximè hunc incolumem esse, cur ei usque adeò desperandum fuit, ut non ab urbe, sed ex orbe festinandum fuerit? An usquam gentium vivere quenquam hodie suspicemur, qui id fecisset, quod tyrannus iste fecit? Quid de aliis quærimus? quin te potius interrogemus, quem verisimile est de te conjecturam hanc fecisse, & tyrannum ex animo tuo spectasse. Si tibi ergo filius perimeretur, atque insuper imminere videretur nonnullum & fortunæ simul & vitæ periculum: num potius eligeres te comitem filio dare, quàm mortem illius ulcisci? an temet ipse ne ab aliis occidereris, occideres? Certè, ut pro te quoque respondeamus, non faceres. Quomodo ergo in mentem tibi venire potuit, ut quod nec alii fecerunt, nec quisquam fecisset, nec tute facturus esses, id tyrannum cogitares facturum? At planè, inquit, cogitabam: alioqui cur ibi gladium meum reliquissem? Rectè nimirum ignaviæ tuæ nos admones. Nam cum hoc dicit, Judices, nonne id vobis videtur dicere, præsensi certe, alioqui cur inde fugissem? quid enim aliud est alioqui, cur gladiũ ibi reliquissem, quàm alioqui cur inde abjecto gladio turpiter me in pedes dedissem? Nam quid opus fuit gladium tyranno relinquere? Ne deesset ei scilicet, quo periret? Itane qui omnium gladios timet, ipse gladio caret? qui quicquid habet, gladio peperit, gladio possidet, gladio tuetur, ei gladius unquam abfuerit? O novum prodigium, Judices, tyrannus sine gladio. Neque illi gladius defuit, nec iste gladium ei reliquit, sed abjecit: nec futurum quod evenit, vel levissima conjectura prævidit. Sed posteaquam in arcem temerè (nescio quomodo) perrepsisset, atque ibi adolescentem (ut est juventa semper incautior) solum, securum, ac nihil minus expectantem, de improviso adortus oppressisset: ac potuisset fortasse progressus ulterius eadem opera tyrannum sustulisse: illic ò hominem timor invasit, metuentem ne voce vel gemitu morientis audito, jam tum proditus concurrentibus tyranni satellitibus caperetur. Jam ante oculos ejus obversabantur vincula, carcer, tormenta, ac mortes mille, mille supplicia: quorum imaginatione vana perterritus, jam strepitum omnem, omnem sonitum, ac postremò suam ipsius umbram expavescens: tam nunc repentè timidus, quàm antè temerarius, ex arce se proripuit: nec secum gladium saltem tollere ausus est: seu ne esset fuga tardior, seu ne cum ense deprehensus, insidiatus fuisse tyranno diceretur: quo nunc perempto recurrit insolens, & tanquam ipse occiderit, tyrannicidii præmium postulat. Age ergo tyrannum ipsum non quæro, an peremeris: hoc tantum quæro, an peremisse potueris? Si non potueris, ergo occasionem non expectasti, locum idoneum non elegisti, tempus opportunum non captasti: sed temerè, sine consilio, sine ratione, præceps incepisti, quod peficere non valuisti. Nec illum ergo te jactes occidisse, quem te fateris nec potuisse. Sin potueris, magnæ profectò vel inertiæ, vel ignaviæ fuit, quod non feceris. Imò, inquit, potui: sed de industria supersedi. Satis jam feceram, filium occideram: patrem dolori suo, & gladio meo reliqui, quo eum sese peremptrurum prævidi. O inverecundum, si ista mentiris. O insanum, si non mentiris. Si tam incredibilia finxisti, miramur impudentiam: si tam absurdè cogitasti, miramur amentiam. Tune adeò eras insanus, ut quum uno ictu potueris, & vitam tuam, & Reipublicæ salutem in tuto collocare, malueris omnia dubiis fortunæ casibus exponere, & tibi futurum promittere, quod sanus auderet nemo sperare? Quid si tyrannus id voluisset, quod tute haud dubiè fecisses, & quod illum quoque facturum longè verisimilius quàm quod fecit, fuit: conclamasset satellites, coëgisset sicarios, armasset carnifices, ac prolato filii cadavere, & natura crudelis, & tam atroci spectaculo irritatus iram ac furorem illum effudisset: primùm in te, per quem filius occisus, deinde in urbem universam, propter quam occisus est: quæ si contigissent (ut tua de-

mentis propemodum contigerant) neque tu miser hodie viveres, qui hoc præmium peteres, neq; nos Rempublicam ullam à qua peti posset haberemus. Sed Dii immortales, Judices, vota precesque nostras recordati sunt: Dii servitutis nostræ mala miserati sunt: Dii nobis in summis atque extremis periculis auxiliati sunt. Qui quum semper huic urbi succurrere statuissent, id potissimum tempus elegerunt, quo maximè nobis beneficium suum commendare possent. Nam tyrannus quanquam semper erat molestus vivente filio, tamen eo nomine minus gravis incumbebat civibus, ne miseram penitus atque exhaustam urbem filio relinqueret. At eo trucidato propter quem antè pepercerat, cui dubium esse potest, quin funditus omnia direpturus fuerit? Postquam ergo Respublica istius primum temeritate, deinde ignavia in extremum illud periculum corruisset, superi tempus jam venisse rati, quo perpetuam nobis insculperent favoris sui memoriam, omnia mala quæ tam propè cervicibus nostris imminebant, subitò in ipsum tyranni caput averterunt: idque tam celeriter, ut citius nos periculo liberatos esse, quàm in periculo fuisse cognoverimus, ne nos interim saltem potuisset discriminis tanti metus urgere. Quis tyrannum putasset, Judices, reperto filii sui cadavere, in sese potius quàm in hanc urbem gladium fuisse versurum, nisi nostri studio superi in propriam illum perniciem, immissis ei furiis, agitassent? Itaque jam nunc videre mihi videor micantes latronis oculos, obducta supercilia, contractam frontem, genas pallentes, dentes stridentes, labra tumentia. Denique qualem Pentheum describunt Poëtæ, toto ore, toto vultu, suæ prodentem mentis insaniam. Quum primum ingressus filium reperiret occisum, quid illum fecisse, quid clamasse suspicemur? quid aliud quàm ut impium atque dementem spurcissimo rictu insana in superos evomuisse convicia? O Deorum iram, ô Numinum invidiam. Video cœlites odii vestri signa: video livoris atri vestigia. Nihil vobis vivit iniquius, nihil ambitiosius, nihil invidentius. Soli imperare, soli regnare vultis, nec satis propria felicitate contenti, semper aliena tabescitis. Cur non mecum in certamen descenditis? cur ignavum insidiatorem filio summisistis? Ille quisquis erat, cum tyranno in certamen etiam ingredi non ausus est: hoc certè saltem gaudeo, quòd nemo se poterit tyrannicidam dicere, nemo tyrannicidii præmium petere. Nemo enim tyrannum occidet hodie, nisi tyrannus. Tyrannus ego hodie vel Diis invitis moriar. Hujusmodi ergo deliria quum blaterasset, in gladium tandem amens ac furiosus incubuit. Tyrannus igitur, Judices, istius gladio, imò nec istius, quippe quem antè abjecerat, manu quidem suapte, sed sola Deorum opera perfossus jacet. At nunc iste sibi cujus ibi nullæ partes erant, primas vendicat. Itaque qui me sycophantam vocabas: vide obsecro, uter nostrum huic vitio propior est, egóne, qui tecum hodie pro Republica superisque dimicans, præmium tamen nec victor postulo: an tu potius, qui desertor ac fugitivus, contendis tamen aliis, atque his quidem Diis vincentibus ipse triumphare? desine, desine aliena virtute partam tibi arrogare victoriam. Desine Deorum in hanc urbem tam clarum obscurare beneficiũ. Desine Deorum laudibus obsistere, & ab hac temeraria petitione desiste. Quòd si iste, Judices, molestus esse perrexerit, vos tamen ipsam rem æquis lancibus expendite. Nam iste quid aliud, quàm tyrannum ut sibi caveret, admonuit? Dii ne cavere sibi posset, ne insidiis amplius opus esset, effecerunt. Iste quid aliud quàm gladio suo tyrannum in nos omnes armavit? Dii gladium illum à nobis in tyranni jugulum retorserunt. Iste quid aliud denique quàm universam urbem in summum periculum dementia sua conjecit? Dii corrigentes istius insaniam, discrimen illud subitò in prosperrimam securitatem converterunt. Vos ergo, Judices, per deos immortales obtestor: per deos hujus clarissimæ libertatis, hujus insperatæ felicitatis autores, ne quod nobis deorum omnium consilio ac virtute successit, id vos unius hominis amentiæ referri sinatis acceptum: neve hanc urbem unquam in deos liberatores tam ingratam esse: neve patiamini, ut salutem suam debere se potius humanæ temeritati quàm deorum benignitati fateatur, quos demum sperare licet futuros semper huic urbi propitios, si nos eorum quæ contulêre memores, eos (uti æquum est) beneficiorum suorum recognoscamus autores. Alioqui si nos (quod absit) ingrati, quæ ab illis profecta sunt, in alios referamus, gratiamque superis debitam impendamus hominibus: vicissim hercle metuendum est, ne dii quoque suum erga nos favorem imminuant: ac Reipublicæ nostræ curam, ut indignæ quæ ab illis curetur, abjiciant. Quamobrem ut aliquando finem dicendi faciam: quandoquidem iste peccavit officio, & bono animo malè fecit, dii verò ejus peccatum in commoda nostra verterunt: ac dii quidem coëgerunt, sed se tamen tyrannus interfecit: tum præmium qui coëgere non petunt, petere autem qui peremit non potest: vos sententiis vestris, Judices, & huic veniam, & superis gratiam decernite: & urbem ab hujus præmii debito, quo eam liberam esse dii voluerunt, absolvite. Dixi.



THOMÆ MORI
EPISTOLÆ,
QUIBUS ADJECTÆ SUNT
ERASMI ROTERODAMI AD THOMAM MORUM EPISTOLÆ.

FRANCOFURTI AD MOENUM,
Ex Officina Christiani Genschii.

THOMAS MORUS MARTINO DORPIO S. D.

SI mihi ad te venire tam esset liberum, quàm vehementer, mi Dorpi, cupio, tum ista quæ nunc parum commodè committo literis, commodius tecum coràm ipse tractarem; tum quo nihil mihi jucundius potuisset accidere, te ipso interea præsens præsente perfruerer: cujus videndi, cognoscendi, complectendique, mirum pectori meo desiderium insevit Erasmus, utriusque nostrûm amantissimus, tum utrique (uti spero) ex æquo carus. Nihil est enim quod ille majore cum voluptate faciat, quàm ut apud præsentes amicos suos absentes prædicet. Siquidem cùm sit ipse plurimis, idque in diversis orbis terrarum partibus, doctrinæ suavissimorùmque gratia carissimus, conatur sedulò, ut quo in unum se omnes animo sunt, eodem etiam inter se omnes conglutinet. Non cessat ergo apud universos singulatim amicorum quemque referre, & quo in cunctorum amicitias insinuet, omnes cujusque dotes, quibus amari promereatur, exponere. Quod cùm ille assiduè faciat de omnibus, de nullo tamen sæpius, de nullo facit effusius, de nullo quàm de te, carissime Dorpi, libentius; quem ita dudum celebravit in Anglia, ut nemo sit ibi literatorum virorum, cui non Dorpii nomen æquè notum celebreque sit, atque Lovaniensibus ipsis, quibus est (ut debet esse) celeberrimum. Seorsum verò ita te depinxit apud me, ut jam olim pulcherrimam animi tui imaginem, planeque eandem apud animum meum præsumpserim, quæ mihi, posteaquam huc appuli, ex elegantissimis opusculis tuis eluxit. Itaque cum me primùm scirem ab invictissimo Rege nostro in has partes legatione functurum, crede mi Dorpi mihi, non pro minimo itineris tanti pretio ducebam, quòd oblata mihi videbatur occasio, qua tecum quoquo pacto congrederer. Verùm istam conveniendi tui facultatem, quam præbitam esse speraveram, negotii nobis demandati ratio præripuit, quæ me Brugis, ubi cum magnificis Illustrissimi Principis nostri Oratoribus res ut nobis tractaretur convenerat, alligavit. Quo fit, ut nunc vehementer doleam, (quum hæc legatio mihi multis alioqui nominibus arrideat) qua tamen in re optaveram maximè fortunam adfuisse propitiam, ea me maximè ab illa destitui. Verùm (ut ad id tandem veniam quod me coëgit in præsenti scribere) dum hic versor, incidi fortè in quosdam, qui mihi non alieni à literis videbantur. Apud hos de Erasmo & de te item sermonem ingero: illum ex literis ac fama, te verò etiam aliàs noverant. Narrant mihi rem, ut parum lætam, ita neutiquam credibilem, te videlicet in Erasmum animo esse parum amico, idque ex literis ad eum tuis liquere: quas (quoniam ad credendum ægrè me adduci videbant) postero die allaturos se esse pollicebantur. Redierunt postridie, tum literas ad me ternas apportarunt, unas abs te ad Erasmum scriptas, quas ille (quod ex ejus responsione colligo) non acceperat, sed earum exemplar, id quod mihi nunc evenit, nescio quo monstrante perlegerat. In his Moriam insimulas, & ad sapientiæ laudem invitas: institutum ejus de emendando Novo Testamento ex Græcis codicibus tam parum probas, tam angustis limitibus ut coarctet suades, ut penè in universum dissuadeas. Alteræ fuerunt ipsius, quibus tibi breviter, utpote fessus ex itinere, atque adeò in eodem adhuc itinere occupatus, satisfacit, copiosius idem se facturum professus cum Basileam delatus esset. Denique tertiæ literæ tuæ fuerunt, quibus rursus ad hanc Erasmi respondes epistolam. Has ego cum præsentibus illis perlegissem, quanquam erant aliqua, non quæ mihi quidem inimicum esse te illi persuaderent (quid enim possit esse tale, ut hoc persuadeat mihi?) sed animo tamen aliquanto magis turbido, quàm expectaram: tamen quia hanc opinionem illis ex animo eradi potius quàm confirmari cupiebam, asserui, nihil ibi legisse me quod non ab amicissimo pectore profectum videatur. At, inquit eorum unus, non æstimo quæ scripserit, sed meo judicio neutiquam amicè fecit omnino quòd scripserit. Nam si Moria quenquam tam vehementer offendit, quod ego nusquam, ne Lovanii quidem, quanquam ibi post editam Moriam sæpe multumque versatus, audivi, præterquam ab uno aut altero morosissimis atque infantissimis senibus, & quos ibi pueri quoque rident: quum alioqui & hic & ibi tam grata fuerit omnibus, ut multi multas ejus partes memoriter ediscant etiam. Verùm quod cœpi dicere, si Moria quenquam tam vehementer offendit, ut Erasmus ad palinodiam quoque videretur invitandus: tamen quum Dorpius non ita pridem accersitus ad Erasmum esset, idque (ut ipse scribit) solus, quid attinebat scribere? Si quid monendum putavit, cur non præsentem præsens admonuit? cur non (ut apud Terentium est) coràm quæ facto opus essent imperabat, potius quàm cum exisset, clamaret de via, idque Erasmo tam longè semoto, ut quæ eum aut primum, aut etiam solum audire oportuerat, ea & solus aliquandiu nesciverit, & postremò non nisi per alios acceperit? Qua in re vide (inquit) quàm sincerè faciat. Primum, quem nemo accusat, eum apud omnes defendere sese simulat: deinde, quibus eum rationibus tuetur, cum nescio an quisquam audiat quæ contra eum objicit, (præter eum solum, qui solus debet) publicè legunt omnes. Hæc cum ille dixisset, aliique eorum alia, quæ nunc non necesse habeo commemorare, ita respondi, atque ita à me dimisi, ut facile intelligerent, nil sinistri me de te libenter audire, animoque esse in te propemodum æquè propenso atque in Erasmum ipsum,

ipsum, in quem tam propenso sum, ut esse propensiore non possim. Nam quòd scribere ad eum, quàm coràm rem tractare, maluisti: quocunque tu id consilio feceris, certè non fecisse malo, & ego, mi Dorpi, mihi pro mea de te opinione persuadeo, & ille certus animi erga se tui non dubitat. At secundas istas literas tuas, quæ jam passim parum secunde leguntur, nullo omnino consilio tuo, sed planè casu quopiam in publicum emanasse crediderim. In quam sententiam vel eò inprimis impellor, quòd in his nonnulla sunt hujusmodi, ut planè mihi persuadeam, te si velles emittere, fuisse mutaturum, utpote non satis idonea, quæ vel ad eum scriberentur, vel abs te. Neque enim quædam tam acerbè ad amicum tantum, neque tam neglectim ad hominem tam doctum: imò sat scio & pro modestissimo ingenio tuo clementius, & pro eximia doctrina tua scripsisses accuratius. Porrò jocis, scommatibusque, quibus plus quàm modicè scriptio tota scatet, non dubito quin usurus fueris, aut aliquanto parcius, aut certè, mi Dorpi, salsius. Namque quòd Moriam insectaris, quòd in Poëtas inveheris, Grammaticos omnes subsannas, Annotationes in sacram Scripturam parum probas, Græcarum literarum peritiam non admodum ad rem pertinere censes: hæc inquam omnia non magnifacio, ut in quibus citra cujusquam offensam liberum cuique sit sentire quod velit: & ita abs te sunt adhuc disputata, ut non dubitem quin inter legendum multa cuique succurrant, quæ responderi ex adverso debeant. Porrò tantum abest ut in horum quenquam nimium abs te dictum existimem, ut in quibusdam etiam multa desiderem, quibus optassem hoc scriptum tuum ad Erasmum prodiisse instructius; quo major ei præberetur occasio sua ex diverso castra majoribus operibus communiendi. At istud certè me nonnihil commovit, quòd Erasmum in eo libello tuo videris aliquanto secus, quàm te atque illo est dignum, attingere: quippe quem ita tractas, tanquam modò contemnas, modò velut è sublimi derideas, interdum quasi non admoneas, sed tanquam patruus aut tristis censor objurges: postremò verbis ejus aliorsum detortis, Theologos omnes, atque adeò Universitates quas vocant, in eum concites. Nec in eam partem accipi hæc mea scripta volo, quasi adversus te, quem planè credo nihil horum ulla in eum malignitate fecisse, ego, cui nimirum ipsi patrono opus sit, in patrocinium suscipiam illum, quem certè majorem & haberi apud omnes, & esse scio, quàm ut in eorum ordinem redigi debeat. Sed quoniam te amo, famæque tuæ bene cupio, idcirco admonere te eorum volui, unde ansam apprehendunt hi, quibus modestia tua & verè cygneus animi tui candor non satis exploratus est, qua famæ te, & tuæ nimis avidum, & alienæ insidiantem, putant. Utinam, Dorpi, quemadmodum Æneas sese apud Vergilium circumseptus nebula Carthaginensibus immiscuit, ac se suaque facta in tapetibus depicta spectavit: sic utinam non visus ipse videre posses, quo vultu posterior hæc epistola tua legatur. Sat scio longè majores mihi gratias habendas duceres, qui te sincerè admoneam ut mutare possis: potes namque mutando efficere, ut hanc omnes (id quod ipse facio) non emissam tibi, sed elapsam judicent, quam eis qui quæ te coràm adulati laudant, eadem clàm etiam ipsi lacerant. Quanquam profectò miror, si quisquam usque adeò adulari in animum inducat suum, ut ista vel te præsente collaudet, quæ ut cœpi dicere, utinam per cancellos transpicere posses, quo vultu, qua voce, quo affectu legantur, cum apud Erasmum non semel inculcas *Theologos Nostros*, *Erasmum*, *& Grammaticos Vestros*: quasi cum ipse sublimis in Theologorum ordine consideas, illum deorsum inter Grammaticulos detrudas. Et sedes tu quidem inter Theologos meritò: nec sedes modò, sed præsides quoque; nec ille tamen è Theologorum soliis in Grammaticorum subsellia depellendus. Quanquam Grammatici nomen, quod tu frequentius quàm facetius irrides, Erasmus opinor haud aspernabitur, imò (ut est modestus) quanquam meretur maximè, fortassis nec agnoscit tamen: quippe cùm sciat, Grammaticum idem omnino significare quod literatum, cujus officium per omnes literarum species, hoc est, per omnes sese disciplinas effundit. Quo fit, ut qui Dialecticem imbiberit, Dialecticus: qui Arithmeticen, Arithmeticus vocari possit: tum in cæteris artibus ad eundem modum. At literatus, mea certè sententia, nisi qui omnes omnino scientias excusserit, appellari nemo debet: alioquin & infantibus licet Grammaticorum nomen attribuas, quicunque ex Alpha & Beta literarum formas edidicêre. Quòd si tu eos tantùm Grammaticos esse vis, quos ais ferulas sceptrorum vice gestantes in antro plagoso regnare: tum Philautia ac Moria stultiores, arbitrari, se omnes nosse disciplinas, quod voculas intelligunt ipsas & orationum structuram; ego mediusfidius, mi Dorpi, etiam eos quanquam procul ab disciplinis esse concesserim, tamen aliquanto propius accessisse puto, quàm Theologos illos, qui & structuram orationum & voculas ipsas ignorant: ex quo genere, & ego aliquot, & tu (ut opinor) plures (quanquam uterque sedulò dissimulamus) agnoscimus. Erasmus certè neque illis ex Grammaticis est, qui tantùm voculas didicerunt: neque ex his Theologis, quibus præter perplexum quæstiuncularum labyrinthum nihil omnino cognitum est: sed ex illo Grammaticorum genere, quo Varro atque Aristarchus: ex illo Theologorum, quo ipse tu, mi Dorpi, hoc est, ex optimo; ut qui nec illas quæstiunculas ignoret, & quod tu quoque abundè fecisti, longè utiliorem bonarum literarum, id est sacrarum maximè, tum cæterarum quoque, peritiam adjunxerit. Sed pergo in epistola tua; in qua illud quoque ejusdem fermè notæ est, *Si unquam Decretales, Erasme, videris*, quasi Decretales epistolas, quas tu vidisse te significas, ille videlicet nusquam videre potuerit. Jam illud quale est quod in eum objicis, *aquam ardea perturbatam esse & imperiis item omnia perturbata*, quoties

quoties in disceptandi palæstram descenditur. Et illud præterea: *Non enim potes, Erasme, dijudicare inter Dialecticum & Sophistam quid intersit, si utramque artem ignores.* Et paulo pòst; *nisi fortè tibi Sophistæ sunt, omnes quibus disputatione videaris inferior, hoc est omnes Dialectici.* Itane quæso, Dorpi, putas perturbata Erasmo omnia disputanti fore, neque aut quid Dialecticus sit, aut quid sit omnino Sophista, novisse, & eum nescire solum, quæ fermè pueri sciunt omnes? At Rhetoricam opinor vel tu propriam ei ac quodammodo peculiarem esse concedes: quam si tribuas, nescio quî possis Dialecticen tam prorsus adimere. Siquidem rectè censuerunt non infimi Philosophorū, qui tantum censuerunt Dialecticam ab Rhetorica differre, quantum pugnus distat à palma: quòd quæ Dialectice colligit astrictius, eadem omnia Rhetorice copiosius explicat; utque illa mucrone pungit, ita hæc ipsa mole penitus prosternit obruitque. Sed age, nihil sit Dialecticæ cum Rhetorica comune. Ergo quia non in scholis disputat, quia non in puerorum corona rixatur, quia jam (quod tu quoq; postea facis) quæstiunculas istas valere sinit, nunquam eum putas illas decidisse: sed existimas in disputando inferiorem esse Dialecticis omnib⁹? At hic vide quàm oppido abs te dissentiā. Ego nec illiteratum quidem quempiā, mediocri ingenio præditum, longo tamen intervallo minoreq; quàm sit Erasmicū: hunc, inquam, ego non omni Dialectico reor inferiorē in disputando fore, modò res de qua disceptatur, utriq; sit nota, quū quod arti deest, ingeniū suppleat. Nam & ipsa Dialectices præcepta quid aliud, quàm quædam ingenii fœtura sunt, ratiocinationum videlicet formæ quædā, quas ratio ferè ad rerum disquisitionem utiles animadvertit? Neque enim quenquam esse puto, qui dubitet, quin has ipsas quoque, si volet, quæstiunculas non in rixosis illis concertationibus, ubi rationem clamor vincit, unde conspuentes invicem consputique discedunt, à quibus moribus modestia ejus pudorque abhorret: sed aut calamo, aut gravi ac seria disputatione ita tractabit, ut non solùm non omnibus inferior, sed supremis etiam aut par aut superior sit futurus: tantum abest ut Erasmus, cujus & ingenium & doctrinam mirantur omnes, unus futurus sit in disputando omnibus prorsus Dialecticis, hoc est, etiam pueris, inferior. Sed mitto ista omnia, nempe minoris momenti, ut in quibus literarum duntaxat æstimatio ventiletur. At illud certè odiosius est, quod Hieronymi Hussitæ, Cresconiique Grammatici, utriusque videlicet hæretici, mentio abs te non satis temperanter injecta est: quippe quos quibusdam ità referre videris, tanquam conferre velis. Quid quòd nonnulla tam acerbè tractas, tanquam nihil agas aliud, quàm ut in eum primò Lovanienses Theologos, deinde quotquot ubique sunt omnes, postremò academias universas extimules, inque eam rem quibusdam illius verbis longissimè à proposito detortis abuteris. Nam (ut à postremo incipiam) quum ille dixisset, non omnes Theologos damnare Moriam, sed eos solos has excitare tragœdias, qui dolent bonas renasci literas, foreque ut nec Hieronymianam editionem (quam tu Theologis placere scripseras) comprobarent ii, qui Moriam damnaverant: ibi tu protinus arrepta lepida jocandi ansa, Nova (inquis) *gloria si edas quod pauci probabunt.* Quasi verò relinquantur pauci qui probent, si ex tanto dignissimorum Theologorum cœtu, unus aut alter morosissimi senes, nec ullo minus digni quàm quod profitentur nomine, eximantur: & tu tamen, Dorpi, longius eundem tam festivum jocum persequeris. Ais enim: *Age non probabunt Theologi* (sic ille dixit scilicet!) *quî quæso probabunt ergo? Iurisconsulti? an Medici? an Philosophi deniq; ? ut saltem falcem immittant alienæ messi? Sed Grammaticis eam paras. Sedeant itaque Grammatici in solio, censores omnium disciplinarum, & novam nobis Theologiam parturiant, nascituram tandem aliquando cum ridiculo mure. Verùm nec metus est, ne nolint studiosi illorū se sceptris inclinare. Sceptra enim sunt ferulæ, quibus plagoso regnant in antro: & Philautia, & Moria stultiores, arbitrantur se nosse omnes disciplinas, quòd voculas intelligunt ipsas, & orationum structuram. Ergo non est opus Academiis: schola Zuollensis, aut Daventriana suffecerit. Et certè hæc est sententia magni viri Hieronymi Hussitæ. Universitates tam prodesse Ecclesiæ Dei, quàm Diabolum. Nec Grammaticos vel tantillum commovet, quod damnata fuerit ea sententia in concilio Constantinensi: quippe in quo certum sit neminem fuisse non amusum, aut qui non ignoraverit Græcè.* Injurius tibi, Dorpi, sim, si jocum sæpius interpellem tuum, in quo jam diu, mirum quàm suaviter te oblectasti. Sed si satis jocatus es, audi nunc jam, Dorpi. Nemini obscurum esse potest tua ipsius verba legenti, te ad hanc Universitatum mentionem sine ulla prorsus occasione descendisse, totumque hunc locum tibi copiosè, ac perquàm disertè sanè, sed extra controversiam tamen, esse declamatum, nec esse ulla responsione opus. Neque tamen ambigendum puto, quo in Universitates affectu Erasmus sit, in quibus & didicit & docuit, non ea modò quæ tu Grammatica vocas, sed cùm alia multa, multo magis Christianis omnibus utilia, tum eas etiam ipsas, quas tu nunc tam magnifacis, quàm posthac parvi facturus es, quæstiunculas. Quis nescit quàmdiu Parisiis ille, quantoque in pretio fuit, tum Patavii, cum Bononiæ præterea? ut nihil interim de Roma dicam, quam ego tamen vel principem Academiarum esse omnium duco. Jam Oxonia Cantabrigiaque tam charum habent Erasmum, quàm habere debent eum, qui in utraq; diu cum ingente scholasticorum fruge, nec minore sua laude versatus est: utraque eum ad se invitat, utraq; eum in suorum Theologorum numerum (quoniam eo honore alibi est insignitus) transplantare conatur. Sed tu quanti nostras universitates facis, haud scio, qui tantum Lovanio Parisiisque tribuis, ut cæteris videaris mortalibus, præsertim ex Dialectica nihil omnino relinquere. Ais enim, *nisi Lovanienses & Parisienses Theologi essent Dialectici, fieri videlicet, ut Dialectica toto exulet orbe, exulaveritque multis jam seculis* Ego in utraq; Academia fui abhinc septennium non diu quidem, sed interim tamen dedi operam, quæ in utraque traduntur, quique sit utrobique tradendi modus

modus, ut scirem. Et profectò, quanquam uti àq; suspicio, quantum tamen quivi vel præsens audiendo, vel absens inquirendo cognoscere, nihil hactenus unquam accepi causæ, quamobrem vel Dialecticam meos liberos, quibus optime consultum cupio, in alterutra earum edoceri potius, quàm Oxoniæ aut Cantabrigiæ velim. Non negabo tamen (neque enim libenter quenquam sua gloria fraudaverim) nostras permultum Jacobo Fabro Parisiensi debere, quem ut instauratorem veræ Dialecticæ, veræque Philosophiæ, præsertim Aristotelicæ, feliciora passim apud nos ingenia, sanioraque judicia consectantur; ut per eum virum Lutetia gratiam nobis referre quodammodo accepti olim beneficii videatur, cum per eum apud nos disciplinas instaurent, quas ipsi à nobis initiò acceperunt, quod usque adeò in confesso est, ut id Gaguinus quoque, nec detractator Gallicæ laudis, nec buccinator nostræ, in annales suos retulerit. Atque utinam & Lovanienses, & Parisienses quoque Scholastici omnes, Fabri Commentarios in Aristotelicam Dialecticen reciperent. Esset ea disciplina (ni fallor) & minus utrisque rixosa, & paulo repurgatior. Miror tamen cur Lovanienses ac Parisienses in Dialectices commemoratione conjunxeris, qui usque adeò inter se discordant, ut ne nomine quidem conveniant, cum alteri Realium, alteri Nominalium nomen affectent. Quanquam si Aristotelem utrique recipiunt, si utriq; tradunt, si non alia de re quàm de ejus mente tot inter se rixas excitant, jam cùm Parisienses aliter, aliter eum Lovanienses interpretantur, nec aliter modò, sed contrà quoque: quî scire possis utris potius accedendum censeas? Sin ad Dialecticen pertinent hujusmodi lites, sed nihil ad Aristotelem tamen, jam non Aristotelicam tantum Logicam (quod tu ais) sed aliam præterea, aut alteri aut utrique profitentur. Sin autem quæ in tanta controversia sunt, nec ad ipsam Dialecticam attineant (nec attinent certè, si ad eum non attinent, modò is Dialecticam perfectè tradiderit) jam hoc egregiè fuerit absurdum, ut discatur Dialectica, de rebus ad eam rem neutiquam spectantibus tot annos digladiari. Et profectò, Dorpi, propemodum adducor ut credam, magnam illam opinionum partem, de quibus tam diu tanta contentione velut pro aris focisq; dimicatur, aut ad Logicam parum pertinere, aut ad eam perdiscendam non admodum conferre. Nam ut in Grammatica suffecerit eas observationes didicisse, quibus possis & ipse Latinè loqui, & quæ ab aliis Latinè scripta sunt, intelligere, non autem anxiè innumeras loquendi regulas aucupari, literasque inter ac syllabas consenescere: itidem in Dialectica satis esse crediderim, dictionum naturam, enuntiationum vires, tum ex his collectionum formulas edoctum, Dialecticam protinus, velut instrumentum, ad cæteras disciplinas accommodare. Atque hoc nimirum ipsum spectavit Aristoteles, cùm Dialecticam suam decem illis summis sive rerum sive nominum generibus, deinde enuntiationum tractatu, adjunctis postremo collectionum formulis, & quæ necessariò demonstrant, & quæ suadent probabiliter, & quæ callidè cavillantur, absolvit. Ad hæc tanquam aditum introitumque quendam Porphyrius, quinque illas universa complectentes, seu res seu voces appellare malis, adjecit. Porrò ejusmodi quæstiones, quibus rudia adhuc, & aptioribus imbuenda detinentur potius quàm promoventur ingenia, neuter eorum proposuit, Porphyrius etiam ex professo abstinuit. At nunc absurda quædam portenta ad certam bonarum artium nata perniciem, & luculenter ab antiquis distincta commiscuerunt, & ad Veterum purissimas traditiones, suis adjectis sordibus infecerunt omnia. Nam in Grammatica, ut omittam Alexandrum, atque id genus alios, qui quanquam imperitè, tamen Grammaticam utcunque docuerunt; Albertus quidam Grammaticam se traditurum professus, Logicam nobis quandam, aut Metaphysicam, imò neutram, sed mera somnia, mera deliria Grammaticæ loco substituit: & tamen hæ nugacissimæ nugæ in publicas Academias non tantum receptæ sunt, sed etiam plerisque tam impensè placuerunt, ut is propemodum solus aliquid in Grammatica valere censeatur, quisquis fuerit Albertistæ nomen assequutus. Tantum autoritatis habet ad pervertenda bonorum quoque ingeniorum judicia, semel ab ineptis tradita Magistris, deinde tempore corroborata persuasio. Quo fit, ut minus mirer, ad eundem modum in Dialecticæ locum nugas plus quàm Sophisticas irrepsisse, quæ cultoribus suis argutiarum nomine tam vehementer arrident, ut mihi nuper his de rebus obiter loquenti quidam Dialecticus (ut ferebatur doctissimus) asseruerit, *Aristotelem* (referam ipsius verba: nequeo enim aliter tam nitidum eloquentiæ florem assequi) *nisi grosso modo scripsisse: Et nunc sunt* (inquit) *pueri in parvis Logicalibus suis tam substantialiter fundati, quod bene credo certè, quòd si Aristoteles è sepulchro suo resurrexerit, & argueret cum eis, illi bene concluderent eum, non solum in Sophistria, sed etiam in Logica sua.* Reliqui hominem oppidò quàm invitus, nisi quòd aliquanto (ut tum res erat) occupatior fui, quàm ut vacaret ludere. Cæterùm liber ille parvorum Logicalium (quem ideo sic appellatum puto, quod parum habeat Logices) operæ pretium est videre, in suppositionibus, quas vocant, in ampliationibus, restrictionibus, appellationibus, & ubi non? quam ineptas, quam etiam falsas præceptiunculas habet, ut ex quibus adiguntur inter has atque ejusmodi enuntiationes distinguere: *Leo animali est fortior, &, Leo est fortior animali*, quasi non idem significent: & profectò tam sunt ineptæ, ut utraque propemodum nihil significet, quanquam si quicquam, haud dubiè idem: tantundemque inter se differunt, *vinum bis bibi, & bis vinum bibi*, hoc est, secundum hos Logistas multum, sed re vera nihil. Jam si quis non assas modò, sed adustas quoque carnes ederit, eum volunt verum dicere, si sic enuntiet, *ego crudas carnes comedi*: non autem si sic, *ego comedi crudas carnes*. Tum si quis, parte relicta mihi, partem sibi pecuniæ meæ sustulerit, mentiar videlicet si dixero, *spoliavit me denariis*. Sed ne desint mihi verba quibus apud Judicem querar, licebit dicere; *Denariis spoliavit me*, & in aliquo casu (ut ajunt) possibili posito, hæc erit ve-

ra

ta, *Papam verberavi*, quum eodem manente casu hæc erit falsa, *verberavi Papam*. Nempe si is qui nunc Papa sit, puer olim à me vapulaverit. Digni hercle qui talia jam senes docent, ut quoties pueros docent, toties ipsi vapulent. Quid quòd hanc falsam ajunt, *omnis homo pater est, qui habet filium*, nisi omnes prorsus homines jam habeant filios: quoniam videlicet huic æquipollet, *omnis homo est pater, omnis homo habet filium*. At hanc interim veram affirmant, *pater erit Sortes quando Sortes non erit pater*: & hanc, *pater manebit Joannes, quando Joannes non manet pater*, quod quis sic audire potest, ut sibi non interim credat ænigma proponi? At hæc verba, *sum* & *possum* regnant planè, & quoniam (ut ajunt) ampliativa sunt, pomeria sua ultra ipsos naturæ fines longe lateque proferunt. Nam hanc veram astruunt, *omne quod erit, est*: sed eam tamen callidè interpretantur. Ajunt enim, *omne quod erit est* significare, *omne quod est quod erit est*: atque hoc pacto cavent ne Antichristus, qui olim erit, jam sit. Nam quanquam *omne, quod erit, est*, & quanquam *Antichristus erit*, tamen non sequitur, *Antichristus est*, propterea scilicet quòd *Antichristus non est ens quod erit*. Quòd nisi hanc plus quàm subtilem propositionis hujus expositionē circumspexissent acuti in dialecticis argutiis Theologi, rempublicam Christianam haud dubiè jam olim Antichristus invasisset, non sine magno cæterorum omnium periculo. Nam ipsis non video quid possit imminere discriminis; quippe quum fateantur has etiam veras esse: *Antichristus est amabilis*, & *Antichristus est amativus*: quanquam profectò nec Antichristus, nec supremus ipse judicii dies, rerum naturam magis poterit, quàm hæc Dialectica subvertere, quæ docet, has enuntiationes esse veras: *Vivum fuit mortuum, futurum fuit præteritum*: quibus nimirum fit, ut mortuorum resurrectio, non (ut ipsi loquuntur) in fieri, sed in facto esse videatur. Jam istæ non minus mirandæ, sed sunt amœnæ quoque, ac plausibiles, quum sint veræ scilicet, *virgo fuit meretrix*, & *meretrix erit virgo*, & *meretrix possibiliter est virgo*. Non facile dictu est, Dialecticis tam benignis utræ magis, virginesne an meretrices debeant, debent certè utræque plurimum. Poëtæ ergo nugas, Dialectici seria tractant. Poëtæ fingunt ac mentiuntur, Dialectici nunquam nisi vera loquuntur, ne tum quidem quum hanc esse verissimam affirmant, *Homo mortuus potest celebrare missam*. Quod quanquam non audeo asserentibus eis, ac propemodum etiam jurantibus, non credere (neque enim tot doctoribus tam irrefragabilibus fas est refragari) hactenus tamen (quantum memini) neminem unquam reperi, qui se narraret mortuò celebranti ministrasse. Hanccine Dialecticam docet Aristoteles? hanc Hieronymus laudat? hanc probat Augustinus? quam (ut ait Persius) non sani esse hominis, non sanus juret Orestes? Miror herculè, homines acutuli quonam pacto senserunt illas enuntiationes sic intelligendas esse, quomodo nemo in toto orbe præter eos intelligit. Nec sunt artis illa vocabula, ut sint eis quasi in peculio, & ab eis, si quis volet uti, sumenda mutuò. Communis nimirum sermo est, nisi quòd quædam deterius reddunt, quàm à cerdonibus eadem acceperunt. A vulgo sumpserunt, vulgaribus abutuntur. At regula, quam vocant, Logices, in eos sensus tales propositiones docet interpretandas. Quæ (malum) regula, in angulo quopiam ab his composita, qui vix loqui sciant, universo terrarum orbi novas loquendi leges imponet? Grammatica rectè loqui docet: nec ea tamen insuetas loquendi regulas comminiscitur, sed quæ plurimum in loquendo videt observari, eorum loquendi rudes, ne contra morem loquantur, admonet. Nec aliter quicquam Dialectica facit, quæ sana est. Nempe hic syllogismus: *Omne animal currit, omnis homo est animal, ergo omnis homo currit*: non ideo syllogismus est, quia ritè secundum Dialecticæ normam colligitur ac formatur in Barbara, sed quia postremam orationem ad præmissa consequi docet ratio, quæ regulam ob id ipsum talem fecit, alioquin aliter eam factura, quaquaversus ab ipsa rerum natura flecteretur. Ipsi quoque eodem modo hanc propositionem: *Meretrix erit virgo*, ne dicant sic interpretandam: *Meretrix quæ est, vel quæ erit*, quia sic jubet regula: sed rationem afferant ab ipsa re, quare fieri debeat talis regula. Nam si recta est interpretatio, necesse est eam aut ab ipsa re quæ enuntiatur, aut ex proprietate sermonis emergere. Ergo cùm tam multis eorum, qui Latinè jam olim locuti sunt, neque ingenium defuerit, neque eruditio, nec sermonis proprii fuerit minor quàm istis est (uti credo) peritia; quomodo evenit, ut ex illis nemo potuerit intelligere hanc veram esse, *meretrix erit virgo*: aut inter has distinguere, *nummum non habeo*, & *non habeo nummum*: Quanquam nemo negaverit, transpositiones vocabulorum diversum sæpe sensum gignere. Neque enim idem est, *bibas priusquam edas*, & *edas priusquam bibas*. Sed hoc affirmo, quando ita sensus variatur, omnes in idem mortales assentire; trahente videlicet ratione, non Dialecticorum jubente potius quam persuadente regula: quorum officium est, ut more nostro loquentes quovis nos veris rationibus impellant: Sophistarum vero, ut insidiosis eo præstigiis adducant quo nos pervenisse miremur.

Nam hoc hebetissimum est acumen, & stultissima solertia, se disputando pronuntiare victores, & triumphum sibi decernere, quia nos nescimus in quem sensum ipsi clanculum pacti sunt, sermones nostros contra communem omnium sensum accipere. At hæc cum nec Sophistica dici mereantur, tamen non pro Sophisticis nugis dicuntur, sed inter Dialecticæ abstrusissimos thesauros numerantur: nec à pueris tanquam dediscenda discuntur, sed à senibus quoque in ipsa Theologiæ penetralia suscipiuntur. His quidam Theologicas perplexitates infarciunt, ex his propositiones tam ridiculas effingunt, ut ridenda materia nusquam oriri possit uberior, nisi quòd multò malim eos qui sic ineptiunt, ad sanitatem converti, quàm ex insanorum deliriis ipse capere voluptatē. Quanquam quid hæc dico tibi, Dorpi, cui non dubito has nænias non minus displicere, quàm mihi, si posses mutare; & fortasse poteris, adjutus à tui similibus, modò ne statuas tecum, illorum obsequi ineptiis,

quos

quos multo magis par est tuo parere judicio. Sed ad epistolam tuam revertor, ut ostendam nullam ex Erasmi verbis ansam tibi datam, qua eum (id quod facis) diceres, Lovanienses Theologos, multoque adhuc minus, cæteros omnes, imperitiæ damnare, siquidem cum ille dixisset, se valere sinere, non omnes quidem Theologos, ut qui prius in eadem epistola multos dixit esse præstantissimos, sed eos tantum qui tales sunt, ut certè sunt qui præter sophisticas nugas nihil didicerunt. Hic tu statim *per Theologos istos puto*, inquis, *Lovanienses designari*. Quid ita, Dorpi? quasi verò difficile sit, hujus farinæ, imò istius furfuris, aliquos ubique reperire? Bellè profectò sentis de Lovaniensibus, si eos, & solos, & omnes putas ejusmodi descriptione cognobiles; quòd ille neque sentit neque dicit? Paulo tamen pòst sic dictum accipis, tanquam non in Lovanienses modò, sed in omnes quotcunque sunt ubique gentium Theologi diceretur: quod ille nec in alios omnes, nec in Lovanienses ipsos est loquutus. Tu tamen perinde ac si neque illum neque temet audias, videris in hæc verba non descendere, sed velut abreptus impetu animi effervescentis erumpere: *Nonne videmus abjectissimos opifices, imò vilissima mancipia, clarissimis esse prædita ingeniis? Quid ergo sibi volunt hæc in Theologos omnes detorta vocabula? pingues, rudes, pestilentes, & qui nihil habeant mentis. Nullius est artis probra dicere in quo suis, sed neque honestum est, aut boni viri officium, si severam Salvatoris nostri sententiam perpendamus: Qui dixerit fratri suo racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Ubi Hieronymus: Si de otioso sermone reddituri sumus rationem, quanto magis de contumelia? qui in Deum credenti dicit, fatue, impius est in religionem.* Sunt ista quidem verba tua, Dorpi, non gravitatis modò, sed sanctitatis quoque plena, vereque severo Theologo digna; quæ utinam in loco dicerentur suo. Sunt enim meliora quàm ut perire debeant. Quòd si desuper è suggestu librarentur in populum, nunquam ita errare possent, ut non in aliquem in quo hærere viderentur, inciderent. At nunc me miseret, in unum Erasmum quòd declamas omnia: in quem unum, eorum quæ declamas omnium, nihil quicquam competit. Nam quod affers ex Evangelio: *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ:* nihil ad eum spectat, qui nominato nemine velit asserere esse unum alterumve in magno hominum numero fatuum: alioquin decem gehennæ non suffecerint ei qui dixit; *Stultorum infinitus est numerus.* Porrò quod quæris; *Quid sibi volunt hæc in Theologos omnes detorta vocabula?* hoc mihi de te, Dorpi, quærendum est. Nam quæ ille dixit in paucos, ea tu solus in omnes detorsisti: quod te instituisse facere vehementer admiror. Siquidem ut nullius est artis (sicuti tu dicis) probrosa in quosvis dicere, ita nullius est artis (quod tu facis) benedicta malè narrando corrumpere: quippe quæ non malè scripta sunt in merentes, ea tu conaris quo malè scripta videantur, ad immerentes inflectere: quod in quavis re quàm facile factu sit, ipse facile vides. Nam profectò si quis ea quæ tu scripsisti, ad hunc excutiat modum, nil abs te tam circumspectè scriptum est (quanquam omnia circumspectissimè) ut non alicunde possit obnoxium esse calumniæ: veluti illa ipsa epistola, quæ abs te, ut novissimè, ita accuratissimè scripta, in editionem Quotlibeticorum dignissimi viri Adriani Florentini de Trajecto: in qua cum & opus magnificè, & authorem copiosè laudaveris, utrumque (ut ego certè puto) tam ex animo, quàm verè: tamen si quis incideret interpres paulo malignior, videri possis altera manu panem, altera lapidem porrexisse. Primò, quòd ut ejus operis editionem curares, nullo tuo in eum librum studio, nec nisi aliorum precibus atque adeò opplorationibus adduci potuisti; quasi in rem quam ipse non magnifeceris, aliorum affectibus operam tuam indulseris: deinde quòd te scribis seria studia tua seposuisse tantisper, dum Quodlibetica corrigeres illa, perinde ac si illa seriis in studiis non essent numeranda: cum tamen magister Joannes Athensis, vir tantæ & doctrinæ pariter & judicii, non gravabatur operam in eam rem suam vel intempesta nocte frequenter (ut ais) accommodare, tanquam, velut obstetrices excitari de nocte solent, quum mulieres parturiunt, ita hoc opus emendari non potuerit interdiu. Quid quòd ejusdem Hadriani dum æquitatem laudas, æquitatem ei Lesbiam videris attribuere? ad Lesbiam nimirum regulam alludens, quam plumbeam fuisse meminit Aristoteles, non æquam semper, sed ad rerum inæqualitates flexibilem. Nec me, mi Dorpi, putes hæc eò dicere, quòd te putem tale quicquam sensisse, aut sic denique vel in viro tanto, vel tali opere famæ commendando lusisse. Nam & virum multis modis audio multum eximiæ laudis assequutum, & opus ipsum censeo in suo certè genere perfectum. Sed hæc omnia eò dico, ut ostendam, nihil tam munitum esse, in quo locum sibi non possit invenire calumnia, quando tuis etiam scriptis, tam accuratè, tam circumspectè limatis, tamen impetrandum est, ut cum favore legantur. Quanquam Erasmus, ne quisquam prorsus ullam occasionem posset arripere, qua dicat eum in omnes ea quæ tu objicis ei, dixisse Theologos, vel eo cavisse videtur quod ait: *Quotidie re ipsa experior, quàm nihil habeant mentis, qui præter sophisticas nugas nihil didicerunt.* Non dicit: *Quàm nihil habent mentis omnes Theologi:* sed neque: *Qui sophisticas nugas didicerunt:* sed, *Qui nihil præterea.* Quamobrem cùm sic scribis: *Porrò quod hypothesin facias, Erasme, nostros Theologos solis sophismatum meditationibus esse occupatos, tota erras via:* hic tu, mi Dorpi, tota erras via, cum hypothesin facis: Erasmum talem hypothesin fecisse de omnibus Theologis vestris, quam ille de uno

tantum facit, ut altero: neque quicquam dicit in quo sit necesse omnes Theologos vestros includi. Quare nec id quidem ad rem facit, quod protinus adjecisti: *Dic age, quidnam eos, quamvis sanè Poëseos ignaros, arcebit ab Evangeliis, Paulinis epistolis, totaque Biblia evolvenda?* Nihil sanè, Dorpi, modò ipsi non arcerent sese: quod aliqui faciunt, qui vitam universam quæstiunculis consecrantes, Bibliam certè velut nihil ad rem pertineat, nunquam dignantur inspicere. Atque ille aliquos hujusmodi putat esse, non omnes: ut intelligas, id quoque te sine causa ulla subnectere: *Proferam ego multos hinc qui rejectis libris sola memoriæ vi cum quovis de textu Scripturæ certabunt. Cave credas Endymionis somnium dormire Theologos, quo tempore vos literis invigilatis: aut ingenio carere, quicunque non poëtantur, aut rhetorizant.* Nemo, Dorpi, negat esse qui rejectis libris de Scripturæ textu certare possint. Imò plus satis ubique reperias eorum, qui libris non rejectis modò, sed etiam nunquam inspectis, cum quovis in Scripturis exercitatissimo sint parati de quovis Scripturæ textu, non memoriæ, sed Moriæ vi certare pertinacissimè. Neque negabo tamen, & apud vos & ubique esse, qui è Scripturis multa memoriter teneant: ex quibus eos qui non in hoc solùm collocarunt operam memoriæ ut mandarent, quod illiterati etiam monachi fratresque faciunt, sed vel multo magis ut intelligant; qui tantam sermonis facultatem paraverunt sibi, ut pernoscendis Hieronymi, Augustini, Ambrosii, cæterorumque id genus lucubrationibus pares esse possint; eos, inquam, ego in Theologorum albo meritissimo jure collocandos puto, etiamsi versus nunquam fecerint, tam herclè quàm si disputatiunculis istis non totos centum annos insumpserint, ut ne dicam, si in universum neglexerint. Sed tu quoque, si vera vis fateri, non inficias ibis, ex Theologorum, qui vocantur, numero esse rursus aliquos, qui Scripturæ libros ita rejiciant, ut rejectos nunquam resumant: qui ita sese totos Theologiæ huic disputatrici devoveant, ut non solùm non poëtentur, ac rhetorizent, verum etiam sanctissimos patres, antiquissimos quoque Scripturarum Interpretes propemodum floccifaciant, certè (quod satis constat) eorum in sacras literas enarrationes negligant, unaque ipsarum sacrarum literarum studium, postremò quæcunque sunt optima, piissima, maximè Christiana, verisque Theologis dignissima: ea inquam omnia, quòd sint (ut ipsi vocant) positiva, contemnant, neque eorum quicquam dignum putent, ubi ipsi nervos intendant suos, homines ad quæstiunculas nati, res tanto videlicet intervallo majores: ex quibus ipsis tamen maximè quæstiones consectantur ejusmodi, quæ vel ad fidei pietatem, vel ad morum cultum minimè omnium pertineant. Ego itaque ut prius illud Theologorum genus veneror ac suspicio, ita hoc posterius herclè non admodum magnipendo; adversus quos tamen non est consilium Poësin aut Rhetoricam defendere, quippe qui à Poesi Rhetoricaque tam longè propemodum absim, quàm illi ipsi. Absunt autem ipsi tam longè ferè, quàm ipsa Theologia: à qua tam longè absunt, ut à nulla re absint, præterquam à communi hominum sensu, longius: vel ideo maximè, quòd ad insignem rerum omnium inscitiam accessit omnigenæ scientiæ perversa persuasio, qua sibi adeò blandiuntur, ut omnium hominum scripta, ac ipsas etiam sacras literas, ut quicquam audierint quapiam occasione prolatum, qui locum nunquam viderint, nunquam librum inspexerint, quid ea verba præcedat, quid sequatur, nesciunt, imò id ipsum quod citatur, sitne an non sit ibi, unde citatur, ignorant: se tamen solos arbitrantur idoneos, qui protinus in quemcunque libeat sensum interpretentur. Ex quo genere cùm in multos inciderim, unam saltem ex quo cæterorum indoles agnosci possit, non pigebit herclè velut speciminis loco referre. *Cœnavi olim apud Italum quendam mercatorem, non minus doctum, quàm divitem (erat autem ditissimus.) Forte aderat in cœna religiosus quidam Theologus, disputator egregius, qui recens è continente venerat, ut quæstiones aliquot, quas præmeditatus advexerat, Londini disputaret, experturus videlicet in ea disceptandi palæstra, quid Angli præstare possent,* simul nomen suum jam apud suos celebre, apud nostros quoque propagaturus. Is quas conclusiones (ut vocant) affixerit, tum quam bellè disputatio processerit homini, quanquam longum esset, non gravarer profectò narrare, si tam ad hanc rem pertinens foret, quàm festivum fuit. Cæterùm in cœna nihil à quoquam dici tam bene munitum aut libratum, tam circumspectè potuit, quod non ille vix prolatum aliquo statim syllogismo convelleret, quantumvis res de qua sermo erat nihil ad Theologiam pertinens, ad Philosophiam tantundem, quantumvis deniq; ab universa ejus professione esset alienum: nisi quòd initio cœnæ fecerat, ne alienum esse quicquam ab ejus professione posset (professus est enim, sese in utramque partem de re quacunque disputaturum.) Paulatim cœpit mercator ad quæstiones magis Theologicas descendere. De usura proponebat, de decimis quædam, de confessionibus, quæ in aliena parochia fratribus essent factæ. In omnibus nihil erat Theologo pensi, utram sustineret partem: sed utramcunque aliquis asseruisset, illam oppugnabat: ac vicissim quamcunque alius negaverat, hanc ille protinus astruebat. Tandem per jocum mercator sermonem de concubinis injecit, cœpitque defendere, minus mali unam quampiam domi habere, quàm foris per multas discurrere. Ibi rursus Theologus instare, oppugnare ferociter, non quòd usque adeò concubinam videretur odisse, sed ne cum quoquam ei quicquam conveniret, sive quòd hominem fortassis varietas oblectabat. Cæterùm asserebat esse conclusionē famosam cujusdā limpidissimi doctoris, qui fecit illum singularissimum librū qui

intitulatur

intitulatur, *Directorium concubinariorum*, plus eum peccare qui unam domi concubinã, quàm qui decem foris meretrices haberet: idque cum ob malum exemplum, tum ob occasionem sæpius peccandi cum ea quæ domi sit. Respondit mercator, doctè me herclè, & acutè, quæ & longum recitare fuerit, & apud te supervacaneum. At cum olfecisset, Theologum non perinde in scripturis atque in quæstiunculis illis exercitatum, cœpit hominem ludere, argumentariq; interdum per locos ab authoritate. Effingebat enim extempore sententiolas quasdam breves, suæ parti quæ viderentur astipulari: cumq; ipse omnes nusquam antè auditas, pro libito fuisset commentus, hanc tamen ex epistola quapiam D. Pauli, illam ex Petri, rursus aliam ex medio citabat Evangelio: idque tam diligenter, ut ne capitulum unquam dum citabat, omitteret, nisi quòd si quis liber in sedecim capita distinguebatur, ille data opera citabat ex vicesimo. Quid ille bonus Theologus interim? ad cætera certè strenuè, & tanquam erinaceus spinis sese suis obvolvit. At personatas illas authoritates vix herclè huc atque illuc vitabundus evasit; sed evasit tamen: tantum valet ars exercitatioque differendi. Nam cùm quid in sacris continebatur literis, omnino nesciret: neque dubitaret, quin quod inde citaretur, ibi esset, non deferre verò cedereque authoritati Scripturæ nefas duceret, at loco depelli, vincique turpissimum: tantis circumseptus angustiis, vide, obsecro, qua astutia tandem Proteus ille è mediis retibus elapsus est. Statim ut aliqua sententia, quæ nusquam erat, tanquam è sacris literis adversus eum citabatur: *Bene citas*, inquit, *Domine, sed illum textum ego sic intelligo*: & jam interpretabatur non sine aliqua distinctione bimembri, quorum alterum pro adversario stare diceret, altero ipse effugeret. Quòd si quando mercator instabat molestius contendere, ejus textus non illum verum esse sensum quem Theologus affirmabat, jurabat homo tam sanctè, ut quivis possit credere, Nicolaum de Lyra eum textum sic interpretari. Profectò, mi Dorpi, in illa una cœna plus quàm viginti poculenti textus, totidemque poculenta glossemata, inter pocula, atque ex poculis, tanquam è serpentis dentibus terrigenæ illi fratres, & nati sunt & perierunt. Quid tu ais ergo, Dorpi? Tu istiusmodi homines sacrarum inanes literarum, quæstionibus illis Theologicis quantumcunque distentos, Theologorum censes vocabulo insigniendos? Non opinor, quanquam herclè (ut verè dicam) animi ambiguum tui hæc tua me verba faciunt: *Non persuadeas, Erasme, tibi eum demum esse Theologum, qui Bibliæ seriem ad literam intelligat, nec eum item, qui morales sensus æquè atque alter Origenes, novit eruere. Multa restant discenda, ut intellectu difficiliora, ita & utiliora gregi, pro quo mortuus est Christus. Alioqui qui sciemus ut sacramenta sint administranda, quænam sint eorum formæ, quando absolvendus peccator, quando sit rejiciendus, quid præceptum sit restitui, quid servari possit: & innumera hujusmodi? Multum, nisi erro, longeq; minore opera bonam Bibliæ partem ediscere prius, quàm vel unius perplexitatis nodum discas dissolvere, cujusmodi plurimi quotidie occurrunt; ubi vel in quatuor verbis diutissimè hærendum est: nisi tu has etiam voces Theologorum nanias, quæcunque ad Sacramenta pertineant, sine quibus tamen sancta Dei Ecclesia Catholica profitetur salutem hominis periclitari.* Crede mihi, Dorpi, nisi tute hæc scriberes, nunquam adduci possem hæc te sentire, ut crederem: scil. istæ neotericorum quæstiunculæ (nam de iis agitur) non intellectu tantùm difficiliores; sed gregi quoque pro quo mortuus est Christus, utiliores sunt quàm exactissima cognitio sacrarum literarum omnium. Hui ex quantulo culice quàm ingentem Elephantem facis? Nam eam rem primùm tam difficilem putas, ut Erasmus minore opera bonam Bibliæ partem posset ediscere, quàm unius perplexitatis nodum discat dissolvere, cujusmodi plurimos quotidie in scirpo quærunt: ubi tam diu in tenaci, ne dicam sordido, quatuor verborum luto hærendum est, dum posses amœnissimum ac saluberrimum totius Bibliæ pratum à capite penè ad calcem sensim perambulare. Hactenus ergo periculum erat, ne quæstiunculas istas non didicisset: nunc ut video majus quippiam timendum est, ne tam longè supra captum ejus sint, ut apprehendere ne sufficiat quidem. Quid ille possit, omitto quærere: verùm hoc scio, quosdam novisse me, ad cætera planè stipites, ingenio certè pistillo quovis obtusiores, qui in hujusmodi tamen argutiis non modò brevi promoverint, sed sodales suos quoque multo melioris ingenii, nec minoris industriæ, equis (ut ajunt) albis in disputando præcesserint: ita quovis importunè prorumpit audax & inverecunda stultitia, quum ingenuam animi indolem, & sanum plerumque judicium, nugandi remoratur pudor. Sed est profectò, Dorpi, quod meritò gaudere debes, nec tuis viribus acceptum, sed bonorum omnium largitori Deo referre: cujus eximia in te benignitate profluxit hæc tam rara felicitas, ut in sacris literis omnia tibi tam facilia videantur. Neque enim in hoc libro, quem signacula septem clauserunt, cuncta reperires aperta, nisi ille tibi agnus librum resignasset, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Sed hic ipse liber, Dorpi, qui tam facilis tibi videtur, Hieronymo certè visus est difficillimus: Augustinus putavit impenetrabilem: neque quisquam est antiquorum omnium, qui se fateri est ausus intelligere, ut cujus intellectum putant altissimo Dei consilio vel ob id ipsum profundius abstrusum esse, ut curiosos oculos provocaret, & semotis ac labore eruendis segnia excitaret ingenia, quæ alioquin opibus obvios expositosque thesauros ipsa securitate torpescerent. Jam (ut omittam interim) quàm non sit vulgaris eruditionis opus, quàm non cujuslibet ingenii, quæ à moribus interdum primo aspectu abhor-

abhorreant, ea tamen commodè ad mores ac tam fœliciter appellere, ut non aliunde eò tracta, sed ad ipsum nata videantur. Quam rem nonnulli nunc tam ineptè moliuntur, ut cum hactenus sint progressi, ut rem ab ipsius magis loco detraxerint, quàm ad suum perduxerint, quum neque in re consilium sit, neque in verbis Venus: fit nimirum uti tota illa moralizatio (quam vocant) sine ulla gratia spirituque frigescat. Sed hæc (ut dixi) omittam. At certè ipsum literalem sensu tantum continere difficultatis puto, quantum nescio, an quisquam omnium comprehendere possit. Neque enim cuiquam sentio literalem horum verborum sensum intellectum esse, *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*: nisi ei, qui ea Prophetam de ipso Christo vaticinatum intelligat, quod, exceptis Prophetis, nec Judæorum quisquam, quanquam in hos libros universam operam suam collocabant, intellexit, priusquam Christus eis hunc ejus literæ sensum aperuit: qui tametsi Apostolis & discipulis suis interpretatus est Scripturas (neque enim, quod sciam, quæstiunculas istas cum eis disputavit unquam) non ausim tamen affirmare, universæ Scripturæ sensus eis ipsum aut præsentem tradidisse, aut per Spiritum sanctum postquam ascendit infudisse. Nam ut multa sunt ibi quæ de Christo Prophetæ cecinerant, quorum alos omnes subterfugit intellectus, quousque ea omnia ipsius vita, passio, resurrectioque declaraverunt: ita mortalium impares esse vires puto ad indagandum, utrum adhuc in eisdem lateant aut de finali judicio, aut aliis de rebus nobis incogitabilibus, neque ulli hominum aut hactenus cognita, aut antè cognoscenda mysteria, quàm eventus eadem temporibus ac momentis soli prævisis inscrutabili Dei providentiæ patefecerit. Sed esto, Dorpi, sit Scriptura facilis, difficilesque quæstiones: nihil impedit tamen, quin illius cognitio harum possit esse disciplina fructuosior. Quanquam enim saltare, atque in gyrum se colligere (quod saltatriculæ quidem ac circulatores faciunt) difficilius est, quàm ambulare, & dentibus panem facilius est quàm testacea fragmenta conterere: neminem tamen esse puto, qui rectos illos vulgaresque naturæ usus velit hujusmodi inanibus ostentis permutare. Quamobrem utra res sit difficilior, non admodum magnifacio: at quòd utiliores etiam, quàm sacrarum cognitionem literarum, quæstiunculas istas esse vis gregi, pro quo mortuus est Christus, ferre profectò non possum, quas si cognoscendas assereres, haud refragarer: si veterum lucubrationibus exæquares, non tolerarem: nunc verò cùm ancillas istas coquinarias ipsi Bibliæ sacrosanctæ, literarum omnium reginæ, non confers modò, sed præfers etiam, dabis mihi, Dorpi, veniam, continere me herclè non possum, quin illo Terentiano procul illas omnes abigam; *Abite hinc in malam rem cum istac magnificentia fugitiva: adeò putatis vos aut vestra facta ignorarier?* Neque profectò satis admirari queo cùm ea verba lego, quibus eas ita magnificè attollis, tanquam uti (apud Poetas) in Atlantis humeros cœlum, ita in perplexas hujuscemodi quæstiunculas, hoc est arundinem, universa prorsus inclinata incumbat Ecclesia, alioqui videlicet periclitatura, ne tota semel collaberetur in cineres. Ais enim: *Alioqui quî sciemus, quomodo sint Sacramenta administranda, quænam sint eorum forma, quando absolvendus peccator, quando rejiciendus: quid præceptum sit restitui, quid servari possit?* Itane putas Dorpi, ista quæ tu nusquam alibi quàm apud Neotericos quæstionistas invenire vis, antiquos omnes sanctissimos patres, nec minus etiam doctos, ignorasse omnia? Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, ad Sacramentorum formas cæcutiebant? Ergo tota Ecclesia plus quàm mille annos (nam plus quàm mille anni à passione Christi numerantur ad Petri Lombardi tempora, è cujus sententiis, velut ex equo Trojano, universum istud quæstionum agmen erupit) tot annos ergo, imò tot secula, universa Christi Ecclesia aut sacramentis caruit, aut ista non habuit; quando recipiendus peccator, quando rejiciendus, tam diu fuit incognitũ? & item quid præceptũ esset restitui, nesciebant? Nam, quid servari posset, concesserim apud Veteres non fuisse tam acutè quàm apud istos disputatum. Sed ut Zachæus, veritus ne malè parta parcè redderet, quadruplum se redditurum professus est: Ita veteres illi patres, ut vel plus satis quisque restitueret, hortabantur. Non erant illi, fateor, hac in re, quàm isti sunt, tam in definiendo ac distinguendo curiosi. Sed ego tamen illorum (ut Terentius ait) æmulari malo negligentiam potius, quàm istorum obscuram diligentiam: apud quos anxiè res disputatur, & quæritur, non tam quid restitui debeat, quàm quid servari possit: non quàm procul à peccato sit abscedendum, sed quàm propè ad peccatum sine peccato possit accedi. Jam qui consilium convasatori dat, nimirum tanquam alienæ pecuniæ frugi dispensator, observat ut in reddendo citrà subsistat potius vel mille passus, quàm ultrà latum (ut ajunt) unguem promoveat. Ego certè, mi Dorpi, nec te (ut puto) refragante contenderim, quæcunque sunt ad salutem necessaria, id est, sine quibus salvi esse non possumus, ea primum ab ipsis sacris literis, deinde priscis eorum interpretibus, ad hæc communi ab antiquis patribus quasi per manus tradita consuetudine, postremò sacris Ecclesiæ sanctionibus, abundè nobis tradita. Quòd si quid suprà quàm in his est, homines isti acuti curiosius addiderunt, ut multa concedam commoda esse atque utilia: ita planè ejus esse generis puto omnia, ut sine eis vivi possit. At fortasse dices, non omnia apud Veteres tam inventu prompta, tamque in numerato esse, quàm apud istos recentiores, qui omnia cognata, quasique similia, in capita quædam, veluti in suam quodque tribum, descripserunt. In hac re, Dorpi, fortasse accedo tibi, fateorque nonnihil esse commodi,

di, velut in domestica supellectile, sic in re literaria quoque ita seorsum habere singula quæque distincta, ut ad quodcunque velis, illicò manum possis absque errore porrigere. Est istud quidem, ut dixi, commodum: verùm hoc tanto commodo quidam tam utuntur incommodè, ut propemodum præstitisse videatur, hoc ipso etiam commodo caruisse. Neque aliud quicquam magis in causa fuisse puto, quare vetustissimus quisque sacrarum literarum interpres à tam multis tam diu neglectui habeatur, quàm quòd infelicium ingeniorum corrupta judicia primùm sibi, deinde aliis quoque persuasere, nihil usquam esse mellis, quod non in illos summularum alveos congestum sit. Ideoque fit ut illis contenti solis, cætera omnia per incuriam contemnant. In ejus animi quendam etiam ipse jam olim in quadam bibliopolæ taberna indici. Erat enim senex, & qui alterum (ut ajunt) pedem habebat in sepulchro, & certè non multo pòst utrumque: jam Doctoratus (quem vocant) honore plus quàm annos triginta fuerat insignitus. Dico fortè apud eum, beatum Augustinum aliquando putasse, dæmonas omnes sub[s]ta[nt]ias esse corporeas. Ibi ille statim supercilium contrahere, & temeritatem meam rugosa fronte compescere. Tum ego, Non dico (inquam) hoc ipse, pater: nec Augustinum in ea re defendo: homo erat, errare potuit: credo ei quantum cui plurima, sed nemini uni omnia. Iam verò cœpit homo excandescere, vel ob id præcipuè, quòd tanto patri calumniam tantam intenderem. Num putas me (inquit) non legisse Augustinum? Imò (inquit) priusquam tu nascereris. Me jam suis sævis dictis protelasset, nisi commodè fuisset paratus elenchus. Nam, ut erat in taberna, sumo in manus libellum Augustini, de divinatione dæmonum, verto ad locum, atque ostendo, ubi locum semel atque iterum legit, ac tertia demum lectione me adjuvante cœpisset intelligere, tandem admirabundus: Certè (inquit) valde miror quòd Augustinus dicit sic in isto libro: quia certè non dicit sic in Magistro sententiarum, qui est liber magis magistralis quàm iste. Qui sunt ex hac farragine, qui neque Veterum quenquam, neque Scripturarum quicquam legunt, nisi in sententiis, & earum Commentariis: hi perinde mihi videntur facere, ac si quis authoribus omnibus qui Latinè scripserunt omissis, constructionum præceptis ab Alexandro petitis, reliquum ex Perotti Cornucopia, & Calepino conentur ediscere; quòd persuasum habeat, in his omnia Latinæ linguæ vocabula sese reperturum: & profectò reperiet plurima, eademque electissima: nempe ut apud recentiores Theologos, priorum dicta authoritatis loco leguntur inserta, ita hic quoque veteres Poëtæ atque Oratores, aliquot etiam qui nunc nec extant quidem. Sed neque hæc unquam faciunt Latinum, nec illa, mi Dorpi, Theologum, si sola sint, etiam si decem millibus spinosissimarum quæstionum fuerit instructus, quibus miror cùm sit talis, qua in re possit Ecclesiæ usui esse; disputando fortasse adversus hæreticos: nam hoc nomine præcipuè sese solent venditare? at hi aut docti sunt, aut indocti. Si indocti (ut est multo maxima pars) neque acumina ista, quibus solis valet, neque verba tam insueta, quibus iste solis assuevit, intelliget. Necesse est ergo talem disputationem tantum fructus consequi, quantum, si quis Turcam quempiam patriæ duntaxat linguæ peritum, composita oratione, sermone Gallico (nam eum solum elegantem Galli putant) exhortetur ad fidem. Sin docti sint hæretici, idque in illis ipsis quæstionibus (neque enim ferè accidit ut aliàs sint hæretici) quando jam redarguentur? quis erit disputandi finis? quum ex illis ipsis quæstionibus, quibus oppugnantur, eisdem quoque referiendi ministratur inexhausta materia: ut propemodum eis accidere videatur, quod nudis inter acervos lapidum pugnantibus, ut quo feriat, neutri desit, quo se defendat, neuter habeat. Nempe quidam qui in scholis inter primos leguntur, & sunt non minus quàm habentur acuti: ut omittam interim quòd quasdam quæstiones de Deo tam ridiculas excogitarunt, ut putes ridere, propositiones tam blasphemas, ut censeas irridere. Certè contra fidem tam gnaviter objiciunt, tam segniter objecta dissolvunt, ut prævaricatores agere, & fidem joco tueri, seriò oppugnare videantur. Hæretici ergo cum talibus compositi, quales antea dixi Theologos, cùm sint in eodem docti ludo, quando succumbent? non citò herclè opinor, si non unum magis lignorum fasciculum vererentur, quàm multos syllogismorum falces pertimescerent. Sed idoneus erit saltem qui concionetur ad populum. Hercules hoc ipsum est quod ajunt, Bovem ad Ceroma. Nam cùm nihil didicerit præter quæstiones, quæ sunt ad aures populi perquàm insolentes, minimeque omnium idoneæ, ediscendus est ei nimirum sermo quispiam ex sermonibus Discipuli, aut Veni mecum, aut Dormi securè, res per se ineptæ: quas dum homo tractat ineptior, utpote nec ad id munus assuetum, & qui totam illam verborum congeriem ex alieno stomacho declamet, necesse est ut concio tota frigescat. Quamobrem planè non video quæstiones istæ quid faciant ei quem solæ possident, nisi quòd eum ad cætera omnis reddunt inutilem: ut cui si quid ex his proponatur subtilibus magis quàm solidis disputationibus, in quibus se antè millies exercuit, jam domi suæ est, jam cristas erigit velut gallus, qui in suo sterquilinio superbit: at extra illa septa si paulo producatur longius, ignota rerum omnium facies tenebras ac vertiginem offundit. Nec jam Dialectica, rerum cæcitate labanti, quantumvis fortis, quantumvis acuta succurrit; quæ, ut cognita rerum natura, varias inde species multasque argumentorum formas elicit, ita rebus ignoratis ipsis necesse est, sine ullo usu obmutescat. Adde

quod illas ipsas captiunculas, quas & penitùs & solas per tot annos imbibit, quum sese jam senex è Scholasticorum contubernio, ubi eadem assiduè ventilantur, quapiam occasione subduxerit, jam intra biennium universa illa acumina, numerosa nimium videlicet, evanida, nullo rerum subnixa pondere, tanquam nebula fumusque disparent: idemque nimirum usuvenit ipsi, quod de anima pueri ex Aristotele subinde citari solet, ut ipsius anima fiat denique velut tabula rasa, in qua nihil omnino depingitur: & mirum in modum versa rerum vice contingit, ut qui prius omnes sapientiæ numeros in argumentosa loquacitate posuerat, jam senex infantissimus omnibus risui foret, nisi stultitiæ suæ superciliosum silentium sapientiæ loco prætexeret. Imò potius hoc ipso ridiculus, quòd qui fuerat Stentore modò clamosior, nunc vitio tam longè diverso taciturnior pisce reddatur, & inter loquentes sedeat Mercurii statuæ truncoque simillimus Hermæ. Denique, ut quid ego hac de re tota sentio semel intelligas, neque Theologos omnes taxo, neque imperitorum quæstiones omnes condemno; verum eas quæ nihil ad rem pertinent, quæ sunt hujusmodi, ut neque quicquam eruditioni conferant, & multum impietati detrahant: eas inquam non improbandas modò, sed despuendas quoque censeo. Cæteras verò, quæ tractant aut humana graviter, aut divina reverenter, tum utrumque adhibita modestia qua veritatem investigare sese magis quàm altercari probent: modò ne quenquam sibi totùm vendicent, neque quenquam nimis diu detineant, & suo se pede metiantur, neque se melioribus conferant, nedum anteferant: has, inquam, sic institutas admodum libenter amplector, hactenus tamen, ut eas tales esse fatear, quibus non inutiliter exerceantur ingenia: tales esse pernegem, in quibus salus universæ recumbat atque innitatur ecclesiæ. Jam Theologos non eos vitupero, qui has degustarunt, imò laudo etiam qui ad altiorem sacrarum literarum peritiam, ad meliorem priscorum, & sanctissimorum, & doctissimorum patrum eruditionem, has quoque non abjiciendas accessiones adjecerunt. Verùm hujusmodi Theologos (ut ex animo dicam) non probo, qui quæstionibus cujusque generis non insenescunt modò, sed immoriuntur quoque, qui seu ingenii sterilitate quadam impediti, seu puerili Scholasticorum plausu incitati, neglectis antiquorum omnium literis, posthabitis etiam ipsis quorum se Doctores profitentur Evangeliis, nihil omnino præter quæstiunculas didicerunt, partim per se inanes, partim inanes his qui cæterarum rerum omnium inanes ipsi sunt: idque jam senes, atque ideo deplorati, qui neque Scripturas commodè tractare incognitis Veterum scriptis queant, neque ad eas cognoscendas (qua nunc sunt Latinæ linguæ penuria) pares esse possint: redire verò ad Grammaticam, atque inter pueros, imò verò à pueris etiam discere, hoc non solùm disputet, sed etiam serum est. Istos ego, mi Dorpi, tantum abest ut probem, ut etiam, quomodo apud Romanos mali Magistratus publicis cogebantur sese abdicare muneribus, ita istos quoque non tam re quam vocabulo Theologos audiendos censeam, ad hunc Magistratum, quo tam immerito funguntur, ejurandum. Neque mirum est tamen, esse aliquos in tanto Theologorum numero tales. Nam quis ordo obsepiri tam diligenter potest, ut non ambitione, pretio, gratia, aut aliis malis artibus aliquis indignus irrepat, qui cum sit in editum receptus, quàm potest plurimos sui similes in eundem locum suo suffragio sublevat? Ita fit, ut nullus ordo sit, qui non indignis abundet. Nam ut in Senatu Romano fuerunt, quorum majestatem nulli reges æquabant: ita rursus erant quidam adeò tenues atque inglorii, ut misere inter spectacula vulgi compressu elisi perierint. Quanquam ut nec illorum fulgori istorum humilitas obfuit, nec istorum tenuitatem Senatorium nomen exemit contemptui: ita nec indignos Theologos istorum nomen eripit contumeliæ, nec eorum contemptus, aut erga singulos qui verè sunt, honoris quicquam adimit, aut erga universos quicquam reverentiæ ac majestatis imminuit: cujus ego certè tam conservandæ atque ampliandæ sum cupidus, quàm quisquam vivit etiam cupidissimus. Nam de Erasmo stultum fuerit idem polliceri, quum nemo nesciat, in sacrum Theologorum ordinem nihil perperam aut dici aut fingi posse, ut non propriè ac peculiariter ipsius agatur negotium. Habes igitur hac in re animum, mi Dorpi, meum, nec dubito herclè, quin etiam (si tu is es, quem ego mecum fingo) tuum, quem si probas, asse Erasmi puta: sin minus, tantum meum, imò nec meum diutius quàm tu voles futurum. Neque enim quicquam animo est unquam tam obstinatè obfirmatum meo, ut non paratus sim eo jubente mutare, quem sciam nunquam quicquam sine ratione jussurum. Sed hæc hactenus. Ad reliquas epistolæ tuæ partes ero tanto brevior, quanto in hac fui vel æquo verbosior: utrumque etiam meritò. Nam ut ea, de quibus antè disserui, Erasmus nunquam vidit, ita de quibus deinceps sum dicturus, & ipse scripsit, & se diligentius pollicetur scripturum: tum quædam sunt hujusmodi, ut in his divus etiam Hieronymus non suo solùm exemplo quasi præjudicio Erasmi partem tueatur, sed totam litem quoque tanquam edita in scriptis sententia, secundum eum pronuntiaverit. Nec enim quicquam est quod tu, ne quicquam in Scriptura mutetur, è Græcorum fide codicum prohibes: quod non olim adversus beatum Hieronymum & objectum sit, & ab eo validissimè confutatum. Nisi hoc videri novum vis, quòd translationibus, ut ais, quæ multæ olim fuerant, rejectis omnibus, ne varietate codicum fideles vacilla-

vacillarent, hanc unam à sanctis patribus acceptam, ab Hieronymo castigatam, atque ad nos usque transmissam comprobavit Ecclesia: non uno aliquo consilio, sed perpetua consuetudine ad eam recurrendi, quoties in ullo consilio de fide nodus incidisset. Neque enim alioquin fieri potuisse, ut cæteræ omnes interierint, atque hæc ad nos sola pervenerit, nisi id non fortè accidisset, sed adhibita à majoribus nostris industria fuisset curatum. Primùm mi Dorpi, nemini dubium esse puto, quin hæc ipsa editio ante Hieronymi tempora (neque enim alioquin ipse hanc potissimum castigasset) & recepta sit ab ecclesia, & assiduo citandi usu comprobata: quod ego vel solum in causa fuisse puto, quare ad nos usque sola duraverit. Cur ergo Hieronymus ausus est mutare quicquam, idque non aliis modò & optimis & sanctissimis viris approbantibus factum, sed ipso quoque Augustino adhortante ut fieret? Mutavit verò Hieronymus, ut ipse fatetur, si quid in sensu fuit, quo Latinus codex discreparet à Græco. Hoc ille putavit utilius, quàm ea quæ tu Erasmo suades ut faciat, videlicet ut ea tantum annotet quæ commodius ac significantius interpres vertere potuisset, sensum verò si quando discrepet, manere patiatur, nec mendæ manifestæ Latinos admoneat. Quod divus Hieronymus non usque adeò curandum censuit, ejus tu præcipuam curam habendam putas: quod ille judicavit potissimum, ab eo tu potissimum deterres. Sed hic occurris ac fateris, id ab Hieronymo rectè factum, quòd videlicet tunc opus erat, dum adhuc vulgata hæc editio non satis esset emendata: at nunc repurgatis vitiis supervacaneum iterum purgandi laborem fore. Nam si opus tam nunc esset, quàm tunc erat, non est ratio, cur minus bene mereretur, à quo nunc idem denuò fieret, quod tunc Hieronymus fecit. Primum, neminem esse omnium puto (dicam enim audacius) neque Hieronymum quidem ipsum, qui profiteri ausus sit, se tam certum sui, ut in vertendo nihil eum possit omnino subterfugere. Usque adeò non deerit vel mediocribus interdum, post meliores etiam, in quo versentur utiliter. Ergo quis vertendi finis erit? inquis, facillimus: si evenerit, ut quisquam tam commodè verterit, aut ab alio non optimè versum, alius ita correxerit, ut his manentibus integris, non inveniant posteri quod mutandum censeant. At periculum est interim, ne variæ translationes dubios faciant animos fidelium, utram credere debeant veriorem: quod ipsum in causa fuisse censes, ut reliquæ omnes de industria rejectæ sint, hac una servata, ne fideles vacillarent. Qua in re usque adeò ego abs te dissentio, ut quod tu majorum curæ tribuis, ego temporum assignem incuriæ, qua nimirum non illæ tantum translationes, sed multa etiam alia periêre. Alioquin etiam si unam in ecclesiis tenendam recepissent, reliquas tamen quid necesse fuit abjicere, ex quibus non erat periculum, ne fideles vacillarent? Imò quemadmodum nunc Evangelistarum varia narratione, series rerum in luculentiorem pervenit notitiam, ita tum ex diversorum collatione interpretum studioso lectori daretur occasio, si quem aut verbum fefellisset æquivocum, aut orationis decepisset amphibologia, aut sermonis proprietas imposuisset, ex reliquis conjiciendi quid verum sit. Quod sanè utilissimum esse & Augustinus sentit, & Origenes experimento didicit, & Jacobus Faber Psalterii quintuplici editione docuit. Atque hæc ideo dixi, ut ostenderem etiam, si divi Hieronymi labor adhuc maneret integer, non illum tamen reprehendendum esse, quisquis, si quid ab illo quoque præteritum invenisset, hoc ipse, velut relictas à messore spicas, colligeret. Nunc verò quis non putet codices Latinos nihilominus atque olim è Græcis esse corrigendos, quum ita sint rursus infecti mendis, ut ne vestigia quidem Hieronymianæ emendationis appareant? Quod usque adeò in confesso est, ut ipse tu quoque, qui id maximè negas, idem fatearis tamen. Nam cum ideo maximè contendas, corrigendi laborem frustra sumi, quòd Hieronymi castigationes asseris magna patrum diligentia servatas esse integras: tum in proximo ferè versu subdidisti: *Responde jam Erasme, utram probet editionem Ecclesia? Græcamne, qua non utitur, an Latinam, quam solam citat, quoties ex sacra Scriptura aliquid definiendum est, vel prætereito Hieronymo, si quando aliter legat, quod quidem non rarò contingit?* Imo tu nunc responde, Dorpi, si, ut ipse dicis, & verè dicis, non rarò legat aliter Hieronymus quàm vulgaris habet editio, quomodo potest esse verum quod antè dixisti, eandem editionem ita manere correctam, ut ille correxerat? Neque enim quemquam arbitror esse crediturum, illum quicquam contra suam ipsius correctionem proposuisse legendum. Tam ergo nunc opus correctione est, quàm olim fuit. An verò tantundem liceat, hoc restat inquirendum. Quanquam nec inquirendum hoc, nec dubitandum videtur, quin emendati codices tam nunc sint Ecclesiæ utiles, quàm olim fuerunt. Sed Ecclesia nunc, inquis, istam editionem comprobavit. Atqui eadem Ecclesia eodem modo eandem editionem ante Hieronymi correctiones approbaverat: id quod jam antè respondi. Quamquam non pigebit eandem orationem tuam, quam tu tam invictam censes, denuò excutere, ne me prætervehi quicquam dissimulanter putes. Videris ergo mihi sic colligere: Augustinus nec Evangelio duxit esse credendum, nisi Ecclesiæ compelleret authoritas. At Ecclesia comprobavit in hac translatione verum esse Evangelium. Consequitur ergo, si quid sit in Græcis codicibus diversum, ut verum in illis Evangelium esse non possit. Hæc est (quantum perspicio) argumentationis tuæ summa, quæ

quæ mihi videtur ejusmodi, quam non sit difficile solvere. Nam primum Ecclesia sic in Latinis codicibus contineri credit Evangelium, ut fateatur tamen è Græco translatum. Credit ergo translationi; sed magis archetypo credit, Evangelium in Græcis esse verum: in Latinis verum esse credit eatenus, quatenus fidit interpreti, in quo (ut opinor) nunquam tantam habet fiduciam, quin eum labi cognoscat humana fragilitate potuisse. At in Conciliis citatur ex Latino codice, non ex Græco. Mirum vero, si Latini ex Latino citent codice! quasi ideo fecerint, ut de industria fidem archetypis abrogent Græcis. Apostoli nonne citabant ex Prophetis secundum translationem septuaginta Interpretum, omissa interim Hebraici textus veritate, dum Græcis scriberent? nec ideo tamen Hieronymus factum putavit esse præjudicium, quasi Græca translatio quàm Hebraica litera Apostolorum censeretur authoritate sincerior. Ego certè hoc persuadeo mihi, idque (ut opinor) verè, quicquid ad fidem adstruendam faciat, non esse à quovis melius versum, quàm ab ipsis Apostolis præscriptum. Ideoque fit, ut quotiens in Latinis codicibus occurrat quicquam, quod aut contra fidem aut mores facere videatur, Scripturam interpretes aut ex aliis alibi verbis, quid illud sibi velit dubium, expiscentur, aut ad unius Evangelium fidei, quod per universam Ecclesiam in corda fidelium infusum est, quod etiam, priusquàm scriberetur à quoquam, Apostolis à Christo, ab Apostolis universo mundo prædicatum est dubios hujusmodi sermones applicent, atque ad inflexibilem veritatis regulam examinent; ad quam si non satis adaptare queunt, aut sese non intelligere, aut mendosum esse codicem non dubitant: cujus morbi medelam censent aut à diversis interpretationibus, tanquam medicis, implorandam (quod tibi jam periculosum videbatur) aut velut à fonte quodam ab ea lingua repetendam, unde ea scriptura in Latinum fluxit eloquium. Verùm tu, mi Dorpi concedis, olim rectè fecisse eos qui Latinos, quanquam ab Ecclesia receptos atque approbatos, codices è Græcis emendaverint: sed idem tamen negas nunc rectè fieri, propterea quòd verisimile sit, ipsorum libros Græcorum aut de industria fuisse depravatos ab ipsis, jam olim ab ecclesia Romana desciscentibus, aut postea saltem per incuriam vitiatos. Neque enim esse credibile, si Latinorum, quibus perpetua fidei cura fuit, codices paulatim tamen labefactati sunt, incorruptos adhuc restare Græcorum, apud quos ipsa jam olim fides corrupta sit. Hæc ratio, Dorpi, non flexit Hieronymum, quo minus Instrumentum Vetus ex Hebræo sermone transferret: quanquam si quid hic valere debet, ibi magis debuisset, quum nemo nesciat, Judæos ex professo infestiores fuisse hostes Christianis, ut quibus in universo repugnabant, quàm Græcos Latinis, quibus cum communi Christianorum nomine conveniebant, licet in quibusdam dissenserint. Et profectò (ut vere dicam) videtur mihi neutiquam credibile, ullam gentem in depravandos libros unquam conspirare voluisse, ut ne dicam, nec potuisse quidem. Quæ enim spes esse potuisset, neminem ab ea re alieno animo fore? aut clàm id fore consilium, quod si rescisceretur (ut erat necesse, quum à Judæis ad Christum, à Græcis ad Latinos aliqui nullo non die profugerent) nonne prævidebant fore, quum nihil assequerentur, suæ præterea parti sese præjudicium allaturos? si se faterentur eam fovere causam, quam sibi conscii essent non aliter posse se, quàm codicum depravatione defendere? Sed de Judæis Hieronymus viderit. Græcos certè ab hac falsitatis suspicione liberat vel istud, quòd in his de quibus eis nobiscum fuit controversia, eorum libri cum nostris consentiunt, nec de litera unquam, sed de intellectu literæ quæstio fuit. Quanquam nemini potest esse dubium, eos si mutare voluissent quicquam, non ea primùm modò, sed sola quoque fuisse mutaturos, quæ pro nobis contra eos faciunt: quæ si falsassent, non fuisset causa tamen, cur in aliis idem facturi putarentur. Nunc verò quid comminisci quisquam possit, cur alia falsare voluissent, cùm hæc ipsa reliquerint integra, quæ vel sola falsare voluissent? Sed incuria saltem vitiatos esse credi potest, præsertim si hoc nostris contigit, quibus verisimile est libros fidei, sicut fidem ipsam, majori semper curæ fuisse. Possem hic opponere non Hieronymum modò, sed Augustinum quoque, quorum uterque censet emendatiores esse Græcos codices, quàm Latinos. Sed ratione malo quam authoritate contendere. Hoc certè affero, neminem esse tam cujusquam libri incuriosum, ut ita transcribendum locet, tanquam pensi non sit habiturus, vitiosumné an emendatum referat: quum alioquin possit operæ & impensis parcere, si omnino ne scribatur curet. Persuadeo ergo mihi, Græcos etiam curasse ut diligentia in transcribendis ipsorum libris adhiberetur; quod nemo dubitaverit qui libros eorum diligenter inspexit. Hoc præterea rursus affirmo, apiculos, distinctiones, & accentuum notas in causa esse, quo minus facile apud eos in scribendo erretur. Nec ab hoc affirmando deterreor, quòd tu hoc argumentum in adversam partem retorsisti: propterea quòd (ut ais) facilius erratur, ubi multa sunt observanda. Verùm ego contrà censeo, ibi minus facilè errari, ubi facile erratur, ut ego quoque Dialecticorum more ænigma proponam. Verùm sic opinor tamen, imò sic experior: quemadmodum in planicie, dum festinamus intrepidè, ubi nemo casum expectat, sæpe labimur, quum à præcipitio salvi sensim nec nisi certo atque explorato gressu descendamus: haud aliter evenire scribendo, ut ad exemplar perplexum scriptor eo transcribat verius, quo videlicet attentius, quum ex pulchro codice ipsa securitate labatur. Quanquam & nostros vitiatos esse, & eos remansisse sinceros, vel hinc

elucescit, quod in nostris eadē nunc vitia deprehendimus, quæ Hieronymus olim censuit emendanda; in illis eadem adhuc videbis verba, ex quibus ea Hieronymum constat emendasse. Ergo quas ille mendas olim ejecit, nunc non licebit ex iisdem codicibus rursum expungere? &, quum religiones (quas vocant) omnes fas sit sæpius renascentibus vitiis reformare, libros semel purgatos repullulantibus mendis nefas repurgare ducemus? Jam quòd quæris, quid sit quod Latinos codices non sinat incorruptos, deinde tibi ipse respondes; *quid nisi Chalcographorum incuria pariter & imperitia?* & illicò subjungis: *Vide jam utros invenies rariores? qui Græcis imprimendis sint idonei, an qui Latinis? & scies utros codices censere debeas castigatiores.* Quid tu his verbis, Dorpi, velis, non intelligo. Neque enim te vereri puto, ne in annotationibus in Scripturas Erasmus impressis utatur libris: quum neque scriptorum codicum desit copia, neque in eam rem impressis uti, etiam si velit, possit, cum Novum Testamentum, in quod ejus desudat labor, nunquam hactenus, quod sciam, Græcè Chalcographorum typis excusum sit. Quòd si hoc voluisti dicere; quum Chalcographi Græcas imprimant literas quàm Latinas depravatius, idem in veteribus etiam utriusque linguæ Scriptoribus accidisse; semoveamus istos, Dorpi, qui literas sic Latinas imprimunt, ut Græcæ magis quàm Latinæ: sic vicissim Græcas, ut Arabicæ magis quàm Græcè, videantur. Comparemus in utroque genere qui utrumque possunt, cujusmodi Aldus Manutius Romanus erat inprimis, & nunc Joannes Frobenius Basiliensis: hos atque ejusmodi Chalcographos audeo affirmare, quod ipse quoque experimentis comperio, verius ac sincerius Græca quàm ipsa Latina referre. Quod ipsum multaque itidem alia ad hanc rem facientia, multo certius ipse legendo quàm audiendo intelliges, si te quoque aliquando ad Græcam linguam pernoscendam converteris: id quod valde opto: nam suasurus frustra sim, quod nec Erasmus persuavit; adversum quem, imò temet adversus ipsum, sedulò te defendis, ne cogare videlicet ex Græcarum cognitione literarum proficere. Quamobrem ut ad eas te literas, pro animo istoc tuo tam adversus eas obfirmato, hortari supersedeo, ita pro meo in te amore optare tibi non desinam: nec spem tamen unquam depono, fore aliquando, nec id quidem haud multo pòst, ut cessantibus hac de re disputationibus, in quibus assidua tua illa in scholis victoria non patitur te libenter cedere, quod (ut video) jam nemo potest alius; ipse nimirum persuadeas tibi, cùm istos Imperatores tuos quibus nunc militas, quorumque interim gratiam tam magnæ eruditionis parti præfers, aut maturiore judicio neglexeris, aut certè etiam illis ipsis utile & tibi & eorum consiliis fore persuaseris, quo videlicet Græcistas istos suis ipsorum gladiis confodias, majoreque adversus eos authoritate disseras quàm nunc, cùm de re tibi tam in totum ignorata disputas. Qua de re tamen cùm perinde scribas, ac si supervacaneam putes operam quæ in Græcas literas impenditur, mihi profectò non persuades, ea te sentire quæ scribis. Neque enim simile veri sit, te vel ea prudentia commoditates ejus linguæ non videre, vel eo in bonas artes omnes studio non concupiscere, præsertim cum abs te quoque dum negligendam disputas, propemodum afferantur causæ, quibus incitari maximè ad eam consequendam possis. Nam si (ut tute verissimè certè ac sapientissimè dixisti) unaquæque lingua ea præcipuè dote præstat atque excellit alias, si contingat ei ut majorem bonarum disciplinarum thesaurum in suis literis velut arculis contineat: quis hac una ratione tua nesciat, Græcam esse eam quæ summopere sit cum ab universis mortalibus, tum verò seorsum à Christianis amplectenda? utpote à qua & omnes disciplinæ reliquæ, & Novum Testamentum ferè totum nobis felicissimè successit: nisi tu illam hoc translationum quotidiano proventu, velut assiduo partu, effœtam nunc tandem atque exhaustam putas. At primùm ex his ipsis Commentatoribus Aristotelis, quos tu in illa oratione commemoras, quam sive ut Laurentium vituperes, sive ut laudes Aristotelem, (nam utrumque acriter ex æquo facis) elegantissimè certe scripsisti, Alexandro inquam, Themistio, Ammonio, Simplicio, Philopono, Olympiodoro: quotusquisque ex his inquam est, excepto uno Themistio, qui non adhuc sua tantum lingua legatur? nisi quòd Alexandri problemata in Latinum venêre sermonem. Ex reliquis si quid Latine legitur (neque enim ignoro, haberi & Alexandri, & Simplicii fragmenta) id totum ejus generis est, ac tam parum Latinum, ut à Latinis propemodum minus quàm ipsa Græca intelligantur. Neque jam de Poëtis aut Oratoribus dico quicquam; sed neque de aliis Philosophis, aut aliis etiam ejusdem Aristotelis Commentatoribus verbum facio ullum. Quanquam vel unus Joannes Grammaticus tantum habet acuminis, tantum eruditionis, præsertim Aristotelicæ, ut si cum eo possis ipsius lingua loqui, reduceret te, satis scio, unus ille cum Grammaticis omnibus, quibus nunc parum propitius videris, in gratiam. At ex antiquis Christianæ doctrinæ Scriptoribus, cùm multo maximam partem Græce constet scripsisse, perpauci pro tanto numero versi sunt: quidam verò ita versi, ut potius videantur subversi. Ad Aristotelem ipsum venio, quem & ego ut supra multos, ita cum multis amo, quem tu in memorata oratione tua videris non supra multos modò, sed pro multis quoque, atque adeò pro omnibus amplecti. Hic ergo ipse non poterit totus tibi sine Græcarū peritia literarū innotescere. Nam ut omittā illud quod nihil ejus tam comode versum est, ut non idem ipsum suis ipsius verbis acceptū in pectus influat potentius: & illud itē, quòd quædā opera ejus adhuc Græca feruntur, quorum titulos nescio an Latini habeant; certe ex his ipsis operibus quæ nunc habent, sic habent quædā, ut etiam non habeant. E

Qua forte ipsum etiam Meteorologicorum opus tam constat esse, quàm dolendum est: quum nescio an ullus ex tam multis ejus viri laboribus dignior scitu sit, aut ipsa rerum natura ab ulla sui parte mirabilior, quàm ab ea, quæ, ut nobis proxima circumfusaque undique, ita magis ignorata atque incerta est, quàm astrorum positio, motusque syderum, quæ tam porrò semota sunt. Sed hoc opus tamen spero propediem fore, ut à Thoma Linacro nostrate, illustrissimi Regis nostri Medico, Latinis donetur auribus, utpote cujus jam nunc duos libros absolvit: perfecissetque nimirum opus, atque edidisset universum, nisi Galenus eum exorasset, ut quum dux atque Imperator medicæ rei sit, vel seposito interim Aristotele, Latinus ejus opera prior ipse redderetur. Prodibit ergo Aristoteles aliquanto serius, sed prodibit tamen nihilo incultior: præterea nec incomitatus. Nam Alexandri Aphrodisæi Commentarios in idem Opus unà vertit, initurus apud Latinos omnes immortalem gratiam: in quorum non vulgarem utilitatem, Philosophi præstantissimi operi tam egregio præstantissimum Interpretem sic adjunxerit, ut ejus labore demum ab Latinis possit intelligi, quod hactenus à nemine (ut ego certè suspicor) qui Græcè nescierit, intellectum est. Nam quum ipse jam olim idem Aristotelis Opus audirem Græcè, eodem mihi prælegente atque interpretante Linacro, libuit interdum experiendi gratia vulgatam etiam translationem inspicere: è cujus lectione mentem illicò subiit ejusdem Philosophi de Physicis suis dictum. Nam ut illa sic ait edita, ut tamen edita non sint: ita hæc quoque sic versa videbantur, ut nullo pacto versa viderentur; usque adeò, ut quæ Græcè callebam probè, eadem ipsa versa non intelligerem. Neque est quòd à Latinis Interpretibus sperari possit auxilium, quum Albertus quoque, quem ad æmulationem Alexandri Magni, Magnum vocant, quique se periphrasten Aristotelis profitetur, paraphrastes verius in eo opere judicari debeat; ita cum sit ejus officium, Aristotelis sensum aliis verbis referre, affert prorsus (ut ajunt) ex diametro diversa. At Cajetanus (nam is quoque facit Commentarios) describit nobis, unus terræ pugillus in quot pugillos aquæ liquescit, & aquæ item pugillus unus in quot pugillos aeris dissolvitur, & quò non ulterius ad eundem modum progreditur? Sed tamen dum has tam immensurabiles mensuras metitur, ad Aristotelis interim sensum ne gry quidem. Infinitum, mi Dorpi, fuerit explicare, quàm multa desint ei cui Græca desunt. Neque tamen ignoro, & alios multos, & te inprimis ipsum, sine Græcis literis ipsam doctrinæ arcem versus eo usque provectum, quò multi non possint etiam Græcè docti sudantes atque anhelantes ascendere. Sed hoc unum tamen ausim affirmare: si cæteris disciplinis tuis tu Græcas præterea literas adjeceris, quantum nunc alios & Græcè peritos exuperas, tantum tunc te etiam ipsum superabis. Sed de his hactenus. De Moria, quoniam Erasmus, qui eam olim meo patrocinio commendavit, eandem rursus tuendam suscepit, tibi non est necesse multa differere, quum res alioqui per se facilis reddita sit partito labore facilior. Itaque ut non dubito, quin ille sit ea dicturus, imò in illa brevi epistola jam nunc dixit, quæ sufficere apud omnes debent: ita ego quæ dicam, quantulumcunque apud alios valitura sint, apud te (ut opinor) invalida esse non possunt. Et primùm miror, quid hæc sibi tua verba velint: *Ecce repentè infausta Moria tanquam Davus interturbabat omnia.* At quomodo nunc repentè? quasi nunc primum Moria repentè prodierit, quæ jam plus annis septem septies interim novis excusa formis in clarissima luce versata, in omnium sinus recepta sit. Aut quamobrem quæso infausta? quæ quàm felicibus auspiciis processerit, nonne vel hoc abundè demonstrat, quòd non debuisset toties in tot exemplaria diffundi, nisi tam multos invenisset quibus impensè placuisset? nec hos ex fæce vulgi (neque enim eas merces facile distractas esse mirarer quæ placerent indoctis, quorum ubique turba scaturit) sed doctissimis. Nam eam nonnisi doctis placere vel hoc indicio est, quod non nisi docti intelligunt: quod ipsum fortasse fuit in causa, ut hi duo aut tres Theologi, quos Moria commovit, irascerentur, quòd ab aliis persuasi credunt, plus ab ea ipsa dictum, quàm dictum sit: alioqui fors non succensuri, si ea ipsa quæ dicuntur ipsi intelligerent. Sed tu, mi Dorpi, putas nullos rideri potuisse Theologos, quanquam tales eos esse, quales Moria joco describit, ipse propemodum seriò fateris, quum ais: *Aspera facetiæ, quibus multum veri admixtum est, acrem sui memoriam relinquunt.* Verùm est herclè quod dicis. Non tam acriter has tulissent facetias isti Theologistæ, nisi quàm erant asperæ, tam etiam veræ fuissent. Ergo cum tales sint, quales ipse fatearis esse, probas? non opinor, vituperas ergo? apud te certè scio facis, faceresque palàm, nisi in animum induxisses tuum, nemini esse adversus: & ita te comparare statuisses, ut te omnes prorsus cujuscunque modi sint, docti indocti, boni malique, laudent, cui (ut ais) volupe sit, si vel catelli cauda, velut amicitiæ symbolo, blandiantur. Facis tu profectò, mi Dorpi, cautius: sed nec ille tamen deterius, qui in malos apertè ac simpliciter, quod Gerardus facit Noviomagus, invehitur: quanto minus qui, quod Erasmus facit, sumpta Moriæ persona & prudenter magis, & minus licenter jocatur? cujus cùm jocos salesque non feras, & παλινῳδεῖν eum velis: in Satyris Noviomagi tamen (ut scribis) nihil invenisti quod mutari velles: quum tamen illæ Satyræ sint mordaciores ubi sunt lenissimæ, quàm Moria ubi mordet maximè, meritoque: nam id Poëseos natura poscit, quæ nisi sit acerba, non est Satyra. Itaque operæ precium est audire, quàm satyricè in Monachos ubique ac fratres invehitur, ut illorum superbiam, luxum, inscitiam,

inscitiam, compotationes, ingluviem, libidines, hypocrisinque describit, non minus eleganter quàm acerbè, nec minus etiam meritò. Nam licet multi illis sint opprobriis indigni, non desunt tamen aliqui, in quos singula quadrant, quidam etiam in quos universa concurrant. Quamobrem non miror, nihil in eis reperisse te quod mutari velles, sicuti nec ego certè. Sed hoc miror, cur abs te non possit impetrare Moria, ut impunè jocaretur in Theologos, quum illæ abs te obtineant Satyræ, ut tam acriter objurgent Religiosos, atque in his Theologos etiam. Sed omitto Gerardi Satyras. Si quis tuas, mi Dorpi, excutiat epistolas, nihilne reperire possit quo tu ullum hominum genus aliquo mordaci dicto perstrinxeris? An illud edentulum prorsus esse putas, quo in memorata epistola ad Menardum Abbatem, respergis Antistites? qui dum illum laudas, alios hoc pacto deploras: *Heu me, heu miseros eos, qui non religiosos agunt, sed caballis stipati, Cæsaris triumphos nobis referunt: quos satius foret humi repere, quàm ad inferos equites properare, ni pedites timeant serius illuc pervenire.* Hæc mihi Dorpi tam mordax facetia usque adeò tibi blandita videtur, ut ideò de equis potissimùm locutus videare, ne tam bonum dictum perderes: alioquin, opinor, vides, non usque adeò magnum facinus esse, si Abbates equitent, & bestiis, in quos creati sunt usus, utantur. Audivi etiam, nec alios Antistites equitare semper, & illum tuum interim; ut in illum etiam ipsum penè jocus tuus recidat, à quo eum cupis in alios avertere. Sed ita sua cuique blanditur ratio, tam bene suus cuique crepitus olet, ut cum ad aliorum jocos frontem contrahimus, & velut asperos non patimur, nostros, neque magis festivos, & magis mordaces, amplectamur. Sed hæc in religiosos Antistites jocatum te negabis, verùm deplorasse potius, præsertim cum ab illa inauspicata interjectione auspicaris. *Heu.* Ego certè quacunque figura proferatur jocum puto, quod ita dicitur ut nemo sine risu audiat. Quanquam quid refert joco an seriò mordeas? imò refert adeò, quum nemo ferè sit qui jocoso in se dicto non arrideat, serium nemo sit qui ferat. Alioqui, si deplorare licitum, jocari vetitum putas, facile Moriæ fuerit toti orationi jocosæ interjectionem dolendi præponere, & mutata figura Theologos eosdem, quos antè derisit, iisdem verbis denuò deplorare. Neque enim facilè decernas, utrum deplorandi magis, an ridendi sint. Sed in Antistites fortasse quidvis licere debet etiam mediocres: at in Theologos, utut sint, licere debet nihil. Nam eò ferè tendunt, quæ in hac novissima ad Erasmum scribis epistola; Ais enim: *Miraris, tantos concivisse motus tuam Moriam, quæ pluribus placet, non Theologis modò, sed Episcopis etiam. Atqui ego te demiror, Erasme, qui pluris facias Episcoporum in hac re judicium, quàm Theologorum: siquidem Episcoporum nostri seculi vitam, mores, eruditionem dicam an inscitiam, noveris: quorum ut sunt certè nonnulli tanto digni fastigio, ita mira est paucitas.* Hic tu, Dorpi, cùm Theologos ægrè levissimo joco patiaris aspergi, Episcopos apertis opprobriis magna cum authoritate perfundis, ut in quibus non tantum eruditionem requiris, & carpis inscitiam, sed vitam quoque ac mores contumeliosè condemnas. Sed Theologos plurimum refert (ut ais) integræ apud populum esse authoritatis. Quasi nihil referat, apud populum quales æstimentur Episcopi! qui quem locum teneant in Ecclesia Christi, quàm longè supra Theologos tuos, non est ignotum tibi, qui Pontifices liquidissimè novisti in Apostolorum successisse locum. Neque cautius prospexisse putes tibi, quòd nonnullos feceris Episcopos tanto dignos esse fastigio: cùm nec ipse Moriam credas indignorum vitia dignis imputare Theologis, quæ tamen vel hoc te vincit, quòd nihil impedit per eã multos dignos esse Theologos. At Episcoporum per te bonorum non modò paucitas, sed etiam mira paucitas. Sed donemus hoc tibi, nihil esse mali, Pontifices vel ridere dicteriis, vel maledictis incessere, modò ne sacrosanctos Theologorum magistratus attingas. Quid ad hoc dicis? quòd illos ipsos Theologos non nomine quidem, sed descriptione tam evidente, ut non ullo nomine designari potuissent expressius, ita mordes ut penè laceres, in proœmio quod in Pyrgopolinicem Plauti fabulam lepidissimè conscripsisti. Verùm interim Plauti me nomen admonuit eorum quæ tu sparsim per epistolam tuam cum in cæteros Poëtas, tum in Terentium nominatim ex Augustini verbis congeris: quæ res longiorem disquisitionem flagitat, quàm ut à me in hac disputetur epistola. Sed hoc tamen abs te quæro, utrum tibi illis verbis hoc voluisse videtur Augustinus, Christianis videlicet non esse legendum Terentium? Quòd si ab eo perdiscendo non deterreat, nihil adversus Poëtarum lectiones facit ille locus. Sin Augustinum id egisse putas, ut à Poëseos studio Christianos averteret, rursus abs te percunctor, ipsene Terentium adhuc docendum censeas? Quòd si censes, quid attinet id tam citare diligenter, cui non putes esse parendum? Sin docendum neges, ab Augustino videlicet persuasus: miror profectò, quo pacto acciderit, ut tandem nunc primùm tam seriò persuaserit ille, quem te non dubito tam diu antea legisse: nec interea tamen abstinuisse à legendo Plauto, nec à legendo tantum, sed nec à docendo, exhibendo, agendoque publicè, Poëta nihil quam Terentius est castiore, imo ne tam casto quidem. Quid quod ejusdem Militem gloriosum facetissimo prologo locupletasti? Aululariæ verò non proœmium modo, sed qui comœdiæ defuerat, finem adjecisti? qui mihi, seu sermonis elegantia spectetur, sive sales, sales verè Plautini,

nulla parte totius comœdiæ videtur inferior. Cujus rei vel hi ipsi versus erunt indicio, quibus (ut dixi) Theologos istos amusos, quos nunc tueris, ita bellè describis, ut nemo derideat salsius, nemo insectetur vehementius. Nam quid his carminibus (referam enim) vel magis facetum possit esse, vel magis elegans?

Primùm omnium qui sunt amusi, & literis
Non proletariis malè inaugurati, eos
Ablegat hinc in maximam malam crucem.
Siquidem stomachabundi oblatratores facere
Pergant etiam dum, quod nunquam non factitant,
Clamoribus ampullosis infremere, &
Venena livoris effunditare sui,
Et obloqui, & obgannire, & dentibus omnia
Arrodere carnivoracibus, & sicut canes
Solent, quibuslibet allatrare sibi obviis.
Eos homines (siquidem sint & ipsi homines)
Quum illiterati sint, quum sint agrarii,
Mihi sedulò jussit Plautus hinc abigere.
Sin fortè sint præsto, nisi comprimant sibi os,
Nihilque graxint, minatus est fore ulmeos,
Ubi hospitio excipientur Archerontico.

En, mi Dorpi, quàm neque Poëtis abstinendum putasti, & amusos illos Theologos quàm bene suis coloribus depinxisti? Quòd si te neges tunc fuisse Theologum (siquidem scripta sunt abhinc septennium) certè vix sesquiannus est elapsus, quòd eadem recollecta edidisti, jam certè Theologus: quadriennio post habitam luculentissimam orationem tuam de assumptione Deiparæ Virginis. Quid ergo refert, an Theologus effeceris, an prius facta Theologus edendo comprobaveris? imò refert adeò. Nam ad scribendum impetu plerumque trahimur: intermissa quum retractamus, certum adhibetur judicium. Ergo, mi Dorpi, dum è dentatis Gerardi Satyris, quibus Monachorum spurcissima describit vitia, nihil mutandum censes: dum ipse religiosorum antistitum sic misereris, ut rideas, sic rides, ut mordeas: cæterorum Episcoporum, præterquam mirè paucorum, inscitiam, vitam, ac mores acerbè vituperas: dum Theologos istos ipsos, quorum in moriam Moriam jocari nefas ducis, ipse amusos vocas, oblatratores, stomachabundos, literis non proletariis malè inauguratos, ampullosis infrementes clamoribus venena livida effundentes, obloquentes, obgannientes, dentibus omnia carnivoracibus arrodentes, in obvios quosque, sicut canes solent, allatrantes, illiteratos, agrarios, postremò vix homines, in maximam malam crucem censes ablegandos: dum hæc, mi Dorpi, facis, quomodo tibi non venerunt in mentem tua illa tam bene consulta consilia, quibus Erasmum nunc tam amicè ac tam prudenter admones? ubi tunc illud Sallustii; *Extremæ esse dementiæ, nihil aliud quàm odium, se fatigando, quærere?* Ubi tunc illud Cornelii Taciti; *Asperæ facetiæ quibus multum veri admixtum est, acrem sui memoriam relinquunt?* quo tunc fugiat illud Epicteti; *Ne putes omnibus jucunda auditu, quæ tibi sunt jucunda dictu?* Profectò, mi Dorpi carissime, sic est à natura comparatum, ut modum semper ab aliis exigamus, libertatem omnes indulgeamus nobis. Novi ego qui Reuchlinum, Deus bone quem virum? non satis æquo animo ferrent, quòd in æmulos suos, videlicet imperitissimos doctissimus, in stupidissimos vir prudentissimus, in vanissimos nebulones homo integerrimus, ab iisdem in tantum lacessitus injuria, ut si manu se vindicasset, ignoscendum ei videretur: novi, inquam qui non ferrent, quanquam ejus etiam studiosi, quòd stylo contra illos liberè, nec magis liberè tamen quàm verè, affectus suos effunderet. Novi itidem eos ipsos qui hæc non ferebant, paulo post tamen in rebus & minoris momenti, neque ad se tam propriè pertinentibus, multo etiam atrocius excandescere. Tanto nimirum proclivius est alienis affectibus quenquam temperare, quàm suis. Ergo non licuit, inquis, mihi vel Satyras Gerardi probare, vel in Theologos amusos, adde, antistites atque Episcopos quoq; vel joco vel seriò dicere, modò vera, neque nominato quoquam? Imò verò, mi Dorpi, usque adeò licuisse tibi censeo quod fecisti facere, ut mihi nihil unquam in vita melius fecisse videaris; modò ea ne desit æquitas, qua tibi quod laudi ducis, idem in alione vitio verteris. Istud ergo totum de Moria, mea (mi Dorpi) sententia, & sine causa mones, quum nihil sit quod moneri debeat, & si quid esset, post tot annos etiam serò mones. Nam quod in calce prioris epistolæ tuæ posuisti, reconciliatum iri Theologis istis Erasmum, quos Moria commovit, si Moriæ laudibus Sapientiæ laudem opponeret, mediocrem mihi risum mediusfidius excussit. Sapiunt scilicet, si hoc Moriæ encomio Moriam sic putant esse laudatam, ut laudari cupiant eadem figura sapientiam! Quod si censent, quid irascuntur? cùm sint ipsi quoque à tam laudata Moria tam abundè laudati. Præterea non video, quo pacto veris sapientiæ laudibus istorum in se invidiam Erasmus lenire possit, quin potius, velit, nolit, multo acerbiorem redderet: quippe cùm eos tam ex sapientiæ contubernio cogeretur ejicere, quàm nunc coactus inter peritissimos Moriæ mystas adsciscere. Hæc scribenti mihi supervenerunt literæ, quibus ad se meus me Princeps revocat. Hæ me adhuc scripturientem coëgerunt, ut sisterem aliquando, atque istam finirem vel invitus epistolam: quæ cùm tam longa sit, ut brevior fortasse fuerit, scriptus & in tergo nec dum finitus Orestes: nescio tamen quo tecum colloquendi studio adhuc cupiebat increscere. Quanquam jam nunc nihil intactum reliquimus, certè, quod sciam, nihil per dissimulationem prætermisimus. Neque enim istud reor expectaturum quenquam, ut Moriam à blasphemiarum atque

atque impietatis etiam suspicione defendere n, tanquam ea Christi religio malè audierit. Nam hoc & in prioribus literis tuis ita posuisti, ut planè te ostenderes contra animi tui sensum alienam referre sententiam: & in hac epistola posteriore, cùm cætera omnia, quanquam illa quoque magna ex parte non tua, tum in quibus hærere aliquis potuit color pro hoc ingenio atque hac doctrina tua, magnificè atque ampliter excolueris: hanc tamen de impietate calumniam consultò, velut impiam ipsam sacrilegamque, ac non manifestariam modò, verùm futilem quoque atque ineptam prorsus omisisti. Ea ergo de re nihil erat mihi dicendum, de cæteris dixisse me puto. Nihil ergo restabat aliud de quo tractare volueram. Sed nisi Principis me interpellassent literæ, scripturus fortasse fui iisdem de rebus plenius. Verùm ut non ingrata est hæc epistolæ necessitas, quòd vereor ne qua nunc est longitudine, tibi possit esse molestiæ: ita non lætor ademptam mihi facultatem, qua hæc eadem liceat sub incudem revocare, atque hunc rudem & informem fœtum meum sæpius lambendo refingere. Quod facere profectò animus erat, ad te doctissime Dorpi, ut cultior aliquanto veniret, cui me meaque omnia probata esse cupio: quorum nunc ruditati non ideo solum veniam dabis, quòd properus iste discessus effecit, ne mihi vel relegere liceret: sed ob id quoque, quòd ista scribenti mihi non modò libraria nulla, sed nec liber ferè ullus affuit. Quanquam ne nunc quidem ingrata tibi hæc qualiacunque fore in tua humanitate prima spes est, secunda in mei ipsius industria, qua me sedulò cavisse confido, ne quicquam in his esset quod tuas aures meritò possit offendere, nisi mihi (ut homo sum) meorum amor imposuit. Quòd si usquam incidat, culpam admonitus agnoscam ingenuè, nec tuebor meam: nempe ut quos amo, si quid eorum intersit, non gravatim admoneo, sic ab amicis ipse admoneri valde mediusfidius gaudeo. Neque hoc me fugit tamen, Erasmo quædam ex stomacho te non objecisse tuo, sed ab aliis accepta potius protulisse: ut tu vicissim intelligas, me multa his in literis, illis per te potius respondisse, quàm tibi; quem ego non solum ut amantissimum diligo, & doctissimum suspicio, verum etiam ut optimum virum revereor. Vale carissime Dorpi, vereque tibi persuade, neminem esse tui magis vel in Hollandia tua studiosum, quàm sit Morus apud toto divisos ab orbe Britannos, ut cui non minus carus es quàm ipsi es Erasmo. Nam carior esse non potes, ne mihi quidem. Iterum vale. Brugis, vigesimo primo Octobris, Anno 1515.



II.

THOMAS MORUS DES. ERASMO ROTERODAMO,

Viro optimo atque doctissimo,

S. P.

ECQUID vidisti unquam Erasme optime atque doctissime, suaviorem quenquam quam sit hic noster Brixius? qui simulatque ipsi quicquam dissimulare libet, reliquos idem mortales omnes satis elatum putat. Nam quando homo quantumvis stupidus non sentire non potuit, quàm esset absurdum, odiosum, infame, sine causa quenquam jurgiis & conviciis impetere: iterum atque iterum narrat, infigit, inculcat, epigrammatibus meis provocatum se defendentis tantum partes obtinere, ut diris & execrationibus impetitus, non nisi jocis contrà, salibus & facetiis repetat adversarium. Cæterùm de petulantia, mendaciis, probris, quibus omnem prius provocarat Angliam, verbum interim nullum; ut nec de eo quidem, quòd quæ simultas olim inter nos agitata fuit in mediis belli tumultibus, eam ille jam olim mortuam, nunc demum in summa pace redintegrat. Et sic agit homo Phormiana confidentia, ut quum suam causam facile sentire possit nulli non esse damnatam, qui quidem rem pernorit: tamen velut eam bene ac dilucide quibus oportuit judicibus approbasset, jam suo jure scilicet quidvis debacchetur in me, & totam pectoris sui sentinam lepidus & facetus exhauriat: qui postquam unum atque alterum epigramma scriptum joco statuit habendum esse pro diris, tanquam dixisse modo, foret omnibus prorsus persuasisse: simul persuasit sibi rem se plausibilem facturum, si paucos versus & adversus petulantissimum ejus libellum & in bellico tumultu ludentes olim, nunc denique tot annis post factam ac firmatam pacem, in quanta nunquam fuit ullorum populorum concordia, libro virulentissimo rependeret: sperans videlicet neque tam oculatum fore quenquam, ut id posset cernere ad quod ipsi libet connivere, neque tam importunè severum judicem, ut aliud exigat probamentum quàm narrantem Brixium, præsertim suæ causæ æquitatem tanta cum fiducia jactantem. At mihi certè visus esset aliquanto minus impudens, si has ad populum tantum phaleras exposuisset: in quo reperire potuisset aliquos quibus res adhuc esset incognita, multos quibus alteruter nostrûm, quosdam quibus vel iniquè placent rixæ, ac non hoc pacto bos ejusmodi sese jactaret ephippiis apud te, qui non tantum proram puppim que certaminis (nisi non legisti Chordigeram: nam cætera legisse te scio) verum etiam certatores ipsos intus, quod ajunt, & in cute nosti: tum cui sciat ejusmodi rixas etiamsi quæ justa sint exortæ causa, tamen pro tui ingenii candore atque humanitate odiosas invisasque esse, nedum hanc illius ineptissimam, injustissimam, inhumanissimã, & quam abs te vidisset epistola ad se missa, velut præjudicio damnatam, adjectis etiam tuæ sententiæ

causis, altera in honorem utriusque civiliter magis excogitata quàm verè, quasi nos essemus hi quos literarum intersit concordes esse: altera certè justissima, quòd quæ olim flagrante lusimus bello, ea nunc facta pace conveniat obliterari. Ex his causis illam quæ civilior erat quàm verior, quanquam de me contemptius admittit, de se tamen candidus atque modestus agnoscit: alteram illam quæ tam vera fuit, ut negari non posset, dissimulanter præteriit, ac rursus ob oculos fundit provocationis pulverem, qua se lacessitum à nobis & prius prædicat, & hostiliter. Et profectò si Brixius, ut totus est in metaphoris comicis, ab epigrammate meo velut ab epitasi jubear hanc auspicari fabulam, negare non possum quem ipse provocaverim. Sin communi more patietur addi suo loco protasin, non erit opinor ambiguum, quòd nihil habeat comicum illius turbulenta catastrophe. Nam primum quis non admiretur insignem impudentiam toties acclamantis prius lacessitum se: quum sciat interim, suam passim prostare Chordigeram, quam non fuissem prosequutus epigrammate, nisi nostram gentem totam mendacibus impetisset conviciis. Qua in re quid comminisci potest, quod isti prætendat calumniæ? an quòd epigrammata mea præcesserint ejus libellum, quum non ad aliud quàm ad ejus libelli ludant inscitiam, furta, mendacia? Aut, ut est acutus rhetorculus, contendet in Chordigera nihil esse convicii? At idem quamtumvis impudens, non negabit in primo limine Chordigeræ omnes fœdifragos vocare se, & petulanter appellare perjuros. Et tamen audet præfari, olivam sese mediis in armis gessisse, homo nimirum sic affectus erga mendacia, ut perjurium quoque & fœdifragium habeat in blanditiis. An nihil ad me pertinuisse censet, mendaciis & calumniis ab illo lacessitam patriam, quòd ipse non attingat nominatim? Nam id videtur innuere, quasi non hac ratione, atque adeò eadem præclara oratione latroni liceat in jus vocare viatorem, à quo sit fortasse repulsus inclementius, quum non illum impeteret, sed insidias tentaret pecuniæ. At fortassis etiamsi non in illum prius, saltem scripsi acerbius. Est enim & in ulciscendo modus. At ego Polyphemi barbariem imitatus præ stomachi rabie Brixium, alterum videlicet Ulyssem, diris & execrationibus insectatus sum. Ita sanè disputat, nihil habens pensi quàm falsò. Nam eo solatur se, quòd speret fore multos quibus, cùm rem totam non didicerint, ista facilè persuaserit, atque ita sine pugna vicerit: apud te verò & si qui sint conscii, satis habet si consequatur id laudis genus, ni causam nossem, putarem vera hunc loqui. At ego aut veritate me tuebor, aut vinci potius volo, quàm judicis ignoratione vincere. Quamobrem non imitabor hac sanè parte Brixium, qui versus meos in Abyngdonium (quos per jocum effutiveram, ut cujusdam asininas auriculas demulcerem, quòd ei nihil placeret absque consonantiis rhythmicis) in extremo limite insanæ Sylvæ suæ collocavit, ademptis duobus epigrammatis meis in idem argumentũ, quibus illorum jocus versuum aperiebatur. Quare nihil efficere potuit magis sycophanticum. At ego certè contrà faciam. Nam & Chordigeram curabimus excudendam, & epigrămata nostra subjungemus. Quin adjiciemus & Sylvam ejus, ne quid causetur ademtum: atque hoc pacto spero me facturum, ne sit arduum atque acclive literatis omnibus judicare, an tam bonã habeat causam quàm habere se jactat atque gloriatur Brixius. Nam cùm nos perjuros appellasset ac fœdifragos, cum totam rei seriem in suorum gratiam ac nostrum probrum, ut ipse vocat, fictionibus, ut res verè habet, impudentibus invertisset mendaciis, eademque omnia tam absurdè tractasset, ut nihil unquam quisquam tractarit absurdius, ita versibus obvestivisset alienis, ut Valeriæ Probæ te putares legere centonas, nisi quòd eas illa concinnè coaptavit, Brixius ita consarcinarat ineptè, ut cõmissuræ tanquam cicatricosum vulnus extet in modum, aut velut arida siti tellus hiulcet: ego non aliud illis epigrămatis, quibus se queritur tam capitaliter offensum, quàm in ea quæ dixi vitia lusi, & certè nihil opinor acerbè: eoque vehementer admiror in quo meorum Epigrămatum reperiat illas diras atque execrationes, quas homo lepidus, ut jactat, convertit in jocos. An illud execrationes appellat ac diras, quòd in uno meorum epigrămatum per jocum excusans ejus mendacia, quasi nemo redierit è Chordigera domũ, qui rem ut erat gesta doceret, eum adjeci dignũ fuisse Brixium qui fuisset in ipsa nave, ut suis oculis rem videret quam esset scripturus: ne ad eum modũ tam turpiter mentiri cogeretur, & falsa pro veris cõmendare memoriæ? Extra hoc unum certus sum, nihil unquam reperturum Brixium, in quod possit tendere ullam vel dirarum vel execrationis calumniam. Quanquam in hoc ipso aut calumniatur egregiè, aut certè quid execratio, quid diræ significent, egregiè sese declarat inscium. Erit fortasse qui mordaculum putet (& tamen idem si Brixii expenderit parum Chordigeram, spero non difficulter ignoscet) execrationes aut diras haud sanè quisquam erit qui vocet, qui quidem Latinè sciet: utpote ad quas nec illud quidem Martialis nostro tam longè mordacius accedit in Theodorum Vatem, Brixio Vati fortasse non absimilem, de quo Poëta magnum fuisse facinus ac Deorum crimen exclamat, quum Theodori penates ignis absumeret.

Non arsere simul quòd domus & dominus.

Ego verò, etiamsi dignum duxi Brixium, qui, quo vitare tam impudenter mentiendi necessitatem posset, in media fuisset Chordigera: non optavi tamen istud ei, nec ignem imprecatus sum, quem effugerunt etiam multi qui fuerunt in nave. Neque enim quisque statim imprecatur ea cuilibet, quibus illum censet ac pronuntiat dignum. Nam & Brixius opinor fures dignos ducit suspendio, dignos ducit adulteros, dignos haud dubiè perjuros, à quibus haud ita multis absunt parasangis mendaces: nec tamen reor usq; adeò imitis est, ut iis omnibꝰ, tantæ nimirũ parti mortaliũ, semel imprecetur interitũ.

Quod

Quod voti genus ut inclementissimum fuerit, ita nec ipsi fortasse Brixio satis tutum. At præter illud epigramma supersunt novem, quorum in primo (id quod etiam verum est) admoneo simpliciter, ademptum iri Scriptoribus omnibus fidem, si assuescant ipsius exemplo non ex fide sed ex affectu scribere: duobus in id ludo, quòd Herveum fecerit tam prodigiosè pugnantem: uno jocatus sum in Brixii & jactantiam simul & incogitantiam, qui præter alia multa perquàm vehementer absurda, finxerit Herveum de ipso vaticinantem, velut alumno Phœbi, &, ut id fieri posset, fecerit illum in mediis flammis diu concionantem tanquam in summo otio: porrò quòd cum servati sint ex utraque nave multi, succurrentibus nostrorum naviculis aliquot, ille maluerit universos prorsus exurere, quàm relictum esse quenquam à quo videri potuisset audivisse quæ scriberet: uno allusi ad eos versus, quos Brixius effinxit in cenotaphium Hervei: duobus ad id lusi, quòd Brixius Chordigeram suam veterum Poëtarum furto surreptis versibus exornasset: duobus ostendi, me mentis & ingenii pluſculum in Chordigera cùm in inventione rerum tum in dispositione requirere. Hæc cum scripserim & lacessitus, & turbulentis temporibus, & verè tamen: nunquam vel edidi vel ostendi sola, sed ita conjuncta cum aliis, ut lectoris cogitatio vel plurimùm averteretur ab illis, vel non tota certè detineretur in illis: cùm ejus Antimorus contrà nihil profiteatur aliud, quàm in meum nomen non minus delira quàm contumeliosa convicia. Postremò cùm accepissem id agi ut excuderentur epigrammata mea Basileæ, scis ipse quid egerim, ut ea quæ in Brixium scripseram, unà cum nonnullis emitterentur: quòd quædam mihi non satis severa videbantur etiamsi procul absint ab ea obscœnitate, qua fermè sola quorundam epigrammata video commendari quibusdam: & simul neminem volebam quantumvis justa de causa tantillum à me perstringi nominatim. Qua in re, quod ad Brixium attinet, meum conatum frustratum esse vehementer gaudeo: adeò se declarat dignum, in quem longè alia scriberentur. Nam in illis quibus non minus crebrò inculcat quàm falsò, se provocatum prius, & tot probris, tot conviciis, tot maledictis, tot diris, tot execrationibus offensum capitaliter, si ea quæ recenset, invenerit, quanquam ut tum res erant, & illius merita, meum factum potuissem omnium gentium jure defendere: tamen agnoscam profectò Cyclopis illam Polyphemi barbariem, quàm mihi Brixius impingit. Quòd si contrà non invenerit illic ea quæ causatur, tunc æquum censeo, ut agnoscat Brixius, eum locum, quo de diris objicit atque execrationibus, ab ipso fictum totum, ut esset sedes, in quam Polyphemum vastum sanè gigantem posset admittere: quando adeò illi tam lepida blandiebatur inventio, ut potius quàm cogeretur excludere, fingendum quippiam duxerit, in quod posset aliquid facetè dicere. Verùm ni cæcior esset ipso Polyphemo Brixius, facile profectò cerneret, eam rem non admodum multum illi parituram gloriæ, si dissimulanter præteriens quod in eum dicitur, alia contra se subornet ipse, quæ commodè possit vincere. Scripseram epigramma in quendam nostratem, qui ridiculè, cum nobis bellum esset cum Gallis, in Gallicos mores totus abierat. Alio loco quoniam Brixius nos appellarat fœdifragos atque perjuros, tetigeram obiter nostram causam in Gallico bello fuisse piam & officiosam in Ecclesiam Christi, cujus Vicario sumus opitulati: Gallorum contrà, quòd foverent schisma, & oppugnarent Pontificem. Quod ipsum neque nunc disputo rursus, neque olim me volente prodiit. Et tamen si finxisset Brixius (cui tam impensè placet fingere) commotum illis locis fuisse sese, potuisset homini fortassis ignosci facilius: ut cui videretur imposuisse falsa quædam honesti species, nempe amor importunus in patriam, quo videretur vel verè in eam dicta non perpeti, vel certè fœderibus condonata vendicare. Nunc verò stupidissimè delegit eam causam, in qua & eosdem habet obices quos haberet illic, nempe ipsum scripsisse prius, præbuisse occasionem, impegisse falsa, litem esse judicatam, imò peremptam atque abolitam fœderibus publicis. Sed & hoc prætereo turpissimum, quòd quum publicè prior læserit, privatim sese sic offensum queritur, quomodo non potest docere: sed diras & execrationes in se ingestas à me, ipse à se finxisse convincitur. Quamobrem cum prior scripserit in nos, eaque etiam falsa, cum ego tantum epigrammata contrà, in quibus ea scripsissem, quæ si neget esse vera, nihil assequetur aliud, quàm ut eum intelligant omnes, bis fuisse mentitum: non solum potuit honestè desistere, verùm debebat etiam. Atque adeò fecisset scio, nisi maluisset omnibus declarare quàm insigniter esset impudens: qui quæ peccasset antè, quum donari vel juventæ ejus potuissent, vel imputari temporibus: nunc tot annis elapsis, in tanta pace, in tanta concordia, atque in ipso fermè duorum Principum hospitio (nam id nunc adornant) deintegrò renovet omnia, & epigrammata pauca quæ in illius librum lusimus, virulentissimo libello retaliat: in quo cum nihil inveniret quod respondere posset pro se, totus in me conversus, nihil effundit aliud præter meras calumnias, & plus quàm furiosa convicia. Primum quicquid usquam ferè vel cessatum est ab operis Frobenii, vel ab ipso quisquis exscripsit exemplar, id omne objicit mihi: quum videat, nullum unquam librum tam fœliciter excusum esse, ut nihil insit errati, & illic nullum legat erratorum indicem. Et tamen in illis ipsis plerumque felicius errarunt illi, quàm castigat Brixius. Quàm seditiosè calumniatur, me lacerare parentem Principis: quum ipse tantum commemorem, quæ mala Princeps dum auspicaretur imperium, incomparabili gloria corre-

correxerit, quibus aliquot ante annos afflictabatur Respublica nonnullorum perfidia, quibus hujus Regis parens nimium credidisset, impar aliquandiu ipse rebus administrandis per adversam valetudinem, alioqui vir omnium regnandi prudentissimus. Et tamen Brixius, quum ea mala quæ aliorum contigére malitia, ipse improbè vertat in Regem, mirum quàm virulenter ibi debacchatur in me: ut pugnos, ut colaphos, ut exilia congerit, & tanquam velut carcere stringeretur metro, ne tam liberè quàm libebat liceret excurrere: addidit vipereas glossas in margine, quibus in ea loca duceretur lector, si quis fortassis parum esset attentus ad carmina. Atque hoc pacto cum demonstret insigniter, nihil sibi ad nocendum defuisse præter vires pares virulentiæ: tamen homo lepidus gloriatur se dixisse facetè, dum risum ridet Ajacis. Nam ut is abjudicatis armis insaniens cum appensas verberaret pecudes, effusè risit interim, & earum gemitu mirè plausit sibi, ut cui furor persuaserat, eas Agamemnonem esse atque Ulyssem, in quos cupiebat ulcisci: sic Brixius improbum interpretamentum suum insectans, & ad perniciem usque exagitans, suaviter arridet sibi, dum præ mentis inopia non advertit, omnes, imò omnes prorsus homines quibus ulla scintilla aut boni pectoris aut sensus insit communis, in hoc Brixiano risu non minus animum gladiatorium detestari, quàm deridere dementiam. Atque hæc quum ita se habeant, tamen tanquam ista Corœbo cuipiam scriberet aut Margitæ, non Erasmo, tanquam ipso connivente ad suam petulantiam, qua prior debacchatus est in nos: omnium simul sic eruisset oculos, ut quod ipsi cernere non liberet, idem nemini prorsus liceret aspicere, tanquam jam vicisset, me lacessisse prius, quem res docet posterius scripsisse: tanquam adhuc hostilia durarent tempora, ut ei liceret olim jactata verbula, eademque prorsus innocua, nunc demum venenatis vindicare calumniis, quum uterque Princeps, quum totus utrinque populus ita coaluit in concordiam, ut milites oblivifcantur etiam vulnerum, quorum cicatrices adhuc gestant in corpore: tanquam ipse acerbiter essem invectus, ac diras omnes imprecatus in illum, tanquam ille vicissim meros locos, meras facetias, meros sales affudisset, ac non insana convicia deblaterasset in me, ac plus quàm virulenta deliria: operæ pretium est videre, ut securus ac certus spondeat sibi, non veniam tantum velut necessariæ responsionis, sed laudem etiam clementiæ, qui videlicet impetitus diris & execrationibus, (quæ nusquam extant) quum illi fas esset paribus armis in certamen descendere, mira tamen indolis benignitate, atque admirabili dexteritate ingenii, mordere se jactat absque dente, jocari sine calumnia, ridere citra convicium, ludere citra maledictum, commonefacere sine objurgatione, erudire sine ferula: imò adeò mea maledicta in lusus, convicia in risus, probra in jocos, execrationes in Ironias, diras denique in scommota convertisse. An non videatur bellè perorasse Brixius, si quis hæc fortè legat, qui nihil omnino cognoscat de causa? Nam si quis lector inciderit, qui Chordigeram ejus, qui mea Epigrammata, qui moricum ejus Antimoron inspexerit (si quis fortè sic abundet otio, ut ei vacet bonas horas tam malè perdere) quum in illis epigrammatis meis neque maledicta, neque probra, neque convicia, neque execrationes, neque diras inveniet; quum apud illum contrà nihil inveniet aliud. præter meras sycophantias, maledicentiam, & virulenta jurgia: quum dentes videbit, sed fractos in coticula: ferulam videbit, sed absque literis: quum videbit hominem sic admonere, ut stultissimè carpat quod non intelligit, sic erudire ut calumnietur improbè si quid intelligat: is quanto risu ridebit eos risus Brixii, qui Brixium reddant ridiculum? quibus scomata, quæ multo scomate redeant in authorem? quos ei jocos exhibebit ita jocans Brixius, ut se videre putet saltantem Camelum? quantam præbebit ludendi materiam tam ineptè ludens Germanus, ut Germanus videatur Æsopici aselli, qui non multo minus absurdè imitatus lascivientem caniculam, quàm Brixius æmulatur Poëtas, lutosos & corneos pedes impegit in heriles humeros, fustibus inde retrusus in stabulum? Denique quàm lepidis Ironiis eludet Ironias Brixii? quippe tam illepidas, ut lectorem admoneant pictoris cujusdam, omnino talis, qualis Brixius est Poëta: qui cum leporem atque canem depinxisset ita similes, ut internosci non possent, tandem uter canis esset, uter lepus, subscriptione solers indicavit. Ita Brixius ejusmodi ferè ludit ironiis, ut miserè metuat sibi, ne quas velit accipi per jocum dictas laudes, earum plerasque multi agnoscant pro veris: cujus periculi non aliud vidit effugium, quàm ut εἰρωνεύειν se protestaretur marginali glossemate: nimirum homo cautus ita cavit sibi, ne sua teneretur syngrapha, quasi me laudasset ex animo. Uno loco tantum putavit non necesse esse, ut marginali nota nos admoneret Ironiæ suæ, adeò fidebat ejus loci elegantiæ: quum in indice (ut ille vult videri) meorum erratorum, ut res indicat, calumniæ atque inscitiæ suæ meminit. Ridet in Utopia mea dialogum, in quo fraterculus cum morione disceptat: in quo, inquit Brixius, dialogo enarrado exornandoque Morus ingenii sui acumen, phraseos vim, ac judicii integritatem facile explicat. Equidem, Erasme doctissime, non usque adeò contemno Brixium, aut mihi tam impensè placeo, quin facilè fatear, neque elegantem fraterculorum phrasin, neque acutas morionis argutias, tam bellè unquam me potuisse exprimere, quàm ad verum ac vivum potuerit expressisse Brixius. Adeò efficax res est talibus orationis deliciis assuescere, & ad morionem non nomine (quod jam civiliter tam sæpe Brixius concedit mihi) sed natura (quo illum suo sibi jure vendicat Antimorus) accedere. Porrò quod de judicio dicit,

dicit, quo nimirum significat absurdum esse, barbaram fratrum phrasin ei libello inserere, quem cupias esse Latinum (ut omittam interim & Græcos Latinis barbaros esse, & Latinos Græcis, quorum sermonem cum laude quoque Romano sermoni Scriptores omnes tam frequenter interserunt) non expecto ut, non dico mea oratio (in qua Brixius undique tam manifestarios solœcismos ac barbarismos, sed manifestaria sycophantia, manifestaria deprehendit inscitia) sed nec ipsius Brixii (cui Veneres omnes atque omnes prorsus Gratias putat affusas Brixius) ad Latinitatem aliquando sit perventura Plautinam: qui nec absurdè tamen sibi facere visus est, nec Romanum sermonem dehonestare, quum in comœdia Latina Pœnum interdum faceret loquentem punicè. A quo exemplo non multum opinor abest, si quis in eo scripti genere quod propè accedit ad Comicum fratrem, id genus producat in proscenium lingua loquentem sua, hoc est Latino-barbara. Et tamen scis ipse, mi Erasme, quàm non valde mihi placuerit ille dialogus, quamque libenter fuerim omissurus, nisi suprà quam dico placuisset illis, quos neque literis neque judicio quisquam (qui quidem literas habeat ac judicium) non tam longè anteponat Brixio,

Quantus ad æthereum patet hinc suspectus olympum.

Quorum aliquos hic quoque comemorarem, nisi quòd & frustra comemorarem conscio, & non est animus viros cùm honestos tum etiam honorabiles objicere, invidissimi viri latratibus; qui aliena laude sic intabescit, ut planè pereundum homini fuerit, nisi aliquid rabiei suæ ablaterasset in beatum Rhenanum: æmulatus Æschinis odium, à cujus eruditione non minus abest, quàm ego absum à Demosthenis, cujus gloriæ invidet Æschines, ut Ctesiphontem quoque, quia laudaverat, accusaret publicè, & ei machinaretur exilium, quod meritò mox in ipsum recidit. Ita quoniam epigramata mea Rhenanus Bilibaldo, doctissimus doctissimo, atque optimus optimo laudatione sua comendavit: mirum quàm insanit Brixius, quàm virulent oanimo, quàm infirmis viribus hebetem plumbei gladii cuspidem stringit in Rhenanum: adulatorem vocat, aut visi hoc agnoscat inscium, indoctum, ac planè cæcum, qui non viderit meos versus tales esse, quales visi sunt per invidiæ conspicilia pervidenti Brixio. Sed frustra involat in Elephantem culex. Nam Brixius cujusmodi sit, declarat ipse. Rhenanum laudare ego nec, ut nunc res habet, volo, ne illud audiam. Mutuò muli scabunt: nec certè si vellem, satis possem, ut quo (quod omnes norunt, fatentur, ac prædicant) tot felicium ingeniorum ferax Germania nihil habeat, si linguam spectes elegantius, si disciplinas eruditius, si mores melius. Verùm demiror herclè, cur in unum furit Rhenanum Brixius. An ejus unius judicium de meis studiis dissentit à Brixio? Quasi nihil honorificè de me scripsissent (ut omittam te, ac Petrum Ægidium, quibus videri possit amor nonnihil imponere) Buslidius, Huttenus, Paludanus, Noviomagus, Vives, Graphæus, Zasius, ac Budæus: quibus cum eo tempore adeò non amicitia contracta est ulla, ut nec litera quidem ulla intercesserit: at neque cum ipso Rhenano, ut omittam plurimos eruditione non incelebres. Quasi Brixius fingat hos omnes adulari mihi, multum ei debeo, qui tam magnum virum me facit. Sin cæcos, inscios atque indoctos omnes pronunciet, quoniam sic ab ipso dissentiunt, ut quem ille toties stultum vocat, toties appellat insanum, ei (ut nihil recenseam amplius) aliquanto certè plusculum tribuant prudentiæ, quàm adhuc audio, præter Brixium, quenquam tribuisse Brixio: nemo ei tam absoluta potestate dictaturam detulit, ut ejus unius sententiam iteratam esse oporteat, quin ad populum saltem supersit provocatio. Nam quòd hoc ita molestè fert, quòd Rhenanus epigrammata mea Marulli & Pontani prætulerit, debebat aliquanto pressius Rhenani laudationes expendere: qui etsi multo mihi tribuit amplius quàm meus pudor possit agnoscere, tamen ea parte qua potissimum Brixius offenditur, non adeò effusus est in laudes meas, ut Brixius invidere debuerit. Neque enim me Pontano aut Marullo undecunque præfert Rhenanus, aut confert: natura tantum comparat, non Græcarum literarum peritia, ne sit opus, ut ita stomachetur Brixius Græco conferri Britannum. Etenim natura quid impedit etiam Græco parem quempiam vervecum in patria crassoque sub aëre nasci? Quanquam ipse neque tam superbus sum, neque tam nescius mei, ut quæ mihi tribuit Beatus Rhenanus agnoscam: qui me, quod dixi, talibus viris natura confert, utilitate verò præfert hactenus, ut censeat plus frugis adferre lectoribus, si quid affero salubrium sententiarum, quàm quicquid illi chartis illinant obscœnitatis ac nequitiæ: ac plus juvare putat quæ simpliciter ac apertè cano, quàm Marulli delectant ænigmata. Qua in re quid aliud Rhenanus, quàm si quid est virtutis in me, id illorum præfert vitiis? quod laudis genus quum nihil obstet, quo minus eorum virtutes meis possint (ut certè faciunt) longè antecellere, non debuit ad invidiam usque videri benignum: quum interim (ut prætereeam reliquos) Budæus unus, vir non minus publicæ rei peritus quàm literariæ (in qua planè principatum quendam obtinet) quæ de me scripsit, ejusmodi sint, quæ sicuti nunc hominis candidissimi civilitati tribuo, non aliter quæ in Brixii Chordigeram præfatur eruditissimus Aleander, ita longè magis optem esse vera, quàm Pontanum aut Marullum superare carmine, aut utrumque simul utraque lingua vincere. Et tamen mirum est, quàm subitò mutatus Brixius incumbit in famæ meæ curam etiam ipse, utpote cujus non nisi favore ac studio tot erratorum meorum me tot millium, tam pudendorum,

amicè, benevolè, fideliter commonefecerit, videlicet ut ipsius opera subducantur clanculum, quæ circumferri diutius absque insigni traductione mea ac perpetua quadam ignorantiæ nota non poterant: quo nomine censet tantum etiam debere me tam amicæ ejus industriæ, quantum alteri quisquam debere possit. Hoc tam elegans ac bellum schema tam vehementer arrisit Brixio, ut quod nemo non irrisit, quũ legeretur in Antimoro, nunc velut repetit serio oblitus interim illorum versuum, quibus miro ingenio comminiscitur, qua arte nunc verisimile sit me tantæ mederi infamiæ, nempe hac, ut omnes libros qui jam excusi sunt usquam, curem undique reportatos ad me, atque ita repurgatos pòst emittam denuò. Et tamen hoc ipsum ita veretur Brixius, ne videlicet emissis in omnes undique terras plus quingentis Legatis, omnia exemplaria recipiam, ut minetur se facturum, uti apud se atque aliquot etiam alios (quod nisi emissis in id vicissim legatis difficile opinor fuerit) corrupta exemplaria extent, quæ meos errores (quorum nunc id me admonet ut tollantur clanculum, ne quis posthac possit exprobrare) sic omnibus essent exhibitura, ut nec Oceani fluctus omnes sordes mihi possint abluere. Ejusdem vel memoriæ vel constantiæ etiam illud est, quòd cùm in ista epistola ad te neget Antimorum suam dentatam esse, ut in qua mordeat sine dente: tamen in hendecasyllabis (quos ita bellè concinnat, ut in unum versum interdum syllabas intrudat tredecim) ait suos elegos se meo cruore oblinere. Et planè quemadmodum non minus ridiculè Poëtas imitatur, quàm hominem simia, nec minus ineptè dissimulat, quàm aut mugil, aut cuniculus, qui simulatque caput in glebam condiderit, totum corpus satis occultatum putat: ita nullus lupus unquam fuit deteriore memoria, nulla pluma, nullus ventus magis constanter inconstans. Jam quod ait, se tuo consilio fuisse pariturum, nisi liber jam tum fuisset in manibus Typographi: demiror admodum, quum tantam vim obtineat apud illum vel solus nutus Erasmicus, tam leve pondus habuisse monitoriam epistolam, ut potius suam famam pergeret infamare tam furioso libello, præsertim siticulosus gloriæ, quàm perderet pauxilum pecuniæ, homo cui (ut ipsius verbis utar) non victus aut vestitus modò, sed famulitium quoque atque equitatus insuper, & crumena denique semper ære gravis abundet, cui domus sint & hortuli, in quos Apollo ac Musæ omnes (nisi Brixius pessulum obdat hostio) cupiant relicto Parnasso prorsus immigrare. Et tamen miror, si tibi fuisset pariturus, qui re adhuc integra, toties admonitus, neque Budæo, neque Baraldo, neque Lascari, neque Deloino parére voluit, neque reverendissimo Cardinali qui nuper obiit in Gallia. Cæterùm ut bonitatis fuisse judicat quòd Antimori dehortareris editionem, ita nisi probaris editam, planè jam te censet injustum: qui aliud jus illi nunc dicas in me, aliud in Fabrum olim statueris tibi. Nec dubito quin sibi videatur acutus admodum Brixius, & peritus judiciorum, qui te tam gravi stringat præjudicio, ut ni videri velis injustus, adversus eum pronuntiare non possis. Ego, mi Erasme (quod sicuti apud omnes profiteor, sic apud neminem libentius profiteor quàm apud te, cujus animum hac sanè parte comperi penitus conspirare cum meo) Jacobum Fabrum sic observo, suspicio, veneror, quomodo virum debeo, quo non aliquot antè sæculis extitit quisquam literis ac virtute venerabilior: qui an plus adnisus sit, ut præter sacrarum literarum studium, in quibus illustrandis utiliter est versatus, scholas aliquando ab inepta ista garrulitate atque absurdis argutiis ad sobriam ac severam Philosophiam atque ad neglectas jamdiu disciplinas traduceret, ambigo. Quæ res adeò in confesso est, ut ii quoque perquàm honorificis calculis illi attestentur in summa, qui ab eo longissimè in uno atque altero interdum dicto dissentiunt; nec alia re provocati tamen, quàm quòd Faber quædam, ut videtur multis, quæ dicta ac disputata moderatius offendissent neminem, nimis aliquanto fortiter asseveret, ac majore quàm par sit contentione definiat: ita bonos viros plerumque longius pius quidam fervor abducit. Verùm quam nihil habeat simile tua defensio cum istac absurdissima querela Brixii, nemini potest esse dubium, nisi cui res prorsus erit ignota. Quamobrem consilium non est, hunc explicare locum, & causam cum causa, libellos cum libellis conferre, quasi non aliter patére possit, neque in initio quicquam, neque in toto rei progressu, Brixii vesaniam cum tuo facto congruere: ne vel rem carissimam facere controversam puter, vel sopitum atque obrutum ignem importunè videar suis eruisse cineribus, vel Fabrum, quem toto colo pectore, aliquà cogar offendere, vel tuum judicium apud quem nunc causam dico, tentare credar, & favorem conciliare blanditiis. Hoc unum certè (nisi quòd ludere se posuit pro furere) alioqui dicit non omnino falsum, te videlicet cominus pugnasse quum ipse rem egerit eminus. Nam ut tu rem non gladio quidem, ut ait Brixius, (qui te videtur gladiatorem fingere) sed acu prorsus attigisti, ita ille deliriis tantum velitatus eminus, & ejaculatus convicia, quæ vel anus ebria effutire potuisset in quemlibet, & quæ in ipsum commodè competebant plurima: ad rem inquam profectò quivit accedere, aut si fors attinget aliquando breviter, tum quemadmodum solet in duriore solo infirmis viribus emissum telum, protinus aut prætervolavit, aut excidit. Itaque eminus sic commissa pugna hactenus planè profecit, ut ediderit specimen, posse quidem sagittam sese non incommodè prorsus emittere, si quis tantum quem in locum ejus sagitta ceciderit, eò scopum semper officiosè transferat? & bellè posse jurgari, si quem nactus esset in quem illa competerent, quæ ipse ex inexhausto probrorum

suorum

suorum puteo posset haurire: quibus quando deest in quem hæreant, quid aliud interim quàm ipse perfundit sese? Verùm aliquando tandem velut tuis literis permotus incipit esse placatior, ac si mihi videatur posteaquam uterque in proscenium prodiit, ut ait, personatus (sic enim prodire solebant pugnaturi) ac suas pro virili partes egisse visus est: ego videlicet epigrammatis aliquot, Brixius integris voluminibus: ego provocantis, ille respondentis (nam hoc ne quis alioqui non credat, accuratè repetit) non recusat tandem quo minus dextris invicem junctis Erasmo patre patrato (qui mos olim fuit peculiaris histrionibus) feriamus fœdus, præsertim cum tu me sentias illius amore dignissimum. Cæterùm ne pax tam facile impetrata fieret aliquanto contemptior, aut mihi inde surgerent cristæ, ita rem temperavit, nusquam suæ majestatis immemor, ut si tragœdiæ ipsius exitum spectare malim, nihil item moretur, quo minus ea ad postremum usque actum deducatur: utpote cui mea hypocrisis non sit tam admirabilis, ut illum à proscenio deterreat, nec vires item usque adeò formidabiles, ut si manus conferre voluerim, detrectare debeat, modò meis, non ut Patroclus Achillis, armis concertaturus in palæstram descendam, & ante conflictum insonet tuba: ut miris artibus istam conflictatiunculam (qua fermè duntaxat ipse pugnat secum) exornet Brixius, atque ἀποσεμνύνει. Nam velut histriones nos committit, comicos, tragicos, palæstritas, bellatores: & mirum est quanto cum artificio hæc inter se tam diversa commisceat, quàm concinnè pugnantibus aptat personas, mimis scenicis arma, & adhibito patre patrato inter imperatores histriones feriat fœdera, ut dimicantes producit in proscenium, bellatores in palæstram: denique scita ἐπιμονῇ tam bellè persistit in Metaphora, ut in tribus fere versibus conficiat nobis comico-tragico-polemon. Quod ad hoc fœdus attinet, Erasme charissime, noli laborare: neque enim tam ingens instat rei literariæ periculum, si congrediantur hinc Morus homuncio perpusillus, hinc generosa illa palma, palma non aliter una Brixius, ut Erasmo sit opus patre patrato qui faciat pacem: nisi literarum Proceres similiter affectos reddat hujus duelli cura, quomodo apud Homerum sollicitos habet superos Giganteo bello formidabilior illa βατραχομυομαχία. Nam quòd me scribis esse illius amore dignissimum, tuam bonitatem agnosco, qui undique studes paci. Verùm ego, mi Erasme, me tam dignor honore ut inter amicos satrapis tam potentis adnumerer, cujus nunc utcunque respondi Antimoro, non sat fortasse reverenter pro tanta viri dignatione: sed pro re certè, ut censent alii, nimis aliquanto modestè: tu verò, mi Erasme, quid sentias, cupio scire. Nam quòd tam properè curavi excudenda quæ scripsi, quæ tutius fortasse fuerat per otium polire, præsertim objicienda tam oculato æmulo, ut & ibi cernat mendum, ubi mendum non est: malui ei ossa multa relinquere, in quibus exerceat dentes, fatiget, aut frangat denique, quàm mihi diu talibus nugis occupare pectus. Et profectò non fuissem tam insanum libellum responso dignaturus ullo, ni mihi visum esset amicorum quorundam obsecundare consiliis, suadentium, ut me tuerer adversus hominis absurdissimas calumnias. Quæ res una mihi scopus fuit non commutare convicia, ac paria vicissim in illum spargere: alioqui si statuissem non respiciendum potius quid me deceret dicere, quàm quid illum conveniebat audire, quantumvis magnificè meum contemnat stylum Brixius, tanquam imbellem, enervem, nihilque masculum, effecissem saltem ut intelligeret quàm verus sit ille Nasonis versus,

In causa facili cuivis licet esse disertum.

Nunc verò quum ille non in ingenium tantum ac mores meos debacchatus sit, verum etiam in perniciem meam, quoad ejus fieri potuit, sit grassatus, in literis verò nihil intactum reliquerit, quod non arroserit: ego contrà nihil illius attigi præter illa ipsa volumina, quibus aut ipse petor, aut patria. In universum verò quid præstare possit, neque pronuntio, neque excutio. Scio enim, quam leve pondus habiturum sit de illo judicium meum, quod tamen etiamnum magis benignum est in illum, quàm sit multorum quos ille minus offendit. Verùm enimverò neminem adhuc audio tam candido calculo suffragantem Brixio, ut non idem sentiat, nihil hactenus ab eo prodiisse tam magnificum, quod respondere possit hominis jactabundi gloriolis, dum nunc jactat, idem esse Poëticen sibi, quod πεδίον ἵππῳ, hoc est, equo suum campum: nunc se gloriatur cum antiquitate certare, nunc ipsam clavam vi eripere Herculi, dum fulmen denique satis impudenter sese minitatur efflaturum. Has hominis glorias alii quoties cum ejus conferunt poëmatiis ingenium, censent non insanum tantum, sed etiam insanabile. Ego verò quanquam Brixius in me tam atrocem non modò judicem, sed & augurem quoque præbeat sese, ut non solum quicquid hactenus unquam scripsi, damnet, verum etiam pronuntiet nihil posthac scripturum quod possit esse dignum lectu: tamen mitius aliquando de illo sentio, conjecturam potissimùm cùm ex Chordigera faciens, tum ex Antimoro quam in me scripsit iratus, quando vel hoc ipsum mihi spem adhuc aliquam facit, austeram illam indolem posse aliquando mitescere, quòd cum tam inepta scribat nunc id ætatis habens, hominem esse video, non tam præcocis ingenii, quin adhuc durare possit ac maturescere alioqui. Planè si sentirem, ad statum jam ac robur pervenisse, atque, ut Græci vocant, ἀκμὴν, aliud expectare non possem, quàm ut cujus Ver lethargus est, Æstas ira tam impotens, ejus Autumnus sit omnino furor. Jam quòd meam hypocrisin negat esse tam admirabilem, ut eum è proscenio deterreat, fateor certè nil nec habere me, nec præ me ferre quod absterreat

quenquam: neque negare poſſum, quin hypocriſis Brixii tantum terroris invehat ſecum, ut non modò me homuncionem pavidulum, & quem facilè terruerit perſonæ pallentis imago, ſed ſpectatores omnes prorſus è theatro poſſit ſpectris expavefactos abigere: ſi modò veri ſint ii verſus Brixii, quos in Antimorum μωρίχου μωρότερος inſeruit:

Hæc mihi dictanti aſtabant diræ auribus omnes
Et Furiæ, infernis concita turba vadis,
Alecto, & ſacris caput irretita colubris
Tiſiphone, & terrens ore Megæra truci.

Quòd ſi perſonas iſtas plus ſatis tragicas deponat Brixius, certè reliqua hominis hypocriſis non habet quicquam tam admirabile, ut velut Meduſæ caput quemquam reddat attonitum: neque vires ejus experior tam formidoloſas, ut aut Patroclo aut Therſitæ certè, præſidium petendum ſit ab Achillis armis adverſus Hectorem talem. Sin Brixio penitus decretum eſt, factitias illas Furias verum furorem ſuum proferre in proſcenium ſecum, ſi certum eſt illi totis intonare tonitribus, ſi fulmen illud terrificum vibrare ſtatuit, quod ſibi ab ore jactat cadere quoties ſecum videlicet offenſus gravius dignas Jove concipit iras: hiſtrionicam ſuam ſolus per me licebit exerceat, ago adverſus tam ominoſa ſpectra ſilentio memet velut amuleto luſtrabo. Exiſtet tamen fortaſſis Hercules aliquis ἀλεξίκακος, qui ſuetus ejuſmodi portenta ſubigere, clavam quam ei Brixius vi eripuit, viciſſim eripiat Brixio, ferula nimirum armatus aut flagro. Nam adverſus τὴν τοῦ Βριξίου βροντὴν non dubitavit vel στρεψιάδης ἀνταποπαρδεῖν. Porrò fluminis præſtigium bellè compeſcat Cacus, talium terriculamentorum peritus artifex: qui ſi minus calleret artem, tamen quibus armis utendum Caco fuerat adverſus tale fulmen, ipſius Caci nomen admoneret. Etenim potius quàm fulminis afflatu miſeri mortales perierint, in os illud patulum triſulco hiulcans fulmine, non tantum me ire fas eſt. Spero mi Eraſme fore, ut te in Regum conventu ſimus viſuri Caleti, qui venturus haud dubiè ſis utrique Regum gratiſſimus: alioqui fuerit impudens, ſi nos amiculi tui vel exigamus vel expectemus ut noſtra cauſa ſubeas laborem tanti itineris, quorum potius officium fuerit ad te venire: id, quòd ni te illuc Regum cura pertraxerit, à Principe impetrata in dies aliquot venia faciemus. Tu interea mi Eraſme vale, ac nihilominus quàm ſoles amicus Brixio, Morum ſimul qua ſoles charitate complectere: cui tu tam charus es, ut nec ipſe ſibi ſit charior. Lupſetus noſter magno auditorio ſumma cum laude ſua, nec minore Scholaſticorum fruge bonas literas in utraque lingua profitetur Oxoniæ. Succeſſit enim Joanni Clementi meo: nam is ſe totum addixit rei Medicæ, nemini aliquando ceſſurus, niſi hominem (quod abominor) hominibus inviderint Parcæ. Iterum vale: ac meo nomine Dorpio, Neſeno, Viveti, viris in re literaria primariis, ſalutem plurimam nuntia.

III.

THOMAS MORUS ERASMO ROTERODAMO SUO S. D.

POSTEA quam à nobis digreſſus es, Eraſme cariſſime, ter omnino literas abs te recepi. Si toties dicam reſcripſiſſe, fidem fortaſſe mihi non es habiturus, etiamſi ſanctiſſimè mentiar: præſertim cum ipſe me tam probè noſcas, & ad ſcribendas epiſtolas pigrum, neque tam ſuperſtitioſè veracem, ut mendaciolum uſquequaque velut parricidium abominer. Paceus noſter iſthic legatione fungitur, quanquam non prorſus iſthic: ita enim abeſt à nobis, ut tamen non adſit tibi. Per literas enim nobiſcum ei licet loqui, præſentem verò nec tecum; Utinam re bene geſta brevi redeat domum, ut dimidia ſaltem mei pars mecum vivat. Nam te quando liceat expectare non video, cui animus eſt Italiam petere, ubi in eos incides, qui vereor ut te patiantur avelli. Ego interim videor mihi dimidio carere, dum abeſt ille: altero dimidio, dum tu. Spero propediem fore ut illi egregia aliqua dignaque illo viro fortuna contingat. Ita planè ſentio, & Regis animum, & Cardinalis voluntatem, & bonorum prorſus omnium ſtudia, in eum ornandum evehendumque propendere. De te verò niſi me mea ſpes tam ſæpe fruſtraretur, etiam multo majora ſperarem. Quanquam nunc quoque bene ſperare quid vetat? Neque enim quia parum proceſſit hactenus, ideo futuri quoque ſpes adempta eſt: imò nunc maxime confido. Neque eadem perpetuò cuiquam eſt fortuna, neque diutius poteſt eſſe maligna tibi, cui Pontifex, Reges, Epiſcopi, omnes propè mortales, quaquaverſus orbis patet Chriſtianus, impendio favent ac demirantur. Apud nos quo in te animo ſint Epiſcopi, & ſeorſum Cantuarienſis, tum Princeps ipſe quo te favore complectitur, ſupervacaneum foret commemorare. At quòd hactenus nullum in te beneficium aut te dignum, aut tam magno tantorum amore virorum provenerit: partim tute, qui neglexeris ea quæ ambiunt alii, partim neſcio quæ fortuna fuit in cauſa: veluti nunc quoque accidit de illo Canonicatu, quem vocant, Tornacenſi: quem dominus Montiojus obtinuerat tibi, videris nunc ab eo non abhorrere. Scribis enim, omnia te miſiſſe inſtrumenta Montiojo, quæ ad eum tibi conferendum viderentur idonea. At ego, ſi meminiſti, cum eſſes mecum Brugis, ea de re ſermonem habui tecum, in quo tu enumeratis omnibus ejus beneficii commodis & incomodis item, alieno eſſe animo videbare: nec id celaſti Sampſonem, qui ſe Tornaci gerit Eboracenſis epiſcopi vicarium.

In quam sententiam non hoc te solum impellebat, quòd verebare ne non esset tibi perpetuus, nisi alterius etiam Episcopi consensus accessisset, à quo non expectabas, ut illius factum haberet ratum, cujus omnia facta conatur infringere: sed illud quoque quòd præterquàm quòd propemodum decem libræ nostrates illicò tibi in primo erant ingressu numerandæ, domus præterea ducentis nobilibus, aut pluris etiam redimenda: ea est ibi consuetudo, cui nisi parueris, vix sex nobiles annuos consequeris, at nec illos quidem, quantum accepi, nisi ibi perpetuò degas. His tu rationibus adductus, mihi ac Sampsoni videbare illum Canonicatum non admissurus. Paulo postea quàm tu à me discesseras, ego Tornacum concessi: ibi à domino Montiojo atque item à Sampsone audivi, Archiepiscopum Eboracensem utrique eorum scripsisse, ut id beneficium donaretur alii, cui (ut videbatur) fuerat pollicitus, quum ignoraret tibi fuisse destinatum. Hoc ego quum audivi, dissimulato quod intellexi, beneficium animo non admodum respondere tuo, suasi ut rescriberent tibi esse concessum: remque in eo esse statu, ut mutari non posset, nisi tibi de meliore fortuna prius esset provisum. Rescripsit Eboracensis, eum locum haud quaquam fore idoneum tibi, quòd & præsenti parum esset locuples, & nihil adferret absenti, se sponsorem acciperent melioris tibi conferendi: ita quum ego aderam, nec me certè dissuadente, decreverant illud beneficium ei donare, cui volebat Episcopus. Quid sit factum postea, nescio. Verùm hoc scio, nisi illud habes, Cardinalem & pinguius tibi debere, & brevi spero persoluturum. Amicissimam sæpe de te mentionem injicit. Pensionem tuam non erat opus ut ego ab Episcopo exigerem: ipse enim ex semet memor, priusquàm meas accepisset literas, egerat de ea re cum Maruffo, cujus ad hæc (ut scis) negotia opera semper utitur, interim etiam pecunia, quoad collata ratione, statis temporibus, paria inter se faciat. Verùm protinus habitis literis meis (nam versabatur Otfordiæ) iterum hominem extimulat per epistolam, ut viginti libras nostrates celeriter ad te transmitteret, pollicitus eas Maruffo redditurum se: ubi primum ex tuo chirographo cognovisset eas ad te esse perlatas. Conveni Maruffum; ipse ait se scripturum tibi, ut chirographum properes ad se mittere, quo te testeris accepisse pecuniam, quo ad Episcopum delato, nummos ea velut occasione sibi numeratos, tum demum ad te curaret perferendos. Ego quum hæc audirem, veritus sum aliquid subesse periculi, ne si pecunia jam tum non solveretur ei, ea mora vicissim derivaretur in te. Ergo non est in quam hac simulatione opus: aut pecuniam illicò mitte, Episcopi nomine ac fide: aut si nisi prius receptum graveris impendere, efficiam protinus, ut in manu habeas: Imò, inquit ille, nihil est quod metuas. Nam sic agam, ut Erasmo statim hæc pecunia adsit; quin jam nunc quoque adest. Nam habet à me chirographum, quo possit ubi volet ducatos mille conficere: è quibus quicquid acceperit, debet hoc mihi, sic enim inter nos convenit, ex hac pensione resolvi. Hæc ille dicit. Ego vix credo, nisi collata prius in ejus mensam pecunia, ullas eum literas tibi pro conficienda pecunia tradidisse. Quare si res secus habet, quàm dicit, effice maturè, ut intelligam. Archiepiscopus Cantuariensis officio Cancellarii, cujus onus jã aliquot, ut scis, annos, mirum quàm laborabat excutere, tandem exolutus est; ac desideratum jam diu secretum nactus, gratissimo inter literas otio, ac negotiorum bene ab se gestorum recordatione perfruitur. Princeps ei Cardinalem suffecit Eboracensem, qui ita se gerit, ut spem quoque omnium, quanquam pro reliquis ejus virtutibus maximam, longè tamen exuperet, & (quod est difficilimum) etiam post optimum decessorem, valde probetur ac placeat. Nostra legatio (quoniam hæc quoque tibi curæ est, ut mea omnia) satis feliciter processit, nisi quòd longiore tractu, quàm aut speravi, aut volui, res protelata est. Etenim quum domo discedens, vix bimestrem absentiam expectaverim, ultra sex menses in ea legatione contrivi. Verùm longam tandem moram exitus satis gratus est insequutus. Ergo ubi negotium, quamobrem ipse veneram, ad finem vidi perductum, & alia tamen rursus ex aliis nasci, quæ longioris moræ viderentur initia (neque enim unquam inter principes desunt) datis ad Cardinalem literis, redeundi veniam impetravi mihi: usus ad eam rem, cùm cæterorum amicorum opera, tum præcipuè Pacei, neque enim adhuc abierat. Sed dum redeo, Gravelinii subitò occurri, idque tam properè festinanti, ut vix ei liceret, dum nos mutuò salutaremus, subsistere. Tonstallus jam nuperrimè reversus, dies vix decem hic moratus, nec ullo tamen eorum pro suo arbitrio suaviter acto, sed omni eo tempore anxiè atque odiosè consumpto, in earum expositione rerum, quas legatus in mandatis habuerat: ecce rursus eodem subitò nova legatione retruditur, idque certè scio, si negare liceret, invitissimus. Mihi nunquam admodum Legati munus arrisit. Neque videtur perinde nobis laicis quàm sacerdotibus convenire nobis, qui primum uxores ac liberos, aut domi non habetis, aut ubique reperitis. Nos sicubi paululum absumus, conjugum protinus ac sobolis desiderio revocamur. Deinde sacerdos quum emittitur, totam familiam potest ubi velit circumducere, & regiis interim expensis pascere, quos domi pasturus erat suis. At mihi absenti, duplex alenda familia: altera domi, altera peregrè. Commeatus mihi satis benignè dabatur à Rege, pro eorum numero, quos eduxi mecum: verùm eorum, quos interim necesse fuit domi relinquere, nulla est habita ratio: à quibus ego (quanquam scis, quàm clemens maritus, quàm indulgens pater, quàm mitis dominus) tamen ne tantulum quidem quivi impetrare, ut mea causa tantisper

tisper quoad domum redirem, jejuni persistent. Postremò sacerdotibus laborum atq; impensarum gratiam autoramentis ecclesiasticis proclive est principibus sine ullo sumptu suo rependere. Nobis neque tam lautè, neque tam facile prospicitur: quanquam mihi revertenti pensio annua ab Rege decreta est, eaque planè, seu quis honorem spectet, seu fructum, neutiquam contemnenda: quam ego tamen hactenus recusavi, videorque mihi perpetuò recusaturus: quòd ea suscepta, præsens hæc mea in urbe conditio, quam ego etiam meliori antepono, aut mihi foret relinquenda, aut, quod minimè vellem, cum aliqua civium offensione retinenda: quibus si qua cum principe, quod nonnunquam accidit, oriretur de privilegiis quæstio, minus me sincerum ac sibi fidum ducerent, tanquam annuis principi mercedibus obstrictum. Cæterùm in illa mea legatione, quædam me impendio delectarunt. Primum tam longum ac tam perpetuum Tonstalli contubernium, quo ut nemo est omnibus bonis literis instructior, nemo vita moribusque severior, ita nemo est usquam in convictu jucundior. Deinde quòd cum Buslidiano mihi intercessit amicitia, qui me & pro egregia fortuna sua magnificè, & pro animi bonitate comiter recepit. Domum tam singulari artificio exultam, tam eximia supellectile instructam ostendit: ad hæc tot vetustatis monumenta, quorum me scis esse percupidum: Postremò tam egregiè refertam Bibliothecam, & ipsius pectus quavis etiam Bibliotheca refertius, ut me planè obstupefecerit. Eum audio jam nunc ad principem nostrum legatione functurum. Sed in tota peregrinatione mea nihil mihi contigit optatius, quàm Petri Ægidii Antverpiensis hospitis tui consuetudo, hominis tam docti, faceti, modesti, ac verè amici, ut peream nisi ejus unius convictum libenter mihi velim bona mearum fortunarum parte redimere. Is ad me misit Apologiam tuam, & commentarios item in psalmum illum, *Beatus vir*, quot tu beato Rhenano, vel tanto ac tam perpetuo amici monumento verè beato, dedicasti. Dorpius epistolam suam imprimendam curavit, & Apologiæ tuæ præponendam. Illum optaveram, si qua incidisset occasio, convenire. Id quando non licuit, per epistolam saltem salutavi, imò per epistolium quoddam Laconicum, nam longiori non suppetebat tempus: at insalutatum præterire non potui hominem, qui mihi mirum in modum, cùm ob eximiam eruditionem, tum multis etiam aliis nominibus placet, nec ideo in postremis, quòd taxata Moria, scribendæ tibi Apologiæ præbuit occasionem. Gaudeo Hieronymum, ac Novum Testamentum tam bene procedere: mirum est quanto undique desiderio expectantur ab omnibus. Linacer, mihi crede Erasme, de te & optimè sentit, & ubique loquitur: id quod ego nuper ab his accepi, qui ei amantissimè atque effusissimè apud Regem in Cœna de te loquenti affuere: quo in sermone Rex ea vicissim respondit, ut hi qui mihi retulerunt opinionem planè conceperint fore, ut brevi aliquid egregiæ in te fortunæ conferatur: quod ego superos precor ut ratum esse velint. Vale Erasme carissime, & Rhenanum ac Lystrium meo nomine saluta, quos ego & tua prædicatione, & ipsorum scriptis, & cariores habeo, & penitius etiam notos, quàm multos ex his quibuscum versor quotidie. Uxor mea te salutat, & item Clemens, qui literis & Latinis & Græcis ita proficit indies, ut non exiguam de eo spem concipiam, futurum eum aliquando & patriæ & literis ornamento. Iterum vale, atque his unis literis in multos menses esto contentus: quibus avaros sum imitatus, qui quòd raro quenquam invitant, si quando ad cœnam vocant, prolixissimè convivium instruunt, ut una cœna quotidianum sumptum invitandi effugiant. Jam tertiò vale. Episcopus Dunelmensis inscriptionem Senecæ gratissimam habuit. Vide quàm te libenter imiter, qui tibi nunc itidem ut tu nuper mihi aliena manu scribo, tam certus imitator, ut ne hoc quidem meapte manu fuerim ascripturus, nisi ut certum tibi facerem literas has meas esse.



IV.

THOMAS MORUS PETRO ÆGIDIO *suo.*

MI Charissime Petre salve. Miserè cupio, ecquid tu convalescas intelligere, quæ res non minori mihi curæ est, quàm quidvis mei: Itaque & inquiro diligenter, & omnes omnium voces excipio sollicitus. Aliquot mihi meliores de te spes renuntiarunt, seu (quod opto) compertas, sive ut desideriis meis inserviant. Scripsi literas Erasmo nostro, eas tibi apertas mitto, signabis ipse. Nihil opus est quod illi scribitur clausum ad te venire. Versiculos, quos in tabellam tam inscitè feci, quàm illa scitè depicta est, ad te perscripsi. Tu si digna videbuntur, Erasmo imperti, alioqui Vulcano dedas. Vale sexto Octobris.

Versus in tabulam duplicem, in qua Erasmus ac Petrus Ægidius simul erant expressi per egregium artificem Quintinum, sic ut apud Erasmum exordientem paraphrasin in epistolam ad Romanos, picti libri titulos præferrent suos, & Petrus epistolam teneret. Mori manu inscriptam ipsi, quam & ipsam pictor effinxerat.

TABELLA LOQUITUR.

Quanti olim fuerant Pollux & Castor amici,
Erasmum tantos Ægidiumque fero:
Morus ab his dolet esse loco, conjunctus amore
Tam propè quàm quisquam vix queat esse sibi.
Sic desiderio est consultum absentis, ut horum
Reddat amans animum littera, corpus ego.

IPSE

IPSE LOQUOR MORUS.

Tu quoque aspicis, agnitos opinor
Ex vultu tibi, si prius vel unquam
Visos: sin minus, indicabit alterum
Ipsi litera scripta, nomen alter:
Ne sis nescius, ecce scribit ipse;
Quanquam is qui fiet, ut taceret ipse,
Inscripti poterant docere libri;
Toto qui celebres leguntur orbe.
Quintine ô veteris novator artis,
Magno non minor artifex Apelle,
Mirè composito potens colore
Vitam adfingere mortuis figuris:
Heu cur effigies labore tanto
Factas tam bene, talium virorum,
Quales prisca tulere secla raros,
Quales tempora nostra rariores,
Quales haud scio post futura an ullos,
Te juvit fragili indidisse ligno,
Dandas materiæ fideliori,
Quæ servare datas queat perennes.
O si sic, poteras tuæque famæ &
Votis consuluisse posterorum.
Nam si secula, quæ sequentur, ullum
Servabunt studium artium bonarum,
Nec Mars horridus obteret Minervam,
Quanti hanc posteritas emat tabellam?

MI PETRE, cùm omnia mirificè Quintinus noster expressit, tum mirificum inprimis falsarium videtur præstare posse: nam ita inscriptionem literarum ad te mearum imitatus est, ut ne ipse quidem iterum possem itidem. Quare nisi aut ille in suum aliquem usum, aut tu in tuum eam servas epistolam, remitte rogo ad me, duplicabit miraculum apposita cum tabella: sin aut periit, aut nobis usui erit, ego experiar meæ manus imitatorem ipse rursus imitari. Valè cum lepidissima conjuge.

V.

THOMAS MORUS ERASMO suo

S. P. D.

HODIE literas abs te accepi, simul ad Coletum atque Roffensem unà cum libello. Curabo quàm primùm ut perferantur, ne libellus amittat gratiam novitatis. Quum epistolam legerem, mirabar cur non ad Cantuariensem quoque scripsisses, ut rem tuam ipse tractares apud eum, apud quem profectò, ni fallor, nemo alius tantum potest. Quanquam si per me malis, & efficacius putas à præsente rem agi posse, quàm per epistolam, libentius id faciam quàm jusseris: sed non erit perficiendi facultas tam citò, quàm ego tuam rem vellem fieri. Nam hoc solenne est apud nos, à legatione redeuntem, rectà Regem petere, nec obiter ad quenquam divertere. Ad hoc negotia nostra tam lentè procedunt, ut verear ne sit diutius hic morandum, quàm aut speravi, aut è re sit mea: nisi fortè nihil videbitur hic spei, quare sit manendum. Interim tamen si tu voles, res agi potest per literas: nec dubito quin velis. Sic agam ergo, ut deponatur hujus anni pensio apud Maruffum, & syngrapha mittatur ad te. Sed de redimenda pensione mihi certè non videtur agendum: cùm quòd nemo est qui debeat redimere, nisi is qui, ut ego audio, nihil habet unde possit: tum quòd vereor, ne Archiepiscopus sic interpretetur, tanquam à nobis animum prorsus abjeceris. Quam ob rem de redemptione rursus cogita: si decreveris, ego non deero. Interim ipse de solutione tractabo: nec mihi videris facturus malè, si tuas etiam literas addideris, id quod fortassis expectat. Gaudeo Paraphrasin sub prælo esse. Invideo mediusfidius Lovanio, cui tantum contigit beneficium, quantum, ut video, vix agnoscit. Sed is de quo scribis, aut ego fallor, aut nunquam mutabitur. Tonstallus planè sentit, te nimium bonum esse, qui ei toties deceptus pergas credere. Pacæus adhuc non redit, neque scire possum, quando sit rediturus: sed neque comminisci queo, quid habeat negotii. Certè quantum inquirendo comperire possum, jam diu nihil est, neque cum Imperatore, neque cum Helvetiis: nec tamen licet remigrare domum, quum plus, opinor quàm annum jam Constantiæ desederit. Miror ab illo non redditum tibi librum. Scribam ad eum hac de re diligentissimè: neque enim quicquam est quod malim perfici, vel literarum causâ vel mea. Vale mi carissime Erasme. Gaudeo versiculos meos in tabellam tibi placuisse. Tonstallus hendecasyllabos plus satis laudavit, hexastichon moderatè. Sed id fraterculus quidam ausus est etiam reprehendere, quòd vos Castori & Polluci conferebam, quos dicebat potius comparari debuisse Theseo ac Pirithoo, aut Pyladi & Oresti, qui quod vos estis, invicem erant amici non fratres. Ego fraterculum ne vera quidem dicentem potui ferre, resequutus hominis bonam operam malo Epigrammate;

Duos amicos versibus paucis modò,
Magnos volens ostendere,
Tantos amicos dixeram, quanti olim erant
Castorque Polluxque invicem.
Fratres amicis, ait, ineptè comparas,
Ineptiens fraterculus.
Quidni, inquam? an alteri esse quisquam amicior,
Quàm frater est fratri, potest?
Irrisit ille inscitiam tantam meam,
Qui rem tam apertam nesciam.
Est ampla nobis, inquit, ac frequens domus;
Plus quàm ducentis fratribus:
Sed ex ducentis, pereo, si reperis duos
Fratres amicos invicem.

Jam iterum vale. Claeti V. Novembris, raptim, valde festinante tabellario, urgente opinor illum auriga.

VI.
THOMAS MORUS ERASMO ROTERODAMO
S. D.

DILATUS ac procrastinatus Palgravi nostri quotidie iturientis discessus effecit, ut & meas literas, & aliorum serius multo quàm aut ego volebam, aut tu debebas, acciperes. Videbatur enim commodissimè relaturus ad te meas, qui tuas ad me attulisset: sic necesse fuit, prioribus præsentes addere, quibus constare tibi dilationis ratio possit, simul uti quid nunc agatur apud nos, intelligas: qui si unquam aliàs, nunc maximè in mœrore & periculo versamur, multis undique morientibus, omnibus fere, qui Oxoniæ, qui Cantabrigiæ, qui Londini sunt, intra paucos dies decumbentibus, amissis plurimis, optimis, atque honestissimis amicis: atque in his (quod tibi quoque dolori esse doleo) Andrea nostro Ammonio, in quo & literæ, & omnes boni magnam fecere jacturam. Is valde sibi videbatur adversus contagionem victus moderatione munitus: qua factum putavit, ut quum in nullum pæne incideret, cujus non tota familia laboraverat, neminem adhuc è suis id malum attigerit, id quod & mihi, & multis præterea jactavit, non admodum multis horis antequam extinctus est: nam hoc sudore nemo nisi primo die perit. Ego, uxorque, ac liberi adhuc intacti, reliqua familia tota revaluit. Hoc tibi affirmo, minus periculi in acie, quàm in urbe esse. Nunc ut audio, sævire Caleti incipit, quum nos eò extrudimur, legatione functuri, tanquam parum sit, in contagione vixisse, nisi sequamur etiam. Sed quid facias? quod sors feret, ferendum est. Ego animum mihi in omnem eventum composui. Tu vale. Raptim Londini, XIX. die Augusti, M.D.XX.



VII.
THOMAS MORUS ERASMO ROTERODAMO
S. D.


ACcepi, mi Erasme, literas ab Ventfordo, quas per eundem tabellarium protinus ad te transmitto: ex quibus hominem facilè deprehendes antiquum adhuc morem obtinere. Non petam ut ignoscas, quòd tuas aperui: vides enim ut scriptæ tibi, sic mihi inscriptæ sunt, nec dubito quin eodem errore ad me contra scriptæ sint, quæ sunt inscriptæ tibi, quarum tam avidus eram, ut resignare non libuerit. Si quid in his videris, quod me putabis velle scire, (quod ego certè non puto) significa. Opinor ad te perlatas, quibus te certiorem facio de recepta tabula, de qua rursus, ac millies mi Erasme rursus, tibi ago gratias. De Petro tuo postquam ivit in Angliam, nihil audio. Utinam tuum verè dignum Rege munus, aliquid tibi ab Rege conciliet boni. Feliciter tibi cedat, quod injunxit αὐτοκράτωρ: nam ipsi succedit nihil, imò per Deum omnia. Tuum consilium probo, qui non vis principum negotiosis nugis implicari: & me planè amas, quum iisdem optas ut extricer, in quibus haud credas quàm invitus versor: neque potest quicquam esse odiosius, quàm hæc est legatio. Nam & relegatus sum in oppidulum maritimum, & solo & cœlo injucundum: tum domi qui meapte natura vehementer ab litibus abhorream, etiam cum lucrum adferunt, quantum necesse est hic adferunt tædium, quum veniant comitante damno. Sed Dominus benignè pollicetur omnia repensurum Regem. Cum recepero, faciam tu scias. Interim vale, tu fortassis ultrò non optas. Eduardo Leo multam ex me salutem dicito, & Palgravo nostro, si rediit. Iterum vale. Caleti, XXV. die Octobris, M.D.XX.



VIII.
THOMAS MORUS ERASMO
S. D.

DE puero, cujus causam commendasti mihi, jam antè cum patre ejus egeram quàm tu scripsisti. Rogarat enim pridem me per literas puer ipse, quòd sibi persuaserat apud illum meam sententiam momenti aliquid ac ponderis habituram. Tractavi rem diligenter; quid profecerim haud satis certò scio. Respondit mihi pater ejus non omnino duriter, & tamen (ut novi hominem ad rem attentum) opinor respondisse tam commodè, magis pudore quodam adversandi mihi, quàm quòd ex animi sui sententia loqueretur. Summa erat, de filio se usurum consilio meo: sed interim non obscurè significabat, eum se nummatum malle quàm literatum. At puerum ipsum sic animatum video, ut non rem paternam tantum, sed ipsum etiam patrem, citius relicturus sit quàm se divelli patiatur à literis, nimirum dignus cujus indolem talem foveant omnes, atque omni ope promoveant. Lovaniensem illum Scholasticum ita collocavi, ut non dubitem quin tibi perpetuò sit habiturus gratias. Eruditio ejus perplacet hero, qui quum audivisset eum mihi commendatum abs te, rogavit ultrò uti juvenem ipsi permitterem: qua in re ego non gravatim illi sum gratificatus, utpote quòd alioqui destinaveram petere. Nam apud me pluribus ministris non vacabat locus. Is dum primis illis diebus esset apud me, ostendit mihi opera quædam Ludovici Vivis, quibus neque magis elegans neque magis eruditum quicquam jam diu vidi. Quotum enim quemque reperias, imò adeò quem unum fermè reperias usquam, qui tam virente ætate (nam tu eum virente etiamnum ætate scribis esse) tam absolutum cyclopædias orbem absolverit: pudet me profectò mi Erasme mei, meique similium, qui uno aut

aut altero libellulo, eoque ferè inepto, venditamus nos, quum Vivè respicio tam juvenem, tam multa, tam excussa, tam diserti sermonis, tam abstrusæ lectionis edidisse. Magna res est linguarum alterutra pollere: ille se probat utraque peritissimum. Majus quiddam ac fructuosius præclaris imbutum esse disciplinis: at quis uno Vive se ostendit aut pluribus instructum, aut melioribus? Multo verò maximum est sic bonas artes imbibisse discendo, ut in alios easdem possis rursus docendo transfundere. At quis illo docet apertius, dulcius, efficacius? Non possum satis admirari virtutes illas quas in declamationibus ejus tu & acutè perspexisti, & expressisti luculenter; potissimum verò (quod in declamando potissimum est) non modò illorum historias temporum tam exprompta memoria complecti, quàm non quivis suarum rerum meminit, verum hominum tot olim seculis functorum fato affectus tam præsentes induisse, ut non è libris hausisse quæ declamat, sed vidisse, sensisse, in parte fuisse rerum vel prosperè vel secus cadentium videatur, consilia denique non ex aliena conditione languidulè, sed ferventer admodum ex suo ipse metu, spe, periculo, felicitatem metiri. Quòd si in alterutra tantum parte præstaret, esset tamen admiratione dignum. Nunc verò talem se præbet in utraque, ut chamæleonta putes, verso solo simul mutasse colorem. Utinam expergiscantur Erasme, atque ad istud Vivis exemplar componant sese quidam qui nimium ambitiosè volunt haberi pro disertis, idque eo magis titulo quòd alia omnia contemnant, quàm quòd vel assequantur vel ritè consequantur eloquentiam, utpote qui ne per somnium quidem concipiant ullam Rhetorices imaginem. Hi quum cæteras artes negligant, quonam studiorum nomine cohonestari postulant? Oratorem profectò vel Rhetorem nemo jure vocabit eum, qui neque veras agat causas, neque declamet fictas. Quin Poëta perquàm tenuis fuerit atque exanguis, cujus poëma nullis Philosophiæ monitis, nullis Rhetorum præceptis, nullis disserendi exercitamentis formetur. Vives quum in Rhetorica talem se præstiterit, qualem haud fermè jam quisquam qui nihil profitetur aliud, tamen cæterarum artium omnium quæ quidem dignæ sunt scitu, nullam reliquit, in qua non ita versatus est, ut in ea sola ætatem omnem contrivisse censeas. Itaque ut nihil est illius quod non mirum in modum delectet omnes, ita me profectò quæ scripsit in pseudodialecticos peculiari quadam voluptate perfundunt. Non ideo tantum (quanquam ideo quoque quòd illas ineptas argutias lepidis cavillis eludit, validis argumentis oppugnat, inevitabili ratione à fundamentis eruit atque subvertit, sed & præterea quòd ibi video quædam iisdem ferè tractata rationibus, quas & ipse mecum olim quum nihil adhuc Vivis legissem collegeram. Quæ mihi nunc non eo nomine placent in libello Vivis, quòd meæ rationes ante arriserint mihi, (solet enim placere, si quid afferre alios videmus quod nobis ante in mentem venerat) sed quòd mihi plaudo, quando quod ante suspectum habueram, ne parum aptè diceretur, nunc confirmor haud inscitum esse, postquam Vivi quoque video placuisse. Jam illud me capit ac delectat maximè, quòd quum videam idem argumentum utrique nostrûm animum & cogitationem occupasse, tum sic utrique tractatum, ut quanquam & fusius ab illo & elegantius, tamen in nonnullis non tantum res afferamus; sed propemodum eadem etiam verba, sic mihi libenter blandior, quasi cognati quippiam sideris animos inter sese nostros occulta quapiam vi & conspiratione conciliet. Hoc illi gratulor quòd tantum habet locum apud Cardinalem suum. Spero fore ut illius numinis favor iniquitatem fortunæ corrigat, quæ solet in eos esse pessima quicunque merentur optima, & tanquam literis ac virtutibus invidens, indoctos ferè atque improbos beneficiis suis evehere. Verùm Cardinalis (cui beandi quemvis tam facilis ferè quàm ipsi fortunæ facultas est) homini tali, quem inter penitissimos adscivit, cui tantum eruditionis eximiæ (qua nunc haud paulo clarius quam ipso dignitatis fulgore splendet) acceptum fert, non insigniter esse beneficus, neque pro insigni sua bonitate volet, neque sine insigni apud posteros quoque traductione potest. Vale mi Erasme carissime, quem ego spero fore ut Caleti propediem præsens præsentem in hoc regum congressu complectar. Hodie appellit Imperator. Cras summo mane Rex in occursum prodibit, imò fortassis hac ipsa nocte que jam nunc appetit. Non credas quantò gaudio non dico Regis ac Procerum, sed populi quoque sit acceptus nuntius per quem constabat Imperatorem huc appellere. Iterum vale è Cantuaria, pridie Pentecostes. Quiddam est, mi Erasme, de quo si mihi notus esset Vives, admonerem illum. Nunc quoniam haud certus sum quo animo acciperet ab ignoto tam importunum officium, ipse potes per occasionem submonere: esse in ædibus legum atque item in ejus somnio (quod alioqui multorum superat pervigilatas vigilias) abstrusiora quædam quàm ut pateant nisi doctissimis, quum fuerit in rem literariam utile, illius omnia quàm plurimis intelligi. Ei rei vel explicando, vel adjectis in margine brevissimis scholiis, facilè mederi fuerit. Addet item plurimum lucis declamationibus, si brevibus historiæ summam complexus vel una pagella præponat. Iterum vale. Anno M.D.XIX.



IX.

THOMAS MORUS ERASMO SUO S.D.

TAmetsi mihi nunquam fuit obscurum, Erasme omnium dulcissime, quanto intervallo judicium tuum antecellat

meum: nunquam tamen illustrius inclaruit, quàm in hoc consilio, quo tibi Leoq; suasimus, ut libellus ejus perpetuò premeretur: te censen te contrà, ut tum potius edere sineretur, dum expectabatur assiduè, ut aliquando posset ea finiri fabula, quam sopita fama paulisper, pòst exiret tamen, nova suscitata tragœdia. Itaque perpulimus verius, quàm persuasimus, ut in ea pacta concederes, quæ quum tu te neges infregisse, Leo sanctè se servasse dejerat, interim tamen perpetuò ferè rumpebantur: per utrum verò, quando res me tam procul agente gerebatur, altero in alterum congerente regerenteque vicissim omnia, certò dijudicare non possum: dolere tantum cogor, illud consilium tantum apud utrumque valuisse, ut pax iniretur, quod valiturum non erat, ut servaretur. Maluissem enim tum libellum editum quum minus irritatis animis poterat edi mitius, quàm ut nunc demum adauctis odiis emitteretur acerbior. Prodiit enim, sed amarior aliquanto quàm vel sperassem vel in rem fuisset studiosorum, in quibus desideratur ea modestia, quam vel idiotas invicem non præbere pudesceret. At tibi certè mi Erasme convenit, si causas quas allegat, habuit, non mirari, si armarulentius affectum suum tam insigniter offensus effuderit: sin elusus est aliqua figura veri, sic quoque convenit ignoscere. Neque enim nos quicquam segnius credita movent quàm cognita. Non es vel admonendus, opinor, vel hortandus, ut exhibeatur abs te verè Christiana modestia, cujus labor in tota re uni desudat Christo, qui tibi solus ob oculos debet obversari: à quo solidiorem tanto referes gratiam, quanto magis hic referre mundus neque ingratus curat, neque gratus potest. In cujus immensa commoda, quum tot incommoda perpessus sis, quum tot laboribus valetudinem detriveris, ut bona promoveres studia, tamen apud invidos, eosque tibi propemodum uni debentes, quicquid habent literarum, si quid habent bonarum, mala pro bonis referas, eo similior es Christo, quem non aliter possis imitari fidelius, quam si maledicta re talies benedictis, sicut incitasti benefactis. Vale Erasme animo meo charissime.

X.

THOMAS MORUS ERASMO, VIRO OPTIMO ATQUE DOCTISSIMO, *S. D.*

ANTIMORUS, mi Erasme, Brixii jam diu Londini fuerat, priusquam tuæ ad me literæ pervenirent. Mirabar aliquantulum, quam rem tam valde velles, cur de ea tam serò scriberes: nisi aut Antimorus fortè serius aliquanto pervenit isthuc: aut ideo fuisti segnior, quòd donec accepisses me libellum parare contrà, putasti fore, ut ejus librum, utpote autori potius quàm mihi noxium, neque planè dignum cui responderetur, mea sponte contemnerem: id quod ego profectò, mi Erasme, fecissem, nisi amici quidam & doctissimi simul & prudentissimi suasissent aliter, quibus Brixius etsi magis irrisus est quàm invisus, tamen haudquaquam ita charus erat, quàm est, ut video, tibi. Nam ego jam fermè biennium, quum audivissem eum moliri talia, atque in animo haberem ad eum ipse scribere, idque quàm potuissem amantissimè: simulque ea consulere, quæ magis aliquanto in rem ipsius fecisse fuerat, quàm quæ nunc intemperanter fecit: intellexi interea nuntiis è Lutetia certissimis, adeò hominem in abruptum ferri suis affectibus, ut nullis amicorum suasibus potuerit cohiberi, non Beraldi, non Lascaris, non Budæi (vides qualium virorum) consiliis retrahi: non Deloini demum viri tanti, non reverendissimi Cardinalis, qui nuper illic obiit, autoritate commoveri. Sic intabescebat ulciscendi libine, & tanquam Narcissus amore quodam suorum ipse versuum deperibat miserè, quos tamen quotidie novos, velut è cunis exceptam sobolem, in mensam nunc Deloini, nunc Cardinalis circumferebat exosculans: nec semper inde lætus referebat domum, quum à viris doctis & gravibus audiret interdum talia, qualia si sapuisset ipse dixisset sibi. Quorum mihi multa cùm alii scripserunt illinc, tum Joannes quidam natione Græcus, homo Latina lingua juxtà doctus ac sua, probis moribus, & indubitatæ fidei, plurima retulit coram: quibus quum sentirem Brixium impotentius abripi, quàm ut attrectari pateretur, mutavi consilium, atque à scribendi voluntate destiti. Simul cogitabam, etsi hactenus indulgeret animo, ne penitus vellet tacere: tamen quoniam in eam rem tam multum studii, tam multum impendebat temporis, in quo non erat absimile veri, primùm illum animi calorem, ac velut impetum quendam, qui subitis rebus imponit, spacio & mora defervere, jocis eum lusurum ac salibus, à jurgiis verò, conviciis & calumniis omnino temperaturum sibi, ne meritò judicaretur importunè maledicus, si acerbius in pace læderet, quàm læsus esset in bello. Tum quoniam ante annos septem Chordigeram ejus legeram quæ tametsi multis & inventionis, œconomiæ, & sermonis vitiis abundabat, præ se ferebat tamen specimen ejus ingenii, quod annis posset (quos nunc accessisse videbam) aliquando maturescere: sperabam eum doctum aliquid atque excussum editurum, quod me quoque in quem edebatur, oblectaret, quem jocus aliquanto liberior non admodum solet offendere. At ubi prodiit præclarus iste Brixii partus Antimorus, Morycho planè moroteros, veneno quovis virulentior, & indoctior ipsa Chordigera, nihil aliud quàm, ut par erat, irrisi, illud interea mecum ὑποτονθοείζων, χρυσὸν ζητῶν εὗρον ἄνθρακας. Et herclè quemadmodum Ætnæ carbones exusserunt Empedoclem, ita carbones isti similem captantem gloriam ustularunt Brixium, ac reddiderunt carbone quovis atriorem:

rem: eoque nec omnino quicquam respondere statueram. Verùm aliis aliter visum est, quorum ego judiciis in meis rebus magis fidebam quàm meo. Hi quanquam faterentur, neminem esse literatum usquam, cui non factura sint nauseam, tam insulsa, tam virulenta deliria: calumnias ejus censebant, etsi perabsurdas atque ineptas, ad hæc nec obscuras, si quis attendat satis proram puppimque negotii, non fore tamen satis liquidas multis, qui fortasse legerent ejus Antimorum, quum neque Chordigeræ, neque meorum Epigrammatum facultas futura sit. Suaserunt igitur, ut hæc omnia in unum librum cogerem, & lectoris pariter subjicerem oculis: tum ut meo scripto negotium non nihil illustrarem, sic ut legenti nihil requiratur amplius, nisi judicium suum. Vides Erasme carissime, quid nos ad rescribendum compulit. Quamobrem non necesse habeo tuis respondere rationibus: quando nisi aliò me perpulissent alii, fuerim ipse tibi semper ὁμόψηφος. At quòd tibi video persuasisse Brixium, negligentia tantum tabellarii tui contigisse quo minus effeceris, ut ille perpetuò presserit Antimorum suum, vehementer mi Erasme demiror, id sic acceptum tanquam probatum tibi. Quidni credam, inquis, quando Beraldum atque Budæum, utrumque tam spectatæ fidei, testes producat in judicium? Producit Erasme, non nego, fidei tantæ viros duos, ut utriuslibet fides in quantavis re facere fidem possit. Quid obstat, inquis, ergo quin quod ait Brixius vicerit? Hoc unum, mi Erasme, quòd quum duos testes producat, utrumque producit auritum, oculatum verò neutrum, quum plus in judiciis valeat oculatus testis unus, quàm auriti decem. Quid enim aliud possunt testari Beraldus ac Budæus, quàm sese ex ipso audivisse Brixio, Antimorum illo aut illo die fuisse sub prælo? Hoc enim significat Brixius, quum se dicit illis editionem Antimori indicasse aliquot antè diebus, quàm tuam legisset epistolam. Ergo tu Beraldo credes & Budæo, sed cui interim credent illi? an non ipsi Brixio? Videsne nunc Erasme speciosum istud testimonium? Quem ne ego heri vidi ad vos adferri vesperi, ut exiret denique in suffarcinatam Cantharam? Ut illud omittam interim, quòd nullos unquam testes potest producere, non antè sibi lectam epistolam tuam, quàm vidisset excusam, quum potuerit acceptam dissimulare, ut ista causa pòst apud te liceret uti integra. Præterea quum Antimorus ejus constet quaternionibus non plus octo, qui totidem diebus solent excudi, nec dimidium ex Brixii verbis colligitur peractum esse quum tuas literas legeret, in angustum sanè compingit illos aliquot dies, quibus ait se Beraldo & Budæo indicasse editionem. At cur, inquis, fingeret istud Brixius? Adeò tibi mirum videtur, si vel animi causa fingat homo poeticus? Quanquam suberat etiam causa, cur fingeret. Nam quum uterque frequenter admonuisset, ne tam ineptum libellum, ac muliebriter jurgiosum ederet, volebat fortassis experiri, an eodem animo accepturi forent quum fecisset, quo tam sæpe consuluissent, ne faceret. Accidit enim nonnunquam, ut quod ne fiat, obsistimus acriter, dum res est integra, id ubi in eum locum venit ut non possit corrigi, patiamur, & vitium, quoad licet, verbis integamus. At ego, mi Erasme, quo verè videre possis, quantò verius Morus tibi paratus sit obtemperare, quàm Brixius, quanquam quum tuæ ad me venirent literæ, liber non quidem sub prælo esset, sed totus esset excusus: atque id docere possim non duobus auritis testibus qui ex me audierint, sed oculatis plus quàm decem, qui suis viderint oculis: imò testibus opinor oculis ipsius tuis, utpote ad quem librum ante hanc epistolam pervenisse non dubitem: quanquam ad ejus editionem totà amicorum consiliis urgerer; tamen ubi tuas literas accepissem, cujus unius apud me sententia omnibus omnium calculis præponderat, non sum imitatus Brixium: cui quum sit, ut scribit, crumena semper ære gravis, tamen tanti fecit monitionem tuam, cujus, ut ait, nutus observat, ut non sustinuerit tantillum sumptus impendere, quo libellos illos universos coemeret, atque in ignem semel conjiceret, ut tantas ejus ineptias, nomen illud Brixii, cujus illustrandi desiderio nimis quàm miserè sitit, infamaturas omnium subduceret oculis. Ego verò, mi Erasme, præter eos duos quorum alterum jam ad te miseram, alterum ad Petrum Ægidium, atque alios quinque quos vendiderat Typographus (nam quum primum prostarent ac cœpissent avidè flagitari, tua commodum intervenit epistola) coemi universos, eosque clausos adservo, ut priusquam aliud innovetur ex me, possimus, imò possis potius ipse tecum statuere, quid à me velis fieri. Quamobrem tute nunc, mi Erasme, etiam atque etiam dispice, in ejus amici causa quid statuas, qui quicquid statues, obtemperare constituit. Nam quòd suades, ut quicquid in Brixium scripseram omittatur, quum Epigrammata mea denuò continget excudi, atque ut Antimorus Brixii vicissim non propagetur amplius: ego, mi Erasme, quod ad Brixium pertinet, multis mihi videor conjecturis colligere, magis tenerum ejus in suos versus animum, quàm ut abduci patiatur ab eo studio se, quo carissimæ fœturæ suæ quoad ejus fieri potest procuret æternitatem. Mea verò epigrammata nunquam admodũ animo placuerunt meo, id quod & ipse mihi Erasme conscius es: cui & quibusdam aliis nisi liber ille arrisisset amplius, quàm adblanditus est mihi, nusquam fortassis extaret hodie. Nunc vide ut rerum vices inversæ sunt. Si conditione cautum esset inter nos, ut ex epigrammatis meis tibi liceret quæcunque velles transfigere, modò ne jus in pauca quæpiam sit, quæ mihi liberet excipere, jam quos in versus solos tu ex pacto ferrum stringeres, eos ego solos exceptione defenderem. Adeò mihi cœperunt adblandiri, postquam eos video multis cõmendari virulenta atq; inepta versificatione

Brixii. Nec tamen istud dico quo minus tibi quidvis liceat in mea, cui quidvis etiam licet in me. Jam quod ais, eum esse Brixium, quem si pernossem intimius, eum sentirem talem, quo nemo sit amore meo dignior. Equidem, mi Erasme, non me pro tanto viro gero, ut tam tenui quenquam conditione videam, quem indignum censeam amore meo, modò ne sit improbus, qui non amari debeat à quoquam: eoque Brixium facile assentior non indignum esse, qui majorum sit amore virorum dignus quàm ipse sum. Nam omnino videtur aliquanto plus habere, non dico superbiæ, sed planè generosi cujusdam spiritus & magnificentiæ, quàm ut ad pusillam hanc atque humilem indolem meam possit usquequaque congruere, nisi in amicitia tam malè copulari vellem, quàm malè inæquales veniunt ad aratra juvenci. Nec tamen eam, mi Erasme, te consulente recusem, qui me vel ad parendum præstantioribus facilè possum componere. Certè quod ad eruditionem ejus attinet, studiosum esse credo, & non omnino stupidum, tum quem aliquando alium reddet usus. Cæterùm in his quæ edidit hactenus, ut verè dicam id quod etiam docere possum, neque solœcismis caret, neque numeris satisfecit, & ingenio frequenter magis labitur, quàm ut puero concedi possit. Et tamen qualis est, non tanti memet facio, ut me illi posse censeam eruditione conferri, quum tu, mi Erasme, vel amore cæcutiens, vel (quod verius certè puto) quadam erga me civilitate præferas. Et ut ingenuè dicam, adeò illum non odi, ut postquam animo nunc defecatiore sum factus, adamem etiam literarum gratia, vel tua. Verùm in causa quid fieri velis expende diligentius, priusquam imperes. Nam planè si non respondero, putabor multis hujus ineptissimæ rixæ præbuisse causam, & nihil quicquam provocatus, tamen probris, diris & execrationibus insectatus illum: quod non minus fuisset inhumanum, quàm nunc falsum esse docui, si tu librum patieris exire: in quo quod secundo loco mones, ut si omnino decretum sit emittere, curandum mihi sit, ut (quod hactenus me præstitisse dicis) eruditione tantum videar & causa Brixium, non etiam conviciis vincere. Ego, mi Erasme, ut eruditione contentus sim, si Brixio compar sim, ita causa non dubito quin longè sim superior, quantumvis suam Brixius asserat bonam, facilem, vincibilem, quod principium ex arte solet adhiberi ad defendendam noxam. Conviciis profectò facilè me vinci patiar, quo armorum genere nunquam pugnare statui. Et tamen fieri potest, ut quod mihi mea facit injuria nihil acerbum videri, idem alius cui non idem rei sensus est, judicet esse mordaculum: Quòd si fors acciderit uspiam, non adeò verebor æquitatem lectorum, quin & in me quoque, mi Erasme, quantumcunque gravem personam tuus nobis imponat amor, qui magna de me fingit omnia, tamen dum adhuc inter mortales versor, nondum planè relatus in divos, ut in re ridicula rideamus: non verebor, inquam, quin aliud & in me condonaturus sit humanus lector, humanis, quos hominum nemo prorsus excussit, affectibus. Vale mi Erasme charissime. Quum Caletum venerimus, quò Rex propediem adornabit iter, spero fore ut coram his de rebus commentemur plenius. Nam omnino in hoc Regum conventu te expecto, atque ita Brixium: nam & Regina Gallorum aderit, cui cum sit à secretis Brixius, non poterit opinor abesse. Ita quod ad me attinet, facilè rem compones ex sententia tua. Nam etsi nulla de causa sic egit in me, ut planè declaraverit nihil ad meam perniciem præter vires defuisse sibi: tamen quando tu, mi Erasme, plus es mihi quàm dimidium mei, plus apud me valebit in Brixio, quòd sit amicus tuus, quàm quod inimicus meus. Iterum vale. Grenvici, mense Majo, M.D.XX.

XI.

THOMAS MORUS ERASMO ROTERODAMO S.D.

Quam rem ad hunc usque diem à puero penè semper optavi, Desideri dulcissime, ut quod tibi perpetuò contigisse gaudeo, idem aliquando gauderem contigisse mihi, nempe ut publicarum rerum negotiis liberatus aliquid olim temporis vivere Deo duntaxat ac mihimet ipsi possem: id nunc tandem Erasme Dei optimi maximi benignitate ac Principis indulgentissimi beneficio consequutus sum. Cæterùm non ita tamen sum consequutus, ut volui. Fuerat enim in votis, ut ultimum illum vitæ colophonem, quicquid annorum fueram habiturus, infractum, vegetumque, morbo saltem & cruciatu liberum, (quoad per ætatem liceret) obtinerem. Nunc verò an ejus voti, nimium fortassis improbi, compos aliquando sim futurus, Deo in manu est. Sed interim pectus mihi occupavit nescio quid morbi: cujus non tam sensu & dolore crucior, quàm eventus metu ac timore solicitor. Nam quum aliquot menses eodem tenore semper infestaret, consulti Medici responderunt, moram longam in morbis esse periculosam, & curam hujus ajebant celerem esse non posse, tempore sensim, victu, pharmacis, quiete medicandum: neque finem medendi præfiniebant, neque salutem satis certam pollicebantur tamen. Hæc ego igitur mecum versans animo, quum aut deponendum mihi magistratum viderem, aut operam meam in eo gerendo claudicaturam, quando negotia quæ res poscebat obiri per me non possent, nisi mortem ipse obire periclitarer, qua si defungerer, vel sic omnino cum vita simul relinquendum fuit officium, decrevi mecum tandem altero potius quam utroque carere. Quamobrem ut & publicis rebus pariter & meæ saluti consulerem, à clarissimi Principis & optimi benignitate supplex impetravi, ut magistratu

isto,

isto, quo me (quod tute scis) regni totius amplissimo incredibilis ejus in me favor tam longè supra meritum quàm supra spem ac votum omne meum honoraverat, nunc sub ejus pondere fatiscentem dignaretur ejus pietas exonerare. Superos igitur universos precor, ut & istos indulgentissimos in me clarissimi Regis adfectus Deus, qui solus potest, digna rependet gratia: & mihi quicquid temporis reliquum daturus est, ne per iners atque ignavum transigatur otium, non eam modò mentem donet ut bonas horas bene collocare velim, sed eam etiam corporis addat firmitatem, qua possim. Nam (quæ mea socordia est) infirma valetudine nihil omnino possum. Neque enim, mi Erasme, omnes sumus Erasmi, ut quod mortalium omnium uni propemodum tibi propitius donavit Deus, id nos conveniat omnes expectare. Quis enim præter te alius id polliceri audeat, quod tu præstas? qui præter ætatis ingravescentis incommoda, sic assiduis afflictus morbis, ut fatigare atque obruere juvenem valentem queant; quotannis tamen totius temporis tui rationem, tanquam nihil inde neque anni graves neque adversa valetudo surriperet, editis libris optimis orbi toti nunquam cessas reddere. Quæ res una quum reputantibus universis miraculi vicem habeat, ad stuporem tamen usque miraculum geminat, quòd nihil te deterrent à scribendo (qui vel Herculeum pectus oppressuri viderentur) tot undique in te surgentes vitilitigatores tui: quales tibi multos indies exuscitat incomparabilis istius ingenii tui atque eruditionis, ingenium etiam tale superantis invidia: ad quas naturæ atque industriæ tuæ virtutes quum facile intelligant nunquam posse conscendere, & ferre tamen per animi tumorem, quo penè dirumpuntur, nequeant ut infrà tam longè subsidant, machinantur inter se nimirum ac pro sua quisque virili moliuntur, si quà possint efficere ut tua gloria ad ingloriam ipsorum vilitatem queat assidua detrectatione deduci. Sed dum saxum hoc Sisyphium jam tot annos volvunt, quid aliud interim tandem tam irritus quàm improbus labor effecit, quàm ut saxum semper in ipsorum caput recideret, tu semper altior & sublimior evaderes? Nam si quid interdum aliquos, qui neque mali sunt nec indocti, commoveat, in quo fortasse tractando aliter abs te temperatum stylo voluissent, quid magnæ rei est? quum id non modò nulli unquam scriptori non acciderit, sed nec ipsi quidem dum notarent tua, sic potuerint tamen temperare sibi, ut non idem vitii & illustrius quàm ut ex ipsorum honore sit, & frequentius quàm pro libelli cujusque modo contigerit. Qua in re tanto difficilius veniam merentur illi, quòd ignorare non possunt, quàm ingenuè fateris ipse quædam te tractasse sic, priusquam hæreses istæ pestilentis orirentur, quæ jam passim grassantes pessundant omnia, ut si divinare potuisses tales religionis hostes ac proditores aliquando prodituros esse, mitius ac dilutius eadem fueris propositurus: quæ ut tum proponeres fortius, diversa quorundam vitia, quæ pro virtutibus amplectebantur, extimulabant. Quem animum qui velit tibi vitio vertere, is haud dubiè sudabit satis, priusquam satis inveniat, qua ratione possit sanctissimum quemque ex antiquis Ecclesiæ Doctoribus excusare: quos ego certe non dubito, si nostrum hoc seculum sic vidissent, ut viderunt suum, nonnulla suis quemque temporibus fuisse & cautius & explanatius enarraturos: quod quia non fecerunt, propterea quòd dum præsentibus medebantur malis, futura non veniebant in mentem, idem nimirum illis accidit, quod isti nunc calumniantur in te: nempe ut postea succrescentes hæretici quædam sese jactant ab illorum scriptis hausisse quæ res tibi non cum sanctissimis solum patribus illis, & orthodoxæ fidei vetustissimis præsidibus, sed cum ipsis etiam Apostolis & Evangelistis est, atque ipso etiam Servatore nostro, communis: ut ex quorum verbis maximè, imò propemodum solis hæretici omnes dogmata sua falsissima conantur stabilire. Macte igitur, mi Erasme, virtutibus istis tuis, & tantum, si quid interdum boni cujusquam viri anxiam solicitudinem vel absque satis grandi causa commoveat, ne te pigeat tamen ad pios eorum affectus quædam attemperare: alioquin neglectis malevolorum latratibus, perge placidus juvandis studiis & promovendis virtutibus nihil remoratus insistere. De illo quem mihi literarum gratia non etiam religionis commendaveras, perquàm circumspecte sane ac civiliter, per amicos quosdam admonitus sum, ut caveam ne mihi sublinatur os: id profectò quoad fieri per me poterit, curabitur. Neque enim nescio quantum sit periculi, novas istas errorum sectas admittere, quæ tametsi sedulò semper hactenus apud nos & præsulum cura & Principis autoritate cohibeantur, mirum tamen quibus primùm technis irrepere, deinde quanta cum pervicacia nituntur irrumpere: neque cessant unus & alter è nostris, male vertendo Scripturas & deterius interpretando, omne genus hæreseos è Belgica (quo se velut in portum aliquem receperunt) in hoc regnum libris nostro sermone conscriptis mittere. Quorum ipsi sic plerisque respondimus, ut non valde cuiquam metuam, qui utrumque perlegerit: nisi quòd quidam & nova per levitatem, & perniciosa per malitiam ita libenter & cum favore perlegunt, ut non ideo assentiant, quia vera credant esse quæ legunt, sed quia cupiant. Sed isti hominum generi, quibus malos esse libido est, nulla unquam ratione satisfeceris. Mihi studio est pro mea virili iis præsidio esse, qui non sua sponte desciscunt à vero, sed versutorum hominum fallaciis abducuntur. Vale doctissime Erasme, ac de bonis studiis optimè merite.

Ex ædibus nostris Chelcheicis. Anno Domini M. D. XXXII. decimoquarto mensis Junii.

XII.

THOMAS MORUS ERASMO ROTERODAMO S.D.

Binas abs te literas accepi, alteras Friburgi datas VII. Februarii proximi, alteras hic Quirinus attulit, qui præter literas impertivit alia, quæ in regionibus istis acta digna cognitu sunt: quæ quòd me scire voluisti, magnas tibi gratias ago. De rebus tuis omnia potes è Quirino cognoscere, qui mihi videtur & probus esse, & diligens. Gaudeo tua causa, &, quoniam te amo, etiam mea, præsentem Cantuariæ præsulem non minorem erga te amorem præ se ferre, quàm præstitit olim Waramus, quo non alius vixit tui amantior: qui si visus est in fine ad dandum segnior, ipsa res indicat impares facultates non imparem animum fuisse in causa: nam mortuus est supra quàm quisquam credat pauper, nisi quòd non defuit unde dissolverentur debita: neque ita multum debuit, sed post impensa justa funeri, non admodum multum superfuit. Dunelmensem haud dubiè vehementer exhaurit hoc bellum, aut incursiones potius quæ sunt habitæ nobis cum Scotis: nam ejus ditio Scotis est contermina, tam procul à nobis, ut ego tam rarò ferè ab illo jam audiam quàm abs te. *Rumor hic erat N. hic fuisse cum Melanchthone unà servatum per nescio quos diu clanculum, post furtim discessisse: sed is rumor paulatim evanuit, & res reperta est falsissima.* Rex videtur adversus hæreticos acrior quàm Episcopi ipsi. Tyndalus hæreticus nostras, qui & nusquam & ubiq; exulat, *scripsit huc nuper, Melanchthonem esse apud regem Galliæ: semet collocutum cum eo, qui illum vidisset exceptum Parisiis, comitatu CL. equorum, addebat se timere Tyndalus, ne si Gallia per illum reciperet verbum Dei, confirmaretur in fide Eucharistiæ contra Vicleficam sectam.* Quàm solicitè tractant hoc negotium, tanquam illis delegasset Deus instituendum & rudimentis fidei imbuendum orbem. Quod in epistola priore scribis, dubitâsse te epistolam meam edere, quum tamen essent causæ cur editam cuperes, non est, mi Erasme, quod dubites. Locutulei quidam apud nos spargere cœperant, me quanquam dissimularem, invitum tamen esse magistratu abdicatum. At ego quum sepulchrum mihi faciendum curâssem, non dubitavi rem, ut erat, Epitaphio testari, ut contra si quis posset, redargueret. Hoc illi simul ut descripserant, quum velut vanum non possent, ut gloriosulum incessebant. Sed ego hoc malebam, quàm ut alterum illud persuaderi finerem: non mea certè causa, cui quid dicant homines, modò probet Deus, non multum pensi habeo: sed quoniam in fidei causa libellos aliquot adversus quosdam nostros contentiosorum dogmatum propugnatores lingua nostrate scripseram, arbitrabar oportere me integritatem nominis mei defendere. Et ne nescias quàm gloriosè scripserim, Epitaphium meum accipies: in quo videbis qua conscientiæ fiducia nihil illis blandior, quo minus de me prædicent quod libet. Expectavi jam Syndici tempus à gesto ac deposito magistratu, nec adhuc quisquam prodiit, qui de mea integritate quereretur. Aut tam innocens fui, aut tam cautus saltem, ut æmulis meis necesse sit, si me altero nolint, altero saltem sinant gloriari. Sed de hoc negotio Rex ipse quum aliàs, tum privatim sæpè, tum bis publicè pronuntiavit. Nam supra quàm meus pudor pati potest ut recenseam, per os ducis illustrissimi, ducis inquam Norfolchiæ, magni thesaurarii Angliæ, quum successor meus homo inprimis egregius collocaretur in loco, honorificè jussit de me testatum reddere, quòd ægrè ad preces meas me dimiserit: nec eo singularis erga me bonitas Regis contenta, revocari fecit idem denuò multo post in sua præsentia in solenni conventu magnatum ac populi, per os successoris mei, in oratione, quam ex more primam habuit in senatu, quem senatum (ut scis) nos Parleamentum vocamus. Igitur si tibi ita videbitur, nihil est quod dubites quo minus edas epistolam. Quod in Epitaphio profiteor hæreticis me fuisse molestum, hoc ambitiosè feci. Nam omnino sic illud hominū genus odi, ut illis ni resipiscant, tam invisus esse velim quam cui maximè, quippe quos indies magis ac magis experior talis, ut mundo ab illis vehementer metuam. Illi de quo scribis (obsequar tuo consilio) nihil omnino rescribam, quanquam longam epistolam jam diu paratam habeam: nec ob id contineo, quòd quicquam pensi habeam quid illi aut omnes ejus complices vel sentiant vel scribant de me, sed quod nolim onerare me necessitate rescribendi externis, quum cura propiore tangar respondendi domesticis. Tu mi Erasme feliciter diu vale felicissimè semper. E rure nostro Chelseico.

TABULA AFFIXA AD SEpulchrum Thomæ Mori.

Thomas Morus urbi Londinensi, familia non celebri sed honesta natus, in literis utcunque versatus, quum & causas aliquot annos juvenis egisset in foro, & in urbe sua pro Shyreno jus dixisset, ab invictissimo Rege Henrico Octavo (cui uni regum omnium gloria prius inaudita contigit, ut fidei defensor, qualem & gladio se & calamo verè præstitit, meritò vocaretur) adscitus in aulam est: delectusque in consilium, & creatus Eques, Proquæstor primum, post Cancellarius Lancastriæ, tandem Angliæ miro Principis favore factus est. Sed interim in publico regni senatu lectus est Orator populi: præterea Legatus Regis nonnunquam fuit, aliàs alibi: postremò verò Cameraci Comes & collega junctus principi legationis Cuthberto Tonstallo, tum Londinensi, mox Dunelmensi Episcopo, quo viro vix habet orbis hodie quic-

quicquam eruditius, prudentius, melius. Ibi inter summos orbis Christiani Monarchas rursus refecta fœdera, redditamque mundo diu desideratam pacem, & lætissimus vidit, & legatus interfuit:

Quam superi pacem firment, faxintque perennem.

In hoc officiorum vel honorum cursu quum ita versaretur, ut neque Princeps optimus operam ejus improbaret, neque nobilibus esset invisus, neque injucundus populo, furibus autem, homicidis, hæreticisque molestus; pater ejus tandem Joannes Morus Eques, & in eum judicum ordinem à principe cooptatus, qui regius consessus vocatur, homo civilis, suavis, innocens, mitis, misericors, æquus & integer, annis quidem gravis, sed corpore plus quàm pro ætate vivido, postquam eò productam sibi vitam vidit, ut filium videret Angliæ Cancellarium, satis in terra jam se moratum ratus libens emigravit in cœlum. At filius defuncto patre, cui quàm diu supererat comparatus, & juvenis vocari consueverat, & ipse quoque sibi videbatur, amissum jam patrem requirens, & editos ex se liberos quatuor, ac nepotes undecim respiciens, apud animum suum cœpit persenescere. Auxit hunc affectum animi subsecuta statim, velut appetentis senii signum, pectoris valetudo deterior. Itaque mortalium harum rerum satur, quam rem à puero penè semper optaverat, ut ultimos aliquot vitæ suæ annos obtineret liberos, quibus hujus vitæ negotiis paulatim se subducens, futuræ posset immortalitatem meditari, eam rem tandem (si cœptis annuat Deus) indulgentissimi Principis incomparabili beneficio resignatis honoribus impetravit: atque hoc sepulchrum sibi, quod mortis eum nunquam cessantis adrepere quotidie commonefaceret, translatis huc prioris uxoris ossibus, extruendum curavit. Quod ne superstes frustra sibi fecerit, neve ingruentem trepidus mortem horreat, sed desiderio Christi libens oppetat, mortemque ut sibi non omnino mortem sed januam vitæ felicioris inveniat, precibus eum piis, lector optime, spirantem precor defunctumque prosequere.



XIII.

THOMAS MORUS GERMANO BRIXIO S.

NOn adeo tenere mihimet, Brixi, faveo, ut quod nemini unquam contigit mortalium, id dedigner ac doleam non contigisse mihi. Quis enim ullo unquam seculo tam inoffense transegit vitam, ut ei nullus aliquando inimicus exoriretur, quum haberet amicos? Quamobrem, quando illud mihi video communi mortalitatis sorte negatum, ut penitus inimico caream; gaudeo saltem fortunæ beneficio, amicos mihi perquam egregios, inimicum vero contigisse talem, quem neque amicum quisquam velit, neque inimicum curet; ut qui neque juvare benevolens, neque nocere possit iratus. Et tamen mihi certe succenserem, si vel talis merito me odisses meo. Nunc vero eo æquiore animo fero, quod non dubito, quin omnibus inclarescat facile, ineptum istud ac plusquam muliebre jurgium, non aliunde quam ex animi tui morbo natum. Quin eo quoque minus mihi displicet hoc certamen, quod ut nihil inde boni potest accidere, ita, præter chartæ jacturam & temporis, quorum ego neutrum statui multum perdere, nihil alioqui queat alterutri nostrum magni evenire mali; quando tales uterque sumus, ut neque mihi quicquam tu nocere possis, neque tibi quisquam; quum sis ejusmodi, in quo nihil fieri detrimenti queat. Qua una fiducia te impulsum video, ut quaquaversus apud Literatos omnes (si qui tamen tam nugaces nugas dignabuntur legere) libello illo tam elegante, tam egregio indolis tuæ specimine, morumque tuorum tam gravi teste, temet ipse traduceres, ut qui ante satis docuisses, cujusmodi Poëta sis, nunc demum, edito in id libello, qualis etiam vir sies, ostenderes. Ostendisti vero tam insigniter, ac temet ita depinxisti graphice, ut ego tot tantaque in re probra spargere, quam quibus tute temet totum oblinis, neque si velim, queam, neque si queam, velim. Et tamen ut ejusmodi laudibus te gestire doces, ea videatur una atque unica via placandi propitiandique tui, si quis in te fædis velit probris debacchari. Verum ego non usque adeo tuam amicitiam ambio, ut non ea potius mihi dicta cupiam, quæ vel uni placeant bono atque honesto viro, quam quæ trecentis Brixiis: eoque præclaram illam ac divitem probrorum tuorum supellectilem, qua te sic ostentas ac jactitas, haud contrectabo, neque, quoad abstinere licebit, attingam: tantum, si quid in ea fuerit jucundioris insaniæ, quod qui perpenderit, ridere possit, odisse non debeat, eo non gravabor lectoris levare fastidium; quod necesse est multum subeat in legendis ejusmodi rixis, ac nihil unquam profuturis jurgiis. Cætera vero, quibus te conspurcas fædius, aut prorsus valere sinam, aut sicubi cogar attingere, sic attingam leviter, ut omnibus faciam perspicuum, non minus libenter me tua probra contegere, quam tute, Brixi, detegas, ac velut insigne præ te feras. Nam quæ vitio vertis mihi, tam insulsæ sunt calumniæ, ut non fuissem dignatus rescribere, si non hoc unum duntaxat diluere visum esset, quod tu tam frequenter inculcas, quam nunquam probas, hujus tui jurgii authorem esse me. At istud non dicere, Brixi, verum docere debueras. Quod si eam rem satis declarare videbantur Epigrammata mea, ea saltem abs te tuo libello conveniebat adscribi; ne vel illis videreris

dereris impudens, quibus meum carmen non esset in manibus. Et fecisses haud dubie, nisi sensisses è re non esse tua, meos versus legi. Qui si cominus conferantur tuis, etiamsi cui videantur alii, quod videntur tibi, tuorum scilicet splendorem carminum reverituri: hactenus tamen adversariorum luce fruerentur, ut res redderetur illustris, & ipsos magis objurgatos esse, quam victos, & tibi non satis commodam ansam nunc demum debacchandi rursus arreptam. Quæ res quo fiat dilucidior, quando te libenter oblivisci video, præclari istius duelli caput tibi redigam in memoriam. Sed ita redigam, ut potius omittam quædam quæ ad rem meam faciunt, quare ut ob causæ comodum attingam quicquam, quod absque gentis cujusquam contumelia tangi non possit.

Quum ergo tumultus esset olim Ludovico Regi vestro cum Romano Pontifice, ac Princeps noster invictus Henricus ejus nominis Octavus, ab illa sacrosancta sede rogatus, labantibus Ecclesiæ rebus ferre statuisset auxilium; naves aliquot emisit in mare, quæ classem perquam potentem, quam Luovicus adornarat, arcerent atque compescerent. Quæ quum sibi mutuo occurrissent, reliquis omnibus utrinque bona fortuna servatis, duæ tantum (quæ primo congressu protinus, injectis harpagonibus, ita sunt colligatæ, ut tabulatis igne correptis, dirimi non potuerint; triste belli præludium) perierunt. Hanc navalem pugnam, quum tu ita descripsisses versibus, non ut vera falsis involveres, sed ut rem ferme totam meris mendaciis fingeres, atque ex arbitrio tuo concinnares novam: quum Regis nostri pietatem nomine depravares invidiæ, Angliamque totam velut fœdifragam atque perjuram, maledictis falsis perquam petulanter incesseres: quum Herveum plusquam Herculeum mendaciis plusquam Poëticis in mare deduceres; quum nostras naves, quibus æquor instraveras, una tu invectus Chordigera, parva comitante caterva, fretus Herveo bellipotente disjiceres, ac veluti muscas quocunque tibi libebat abigeres, plerasque vero, fluctibus, homo crudelis, immergeres, quas paulo tamen postea Neptunus misericors incolumes remisit domum: quum Regentem nostram, lepusculi more fugientem, tu generosus canis insequereris Chordigera: quum Chordigeram, cui remigii nullus usus erat, validis remigum lacertis impelleres, ne tibi periret operosum illud hemistichium: *validis impulsa lacertis:* quum Hervei clamoso flatu proflares vela; quum navis adversæ ducem, virum magni nominis & loci, præterires tacitum; idque ex arte videlicet: quum Herveum ferme factitium caneres non fortiter modo, verum etiam prodigiose pugnantem: quum eum in Regentem, in qua nunquam pedem posuit, in medios hostes imperterritum intruderes: quum Regentem, occupatis ejus spiculis, horrenda edita strage, victam vinctamque traheres: quum è victa nave non satis observatus in victricem jaceres ardentis flammæ bolidem: (quæ res fuisset victis vinctisque difficilis) quum Herveum adhuc in Regente relictum memoria lapsus (quæ res mentientibus facile solet obrepere) subito velut bicorporem, in conflagrante Chordigera, mediis in flammis, faceres longis logis concionantem; non in aliud (opinor) mortem differens, quam ut interea te, videlicet alumnum Phœbi, suis aliquando fatis Vatem vaticinarentur futurum: quum Heroës universos in cinerem decoqueres, meritoque adeò decoqueres, qui maluerunt exuri quam in Regentem sese transferre, quam cœperant, quam victam vinctamque trahebant, *passisque ad sidera palmis:* quum Herveum describeres, suis superstitem sociis, jam jamque evolaturum ad Superos, (nimirum quicquid mortale gerebat excocto flammis, maximeque mortalium, perniciosis affectibus, cujusmodi sunt ira cumprimis & odium) tum demum ita purgatum, divi opinor Laurentii (ad cujus exemplar fortissimi viri pectus effinxeras) exemplo provocatum: captam navem fingeres, & tot egregia deditorum corpora, per invidiam atque vindictæ libidinem, nullo suo fructu concremantem secum: quum demum non homines tantum ac naves usque adeo devorares ignibus, ut ne Deus quispiam è machina (quod fieri solet in tragœdiis) unum saltem servarit incolumem, qui te rei, quam decantas, ordinem doceret, verum etiam flammis illis corriperes,

Sidera cum cœlo, cumque ipsis piscibus æquor: nec illud brevi hyperbole, sed pluribus versiculis accuratissime stolidis, pulchre videlicet æmulatus Ovidium, hoc etiam vincens, quod quum ille ab Solis equis absque rectore deerrantibus, orbis finxerit incendium, tu perquam scite scilicet, cœlum, terras, ac mare comburas à conflagrante navicula: quum sic victo Nasone ferox, Maronem quoque lacesseres, & quoniam is effinxerat demissam à Jove pluviam, quæ flagrantem Æneæ classem respergeret atque servaret, tu perditis jam atque consumptis incendio navibus, imbre è cœlo copiose deplueres, ne, velut aqua perennis è pumice scaturit, sic ignis ex aqua jugiter eructatus, flammas ejacularetur in cœlum: Hæc ita cum tractares, ipse casu tuum nactus librum, haud scio, an etiam tum excusum typis, quum tam immania portenta viderem, tam fœda, tam pudenda mendacia, fictiones tam absurdas, purpureos aliorum pannos hinc atque inde insutos illi tuo crassissimo bardocucullo, quibus ne locus non esset, habitum totum in eam compositum formam, quam non sani esse hominis non sanus juret Orestes, uno atque altero Epigrammate me significavi, in narratione tua fidem rerum, in poëmate desiderare consilium, tum plures abs te congestos, quam pro horrei tui modulo, alieni farris acervos. Eodem tempore epigramma luseram in nostratem quendam, qui ut parum tempestive, sic non admodum feliciter, affectabat

ctabat gallicitatem. Quo in epigrammate, si quid est mordacius, id in ridiculum recidit affectatorem, non in Gallos; de quibus, ut maxime torqueas epigramma, non aliud excuties dictum, quam quod heri sitis in ministros paulo duriusculi. Quod nec vos, opinor, admodum diffitemini, & ego sicut non insector in vobis, ita, quum sui cuique genti sint mores, in illo nostrate displicuit, quod apud nos, præter consuetudinem nostram, durius tractaret vestratem. Hæc ego quum illa tempestate scriberem, qua belli fremitu flagrabant omnia; etiamsi quid asperius mihi venisset in mentem, non credidissem certe, nec tam iniquum quemquam, nec ipsum te tam improbe faventem tibi, ut libris in nos debacchati, tamen exigereris à nobis, uti ne versiculo quidem vicissim tangeremini. Quamobrem si ego prior in te scripsi, provocasse convincar; sin tu prius in nos, quid habes quod isti tam inhonesto facto possis honeste prætexere, cum ipse librum epigrammate rependerim, tu rursus epigramma jocosum retaliaris, mirum quam virulento volumine? Ad hæc, cum ego statim illa mea, rebus nondum pacatis, luserim; tu nunc tot annis postea, in summa pace, arctissima necessitudine conjunctis Regibus, mira concordia conglutinatis populis, post sancitam sanctissimis utrinque ceremoniis saluberrimam * * * nunc exoriris denique, qui sopitas atque obliteratas simultates renoves, coalescentia divellas vulnera, & obductas cicatrices refrices, qui nobis in os ingeras fœdas nostrorum fugas, dispersas & obrutas classes, invidiam, fœdifraga, perjuria; quas res ipse fœde confingis. Atqui hæc abs te omnia videri vis concinne fieri, quod me strenuus videlicet nunc aggrederis, qui tecum sim olim aliquando luctatus. At cui non perspicuum est, quam ridicule sit facturus athleta, qui prodiens in palæstram, semelque universos provocans, quum forte sit dejectus à quopiam, tandem soluto cœtu, dimissoque ludo, aliquot post annis redeat denique, atque rebus animisque omnium immutatis, & in quidlibet potius quam ejusmodi certamina versis, inopinus assiliens, antagonistam, quocum olim luctatus est, derepente corripiat medium, provocatum etjamnum sese clamitans; quasi vel provocet qui provocanti respondeat, vel initum semel certamen duraret æternum? quam ridicule sit, inquam, ejusmodi facturus athleta, cui non est perspicuum, etiamsi fors congressu fuerit superior. Quod si sic insiliens, cum huc atque illuc verterit sese, brachiaque jactans ac tibias, alios ejectis pugnis, alios calcibus feriat, atque in his fortassis etiam prioris ludi agonothetas, denique ubi diu frustra sese torserit, quum prosternere non possit adversarium, ne frustra processisse videatur, in vultum conspuat, crapulaque ac sanie totum ebrio ejecta stomacho convomat, itaque gestiens, tanquam re præclare gesta discedat, egregium scilicet triumphum in ganeis ac popinis acturu; hiccine palæstrita coronandus? an dignus potius fuerit, cui talos aliquis & crura perfringat? Jam quis non videt, Brixi, quam tu sis huic athletæ similis? Quanquam hoc fortasse dissimilis, quod non athletico certamine, totam gentem nostram, sed hostilibus provocasti conviciis; nisi forte contendas, perjurium non esse habendum pro contumelia, quod simile est ac si disputes, asinum non habendum pro quadrupede. Qua in provocatione quum ego tecum uno atque altero telo, sed exarmato, non tam dimicarem quam luderem, (nam is videbare, quem non esset operæ pretium lædere) tamen nescio quo pacto (ut facile penetratur pustula) tanto cum dolore ictum recepisti, ut nunc demum tot elapsis annis, toties facta firmataque pace, tam multis modis constabilita concordia, tam necessaria junctis affinitate Principibus, (quæ res una debuit inter utriusque populos pristinas omnes simultates tollere) tu tamen, tanquam neque prior provocasses, & adhuc duraret bellum, in me repente rursus insurgas, & omnibus in amorem, amicitiam, societatem, ac jam quoq; hospitalitatem mutuam intentis, hostilibus armis invadas, & telis non acutis admodum, sed (quod amplius est quam inter homines non omnino barbaros ac sylvestres belli jura permiserint) impetas venenatis; non stupide minus quam improbe clamitans interim, te prodire provocatum, tanquam responsurus esses ad ea, quæ nos in te, dum tibi responderemus, injecimus: quæ certe fuerunt ejusmodi, ut ea respondendo non possis, quantumlibet sudatis, effugere. Quod quum verum esse sensisses, sic instituisti libellum tuum, ut tuam defensionem timide, ac velut obiter attingens, totus in me confodiendum convertereris; qua in re quum quicquid tibi virium fuerit, intenderis, quid aliud effecisti denique, quam ut effutitis infacetis facetiis, evomito furiali veneno, me tandem, quum non potuisti lædere, ne nihil egeris, perspuisti; atque ita demum discessisti victor ac triumphator egregius? Verum in me quam lepide dicax fueris, mox videbimus. Interea pensitemus isto tam operoso libello, in quo elaborando plures perdidisti dies, quam liber habet versiculos, quanto cum artificio quæ tibi sunt objecta dilueris. Ego igitur quum in te taxassem alia furto subrepta veteribus, alia perabsurde tractata, omnia deniq; sic abs te narrata, ut neque in rebus veritas esset, neque in verbis fides: ad primum sic respondes, tanquam ego sim criminatus, quod tui versiculi nimis redoleant antiquitatem: à quo ego crimine (ne quid excusando te torqueas) facile te absolvo. Nam quod idem crimen alibi rursus attingens obiter, rursus dissimulas objectum fur-

furtum, rursus velut objectam æmulationem defendis, ac non contentus si reprehensione careas, laudem etiam ab re tam illaudata vendices, quod ita videlicet veteres æmulatus sis, quod eorum assidue vestigiis inhæseris, quod Herculi denique clavam è manibus eripueris, non potui hercle sine risu legere è facto tam pudendo tam magnifice vendicatam gloriam. Nam quum omnia pessime sis imitatus, quum aliorum vel hemistichia, vel integros versus, uno interdum verbulo male commutato, interdum ne commutato quidem, passim usurpes pro tuis, hoc non est, opinor, æmulari, Brixi, sed contaminare, fædare, polluere; hoc non est Herculi clavam vi eripere, sed repositam furtu subripere: quanquam negare non possum, quin hoc sit veterum inhærere vestigiis. Verum enimvero, Brixi, nimis inhæres importune, quum sic inhæres vestigiis, ut, eorum decutias calceos, quibus tuos pedes haudquaquam æquales obvestias. Nec tibi satis patrocinii fuerit, si quid tale de se dixit Virgilius, quale tu de temet jactas: (neque enim cujusque est Corinthum petere) ille de se dixit, quod abunde præstitit; tu de te gloriaris in eo, quod præstare non sufficis, nisi simile putes esse pereuntes Enni versiculos Virgilii poëmatis æternum victuris inserere, & æternos Virgilii versus tuis infulcire pereuntibus: illum aliorum carmina interclusisse melioribus; te splendidissima quæque vetustiorum sordibus immiscuisse tuis: illum sic certare cum Græcis, ut ubique sese parem probet, plerumque etiam superet; te cum Latinis congressum non hoc agere, ut æmuleris aut certes, sed ut ex insidiis aliquid auferas, quod in tuam supellectilem conferas integrum, si clam fore furtum speres: alioqui, velut equi furtivi, caudam atque auriculas amputas, ut vel deformato possis uti potius quam careas. Qua in re adeo te industrium præbes ac plane frugi furem, ut frequenter ne vel hemistichio alieno contineas manum, si quod tibi videatur eximie bellum, mire absurda commenta, fictiones ineptissimas, quas locus aut res neque petit, neque patitur, à cœlo ad terras usque, sed quæ neque cœlum (quod ajunt) neque terram attingant, accersas. Quod si in explicanda pugna, si tempestate repræsentanda, vel si quid aliud erit ejusmodi, veterum quempiam proponas æmulandum tibi; sic illius verba pleraque, sic versus plerumque totos, in versus inculcas tuos, sic quicquid variaris, immutas in deterius, ut si quis partes conferat seorsum, hinc nihil illi similis, hinc ille ipse videaris. Sin utrinque simul contempletur totum; tum vero videri possit, ira quapiam Superorum, mira metamorphosi, pulcherrimus heros quispiam in ridiculum commutatus simium.

Ergo quum objecta tibi tua furta ratione tam elegante, nempe dissimulatione, diluisses, ad tam pudenda mendacia, (quibus Chordigera tua non aliter scatet quam cadaver vermibus) velut Ajacis clypeum aut Palladis ægida, poëtices opponis privilegium, quo videlicet historica lege tradendæ veritatis eximitur. At ego profecto, Brixi, ut poëticen augustam sane ac perquam liberam, divam, non adeo angustis limitibus obsepserim, quin ut verborum, ita rerum quoque fingendarum detur licentia, modo sumpta pudenter; ita plane non patiar, ut quidlibet impudenter ementiens, idemq; tractans absurde, totam rerum seriem, atque adeo summam invertat atque demutet. Quam si alioqui statueris omnibus prorsus Historiæ legibus tam absolute liberam, ut & debellasse cantitet, qui non conflixerint; & vicisse pronuntiet, qui victi sunt; hostesque fugasse, qui fugerint: jam non Didonis tantum miseranda fata (quæ tu pro fictis affers) irriserimus (quæ nescio an satis confutata, certe trahuntur in dubium non sat indubitata fidis autoribus) verum etiam falsa esse bella omnia, falsa fictaq; conjugia, aut Æneam certe à Turno, Turnum à Pallante superatum, omnia denique contra gesta, quam sunt à Marone tradita, crediderimus. De Virgilio videlicet accedentes tibi: de Homero vero Dioni homini tam infenso Poëticæ, ut totum Trojanum bellum contenderit, atque ipsam propemodum Trojam, figmentum esse Homericum: idq; obstinate contenderit, infinitis victus argumentis. Quod non alio consilio fecisse videtur, quam ut idipsum infensus ageret, quod agis nunc ipse propitius; hoc tantum diversus, quod quam rem ille studio conabatur, ut nemo Poëtas haberet in pretio, hoc tu procures imprudens, non faber fabro invidens, sed arti prorsus ipsi suam invidens gloriam, ipsique adeo tibi tuam, si quantus habere postulas, tantus vere vates esses, cui annon præcipuam gratiam decusseris, si nemo sua facta dignabitur poëticis versibus commendari memoriæ? Nemo certe dignabitur, qui mentem habeat, qui quidem habeat persuasum, habenda pro fictis omnia, quæcunque Poëta cecinerit: idque eo fatente ipso cecinit.

Cæterum hac in parte (ut vere tecum loquar ac libere) non unus es, qui res nobiscum gestas à vobis, si non fallo recenseas, (nam id dicere apud tam teneras aures religio est) at certe nimirum recenseas libere. Prodiit opusculum Pillei Turonensis satis canoris versibus. Nam reliqua libens prætereo, ne is quoque se provocatum clamitet; cujus in libello tamen quisquis adverterit, in re narranda quam passim utatur Brixiana poëtice, quam honoratis titulis nostram exornet Angliam, quam venerandis epithetis inclytas honestet Hispanias, is opinor certe judicabit, si quis Pilleum, aut Hispanus, aut Anglus, non tantum epigrammate remorderet, nihil habiturum causæ Pilleum, cur se queratur lacessitum esse, quum prior læserit. Quod si quis tam iniquus esset usquam, ut contra sentiat, non dubitassem, vel ipse eam subiisse calumniã, si liber olim mihi venisset in manus. Nunc vero non est consil. antiquatis amicitia nova simultatib. tumultuari de integro. Quã obrem omisso libro, titulũ tantum proponam; cum, ut ex ungue liceat æstimare leonem; tum ut si cui libeat legere, nomen habeat saltem, quo vestiget

vestiget librum. Is ita inscriptus est: *De Anglorum e Galliis fuga, & Hispanorum e Navarra expulsione.* Quis non vel absque cerebro divinet facilè, cujus farinæ reliquus siet liber, quum istiusmodi furfuris legat titulum, qui cum reliquo libro tam concinne concinit, quam ab historia tota discordat? Nam quis non rideat, quòd Anglos prælio jactat, è Galliis esse fugatos? Quos opinor satis constat (ut nihil ampliùs dicam) certè non fugatos è Galliis; quod si fugatos sentit ab Aquitanis, quomodo fugari poterat ab iis, cum quibus nec eo ventum est, ut liceret congredi? At istud multò adhuc magis insigniter est ridiculum, quod Hispanos buccinet Navarræ possessione depulsos, qui Navarram tum ingressi, perpetuo post possederint, hodieque possideant. Sed donentur ista Poëticæ, qua Pillei Musa, quod ad fictiones attinet, ita belle refert tuam, ut nusquam terrarum sit simia simiæ similior. Quin & is opinor hanc obtundet poëticen, per quem haud ita pridem Parisiis excusus est *fasciculus temporũ*, verè comburendus fasciculus; ut in quem congesta sunt ligna quædam, quæ nisi noster Princeps tam bene sibi conscius esset, ut se suaque facta non dubitet clariùs latiùsque testata, quàm ut sint obnoxia latratibus invidorum, potuissent aliquem fortassis ignem inter duos populos accendere. Nam ei libello cum alia quædam nuper indita sunt seditiosa mendacia, tum coronis adjecta multo seditiosissima; qua legitur Princeps vester jam abhinc biennio fuisse moturus adversus Turcas, nisi ei fuisset infidelitas Regis Angli suspecta. Quis hæc ferat, qui nôrit, neque de tali expeditione tum fuisse cogitatum vobis, neque quenquam aut minus fuisse suspectum Principi vestro quàm nostrũ; aut qui minus commiserit, quare suspectari debuerit? Jam quid illo scriptore vel dici vel fingi potuit impudentius, qui vestra lingua perscripserit, Jacobum Scotorũ Regem, interea dum Rex noster in armis esset in Gallia, Britanniam ingressum, rebus feliciter gestis, ingente cum gloria sese recepisse domum? Nec reveritus est scriptor improbus, totius orbis conscientiã, qua satis superque cognitum omnibus sciret esse mortalibus, fusos fugatosq; Scotos, ipsum Regem cum tota ferè nobilitate peremptum, corpusque ejus, quod moreretur Christianæ communitatis expers, insepultum jubente Pontifice tot annos adservatum.

Hæc atque alia quædam ejusmodi (quum huc subinde proficiscantur istinc, tamen postquam tam alta pax coaluit, maluimus conticescere, patique potius ingestas indies contumelias, quam cum aliqua animorũ offensione regerere; simul sperantes fore, ut Paulus Æmilius, tam sanctus & incorruptus enarrator historiæ, ut jurejurando putes obstrictum, tam elegans, ut nisi recentiora scriberet, videri possit haud infimus antiquorum, res utriusque populi (quas quidem inter se gessere) sincera fide sit aliquando traditurus posteris. At tuus liber quando mihi jam tum in ipso rerum tumultu fuit oblatus, haud quaquam existimavi majoribus victimis expiandũ piaculum, si librum eum, qui & tam acerbus esset & impudenter mendax, epigrammate saltem per ludum jocumque perstringerem. Et tu tamen, qui (ut es undiq; mire facetus) ludis in dominationem meam, nisi qui te attigerim, me vicissim tangi paterer, quum totam gentem meam & conviciis improbis & mendaciis impudentibus prior exagitâsses, tam indigne tulisti, vel joco contra tangi sacrosanctam majestatem tuam, ut annos aliquot in hoc unũ totus perdius ac pernox incubueris, ut aliquando posses accurato volumine cum epigrãmate plus quã extemporali confligere. Qua in re quum duo tibi proposueris, primum, ut tua defenderes, deinde ut invehereris in mea: alterum tam præclarè præstitisti, ut ex his quæ tibi objecta sunt, alia dissimularis, alia non intellexeris; illud verò quod magis erat, quam ut præterire, notius quam ut dissimulare, verius quam ut evitare potueris, tamen definitione declinâsti commode, ut quicquid ego te mentitum argueram, tu non mentitum quidem te, sed finxisse contenderes. Quamobrem quum hoc congressu sentiam tam acutum esse te, ut tenedia bipenni fictum à falso diffeces, hoc est, ita temet erroneo mendacio explices, ut implices ultroneo, haud amplius tibi molestus fuero, quin hac sane parte perviceris: modo hoc unũ inter nos conveniat, quod alioqui juratis evincam testibus, qui abs te exusti, adhuc supersunt tamen, tuasque fictiones arguunt atque derident; conveniat, inquam, excepto duntaxat hoc uno, quod unum poteras uno clausisse versiculo, nempe quod duæ naves incensæ sunt; cætera quæ volumẽ tuum tanto decantat hiatu, esse abs te ficta omnia. Nunc igitur à tuis castris ita rejectus, atque depulsus, impellor ad mea tutanda refugere. In quibus horreo, ne tam acrem hostem, tam indigne provocatum, tam capitaliter offensum, tam recente victoria ferocientem, ab suis usque munitionibus, à me tam ignaviter oppugnatis, ab illo defensis tam fortiter, ad mea usque castra me persequentem, quæ ego tam effusa fuga repetiverim, nequeam sustinere. Quod quo magis exhorream, machinæ illæ tuæ me commovent; quibus in me tam valide non ista torques minutula, quæ quum conjicerentur in te, ne declinare quidem ferme dignatus es, Veterum compilatos versus canoris nugis insertos; ingenii stuporem tenuibus verborum bracteis (per quas pellucet totus) obductũ, & (quam laudi quoque ducis tibi, modo vocetur fictio) mendacissimã petulantiam: sed barbarismos ac solœcismos, & non satis consistentes syllabas: res bone Deus, quam atroces, quam impias, quam (si cũ illis conferantur) inanes! Nam quæ re objectas: ista sunt, cæterum verbis & conviciis meris, stultum, insanum, furentem vocas; idque plus quam centies: sed ea convicia sunt Mopsopii sales tui, in hoc adhibiti, ut insulsum per se libellum tali condimento reddas insulsiorem. At syllabis illis & solœcis omnino me fortiter oppugnas ac stringis.

Sed est adhuc, Brixi, quiddam, quo me constringis durius: verum tu profectò præter æquum ac bonum durior; qui non oppugnasse contentus, postules præterea, quo me armorum genere defendam ipse præscribere, ita pro imperio jubes, ne quid ex iis, quæ tu impingis mihi, rejiciam in Frobenium. Qua in re vide quam sis incivilis, atq; adeo injustus etiam: qui quum scires opus impressum esse Basileæ, quum ipse morarer in Anglia, nec dubitare possis, quin eo tempore fuerim occupatior, quam ut mihi liceret è Londino Basileam quotidie bis transcurrere; quicquid errati tamen inveneris in opusculo, potius quam excusori quicquam imputes, omnia improperare malis authori. Enimverò si legem, quam in me tulisti, ferre debes & ipse, futurum non dubito, quin si quid tuorum posthac excudatur uspiam, ubi tibi non sit accessus ad impressorum prælum, satis in te nobis hujusmodi ministrabis telorum, qualia nunc in nos tanquam unoquoque plane transfixurus intorques. Cujus rei satis insigne documentum hic ipse quoque libellus exhibet, quo mihi tam ferociter aliena impingis errata, ut interdum etiam impingas tua, qui quum excuderetur adsistente te, & subinde raptas à prælo formas reformante, tamen absoluto volumine, si non aut tute librarii lapsus emendasses, aut alius quispiam tuos, futurum fuerat, ut errores neque pauciores neque minus ferendos tuus haberet liber, quam quibus nunc insulse sic insultas in meo. Quanquam ne nunc quidem ita repurgasti tuum, quin hinc atque inde nævos aliquot quovis fædiores Polypo reliqueris. At ego hac in re sic meam causam tutari possum, ut nec in Frobenium quidem ullam culpam derivem, etiamsi ipse literis ad me datis, à suis cessatum operis fatetur, ac pollicetur, se diligentius excusurum denuo. At ego certe quicquid esset, etiamsi corrupta quædam sine mea culpa videbam, illi tamen protinus imputare non poteram, conscius exemplar à me nullum, quod sequeretur, accepisse Frobenium: neque enim eorum ego carminum, præter ea quibus Regis auspicia veneratus sum, eaque quibus in te luseram, vel edidi fere quicquam, vel edere adhuc decreveram. Quod si vel amici mei, vel pueri sibi descripsere libellum, aut apud me servatum negligentius, aut apud quempiam fortasse, cui non in hoc credideram, atque ita contigerit, ut quibus liber adriserit, putarint evulgandum: neque miri quicquam est, si aliquid mendarum substruxerit Scriptor, aliquid adstruxerit Typographus, exemplari videlicet usus & corrupto nonnihil, & fortasse perplexo. Neque æquum ipse feceris, si vitio vertas mihi, quicquid alienus uspiam vel error vel incuria perverterit, atque ex aliena imperitia me condemnes inscitiæ: nisi protinus pronunties illiteratum, & doctis prorsus omnibus explodendum, si quis indiligentius occluserit literarum suarum capsulas. Quod si dubitari non potest, quin alienis mendis infectus sit liber, utpote & excusus typis, & ante non ab uno transcriptus, haud facile adducor ut credam, quin & ipse me tacitus absolvas apud te, de quibus apud alios tam aperta calumnia traducis; sin tibi penitus insederit fixa atque obfirmata sententia, quicquid inemendatum reperisti, vitio prorsus id contigisse meo, quid aliud, quam laterem lavem, si tibi me purgare contendero? Vide ergo, quam civiliter agam tecum. Etenim quanquam (ut vides) possum apud æquos obtinere judices, ut quæ mihi impingis, eorum pleraque deriventur in alios; (nisi quæ res nulli unquam libro contigit, nusquam ut Typographus, nusquam Scriptor erraverit, id nunc demum contigisse videatur meo) tu quanquam, in quibus ut certissimis exultas maxime, in his te vel calumniari maxime, vel certe maxime falli, certissimis mihi liceat argumentis evincere; partim productis authorum testimoniis, quibus erit perspicuum recta esse plurima quæ reprehendis; partim prolatis illis ipsis chartulis, quibus olim edidimus pauca illa, quæ diximus, quibus liquido constiterit, aliter à me composita quædam & edita, aliter post excusa Frobenio: sive id exemplaris cujusdam perplexitate contigit, sive evenit incuria, sive è meo describenti libro placuit Scriptori quidpiam, quod ipse interlito versu mutaveram: quis enim satis divinare possit, quam multis casibus irrepat mendum, aut qua fortuna propemodum omnibus obtingat authoribus, ut vetustis etiam collatis exemplaribus lectio nonnunquam variet? Quanquam hæc, ut dixi, possum; ego tamen, Brixi, quandoquidem tu tam civiliter temet in te tuendo gessisti, ut in eam rem nihil fere prorsus attuleris, quod quidem ad rem pertineat; seu te ingenuus quidam sic obstupefecit pudor, ut non posses cogitata proloqui; seu festinatione præpeditus es objurgandi mei: statu tecum simili contra civilitate contendere, & quod ad errata pertinet, hujusmodi defensionem meam in præsente prætermittere, utpote cum erga te inutilem, cui nullo posset unquam pacto satisfieri, tum erga cæteros omnes minime necessariam, quorum ego neminem fore suspicor, cui tu persuaseris, ea mihi prorsus imputanda, quæ taxas: sed lector æquus haud dubito, quin quidvis potiùs comminiscatur ex sese, quam ut me præsumat tam insigniter inscium, ut neque positionem in carmine, neque solœcismum in sermone cognoscam. Quod si mei lapsus esse vincerentur maxime, tamen quando ipse librum non edidi, (quæ res manifestior est, quam ut liceat tergiversari vel tibi) quo jure possis objicere, si quid adhuc meditanti subductum est atque vulgatum ei, qui dicere possit illud Ovidii:

Emendaturus, si licuisset, eram?

Quo mihi versu, si cuiquam alii, meritissime licet uti: nam ego totum librum, præter ea, quæ jam olim edideram, pressurus eram perpetuo: ut qui nec illa ipsa fueram editurus, nisi litera-

literatioribus, quam ipse sum, magis adrisissent quam mihi; cui nihil meorum unquam salsum visum est admodum, nisi quod nunc ex tua bile sentio aliquid habuisse salis, quo frictus es. Quod si librum aliquando publicare statuissem, certe quædam immutassem, non quod errorem syllabæ tam valde magni penderem, sed quod essent aliqua minus aliquanto severa quam vellem. In syllabis vero si quid hallucinatus essem, quanquam non fuissem gravatus emendare, tamen in una fortassis & altera, non minus anxie me torsissem, præsertim sicubi commode mutare sine sententiæ damno non possem; quandoquidem non eos duntaxat authores, qui tanto te doctrina superant, quanto tu illos superbe despicis, verum vetustissimos quoque non usquequaque servasse reperio eodem tenore semper easdem syllabas, qua ex re natus est nimirum acervus ille communium. Postremo vel eo minus hæc me remordet cura, ne quis ea putet mea esse omnia quæ tu carpsisti, quod in his ipsis videam nonnihil ejusmodi, ut quanquam non sit meum, tamen pro meo me non puderet agnoscere: neque quicquam dubito, quin cuique inter legendum succurrant exempla, quibus eorum pleraque, quæ tu pro solœcismis in nos adnotasti, reperiantur pure puteque Latina. Porro, futurum denique, ut si quid reprehendisti rectius, id in me tamen certe non possis impingere, qui nec aderam castigationi, nec exemplar, unde excuderetur, exhibui, nec librum prorsus edidi. Contra vero, in quibus ipse aut deciperis, aut calumniaris ultro, quæ sunt haud dubie supra dimidium, temet ipse traduxeris, vel ignorantiæ vel sycophantiæ, utrobique certe insignis impudentiæ, qui tam superbe, tam nulla causa, tam longo tibi expensa tempore, ad eum scribens, quem jam secundo provoces, atque ad inquirendum in te quoque arrogans ac securus excites: tamen tam multa, quæ recta sunt, vel imprudens per inscitiam, vel per invidiam prudens, reprehendas. At tu quum hunc ad modum strenue mea omnia velut uno deflavisti spiritu, de te securus, & meras efflans glorias, jubes ut excutiam vicissim tua, nimirum certus, ita tibi pulchre instructa omnia, ut ne Momus quidem vel syllabam possit invenire, quam vellicet.

Ego profecto, Brixi, multo velim libentius eos libros excutere, è quibus aliquid excuti possit boni. Quanquam & hunc tuum, etiamsi nihil inde frugis vel expectavi vel reperi, tamen, quoniam in me scriptus est, eo legi studiosius, quod quæ mutari conveniat, quæ vel amicis interdum commendat amor, vel ne quod offendant obticent, ea plerumque solet inimicus iratus effundere. Itaque sic attentus legi, ut, quo tu me vocas, (nempe uti in syllabis excutiendis essem curiosus) eo nusquam respexerim; si quid vero inesset rerum, id certe non indiligenter expenderim. Et tamen quantumvis abhorream ab eo, ut otiosus occuper aucupio syllabarum, certe monosyllaba illa *mens*, quam in Chordigera desideraveram, in Antimoro quoque sedulo quæsita, nec mihi tantum quæsita, sed multis, adeo nusquam inventa est, ut libelli titulus, etiamsi brevis, tamen videatur omnibus dimidio longior esse quam debet; opusque tuum, non *Antimoron* appellandum, sed *Moron*, eoque justius, quo tu insulsius in meum nomen affectas haberi salsus, quasi non in Hermolaum Barbarum fortuna dederit hoc scurrandi genus, vel impense barbarus, & Thomæ Mori nomen Germano Brixio, qui vere germaneque Moro sit vere germaneque Germanus. Eum ego librum quum perquam attentus inspicerem, nihil aliud vidi, quam delira convicia: quæ vel recte scripta reprehenderent, vel mihi alienos lapsus objicerent, vel tuum caput recta repeterent. Porro multa tam belle competebant in me, ut potius quadrare videantur in quemlibet. Latratus audio plusquam caninos, sed elatratos inaniter; morsus plusquam rabidos, sed qui temet unum mordeant; virus plusquam vipereum, sed uni tibi noxium. Quæ quum sint ejusmodi, non miror admodum, vereri te ne forte non sustineam legere, quæ nemo certe durare queat ut perlegat, nisi hæc omnia (qui Brixii lepores) amœnis condulcarentur deliriis. Quæ mihi tam vehementer in Morico isto arrident Antimoro, ut quum primum mihi dabitur otium sim curaturus, ut accuratius aliquanto, quam nunc excusus est, excudatur denuo, fortassis & illustretur commentariis: tantum abest, ut isti gloriæ tuæ invideam, qua tibi factus videre Deus, si Mori despuibile tibi nomen exsibiles, ac venerabile nomen Brixii libro isto tam elimato, tam erudito, tam lepido, tam festivo, tam sacro denique, æternæ consecraris infamiæ. Cujus libri dotes admirandæ, ne quid oscitantem forte lectorem lateant, nos exempli causa quasdam indicabimus, ut his, veluti stimulis, excitatus, penitius in librum penetret, atque advertat attentius, quam lepidi joci, sales, deliciæ, mel & saccharum, ac plane lacteum suadelæ flumen ex amne Gallo scaturiat. Exordiar igitur, unde tu exorsus es, ab hendecasyllabis illis, quos scripsisti Macrino. In quibus tanquam in operis frontispicio insignem stuporis tui titulum præscripsisti. Nam quum initio Macrinum stentorem tibi fecisses Homericum, eundem etiam Nestorem, olim Poëtam optimum, jam vero & Oratorem derepente prodeuntem, tam venustum, tam vehementem, ut sua suada, cui tot charites, tot lepores Venus afflaverat, ita quolibet tuum propelleret animum, ut illi reluctari non posses flagitanti, uti quam primum exiret Antimorus, eoque ipsius auspiciis volumen emiseris, cujus hortatibus non valuisti resistere: paulò post oblitus tui, negas eum unquam flagitando atque orando extorquere potuisse, ut elephantinus ille præclarus partus ederetur ante completum novennium. Verum ne Venus inventi tui deperiret tibi, libellum tam venustum supprimenti diutile, quando scom-

mata nisi statim retorta non habent gratiam; coactus es properare, & quo libellus adversus epigramma posset subito paucis annis exire, necesse tibi fuit singulis fere biduis singulos versus absolvere. In quibus quum ne tantulum quidem tibi suffragetur ingenium, ut vel primam paginam potueris eo tenore progredi, quin tibi statim tam insigniter excideres, ac memoria lapsus ipse sic pugnares tecum, ut quem tam potentem Oratorem feceras, qui te in suam sententiam impulerit, eundem proximo fere versu diceres nihil persuasisse; cujus impulsu librum te scripseras edere, quando videlicet non potuisti tam mellitæ suadelæ resistere, eũ protinus affirmares nunquã tam commode potuisse dicere, ut librum tibi possit elicere. Quum igitur, quod dicebam, Brixi, in ipsis offendas foribus, & tamdiu limatis ac relimatis versibus, tam longo labore, non alia scribas deliria, quam quæ subito solent effutire moriones; quis non assentiat illis versiculis, quibus lectorem tibi velut voluptatis illecebra concilians, promittis ei parvo è carmine sedulo legenti magnam demum voluptatem fore? Erit haud dubie, nisi quis adeo sit agelastos, ut ne ad id quidem rideat, quo uno fere movent risum hi, quibus natura negavit ingenium: nempe nihil ut dicant quod consistat secum, sed diversa omnia atque pugnantia, tanquam vigilantes somnient. Quanquam non dissimulabo, esse quidem, qui putent non esse stultum istud, sed nasutum, tanquam lepide volueris irridere Macrinum: quem tam dulcem Oratorem, tam vehementem facias, ita denique tibi vim adferentem sua suaviloquentia, ut quod unum tibi venusta illa Suada suadeat, persuadere non possit. Ego certe non ita suspicor. Nam & is videtur Macrinus esse, qui tuo sit amore dignior, quam quem ridere debeas: & reliquus liber ad diversam longe virtutem propius, quam ad ejusmodi vafricies accedit, eoque causa non erat, cur arte sic laborares tegere, quamdiu tibi tuus liber hæsit in manibus; nam ut scommatibus gratiam deterit mora, sic istius generis omnia tempus & labor commendant admodum. Nam si quid dicas insigniter stolide, id quo majore conatu parturieris, eo pepereris gratius. Quin mire facetum & illud, quod veritatem quoque tuis mendaciis asseris iterato mendacio, dum rursus Herveum servantem facis patriam, rursus victorem tua tuba buccinas, rursus nostras rates agitantem vexantemque decantas, quæ tam vera sunt omnia, quam tu. Jam vero probatio, quam adfers, mirifica est: ais enim ea, quæ narras, Anglorum testata funeribus. Si aliorum funera loqueris, quam qui in Regente perierunt, tam vera sunt illa funera, quam vera fuit illa victoria; sin eos exprobras peremptos, quos Regentis incendium absumpsit, non adeo stultus sum, (quantumvis tu me stultum voces) quin tuum istud acumen sentiam, pistillo quovis obtusius, quo sic nobis exprobras exustam navem, quasi dum arderet nostra, vestra interim alserit, aut quasi eo victorem probes Herveum, quod etiam prior arserit. Hoc Brixianum acumen est: hæc est Brixiana victoria. Sed operæ pretium est videre, quanto cum artificio tractes eum locum, in quo ego inter Principis nostri laudes commemoro restitutam ab illo reformatamque Rempublicam, quorundam ante sceleribus, avaritia, rapinis, delatione, calumniis deformatam. Ergo quum statuisses nihil meorum relinquere ab ineptis intactum calumniis, in hunc locum præcipue tumultuaris ineptissime: hunc miris merisque sycophantiis exagitas: in hunc præclaras omnes atque admirabiles effundis ingenii tui virulentias. Hic temerarius tibi visus sum, qui rem tantam, meis viribus tam longe imparem, sim ausus aggredi. Quasi mihi Principis enarrandas laudes omnes desumpserim, at non potius, quod erga Superos quoque, citra culpam, pro suo quisque facit affectu, id ipse fecerim in venerandis Principibus, ut tam felicia Principatus auspicia, primo statim die tam salutaria, quum idem certatim facerent omnes, ego quoque pro mea virili, qualicunque poteram carmine, concelebrarem. Qua in re ut nihil dubito, quin & uberius laudari potuissent à peritioribus, & dignius à præstantioribus; ita neque meo satisfecisset officio, quod fecissent alii: neque mea carmina cuiquam obstiterunt, quo minus & alii fecerint, & quibus facere libuisset, licuerit. Denique quisquis jusserit à nullo nostrum laudari Principem, nisi qui parem præstare sese tantæ rerum moli possit, is admirationis prætextu, Regis virtutibus invidet; quas quum omnes prædicare debent, omnes semel jubet conticescere. At hic Apellem nobis (si Superis placet) revocas ab inferis; quod quidem tibi facile est, si, quemadmodum scribis, tam familiares habeas infernales furias; ipse tam egregius pictor interim, ut quum istud inprimis ei sit curandum, quisquis os cujusquam pingendo velit exprimere, uti eas partes, eum respiciat situm, qui ita sit cuique proprius, ut is repræsentatus faciem reddat maxime cognobilem; tu sic depingi Regem postules, ut amabile decus reverendi vultus, idque adeo tam rarum, ipsique suum, quoque uno maxime possit agnosci, delere prorsus è pictura jubeas. Nam tibi cæco prorsus pictori, videor vel stipite plane stupidior, qui non præviderim, eas fuisse laudes omittendas, quas fere solas, vel publica causa, vel sua, Principem referebat audire; utpote tales, quas (ut fateor) non fuisse Brixiano more poëticas, qui nihil poëticum censet nisi fictum; ita nemo fuit Anglorum, qui non suo bono senserit esse veras; nec quisquam adeo sine sensu vivit, ut non sentiat esse vere regias, nisi tu nobis aliud invenias magis regium, quam regnum ab omni parte fatiscens reficere prosperumque rursus ac felix reddere. At nec præsentis honor Principis quicquam decessori detrahit; cujus

cujus adversa valetudo fuit in causa, ne annis aliquot ante mortem proximis, vel publicis rebus posset, vel domesticis sufficere: eoque, nec mirandum, nec ipsi certe imputandum, si quorundam perfidia, quibus ille nimis credidit, sit labefactata respublica, quam filius ejus fere collabentem feliciter exortus erexit; idque tam celeriter, ut correptis coërcitisque repente maleficis, quorum scelere calamitas illata fuerat, omnia reformarit illico, priusquam se pateretur insigniri diademate. Nec sibi visus est, neque sano certe cuiquam contumeliosus in patrem, quod illius valetudine, aliorum malitia, labentem erigeret patriam, aut quod severe animadverteret in eos, quorum perfidia, in patriæ perniciem, fefellerat patrem; aut quum quædam etiam patris instituta, quanquam non incommoda populo, majore tamen commodo rescinderet, bonumque mutaret in melius. Et tibi videtur immanis impietas, si quod patris felicitati negavit morbus, hoc filii statim regia virtus effecit, si patriæ compilatores, deceptores patris, eversores legum, in patriæ bonum, in legum robur, in patris honorem coërcuit; aut si quid denique prudentissimo patre prudentior filius, in administranda republica vidit acutius? Quæ quum Princeps ageret non ad præsentem tantum rerum statum feliciter, verum in futurum quoque tam salutare sanciret exemplum, ut facile declararet sese principalium esse artium omnium Principem, non fuissem profecto, quo minus ea laudassem, etiamsi culpa quæpiam recidisset in patrem: nec à nobis unquam tantum patris impetrasset pudor, ut ejus facti laudem subriperet filio, quo facto nullo unquam seculo princeps ullus quicquam fecit laudatius, aut quod magis publicæ interesset rei commendari memoriæ. Nec fortunæ unquam tribuissem tantum, ac ne naturæ quidem, uti vanum alterutrius fulgorem, tam inclytæ virtutis veræ præferrem gloriæ. Quibus enim parentibus nascamur, illis in manu est; virtus una vere commendat bonos.

Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco:

Qua Nasonis sententia neque Maro quicquam, neque Homerus, quos opponis mihi, aut verius unquam dixit, aut salubrius. Quorum etiamsi utrumque valde suspicio, nunquam tamen hactenus apud me valebunt, ut ambobus hac in parte tribuam, quantum uni tribuam Platoni: qui optabile quidem censet, quantaque potest cautione curandum, ut filii nascantur honestis parentibus, quod velut seminarium quoddam indolis atque virtutis indatur occulte nascentibus: & tamen, ut fortunatiores aliquanto censet, bonos prognatos bonis, ita multo laudatiorem judicat mali patris bonum filium, idque adeo merito. Nam si sit eo turpior quo magis claro patre degeneret, an non vicissim convenit, eo plus cuique laudis esse, quo magis in diversum tractus improbi parentis exemplo, sua ipse virtute benefactisque claruerit? Hæc igitur quum senserit, haud dubie non alium poëtam exturbare sua debuit urbe Plato, quam tui palponem similem; qui vel à fortunæ jubes, vel à naturæ commodis adulari principibus, à virtute laudare non sustines; quæ vel cum dispendio popularis auræ laudanda sit, & contra vulgi receptos sensus, cui fere placent pessima, mellitis numeris essent opiniones bonæ sensim inferendæ pectoribus.

Quamobrem ego quod dixi, etiamsi qua culpæ pars hæsisset in patre, non reticuissem tamen filii laudes, quæ tum fuissent eo certe ipso cumulatiores, quod paternum errorem emendare potius quam imitari delegisset: atque id ita fecissem, rationi uni parens atque obtemperans, etiamsi Poëtas omnes si vulgus universum sentirem longe sentire diversa; tantum abest, ut nunc ea non obticuisse pœniteat, quorum reprehensio ad eos pertinet, qui patris fide ad suum quæstum & malum publicum sunt abusi; gloria vero & immensa & æterna pertingit ad filium, qui tam celeriter affectis pœna nocentibus, ac restituta republica, patrem simul & patriam pius in utrumque vindicavit. At tu laudator egregius, quæ potissima regiæ laudis portio sit, quam & privatim & publice, velut omnium laudum Principem, & ei Principi inprimis propriam, totus agnoscit populus, quæ adeo patri nihil detrahit, ut præcipuum ei decus adjiciat, quod pater sit ejus Principis, qui regnum vere regiis administret artibus; eam censoria virgula jubes expungi, non ob aliud opinor, quam quod vera sit: adeo nihil tibi placet, nisi poëticum tuum, ex ficto falsoque conflatum totum. Nam poësis tua, (testante temet) id si sustuleris, nulla poësis erit. At Princeps quum ea faceret, non in tenebris occulte, quasi benefacti puderet; sed in clarissima luce, in oculis tractaret omnium, in privatis, publicis judiciis, in Comitiis, in amplissimo totius regni conventu, cum plebe, cum proceribus, quum omnis ætas, ordo, sexus rem tam illustrem videret, tam salubrem sentiret, tam egregiam laudibus in cœlum veheret; ego videlicet, quod potissimum prædicare debebam, solum solus omitterem; ut quod nunc dictũ incessit Brixius, id indictũ rident etiã pueri, quib⁹ ipsis vel stupidissim⁹, si non sensisse; vel improbissimus, si non probasse;

vel

vel invidissimus, si non laudassem, merito videri poteram? Et tamen hunc locum. Tu nescio ineptius exagites an invidiosius: adeo cæco præceps impetu, ut te non sentias inscitiæ propemodum notare Principem nostrum; atque adeo, quum ei parem facias, paris inscitiæ notare etiam tuum. Nec interea tamen (quod tibi certe perpetuum est) quicquam consistis tecum. Nam primum ita curam ei tribuis Camœnæ Latiæ, ut tamen leges ignoret carminis; mox adeo facis inscium, ut ne quid verba quidem sibi velint, sciat: & tamen tuum Regem cum eo copulas, ut ex æquo sint ambo Cecropiæ numinæ plena deæ. Numnam hæc pulchre cohærent? Sed non est istud novum, ut altero quoque versu excidas tibi. At me condum laudatorem vocas & parcum, ipse laudator adeo non profusus, ut eam laudem, quam Virgilius tribuit pastoribus, tu quum velles applicare Principibus, aliquid tamen, tanquam nimis sumptuosa foret, abraseris, atque in deterius, quod semper imitando soles, immutaris. Nam quum illius versus sic habeat in pastores duos, *ambo florentes ætatibus*, tuus habet in duos Reges, *ambo pares ætate*: atque ita Virgilius mollis exprimit ætatis florem, tua laudatio quum his aptetur Principibus, qui vere florent ætate, tamen sic est anceps, ut duobus possit convenire decrepitis ac silicernis senibus. Porro, quam de virtute quoque subjungis, non admodum prodiga laus; quandoquidem ita virtutem utrique tribuis, ut tibi relinquas liberum, utrique, simul ac libebat, adimere. Nam quum pronuntias *pares virtutibus ambos*, neutri tamen affirmas inesse: sunt enim pares (si nescis) tam qui pariter carent, quam qui pariter habent. Nec tamen istud eo dico, quod in eam partem te sensisse censeam; sed ut ostendam, si quis ad eum modum tuas excutiat laudationes, quo tu calumniaris meas, quam facile locus reperiatur obnoxius. Nec ego tamen huc Apelles atque Alexandros evoco, non Cherilos, pugnos, exilia, neque tales tibi moveo tragœdias, quales tu mihi cies. Quod si & res minus esset illustris, & Princeps noster tam esset inscius, quam tu eum facis, in quantum sors periculi conjecisses me, quum vix fieri possit, ut qui versatur in publicis negotiis, non aliquem habeat aliquando, qui libenter optet calumniari; si vel res pateretur, vel ignoratione Principis liceret abuti; præsertim si qui sint, qui rursum cupiant rerum statum in deterius trahi: ut quem nunc ægre ferant, magis in summam prosperare publice, quam seorsum sibi? Verum hi, si qui sint hujusmodi, sic rem viderunt ipsi non clancularijs machinis, sed actam & tractatam publicitus, sic in suis artibus sentiunt præstare Principem, qui iterum atque iterum prorepentes viperas, ac velut post hyemem novo Sole apricantes sese, & calumniæ vetus virus denuo tentantes effundere, denuo retudit, compressit, elisit; ut facile sentiant, noxiis votis suis nullam relictam spem. At tu quum istiusmodi scribas, Brixi, quæ sint non absurda modo atque inepta, verum scelesta quoque, & (quoad per te fieri potest) perniciosa; tamen Deloinum, Budæum, Lascarem, viros literarum & virtutis gratia toti commendatos orbi (quorum nominibus major debebatur honor, quam ut libello contaminares istiusmodi, tanquam gemmas collocares in luto) nominas; eosque tecum velut in partes attrahis: quos & castigatores prædicas, & consultores adhibitos inconsultissimis consiliis. At ego, quanquam de syllabis illis ac solœcismis, quos objectas mihi, non possum spondere, quod sentiant, quorum, ubi me audierint, nec in illis quidem detrectabo judicium; certe tales esse eos persuasum habeo, & philosophicæ rei scientia, & rerum prudentia publicarum, ut si tu cujusquam eorum calculum hac sane parte possis extundere, quo se (quod ad regias laudes attinet) sentire testetur tecum; ego tibi & in reliquis concedam omnibus, & laudem ultro deferam, qui nunc aliud suspicari non possum, quam quod videtur omnibus, illas inferni furias (quas scribenti tibi fateris adfuisse) tale tibi inspirasse consilium, quod, seu furorem spectes, seu virulentiam, haud obscure tartaream refert originem. At aliquando tandem, velut per antrum Trophonium emergens ab inferis, exhilaratus in jocum solveris, & risu canis irritati meam subsannas epistolam, qua libelli delationem confero in pictorem, cujus podagra fecerat, uti serius aliquanto, quam statueram, veniret ad Regem. Hæc tibi caussa non placet. Homo superstitiose poëticus ferre non potest, ut dicantur vera; & civilitate plusquam aulica deridet, si quis apud Principem de re nihil obscœna verbis utatur iisdem, quibus utitur populus. Quis ita ridentem non rideat?

Porro quid illud sibi scomma velit, non intelligo; videtur enim sapere nescio quid salis reconditi; quo significas, meis officere studiis curam rei domesticæ: quo dicto nescio an tuis arte vendices prærogativam, quasi tibi nulla sit domus, sed liber & expers curarum, alienas paropsides velut parasitus obambules; eoque necesse sit tuum poëma præcellere, quod otium & cibus excolat alienus.

Ego certe de te sentiebam honestius, hodieque sentio; quanquam libellus tuus (ut vere dicam) & Pyrgopolinicen refert & Artotrogon. Neque video, quid ad rem pertineat, exprobrare mihi, quod habeam domum, nisi tu domũ non habeas.

Nam

Nam alioqui jocus ille festivus, & (ut Plautinus ait parasitus) dictum de dictis melioribus in te recideret. Certe quemadmodum te persuadeo mihi non esse plane parasitum, (quantumvis istud liber præ se ferat tuus) ita vere te suspicor Cynicæ sectæ Philosophum, non à latratu tantum, verum etiam quod ubique te video ad divitias ludere, ubique ad mendicitatem, ubique ad famem applaudere. Nam ita ludis in liberos meos, ut eorum describas miseriam, si tantum versus meos hæreditate, ac non etiam nummos essent habituri; quasi tui sint futuri solis paternis versibus felices. At ego liberis tuis, si quos aut habes, aut habiturus es unquam, longe laqueos, longe mendicitatem deprecor, quæ mala tu facete scilicet ominaris meis; atque ex animo precor, ut uberior eis affulgeat alicunde fortuna, quam ex versiculis tuis, quorum ego neminem esse usquam tam insanum censeo, qui trecenta millia redimat teruncio; quæ quidem hujus generis sint, cujus effutivisti hactenus.

Ejusdem salis & illud est, quod lupo temet assimilas famelico, tanquam, nisi meo bono Reges duo sanxissent pacem, me miserum agnellum semel devorasses integrum: nunc vero nefas ducis facta pace litigare, eoque libellum istum nunc demum edidisti blandulum. Sed illud demum divinum fuit inventum, quod diras omnes, ac bellas illas charites inferorum furias, tam formosulas amiculas adfinxisti tibi, quibuscum lusites atque otium oblectes tuum; imitatus videlicet quosdam non imperite ridiculos, qui quum esse sibi quædam vel corpore deformia, vel moribus fæda sentiant, quæ vel obnoxia dicteriis sint vel criminationibus, homines scurrandi solertes in sua vitia ludunt ipsi, ut quando evitare non possint opprobrium, ansam saltem carpendi præripiant æmulis, ipsique potius de se triumphum ducant. Ita quum tu videres Antimoron tuum, non Moriam modo sed Maniam quoque spirare, quando nemini futurum videbas ambiguum, unde sit ille furor emissus, maluisti in tuas furias ipse præludere, quasi eas ultro sese offerentes tibi, amico videlicet tam necessario & juratissimo mystæ, fueris emissurus in me.

Illud opinor nemo leget unquam, qui non insignem ingenii tui notam judicabit, & plane Brixianam facetiam, quod quum te dignis versibus, ad tuam ipsius me pinxisses effigiem, veritus ne nondum satis expressisses te, *rabulam* adnotasti in margine, quod talem me diceres esse in patria. Ego, Brixi, qualis domi sim non dico, ne similis tibi sim; cujus gloriam, sive quam ipse tibi tribuis, non mereor, sive quam tribuunt alii, non affecto. Tu vero qualis domi sis effecisti, tandem foris ut cognosci possis. Quem (quum te videri velis à secretis esse Reginæ) non pudet ejusmodi rabie rabire in Consiliarium Regis, qua nec in rabulam quidem quisquam rabit nisi rabula.

Et tu quum hunc in modum toto te libello gesseris, operæ pretium est videre quomodo, sumpta scilicet auguris persona, divines fore, ut me pro hoc tam amico in me officio sis habiturus inimicum, cujus tu pudendos lapsus pia cura tollas in authoris honorem, relaturus tamen ab ingrato malam gratiam; atque ita tractas istud admirabile atque ex intimis Rhetorices penetralibus depromptum schema, ut fere Concionantis quoque personam induas, & injecta frequentius mentione Christiani, atque identidem peccatoris nomen inculcans, tanquam animę res agatur, propemodum solœcismorum velis agam pœnitentiam, quod appropinquet (credo) regnum cœlorum. Ego certe, Brixi, tuum illud augurium de me non dubitabo fallere: qui nunquam tibi statui inimicus esse. Nec usque adeo sum inhumanus, ut tam amicum in me officium non agnoscam, hominis tam officiosi in famam meam, ut editis atque excusis in me famosis libellis, aliena errata pro meis mihi insusurret in aurem; tam indulgentis in honorem meum, ut potius quam me non impetat falsis calumniis, suum ipse nomen veris inhonestet opprobriis; tam propensi in salutem meam, ut Principem meum, vel impietatis insimulet, vel inscitiæ, ni me prorsus exterminet. Nec usque adeo sum stupidus, ut non sentiam, quanto pretio redimendus sit ejus viri favor, qui sit tam prudens, ut altero quoque versu obliviscatur sui, tanquam Lethæum poculum interbiberit; tam generosa palma, ut non erigat modo se adversus maledicta aliorum, verum ipse quoque sese oneret suis; tam fortis & invictus pugil, ut Herculi surrepta clava perpetuo pugnet secum; tam oculatus ac lynceus, ut non videat sua in se redire scommata; tam urbanus, ut insanum, stultum, furiosum, canem, rabulam habeat in facetiis; tam placabilis ac tranquillæ indolis, ut fidefragos, perfidos, & perjuros inclamans, tamen abstineat conviciis; tantus adsertor Poëtices, ut eam contemni postulet, præmonens, ne quis ambiat ab ea laudari, quæ sibi vetat credi; tam vehemens Orator, ut defendat eum provocare, qui responderit, provocatum vero, qui prior læserit; tam pulchre olivam mediis gerens in armis, ut in media pace de bello litiget; tam æquus, ut insaniat, quod ipsius liber vere sit taxatus mendacii ab illo, cujus totam gentem eodem libro falsus insimularat ante perjurii; tam fructuosus encomiastes, ut Principes à corporis dotibus laudari postulet, à fortunæ muneribus ferat, à virtute non sinat, nisi si quid dicatur in genere, sic ut dici possit in quemlibet: si quid vero factum sit ejusmodi, ut id viri, mulieres, pueri, lapides prope collaudent, ejus rei Pythagoricum indicat silentium; tantus Apelles, ut (nisi tabula ejus cum favore spectetur) duos videatur Principes ex eadem propemodum denigrare fidelia; tam anxie Christianus, ut nisi mihi duo Reges ab illo (precibus opinor) impetrassent veniam, nunquam potuisset obtinere Christus, quin acerbe olim debacchatus in nos, quoniam uno sit repercussus verbulo, me misellum agniculum homo plus ullo lupo famelicus totum deglutiret;

ret; tam lepidus denique, tam festivus, tam solers, & undique tam consummatæ sapientiæ, ut sibi ipse familiares esse fateatur infernales furias. Eas ergo quum habeas, Brixi, domesticas, ut sis fortassis ambiendus aliis, sicubi sint, quibus cum ejusmodi sodalibus libeat ludere, ego te profecto nec inimicum horreo, nec amicum expeto. Nam hostem tuum nihil timendum est, ne (quod tu minaris) unquam invadant furiæ, nempe trabalibus clavis arctius ferruminatæ tibi, quam ut à tam caro capite queant avelli quoquam. Amicis vero ac familiaribus ejusmodi pestis possit nocere contagium. Contra inimicus ipse tibi non ero: neque enim eum odisse possum, cujus sic obsessi misereor; imo adamarem certe, ni vererer, ne me redamares mutuo, ut qui frequenter audierim, quam sit molestus ac noxius amor ejuscemodi spectrorum. Proinde quoad licet, erga te sic neutro memet affectu geram, ut nec dignaturus unquam sim, albusne sis an ater, inquirere. Quanquam nec opus est istud inquirere; tam atrum enim tuum te atramentum reddidit, quam carbo est. Tantumne tam grati officii prorsus oblitus videar, quo meorum versuum mendas adnotasti sedulo, nec eas cujusquam pateris errores haberi quam meos, diris interim tute ac furiis (si vera fateris) obnoxius, utrique nostrum supplex quod sit salubre comprecor; uti superi mihi tibique tam propitii sint, amborum vitia ut corrigant, ac mihi solœcam orationem castigent, tibi perpurgent solœcismos ingenii; mihi barbara verba velint è sermone tollere, tibi barbaros istos mores è pectore; denique benigni largiantur & mihi sanos pedes in carmine, & tibi sanum caput in corpore.

XIV.

EPISTOLA

THOMÆ MORI

ad

ANTONIUM BONVISIUM,

Mercatorem Lucensem,

Tum Londini agentem, postea Lovanii mortuum, ex carcere, quo arctissime tenebatur, paulo ante mortem, carbone scripta, postquam omne instrumentum scribendi esset sublatum.

Anno M D XXXV.

Amicorum amicissime & merito mihi carissime, salve. Quoniam præsagit mihi animus, fortasse falso, sed tamen præsagit, haud diu superfuturam ad te scribendi facultatem; decrevi, dum licet, hoc saltem Epistolio significare, quantum in hoc fortunæ meæ deliquio amicitiæ tuæ jucunditate reficiar. Nam ante quidem, Vir ornatissime, tametsi mirifice certe semper amore isto in me tuo delectatus sum; tamen recordanti mihi annos jam prope quadraginta Bonvisæ domus non hospitem sed alumnum fuisse, verecundia mea profecto fecerat, ut sincera illa quam alioqui ex amicitiæ nostræ ita cogitatione deglutiebam, paululum quiddam pudore quodam rustico tanquam neglectæ vicissitudinis subacesceret. Verum enimvero nunc hac ego me cogitatione consolor, quod bene vicissim mihi merendi de te nunquam se præbebat occasio. Ea siquidem amplitudo fortunæ tuæ fuit, ut commodandi tibi nullus mihi relinqueretur locus. Conscius igitur mihi, non officii neglectu vicem non rependisse me, sed quia deficiebat occasio: cum jam te conspiciã, etiam sublata rependendi spe, sic in me amando & demerendo persistere, imo adeo progredi potius, & cursu quodã indefesso procurrere, ut pauci sic amicos fortunatos ambiant, quomodo tu prostratum, abjectum, afflictum, & carceri addictum Morum tuum diligis, amas, foves & observas, cum pristini pudoris mei qualiquali amicitia me abluo, tum in hujus admirabilis amicitiæ tuæ suavitate conquiesco. Et nescio quo pacto tam fidelis amicitiæ prosperitas videtur mihi in hoc improspero classis meæ naufragio propemodum paria facere: certè (tollatur indignatio non amati minus, quàm metuendi Principis) quod ad reliqua pertinet, plusquam paria, quippe cum illa sint inter fortunæ mala numeranda omnia. At amicitiæ tam constantis progressionem, quam tam adversus fortunæ casus non eripuit, sed ferruminavit fortius, amens profecto fuerim, inter fortunæ bona si numerem. Sublimius haud dubiè bonum est, atque augustius, peculiari quadam benignitate proveniens, amicitiæ tam fidelis, & fortuna deflante constantis, raro concessa felicitas. Ego certè non aliter accipio atque interpretor, quàm eximia Dei miseratione curatum, ut inter tenues amiculos meos, tu vir talis, amicus tantus, tam longo tempore patereris, qui magnam istius molestiæ partem, quam mihi ruentis in me fortunæ moles invexit, tua consolatione lenires ac relevares. Ego igitur, mi Antoni, mortalium omnium carissime (quod solum possum) Deum optimum maximum qui te mihi providit, obnixè deprecor, ut quando tibi talem debitorem dedit, qui nunquam solvendo sit futurus, beneficentiam istam, quam mihi quotidie tam effusus impendis, ipse tibi pro sua benignitate dignetur rependere; tum ut nos ab hoc ærumnoso & pro-

procelloso seculo, in suam requiem, pro sua miseratione perducat, ubi non erit opus Epistolis, ubi non distinebit nos paries, ubi non arcebit à colloquio janitor: sed cum Deo patre ingenito, & unigenito ejus filio, Domino & Redemptore nostro Jesu Christo, atq; utriusque Spiritu, ab utroque procedente Paracleto, gaudio perfruemur æterno: cujus interea gaudii desiderio faxit omnipotens Deus ut tibi, mi Antoni, mihique atque utinam mortalibus undecunque omnibus, omnes hujus orbis opes, universa mundi gloria, nec non istius quoque vitæ dulcedo vilescat. Amicorum omnium fidelissime vale. Familiam tuam totam, herili in me affectu similimam, Christus servet incolumem.

THOMAS MORUS, frustra fecero si adjiciam TUUS: nam hoc nescire jam non potes, quum tot beneficiis emeris: nec ego nunc talis sim, ut referat cujus sim.

Sequuntur

DESIDERII ERASMI
ad
THOMAM MORUM
EPISTOLÆ,
Quibus ad præcedentes respondetur.

I.
ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S.D.

VIx ullis literis consequi queam, quibus diris hujus tabellarii caput devoverim, cujus vel indiligentia, vel perfidia factum arbitror, expectatissimis Mori mei literis fuerim frustratus. Nam in officio cessasse te, suspicari nec debeo, nec libet. Tametsi superioribus literis vehementiusculе tecum expostulavimus. Neque veremur, ne quid nostra libertas te commoverit, qui non ignores Lacedæmonium illum ad cutem usque pugnandi morem. Illud extra jocum oramus, mellitissime Thoma, ut ægritudinem, quam ex nimium diuturno tui tuorumque scriptorum desiderio cepimus, usura aliqua sarcias. Expectamus omnino, non epistolam, sed ingentem literarum sarcinam, quæ vel Ægyptium ἀχθοφόρον degravet. Si qui sint isthic bonarum literarum cultores, tuum erit officium, eos ut ad nos scribant extimulare, quo videlicet amicorum orbem omnibus numeris absolvamus. Non ausim illos lacessere prior. Nam tibi nihil referre putamus, quomodo scribamus homini facillimo: ad hæc mei, ut mihi persuasi, amantissimo. Vale jucundissime More. Oxoniæ, Anno M cccc xcix. Natali Simonis & Judæ.

II.
ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S.D.

SUperioribus diebus cum me ex Italia in Angliam reciperem, ne totum hoc tempus, quo equo fuit insidendum, ἀμούσοις & illiteratis fabulis tereretur, malui mecum aliquoties vel de communibus studiis nostris aliquid agitare, vel amicorum, quos hic ut doctissimos, ita & suavissimos reliqueram, recordatione frui. Inter hos tu, mi More, vel inprimis occurrebas: cujus equidem absentis absens memoria non aliter frui solebam, quam præsentis præsens consuetudine consueveram, qua dispeream, si quid unquam in vitâ contigit mellitius. Ergo quoniam omnino aliquid agendum duxi, & id tempus ad seriam commentationem parum videbatur accommodatum, visum est Moriæ Encomium ludere. Quæ Pallas istud tibi misit in mentem? inquies. Primum admonuit me Mori cognomen, tibi gentile, quod tam ad Moriæ vocabulum accedit, quam es ipse à re alienus; es autem vel omnium suffragiis alienissimus. Deinde suspicabar hunc ingenii nostri lusum tibi præcipue probatum iri, propterea quod soleas hujus generis jocis, hoc est, nec indoctis, ni fallor, nec usquequaque insulsis, impendio delectari, & omnino in communi mortalium vita Democritum quendam agere. Quanquam tu quidem, ut pro singulari quadam ingenii tui perspicacitate longe lateque à vulgo dissentire soles, ita pro incredibili morum suavitate facilitateque cum omnibus omnium horarum hominem agere & potes & gaudes. Hanc igitur declamatiunculam non solum lubens accipies, ceu μνημόσυνον tui sodalis, verum etiam tuendam suscipies, utpote tibi dicatam, jamque tuam non meam. Etenim non deerunt fortasse vitilitigatores, qui calumnientur, partim leviores esse nugas, quam ut Theologum deceant, partim mordaciores, quam ut Christianæ conveniant modestiæ, nosque clamitabunt veterem comœdiam, aut Lucianum quempiam referre, atque omnia mordicus arripere. Verum quos argumenti levitas, & ludicrum offendit, cogitent velim, non meum hoc exemplum esse, sed idem jam olim à magnis autoribus factitatum. Cum ante tot secula βατραχομυομαχίαν luserit Homerus, Maro Culicem & Moretum, Nucem Ovidius. Cum Busiridem laudarit Polycrates,

tes, & hujus castigator Isocrates, injustitiam Glauco, Thersiten & quartanam febrim Favorinus, Calirtium Synesius, Muscam & Parasiticam Lucianus. Cum Seneca Claudii luserit ἀποθέωσιν, Plutarchus Grylli cum Ulysse Dialogum, Lucianus & Apulejus Asinum, & nescio quis Grunnii Corocottæ porcelli testamentum, cujus & divus meminit Hieronymus. Proinde, si videbitur, fingant isti me latrunculis interim animi causa lusisse, aut si malint, equitasse in arundine longa. Nam quæ tandem est iniquitas, cum omni vitæ instituto suos lusus concedamus, studiis nullum omnino lusum permittere, maxime si nugæ seria ducant, atque ita tractentur ludicra; ut ex his aliquando plus frugis referat Lector, non omnino naris obesæ, quàm ex quorundam tetricis ac splendidis argumentis? veluti cum alius diu consarcinata oratione Rhetoricen aut Philosophiam laudat, alius Principis alicujus laudes describit, alius ad bellum adversus Turcas movendum adhortatur, alius futura prædicit, alius novas de lana caprina comminiscitur quæstiunculas. Ut enim nihil nugacius, quam seria nugatorie tractare: ita nihil festivius, quam ita tractare nugas, ut nihil minus quam nugatus fuisse videaris. De me quidem aliorum erit judicium: tametsi, nisi planè me fallit φιλαυτία, stultitiam laudavimus, sed non omnino stulte. Jam vero ut de mordacitatis cavillatione respondeam, semper hæc ingeniis libertas fuit, ut in communem hominum vitam salibus luderent impune, modo ne licentia exiret in rabiem. Quo magis admiror his temporibus aurium delicias, quæ nihil jam fere nisi solennes titulos ferre possunt. Porro nonnullos adeo præpostere religiosos videas, ut vel gravissima in Christum convicia ferant citius, quam Pontificem aut Principem levissimi joco aspergi, præsertim si quid πρὸς τὰ ἄλφιτα attinet. At enim qui vitas hominum ita taxat, ut neminem omnino perstringat nominatim, quæso utrum is mordere videtur, an docere poti⁹ ac monere? Alioqui quòt obsecro nominibus ipse me taxo? Præterea qui nullum hominum genus prætermittit, is nulli homini, vitiis omnibus iratus videtur. Ergo si quis extiterit, qui sese læsum clamabit, is aut conscientiam prodet suam, aut certe metum. Lusit hoc in genere multo liberius ac mordacius divus Hieronymus, ne nominibus quidem aliquoties parcens. Nos præterquam quod à nominibus in totum abstinemus, ita præterea stylum temperavimus, ut cordatus Lector facile sit intellecturus, nos voluptatem magis quam morsum quæsisse. Neque enim ad Juvenalis exemplum, occultam illam scelerum sentinam usquam movimus, & ridenda magis quam fæda recensere studuimus. Tum si quis est, quem nec ista placare possunt, is saltem illud meminerit, pulchrum esse à stultitia vituperari, quam cum loquentem fecerimus, decoro personæ serviendum fuit. Sed quid ego hæc tibi patrono tam singulari, ut causas etiam non optimas optime tamen tueri possis? Vale disertissime More, & Moriam tuam gnaviter defende. Ex rure, quinto Idus Junias, Anno MDVIII.

III.

ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S. D.

Lupsetus existimat se nostra renatum opera, planeque ab inferis emersisse. Magistri moliuntur omnia, quo retrahant adolescentem in suum pristinum. Nam statim eodem die sophisticis libris distractis, Græcos emerat. Vide, ut cum inciderit opportunitas, gnaviter agas partes tuas. Nihil hujus ingenio gratius, nihil amantius. Bene vale. Verto librum Plutarchi de discernendo adulatorem ab amico, longiusculum, sed quo non alius mihi magis placet. Absolvam faventibus Superis intra dies octo. Videtur mihi hoc propemodum magis ad rem pertinere, quam digladiari cum Vigilantio, duce Hieronymo. Rursum vale. Si videris Lazarum nostrum, hominem plane Musis & Gratiis natum, quæso salutes diligenter: hortare, ut perscribat mea quæ habet in manibus: nam habeo quædam plus quam nova, quæ non dubitem illi futura gratissima. Millies vale. Cantabrigiæ Anno MDX.

IV.

ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S. D.

Ut nusquam cessant sycophantæ mei, ut nullum non movent lapidem, quo noceant Erasmo; Persuaserant Coloniæ uni atque alteri, libellum illum ridiculum de Julio cœlis excluso à me conscriptum fuisse, persuasuri pluribus, ni præsens impudentissimam calumniam retudissem. Quod si quid hujus suspicionis apud vos quoque subortum est, ut solet in hujusmodi negotiis per multos obambulare divinatio: mitto ad te exemplar literarum mearum ad Paulum Bombasium: nam perlongum sit, eadem pluribus scribere. Nihil pudet istos sycophantas, & nescio, quomodo quæ falsissima sunt, libentius credit vulgus. Pridem erat in animo submonere Pontificem summum, ut hujusmodi licentiæ indies magis ac magis gliscenti finem imponeret, sed nondum incidit commoditas: Antonium tamen Puccium Oratorem admonui Basileæ, & recepit se curaturum: nam illi quoque res non dissimulanda videbatur. Cum tu duodecim angelatos mittis pro novem, non video quid lucri facias. Video futurum, ut fortunæ secundus flatus te nobis auferat. Sed hoc moderatius fero, quod tu interim felix es, qualiacunque nostra sint facta. Vetus est, amicis convalescentibus soteria mittere: at isthinc nec literæ mittuntur,

cum

cum à tot morbis revixerim. De Theologorum quorundam fucatissimis technis perlongum sit scribere; ex literis meis ad Roffensem, fabulæ partem intelliges, nam harum exemplar ad te mitto. Bene vale. Calend. Jan. Basileæ, Anno M.D.XX.

V.

ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S.D.

JAM ad iter accincto, binæ simul mihi redditæ sunt literæ, neque puer ullus, neque mercator nos visit. Maruffi syngrapham exhibui Gaspari, ea jubet dari ducatos largos justi ponderis, aut valorem. Agnoscis non castrense, sed Mercuriale verbum. Rogavi, quis esset valor. Respondit Stuferos 37. cum dimidiato. At mihi, inquam, valor nihil aliud significare potest, quam publicam Principis æstimationem. At nos, inquit, hunc habemus morem. At ista inquam, ratione nos fallimur, qui vestrum morem divinare non possumus ex syngrapha. Recepi syngrapham meam. Admonebis igitur hominem, non esse mihi consilii quindecim florenos perdere in sexaginta angelatis. Rogabis Archiepiscopum, ut pecuniam tibi tradat, tu collocabis apud Germanos Sterlingen. & scriptum huc mittes, quo hic recipiam: nisi erit, per quem huc mittas rectius. Exhausi loculos omnes, dum me vestio. Crede mihi, mi More, effudi supra quadringentos florenos. Jam periculum est, ne bene vestitus fame moriar. Si Tunstallus hic hyemat, illi me adjungam, nam id impensissime cupit. Adiit, hæc cum scriberem, Petrum Ægidium hospes Anglorum, offerens pretia librorum, cæterum de nostra pecunia nullum verbum. De Ursawico fac instes. Hieronymus intra biduum aderit cum ingenti sarcina literarum ad me. Ubi accepero, faciam te certiorem, si quid erit, quod te scire oporteat. De insula deque cæteris curabuntur omnia. Hæc scripsi inter componendum sarcinas mox equum conscensurus. Bene vale carissime More cum tuis omnibus. Antverpiæ postridie Calend. Octob. Anno M.D.XVI. Curavi ut Cantuariensis, Coletus, Roffensis, Ursawicus, & tu si vis, inter primos accipiatis Hieronymi volumina. Rursum vale. P. Ægidius plane te deamat. Nobiscum assiduè vivit. Mire favet tuæ Utopiæ, teque valde salutat cum tuis omnibus.

VI.

ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S.D.

NUper fasciculum epistolarum ad te misi una cum exemplo Utopiæ per quendam tibi vehementer ut ajebat amicum. Onerassem pluribus, sed verebar. Nunc alium nactus, mitto Reuchlinica omnia in uno libello, quem ita communicabis Roffensi, ut quamprimum legat, ac remittat. Nam quædam sunt, quæ nusquam reperias. Tu lege propositiones plane theologicas, abyssales sapientias, & articulos Arnoldi Tungrensis. Mitto unam epistolam ad Marlianum, quod is suspicatus esset priorem librum Utopiæ à me profectum: id nolebam serpere, quum sit nihil vanius. Dialogus ille Julii & Petri, ut intelligo, jam τῷ καγκιλλαρίῳ μεγάλῳ in manibus est, & unice placet. Moriam indies expectamus. Utopiam tuam recognitam huc quamprimum mittito, & nos exemplar aut Basileam mittemus, aut si mavis, Lutetiam. Si quid habet Ammonius, cura, ut quamprimum ad nos veniat. Nam Princeps abitum adornat, & nos quo aut quando profecturi, incertum habemus. Exigitur à populo ingens pecunia eaque præsens. Postulatio recepta est ab optimatibus ac prælatis, hoc est, his qui soli nihil daturi sunt. Nunc civitates consultant. ὁ αὐτοκράτωρ aliàs ἄνοπλος, nunc adest manu magnifice armata, & agri passim explentur militum gregibus, sed unde, aut cujus nomine veniant, incertum. O miseram hanc regionem, à tot vulturibus arrosam! O felicissimam, si civitatum inter ipsas esset concordia! significa, num eodem animo sit in me Cantuariensis & Coletus, atque item Roffensis, de quo tibi nuper scripsi. Pater ejus qui has reddit, nos lautissimo prandio accepit, vir dives ac probus, multa testatus de tuo erga se officio. Adjuva me, quæso, tuo consilio. Budaicam postremam ad te mitto. Precor Maruffo quo dignus est, cum sua syngrapha. Nam Saulos istos nusquam licet comprehendere, ni Brugas proficiscar. Bene vale More suavissime. Antverpiæ Calendis Martiis. Adest isthic Franciscus: si nondum Hieronymus expletus est Cantuariensi, ab hoc exigat: debet enim. Remitte exemplaria epistolarum quas nunc mitto, & quæ reddidit Lupsetus, sed per hominem certum. Rursum vale cum tuis. M.D.XVI.

VII.

ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S.D.

MIsi duas literarum sarcinas, alteram per negotiatorem quendam, alteram per filium Johannis Crulli, cui tu operam tuam navaveras. Ei commendavi codicem, in quo erat Reuchlinica, quæ miserè desiderabat Roffensis. Per priorem misi libellum Reuchlini, versum meo sumptu. Mitte Utopiam, ubi primum licebit. Est Antverpiæ Senator, cui usque adeo placet, ut eam memoriter teneat. Epistola Dorpii cui tu respondisti, sic à tuis descripta est, ut ne Sybilla quidem possit legere, vellem mitteres minus male scriptam. Quæso te, ut scribas de omnibus diligenter, cum primum licebit. Nam hic magna rerum mutatio videtur instare, nisi me animus fallit. Bene vale cum tuis omnibus. Qui has perfert, probus est juvenis, ei promisit nescio quid Sixtinus. Is ea fiducia petit Angliam: ignarus ex simplici promisso non nasci actionem. Sed tamen extimula hominem,

ut magis ei faveat. Si Pollio crebro fuit apud te, facile conjectabis quid ego passus sim Bruxellæ, cui quotidie cum tot salutatoribus Hispanis fuerit res, præter Italos & Germanos. Rursum vale. Antverpiæ, postridie Nonas Martias, anno M. D. XVII.

VIII.
ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S. D.

CAlendis Maji ventis invalescentibus jamque etiam adversis medio noctis scaphula nautica, non sine periculo, in rupes quasdam ejecti sumus, in Galliam haud procul à Bolonia. Mox venti asperrimi, quos reliquo itinere littus vicinum nobis exasperavit. Ii multos apud nos cynanche & pleuritide occiderunt & occidunt. Petrus Ægidius & ego pingimur in eadem tabula, eam tibi dono brevi mittemus. Verum incidit incommode, quod reversus Petrum offenderim, nescio quo morbo laborantem graviter, nec citra periculum, unde nec adhuc satis revaluit. Nos belle valebamus, sed nescio quomodo Medico venit in mentem, ut purgandæ bili juberet me pilulas aliquot sumere, & quod ille stulte suasit, ego stultius feci. Jam pingi cœperam, verum à pharmaco sumpto cum ad pictorem redirem, negavit eundem esse vultum: dilata est igitur pictura in dies aliquot, donec fiam paulo alacrior. Epigrammata tua & Utopiam misi Basileam per proprium ministrum, quem in hoc aliquot menses hic alueram, unà cum meis aliquot lucubrationibus. Tonstall⁹ bellissimè valet, imò triumphat: tantum hic nactus est veterum numismatum. Perlegit Copiam meam, ac mirè probat. Panegyricum quo Philippum laudavi, unicè admiratur: Budæi Assem totum excussit, & ad eum scripsit: verum ille nondum quicquam respondit. Cardinalis Gurcensis hinc ante dies aliquot abiit, Cæsare, ut audio, non admodum æquo. Cardinalis Sedunensis heri discessit, apud quem eo die prandium egi: qui cum mihi longa fuit disputatio de Novo Testamento, tum de bello: is palam debacchatur in Gallos, & ut Helvetium decet, ingenue. Ajebat Germanos eo tendere, ut omnes Reges subsint Imperatori. Cæsar Moguntiam adit, nam illic, ut ferunt, concilium futurum Procerum Germaniæ. Carolus noster Gandavi concilium agitat, quo Cæsar non accessit. Ajunt abire nondum satis placatum. Dii boni, quis unquam iratus fuit hoc felicius? Pax coitura fuerat etiam cum Ghelriis, & quidem conditionibus Cæsari quoque æquissimis. Verum id ille impedivit, ne ullum usquam nobis esset bellum. Philippus Episcopus Ultrajectinus urbem suam ingressus est & auspiciis felicissimis, & insigni pompa. Dux Ghelriæ dicitur octo millibus hominum contractis Phrysiam adoriri. Tonstallus gaudet sibi tandem peractam fabulam illam motoriam. Is si redit ad vos, hæc frustra scripsimus; sin manet, certum est, ubi futurus est, tempus hoc cum illo transigere. Alioqui consilium erat Lovanii æstivare, Theologis etiam id magnopere flagitantibus. Solus N. murmurat adhuc nescio quid, gloriæ causa, ut ne parum vir constans videatur. Cave fraudes me ista tua epistola, quam inabsolutam mihi ostendisti. Si epistola Justiniani Oratoris Veneti apud te est (nam mihi periit) fac huc redeat; sin minus, roga humanissimum Nicolaum, Secretarium illius, ut exemplar rursus huc mittat, una cum ea, qua ipse Marco Musuro gratulatus est. Scribam fusius intra mensem, cum mittam tabellam. De equo nihil adhuc audio, atqui nunc fuisset usui. Bene vale cum suavissima conjuge, liberisque dulcissimis. Petrus Ægidius una cum Corneliola sua te tuamque plurimum salvere ubet. Anno M. D. XVII.

IX.
ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S. D.

CÆteris ægroto, tibi uni valeo. Gratia Superis, reversus sum incolumis Antverpiam tertio Calend. Junias. Deliberatum erat iter facere per Lotharingiam: jamque ad montem Cæsaris, oppidum in Alpibus situm, perveneram. Verum ubi viderim passim militum greges, rusticos passim ex agris in oppida commigrare, & rumor esset adventare manum ingentem, verti consilium, & periculum non effugi, sed mutavi. Coloniæ nactus sum Oratores Italos, quibus adjuncti, confecimus fere equites octoginta. Nec hoc numero sine periculo fecimus iter. Episcopus Basileensis vir admodum natu grandis, integer & eruditus, dictu mirum qua me sit humanitate prosecutus, homo alioqui multorum consensu non admodum benignus. Nam hunc nævum reperiunt in tam formoso corpore. Invitavit, complexus est, ornavit testimonio vocis suæ, obtulit pecuniam, fortunam, donavit equum, quem vix portam egressus, statim quinquaginta florenis aureis vendere potui. Paraverat poculum argenteum, verum aurifaber illi verba dederat, id quod indigne tulit. Eloqui vix possum, quantopere mihi placeat hoc cœlum Basileense, quantopere genus hominum: nihil illis amicius, nihil sincerius. Quot me comitabantur equis abeuntem, quibus lacrymis dimiserunt? Quanquam & aliunde conditiones non inhonestæ offerebantur. Unam Epistolam misi, ex qua poteris conjicere me non omnino fingere. Novum Testamentum & ab iis probatur, quos arbitrabar maxime calumniaturos: primariis Theologis vehemẽter placet. Enchiridion illud exosculantur omnes: id Episcopus Basileensis semper circumfert. Vidi margines omnes ipsius manu depictas. Sed desino hæc, ne gloriosulus videar. Quanquam apud Morum non verear vel ineptire. Sed τοιούτοις βάζειν πιέζομαι, ut non liceat ἀνακύπτειν. Unam aut alteram fortunæ plagam utcunque ferat aliquis, ἀλλὰ πανταχόθεν δυστυχῶ. Quam difficile est sapere, qui-

quibus adversatur Rhamnusia? Et tamen animo Herculano me fulcio sustineoque. Placuit epistola quam Antverpiam reverso reddidit Petrus Ægidius. De Ruffo demiror, quid homini venerit in mentem ejusmodi nugari nugas: Deposui apud hominem centum & viginti angelatos eximios, pro his syngrapham tradidit: tamen illa res citra periculum ullum confici poterit. Scripsi Cantuariensi per hunc tabellionem, mihi redditam eam pecuniam opera Ruffi. Is huic tradat chirographum suum, per quod possim in his regionibus accipere pecuniam. Eo apud te deposito, recipiat ab Archiepiscopo pecuniam. Id si parum probatur, fac ipse recipias eam pecuniam, & scribe tuis ut hic mihi restituant: simulque mihi Syngrapham mittito, per quam eam reposcam. Nam literas ad Cantuariensem sic temperabo, ut utrumque liceat. Submonuit hic Petrus unoculus, optimum esse committere pecuniam negotiatori cuipiam Germano, per cujus Syngrapham Antverpiæ recipiam. Proinde scribam, ut tibi tradat pecuniam, per me mox ad te venturam. Mire mihi placuit illa tua ad me epistola, testis animi in nos tui: præterea declarans te proficere dicendi virtutibus. Apologiam pro me tuam, nondum totam legi, ex qua intelligo quid Martinus Dorpius scripserat. Admiror quid homini venerit in mentem. Sed tales reddit hæc Theologia. Cancellarium salutavi. Aderat fortè fortuna tum in cœna Præpositus ille Cassiletanus, vir juxta doctus atque humanus. Adest & Episcopus Theatinus. Et dum hæc scriberem, expectabatur Tonstallus, quo salutato Monticium conveniam, & Abbatem: apud hos tantisper tempus ducam, dum hic monophthalmus huc se recipiat. Mox cum Principe agam. Si sensero frigere negotium, ut est hujus regionis erga literas ingenium, recta Basileam, nisi si quid tu dissentis. Scribito de singulis diligenter, si quid est, quod ad rem meam pertinet. Si Pacæus adest, admone ut per hunc remittat omnes comentariolos meos, quos apud illum deposui Ferrariæ. Conveni Episcopum Theatinum, cumque eo cœnavi. Is toto pectore nos amat ac miratur: agit apud Carolum principem, comitaturus eum in Hispaniam. Hodie cœnavi apud Tonstallum, ut compendio dicam, tui simillimum. Cura ut reviviscas, nam audio te periculosè laborare. M. D. XVIII.

X.

ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S. D.

NÆ ad istius exemplum perversissimo judicio videmus esse patrum vulgus. Corpori liberorum anxiè prospiciunt, animi possessionibus neglectis, cum frustra, imo cum suo malo possideat opes, qui nesciat uti. De puero nec ago gratias, nec tu novi quicquam fecisti, cum nunquam non sis tui similis. De Ludovici Vivis ingenio gaudeo meum calculum cum tuo consentire. Is unus est de numero eorum, qui nomen Erasmi sint obscuraturi. Nec alii tamen magis faveo, & te hoc nomine magis amo, quod huic tam candidè faves. Est animo mire philosophico, Heram illam, cui sacrificant omnes, litant perpauci, fortiter contemnit. Et tamen tali ingenio, talibus literis non potest deesse fortuna. Non alius magis idoneus, qui profliget Sophistarum phalangas, in quorum castris diu meruerit. Adero Caleti, si valetudo suppetet, ut amicos omnes extremum complectar, ac valedicam. Bene vale amice incomparabilis. Anno M. D. XIX.

XI.

ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S. D.

SPerabam meas literas aliquid ponderis habituras apud Brixium. Sed ecce prodiit ac prostat hic Antimorus ejus, qui liber vellem, autoris ipsius causa, cui faveo ob animum ejus, vel in bonas literas, vel in me (quod ejus declarant scripta) propensum, aut perpetuo latuisset, aut certe Brixius fuisset imitatus tuorum epigrammatum modestiam ac civilitatem: quæ & ipsæ tamen optassem nunquam potius essent editæ, quum ut hic tumultus tragicus nter vos fuisset excitatus, non sine dispendio bonarum literarum: quas non video posse consistere, nisi adversus tam pertinacem barbarorum conspirationem illas defendat eruditorum numerus, junctæque umbone phalanges. Verum quando fieri non potest, ut quod factum est, fiat infectum, cupio vehementer, ut malum germen, quod parum faustis avibus enatum est, opera nostra curetur, ut si radicitus evelli non possit, saltem ne serpat latius. Quod ut ego mi More capiam, non Brixii tantum causa, cui valde faveo, me movet, verum etiam, cui multo adhuc magis faveo, tua. Non quod arbitrer esse periculum, ne Antimorus ejus quicquam officiat famæ tuæ, quæ utinam non plus nocuisset ipsius; Sed plane metuam, ne si tu respondendo talionem in illum regesseris, fiat ut quod nunc de illo sentiunt omnes, idem posthac de utroque sentiant. Scio quam difficile sit ad tam aculeatum undique libellum respondenti temperare à conviciis: & tamen si quid eam in partem pecces tu, nemo qui te novit, tam facile putabit ignoscendum tibi, quam ignoscet Brixio. Nam ut nihil interim de utriusque eruditione dicam, tua certe conditio, tua dignitas, ac rerum usus exigit, ut ejusmodi rixas non minus ineptas quam virulentas negligas potius, quam ut conviciis accurate retalies. Audio quotidie quid post editum libellum eruditi loquantur de Brixio: quæ ut de illo non libenter audio, ita de te multo minus audire velim. Quamobrem quum sentiam, quam arduum sit tam virulento libello lacessitum, sic attemperare responsum, ut nihil indulgeas affectibus: optimum certe censeo, si rem totam ita ut meretur, negligas, atque contemnas. Neque vero hoc tibi consulerem, optime More, si quicquam esset in Antimoro, quod tibi sic labem aspersisset ullam, ut operæ pretium sit eam curare

curare abstergendam. Sed omnia plane sunt ejusmodi, ut inter legendum quisque respondeat sibi. Nam omnes vident Brixium id in te reprehendere, quod tam temerè tamque præpropere edideris tua epigrammata, quæ tu nec adhuc edidisti: cum pleraque tibi ante annos plus viginti scripta sint, omnia ferme ante años decem. Vident illum vellicare pro erratis tuis, quorum alia sunt exscribentis, alia Typographi, & in his pleraque talia, ut nisi damnatis summis autoribus reprehendi non possint. Vident epigrammata tua quæ feceras in Chordigeram jam olim esse scripta flagrante bello: nec fuisse causam Brixio, ut nunc tot annis post initam & confirmatam pacem, bellicum tumultum renovaret. Vident Brixium in Epitaphio Abyndonii ludere manifesta calumnia dissimulantem quod dissimulari non potest, illic opera data affectatam carminis ineptiam. Cæterum qua parte insectatur id carmen, quo tu gratularis auspiciis regnum ineuntis Principis, usque adeo nemo doctorum in Brixio non desiderat animi calamique moderationem, ut ego non pessimus, ut scis, amicorum patronus, haud alium inveniam colorem illius excusandi, quam quod ita senserit Britannicarum rerum ignorantia; quas si compertas habuisset, neque scripsisset ea, & vel iratus fuisset fassus, Regem abs te laudibus vere regiis magnifice laudatum esse. Hæc mi More, cum omnes & sentiant & fateantur, quid restat causæ cur te torqueas respondendo, hoc est rem, quod ajunt, actam agas, non alio fructu, quam ut venias in periculum, ne famæ jacturam, quam nunc solus apud eruditos patitur Brixius, tibi facias aliqua ex parte communem, si forte, (quod haud facile vitare possis, ubi calamus, ut fit, incaluerit) respondeas inclementius, & convicia repenses conviciis? Non minima portio tuarum laudum est, ingenii lenitas, perpetuaque morum suavitas, unde nolim ego quicquam decedere. Sin tibi decretum est diversa ingredi via, (nam audio librum tibi adversus eum jam in manibus esse) velim te excuses tantum, & malevolentiæ crimen, provocatoriæque petulantiæ, sic abs te depellas, ut in adversarium non regeras, ac ratione pugnes non jurgiis, illius invidiam tua cumulaturus modestia: tamen, ut sic quoque rem geras, multo certe malim tacere te, utque tota res oblitteretur silentio. Quod ut illico fieri non potest, ita paulatim poterit, te ut spero volente. Scripseram Brixio, ut Antimorum, quem tum audiebam eum meditari, premeret, & si fuisset in tabellario diligentia, persuasissem, si vera scribit Brixius. Verum (quod ex ejus responsione vides) liber jam erat sub prælo, priusquam meam videret epistolam. Abs te vero, mi More, mihi plus profecto quam à Brixio polliceor, cui cum videam persuasurum fuisse me, si meæ ad illum literæ venissent in tempore, dubitare non debeo, quin abs te facile sim impetraturus, ut mea causa tantum impetres ab affectibus tuis, ne eum qui & me amat, & vicissim amatur à me, magis etiam oneres novis libellis. Ab alterutro proficiscatur oportet, hujus contentionis finis, nisi litem alterna reciprocatione perpetuam esse velis. Et tua dignitas, tuique mores id postulant, ut abs te potius sit hujus rei initium. Crede mihi, mi More, tametsi Brixius hac in re ita se gessit, ut nunc fortassis etiam ipsum pœniteat, & si res esset integra, non sit facturus; (neque enim quisquam tam felix est, ut omnibus horis sapiat) tamen is est, quem si nosses propius, hominis tum ingenio tum literis delectareris, neque quenquam alium facile reperies, quem judicares amore tuo digniorem. Neq; debes ab omnibus tam sedatos affectus exigere, quam omnes ferme pro cæteris factis tuis, proque spectata jamdiu prudentia prorsus expectant abs te. Brixius quanquam in Chordigera sua quædam scripserat, in quæ tu lacessitus prius jure potueris acerbius etiam præsertim ut tum res erant, rescribere; tamen postquam epigrammata tua, lepore quodam omnibus adblandientia, omnium risus excitassent in illum; mirari non debes, si juvenis natura vehemens, famæque appetens, aliquantulum à consideratione sui facti dolore quodam animi totius in tuos versus aversus, sibi putavit injuriam fieri quum se non animadverteret, neque merito, nec idoneo tempore vindicare. Scio te non tanti facere paucula epigrammata, quæ lusisti in illum, quin pati possis, ut in meam gratiam aboleantur; qui nisi monuisses sero, hoc tua sponte curabas olim, cum totum librum non libenter audires proditurum in publicum. Igitur efficiam ut è tua voluntate, cum posthac excudetur liber, omittantur illa, atque vicissim ne propagetur Antimorus: ita fiet, ut si nihil accedat alimenti, ignis iste paulatim emoriatur. Quod si tam obfirmato animo decrevisti litem hanc persequi, tamen per amicitiam nostram, neque novam neque vulgarem, precor etiam atque etiam, dispicias, ut rem tractandam putes. Ego si detur optio, te (ut dixi) tacere malim, ac rem plane contemnendam contemnere. Id si fieri non potest, quod proximum est optarim, ut quod & hactenus à te curatum est, eruditione tantum & causa, non etiam maledicentia vincere pergas: Ut quoniam alterum amicum habere me video, nonnihil hoc infelici casu mutilum, alterum saltem qui mihi sic est carus, ut unum omnibus habeam potiorem, possim perpetuo servare integrum, felicior futurus, si utrumque liceat. Etenim cum nihil sit homini pretiosius fido bonoque amico, par est nullius rei jacturam quam amicitiæ ducere graviorem. Hæc scripsimus in mediis turbis, in quibus nos non ignoras versari. Bene vale amicorum sincerissime. Antverpiæ sexto Calend. Majas Anno M. D. XX.

XII.

ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S. D.

NOn ignorabam, optime More, consilium istud vestrum, quantum libet incommodum mihi, ab animo amantissimo proficisci, atque

que ideo non potui non boni consulere. Quanquam interim sedulo testatus sum vos Leo consulere non mihi. Perspectum erat hominis ingenium, hujusmodi tragœdiis natum. Satis ardebat sua sponte, & tamen habebat, qui quotidie oleum adderent camino. Ac sæpenumero mecum admiratus sum, vobis non itidem animadversam Lei naturam, qui familiarius cum eo vixeritis. Nec unquam eam pacem accepi, imo cum pacificus ille Pacæus opt. quidem animo, sed consilio mihi parum felici, reversus è legatione German. conaretur nos in gratiam redigere, pertinacissime reclamavi, testificans eam pacem nullum alium fructũ adferre, nisi quem ego maxime fugerem. Nec enim alia re magis offendi à Leo quam rumore libri adversum me scripti, quem ille cum sine fine jactaret, nunquã tamen ederet, paucis tantam juratis communicans, quo sic me vocaret in invidiam, ut interim nec me doceret quicquã, nec ipse posset refelli. Nec alia mea fuit oratio apud ipsum Leum, quã fuerat apud Pacæum. Sed cum perspicerem vobis concordi consilio sic esse decretum, malui non servire meis cõmodis, quam pugnare cum animis vestris. Etenim quum nunc talis prodierit liber, ut iis etiam modis omnibus displiceat, qui hactenus illi favebant, ut hoc organo in meam perniciem abuterentur: quos ludos nobis præbuisset facet ille liber, qui per paucos juratos amicos & crassos Abbatulos circumferebatur, nec ostendebatur nisi initiatis, quum hic in quo non ab uno adjutus est tot ineptiis scateat? Cujus rei si libet facere periculum, confer hæc quæ edidit orbi, cum iis quæ scripsit selectis amicis. Sed hæc sera jam sunt. Cæterum quod hortaris, ut meminerim Christianæ modestiæ, sane memorem mones: etiamsi non dubito futuros, qui modestiã hanc vel ignaviam, vel formidinem, vel aliud quidvis interpretentur. Jamdudum aggressus sum illi respondere. Exiit operis aliqua pars, ea (ni fallor) docebit, me Leũ magis vincere moderatione animi quam eruditione. Ut hic mundus mihi gratiam referat, nec anxie postulo, nec admodum expecto. Verum admiror quorundam dementiam, qui posthabitis rebus omnibus, unum illud devotis animis agunt, ut quam minimum fructus è meis vigiliis ad studiosos perveniat: atq; hunc vitæ suæ fructum optimum esse ducunt, si cõmodis omnium obsistant. Bene vale cum tuis omnibus, Vir immortalitate dignissime. Antverpiæ, postridie Cal. Majas anno M. D. XX.

XIII.

ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S. D.

QUæ tibi narrata sunt de concertatiuncula, quæ mihi fuit apud hujus Acad. Rector. cum Nicol. Egmondano, nec omnino vera sunt, neq; tamen nihil habent veri: Sic enim solet rumor & augere quod gestum est, & variare fabulas, neq; vero mihi tam inimicus est, ut patiar illum mendaciis traduci. Rem igitur ut habet, accipe: quandoquidem video nobis isthic tantum esse otii, ut quid hic ineptiamus vacet cognoscere. Ubi literis expostulassem apud hujus Acad. Rectorem, quod Egmondanus in concione nos perstrinxisset, rescripsit ille: Si placeret ipsum audire coram sua verba sonantem, fortasse rem posse componi. Respondi, me nihil detrectare, tametsi non essem nescius ab illo μηδὲν ὑγιὲς proditurum. Convenimus, consedit Rector, huic ego dexter assedi, sinister ille. Nec erat inanis ordo: noverat Egmondani mores, ac de me sibi falso persuaserat eum esse, qui possem irritari: proinde medius consedit, quo pugnam dirimeret, si forte λογομαχία ad ungues ac pugnos effervesceret. Rem igitur paucis exponit Rector. Ibi composito ad miram, sed ridiculam gravitatem vultu, infit Egmondanus: Ego nulli feci injuriam in sacris concionibus, si Erasmus se putat læsum, proferat, sum illi responsurus. Rogabam an putaret ullam atrociorem injuriam, quam hominem imerentem in publica concione traducere mendaciis? ibi continuo cõmotus homo, & relicta quam cœperat persona magis etiam purpurascens (nam rubebat & antea, erat enim tempus pomeridianum) Et cur, inquit, tu nos traducis tuis sacris libris? In libris, inquam, meis nusquam est nomen tuum: nec in concionibus, inquit, meis auditum est nomen tuum. Negavi libros meos esse sacros, in quibus aliquando narrem etiam somnia mea, nihilq; non nuger, non idem licere in sacris concionibus. Præterea longè minus, inquam, scripsi de te quam res habet: tu de me publice mẽtitus es, dicens, favisse Luthero, cui nunquam favi in eum sensum, in quem tua dicta interpretatur populus, & ipse sentis. Ibi jam non cõmotus, sed furenti similis: imo, inquit, tu es autor horum omnium, tu es versipellis ac veterator, & nihil non intorques cauda quadam. Atq; his similia multa evomuit verius, quam dixit, quæ illi tum suggerebat splendida bilis. Sensi & mihi concitari stomachum, jamque vox quædam eruperat, sermonis non satis temperati procœmium, non quidem racha, sed aliud quiddam, quod pejus oleat quã sonat. Sed repressi me illico, satius ducens, & meæ (nam parũ valebam) & Rectoris parcere valetudini, cui & ipsi cum Medicis res erat, postremo stultum & indecorum ratus adversus furentem furere: itaq; subridens verti me ad Rectorem: possem, inquam, testari de insigni contumelia, possem regerere convitia: appellat me versipellem, liceret ipsum vicissim appellare vulpem: appellat me duplicẽ, possem ipsum appellare quadruplicem: ait, me cauda contorquere omnia, possem dicere illum lingua sua inficere omnia: sed hæc nec viris digna sunt, ac vix etiam mulieribus. Agamus argumentis: finge me. Hic ille protinus interpellans magno clamore nautico: Non fingo, inquit, nolo fingere, hoc vestrum est; vos Poëtæ fingitis ac mentimini omnia. Jam magis ridere libebat quam indignari. Si fingere non vis, inquam, da igitur. Nolo, inquit, dare. Fac, inquã, ita esse. Non faciam, inquit. At pone ita esse, inquam. Non ponam, inquit. Sed igitur ita, inquã,

At non est, inquit. Quid igitur, inquam, vis me dicere? Dic, inquit, ita est. Vix Rector impetravit, ut fineret me loqui. Ut verum sit, inquam, me in libris meis quædam scripsisse secus quam oportet, non tamen hoc erat tuum, ad animi tui vindictam abuti sacri loci, sacræ concionis autoritate, & populi simplicis credulitate; poteras vicissim in me scribere, poteras me in jus vocare. Nunc non tam mihi facis injuriam, quam toti huic Academiæ, quam toti populo, quam sacræ concioni, quæ longe aliis fabulis dicata est. Hic quum deesset homini quod responderet, alio, ut solet, deflexit. Ita, inquit, optares tibi similem autoritatem? Quam? inquam, concionandi? annuit. Atqui, inquam, & olim sum concionatus, & arbitror me posse meliora dicere, quam audio te aliquando proferentem. Quin igitur, inquit, facis? Quia puto me, inquam, majus operæ pretium facere scribendis libris: tametsi tuam industriam non improbarem, si modo doceres ea, quæ faciunt ad bonos mores. Ibi venit homini in mentem, quod scripsissem in literis ad Rector. (legerat enim) hæc mihi imerenti, imò bene merenti, indigne fieri. Ubi, inquit, tu bene mereris? Fatentur, inquam, hoc plurimi, me non malè meritum de bonis literis. Ja, inquit, sic vos eas appellatis, sunt malæ literę. Et in sacris, inquam, literis multa restitui. Imo, inquit, multa falsasti. Cur, igitur, inquam, approbat Rom. Pontifex suo diplomate? Ja, diplomate, inquit: Quis vidit tuum diploma? subindicans à me confictum esse. An postulas, inquam, ut diploma per singulos circumferam, aut in foro exhibeam? exhibui Atensi, vidit Dorpius. Ja Dorpius, inquit, additurus & in illum aliquid convicii, ni Rector illũ vultu suo compescuisset. Videbis & tu si voles, inquam. Nolo, inquit, videre tua. Cur igitur damnas? inquam, cur in Luthero damnando tantum apud te valet Pontificis autoritas, in meis probandis pluma levior est? Hoc sermone omisso, cœpit commemorare, jam velut affectum moturus arte Rhetorica, quantis honoribus affecissent me Theologi Lovaniens. priusquam in eos scripsissem. Quid non fecimus, inquit, tibi? Cæterum de virulentis obtrectationibus, quibus me laniarat Egmondanus, etiam priusquam Lovaniũ commigrarem, nulla mẽtio. Respondi, non esse mei moris extenuare cujusquam in me beneficium, cęterum me hactenus Theologorum beneficio non admodum usum fuisse. Ibi nescio, quo pacto factus mitior. Verum, inquit, quia non potuimus. Ergo, inquam, ne imputes quod non præstitistis. Nam quantum potueritis male faciẽdo, sensi, officii nihil expertus sum, nisi quod vocastis ad act9, quos vocatis, & convivia quædam solennia, à quibus nemo magis abhorret quam ego: tantum abest ut existimem me hoc nomine multum debere vobis. Vos me ultro invitastis ad amicitiam, ego ut nunquam ambii, ita nunquam dedi ansam dirimendæ. Ex hoc sermone venit homini in mentem, de sarta inter nos amicitia, uno ipso nondũ satis placato, cum nemo stolidius læsisset, quam ille. Putant hoc esse religionis colophonem, ut illis supplices sint, etiam qui non ferendis injuriis sint affecti; tantum abest, ut quemquam ipsi reconcilient, aut juxta doctrinam Evangelicam benefaciant ei, qui læserit. Bene mones, inquit, jactas sartam inter nos fuisse concordiam, quid? annon fuit, inquam? Nonne compotavimus splendidè in Collegio Falconis? (constiterat hoc prandium ejus domus Moderatori non mediocri pecunia: & quoniam erat dies Mercurii, tantum piscium erat paratum uni Egmondano, quantum satis esset quatuor athletis) Nonne proposita pacis conditio, ut utrinque deleret offensas omnes amnestia? Negavit ille fortiter, quod tot testibus actum erat. Rector interpellans ita moderatus est litem, ut fateretur, inter omnes Christianos esse aliquam concordiam, cęterum eam pacem non fuisse numeris omnib9 absolutam. Ego arridens rogabam, quota compotatione pax Theologica absolveretur? Me simplicem arbitrari, vel sine compotatione confici pacem inter bonos. Hinc rursus aliud illi venit in mentem. Rectè admones, inquit, tu nos habes ludibrio, & traducis tanquam ebrios. Expostulante me, ubi vocassem eum ebrium. Scribis, inquit, me fuisse uvidum à prandio largiore, quid hoc aliud est, quam esse ebriosum? Hoc, inquam, neq; te nominato scripsi, & narro ab aliis dictum: nam tui Carmelitæ hoc lẽmate te excusabant, ne quis gravius ferret, quod dixeras uvidus à prandio largiore. Ja tui, inquit, indignans opinor, quod *tui* dixissẽ non *vestri*. Quod si maxime, inquam, edidissem nomen, quid erat flagitii, si quod tu publice ausus es dicere, ego simili libertate retulissem? Nunc honoris tui gratia supprimo nomen tuum, & rem atrocem civiliter narro. Dixeras, Fabrũ ac me, qui nunc pugnaremus inter nos, olim pugnaturos in profundo tartaro. Ja, inquit, hoc ab aliis audisti. Verum, inquam, at non ab uno, sed audes tu negare dictum? obticuit; qua quidem in re primum sum admiratus novum hominis pudorẽ. Mox in alium campum exspatiatus, negavit se unquam facturũ finem vociferandi in Lutherum, donec illum confecisset. Respondi, per me licere illi vociferari usq; ad ilium diruptionem, modo ne in me blateraret: neq; me queri, quod in Lutherum clamasset, sed quod in me: Quod ipsum, si illi usq; adeo cordi esset, pergeret, nihil tamen lucrifacturus, nisi ut esset bonis omnibus ludibrio, quandoquidem in ea concione vidissem passim omnes ridentes. Hic ille: Ja, inquit, illi tui erant. Quam mei sint, inquam, nescio, plerosq; ne de facie quidem noveram. Inter cætera crimina objecit & hoc, quod allegarem epistolas illustriũ virorum, qui mihi nonnihil tribuerent: Significans eas à me confingi, nec ullos esse qui mea probarent, cum ego fermè totum hoc epistolarum genus premam: simulque indicans, nihil oportere probatum haberi, quod ipsius calculo non esset commendatum. Hinc conjicere licet simul & modestiam hominis, qui sibi tam parum tribuat, & simplicem pureque Christianum animum, qui nihil mali non suspicetur de proximo. Cum inter cætera dixissem, non debere videri mirum, sicubi

querar

querat nonnihil de Theologis in libris meis, cum Joannes Standitius Minorita, Theologus, Episcopus à sancto Asino, apud Regem ac Reginam Angliæ, multis proceribus & eruditis adstantibus, impudentissime me detulerit tribus nominibus; primum quod tollerem resurrectioné, deinde quod nihili facerem Sacramentum Matrimonii, præterea quod male sentirem de Eucharistia: cum in omnibus libris meis, nihil magis asseram quam resurrectionem, ac Matrimonium edita declaratione sic prædicarim, ut Theologi putarint errorem esse hæreticum, quod Matrimonio plus satis tribuerim: postremo cum de Eucharistia nusquam neque scripserim, neque locutus sim, nisi sicut decet, id est summa cum reverentia: Ja, inquit, hæc omnia fortasse sunt vera. O vocem impotentis animi, sibique nihil non indulgentis: cur hæc potius in me vera essent, quam si quis dicat Egmondanum compilasse sacrarum ædium gazophylacium? quam incantasse morituros, ut sibi traderent hæreditatem, frustratis hæredibus? quam ad quæstum prodidisse, quæ audivit in arcanis confessionibus? Hæc fortasse probabilius in illum competerent, quam quæ volebat ille videri non abhorrentia à veris in me. Huic divo committant parentes liberos suos, ut imbibant veræ religionis semina. Quid tibi nunc referam singula? quicquid quocunque casu dicebatur, rapiebatur in occasionem convitii, non aliter quam solent pueri rixantes, ac mulierculæ procaces, quicquid dixeram regerebat in diversum. Objiciebat epistolam ad Lutherum scriptam. Illic, inquam, moneo quid debuerit vitare. Imo, inquit, doces eum scribere. Etiam hoc videbatur male habiturum hominem, si Lutherus aliquanto melius scripsisset: adeo illum perire cupiebat, non corrigi. Sed illud nullo modo concoquebat, quod adjecissem: non admoneo quid facias, sed ut quod facis, perpetuo facias. Hic cum excusarem civilitatem rhetoricam, qua negamus nos admonere, cum maxime admonemus, rursus incanduit. Pulchrè, inquit, dixit, hoc vere Rhetorum est, omnia fucare, fingere, mentiri. Arridens fassus sum, aliquando mentiri Rhetores, sed interim mentiri nonnunquam & Magistros nostros. Rursum cum dicerem, me consuluisse dignitati Theologorum; respondit: nobis hanc curam relinque, nos prospiciemus. Cum adderem: exurendis Lutheri libris, eum è Bibliothecis eximi posse, ex animis non item. Ja, inquit, ex animis: ibi eum tu posuisti. Cum nihil inter nos conveniret, adeo ut si dicerem literas bonas, ille continuo vocaret malas: Si librum castigatum, ille falsatum: Si me dixissem alienum à factione, ille protinus factionis caput appellaret, negaturus & intra oleam esse duri quicquam, aut extra juglandem esse duri quicquam, si quid tale affirmassem, Rector intersecans rixam jam nimis longam, negavit hæc esse digna Theologis: Se lubentius auditurum, si quid faceret ad concordiam sarciendam. Age, inquam, quando negas eam concordiam unica compotatione potuisse coire, quid superest ad consumandam? Hortante Rectore, dixit: Ut sarcias famam nostram abs te læsam. Ubi, inquam, in epistolis? annuit. Illis, inquam, jam evulgatis, mihi non est in manu quod petis, quanquam illic nullius famam læsi. Ergo palinodiam, inquit, cane. Quam? Scribe Lovanii sinceros & probos esse Theologos. Id, inquam, haud unquam negavi, sed quos ego taxavi, si mihi præbebunt probam materiam, magnificè de illis scribam. Hic irritatus: Et tu, inquit, si nobis præbueris bene loquendi materiam, bene de te loquemur. Tu stylum habes, nos linguam habemus. Taxas, inquit, nos quod tibi oblatremus à tergo, audeo tibi in os dicere. Nec mirum, inquam, tu, quibus es moribus, auderes etiam conspuere os boni viri. Negavit se adhuc esse tam contumacem. Hoc sermone interrupto Rector admonuit, ut de Luthero, quod caput erat, ageretur. Age, inquit, scripsisti pro Luthero, nunc scribe adversus illum. Hic inficiatus me scripsisse pro illo, sed pro Theologis potius adversus illum, cum excusassem multa, otium, imperitiam, metum, inter alia prætexui suspicionem crudelitatis, si sævirem stylo meo in hominem prostratum ac victum. Imo hoc ipsum, inquit, scribe, Lutherum à nobis victum esse. Respondi, non deesse qui hoc vociferarentur, vel me tacente: præterea magis fore decorum, si ipsi suam celebrarent victoriam, qui peperissent: postremo mihi non constare, quod eum vicissent, cum libri illorum nondum prodissent in lucem. Sub hæc desperans, versus ad Rectorem ait, nonne prædixi nos nihil acturos? Quamdiu, inquit, detractat scribere adversus Lutherum, tamdiu habebimus eum pro Lutherano. At isthoc, inquam, nomine tu mihi Lutheranus eris, qui nihil scribas adversus illum, neque tu solus tantum, sed innumeri tecum. Atque ita non dicto, sed significato vale, Rectori non mihi, discessit: quemadmodum qui in gladiatoria Schola vulnus præter certaminis leges acceperunt, cæteris quidem dant dextram, ei à quo læsi sunt, non dant. Habes fere sumam illius præclari colloquii, quod illi tamen visum est admodum blandum, cum hoc ageretur, ut me pelliceret eloquentia sua ad insectandum stylo meo Lutherum. Neque passus est ille sibi perire hujus conflictationis gloriam. Jactitavit apud compotores suos, quam fortiter obstitisset in os Erasmo. Rector eadem suis denarrans non sine risu, negavit se unquam crediturum fuisse, mihi tantum esse temperantiæ. Quanquam non hinc mihi laudem hanc arrogo, qui prorsus insanus fuissem, si cum illo contendissem. Et tamen est unus aut alter hoc sceleratior. Nam hic ut molestus est & pertinax, ita minus habet fuci, semper sui similis. Talem ajunt fuisse puerum, talem magistellum, talem Baccalaureum, talem Theologiæ Professorem, qualis nunc est Carmelita.

Ne Vulcanus quidem hunc reducat, neque refingat Mercurius. Sibi tamen videtur præcipua basis Christiainæ religionis,& Ordinis Carmelitici decus. Tam jucundus est huic Academiæ, quam sunt fici in oculis. Sed vomicam hanc nemo potest excutere. Bene vale, mi More.

Lovanii Anno M. D. XX.

XIV.

ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S. D.

MAjorem in modum probo, laudoque mentem istam tuam, More Clarissime, qui nulla re magis gaudeas ditescere quum fidis ac sinceris amicis, nec alibi præcipuam hujus vitæ delectationem ponendam esse ducas. Aliis cautio summa est, ne gemmis adulterinis deludantur; tu talium opum contemptor, abunde locuples tibi videris, si tuis possessionibus accesserit amicus neutiquam fucatus. Nec illi suavior est alea, latrunculi, venatio, musica, quam tibi cum amico docto ingenuoque libera confabulatio. Hoc opum genere cum vehementer abundes, tamen quoniam sciebam homini avaro nihil esse satis, & mihi tibique jam sæpe successit feliciter: unum etiam tibi traditurus sum in manum, quem tu totum totus, toto pectore potes amare. Is est Conradus Goclenius, gente Westphalus. Qui populus ut vulgo rudior habetur, ita multos nobis dedit summis ingeniis minimeque vulgari doctrina præditos. Non aliud genus mortalium laboris patientius, fide morumque sinceritate, simplici prudentia, & prudenti simplicitate potissimum commendatur. Scis nuper institutum Lovanii trilingue collegium. In eo publice Latinas literas, maxima cum laude, summo totius Academiæ fructu, profitetur, ea morum integritate comitateque, ut literas quas docet, etiam apud illos reddat gratiosas, qui prius aversabantur. Ingenium argutum, quod feliciter sui specimen præbuit, etiam in his disciplinis, quas solenniter tradunt in Scholis publicis. Sales habet, sed prorsus Atticos, ac lepidis fabellis, vel tecum certare queat. In carmine peculiarem quandam habet gratiam, nusquam non dilucidus, nusquam non dulcis & amœnus. Nec est ullum argumentum tam inamabile, quod illo tractante non mitescat. In prosa oratione sic est sui similis, imo sic est sui dissimilis, ut illius soluta legens, putes eum prorsus alienum esse à carmine. Ad amicitiam plane factus videtur. Quam si semel cum eo coieris, non est quod metuas, ne quis casus eam dirimat. Hoc usu venit in his, qui vel natura perfidi sunt, vel impotentibus affectibus. Siquidem istiusmodi solent ad enatam occasionem desciscere, & amicitiæ legibus neglectis, animo suo morem gerere. Hic neque gloriæ est appetens, neque injuriæ admodum vindex, neque voluptatis ullius immodice avidus. Invidere quid sit, ne per somnium quid rem unquam intellexit, tantus est ingenii candor. Quod ad vitæ consuetudinem attinet, nihil eo facilius, nec magis alienum ab omni morositate. Cæterum à lucro nihil hoc aversius, tametsi fortuna adhuc tenuis est, nec aliud suppeditans quam victum mundum, & supellectilem literariam. Quod si nostri principes, profani pariter atque ecclesiastici, didicissent egregiis ingeniis habere suum honorem, quemadmodum apud Italos habetur, Goclenius noster totus aureus esset. Sed tamen expergiscuntur. Jam enim fere nullus est Magnatum, qui non curet suos liberos bonis literis diligenter instituendos, licet inter aulicos Proceres nemo literas calleat, præter unum Georgium Haloinum, cui cultæ hactenus præter invidiam nihil fructus attulerunt: quanquam, ni fallor, brevi plurimum dignitatis sunt allaturæ. Jam spero futurum, ut simul atque Goclenium propius cognoris, ab utroque mihi gratiæ agantur; quod nuper accidit in Francisco Craneveldio, qui unum sic te totum possidet, ut illi propemodum invideam. Bene vale.

Anderlaci Anno M. D. XX.

XV.

ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S.D.

IN tot molestiis quibus undique circumvallor, plurimum attulit solatii Serenissimi Regis epistola humanissimè scripta, qua me invitat in Angliam, omnia pollicens benignissimo digna principe. Admonet quod olim scripserim, in Anglia senectuti meæ sedem delegisse. Nunc vero, mi More, res in eo sunt statu, ut mihi sepulchri locus sit circumspiciendus, ubi vel mortuo liceat quietum esse, quando, ut video, non continget hoc unquam vivo. Omnes divinant magnos rerum motus iminere. Anabaptistarum hæresis meditatur erumpere, quæ latius sparsa est quam quisquam credat. Tragœdias meas cognosces ex hoc Quirino meo, juvene mihi perspectæ fidei, quem quoniam novit omnia mea, in Angliam præmittendum arbitratus sum, ut per eum dispiciam cum amicis quid fieri possit, aut quid expediat. Egissem gratias regiæ benignitati, sed quoniam tot laboribus pæne exanimato nihil erat otii, malui ad tantum Principem nihil scribere quam negligenter. Si videbitur, tu melius illi declarabis animum meum, nec ignarum nec immemorem tam eximiæ benignitatis, quam mihi toties offert nihil promerito. Opto te cum tibi carissimis quam bellissimè valere. Datum Basileæ, pridie Cal. Martias, Anno M. D. XXVIII.

XVI.

ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO S.D.

QUo diutius graviusq; nos torsit pacis inter potentissimos orbis Monarchas expectatio,

ctatio, Thoma More amicorum optime, hoc uberiore gaudio nunc exultamus ſublatum exitiabile diſſidium, adeo ut nondum ſatis audeamus felicitati noſtræ fidere. Perdurat quidem conſtans rumor, perſcribitur multorum epiſtolis, narratur multis haudquaquam levibus autoribus, ſed tamen adhuc veluti ſomnium audire videmur, quod accidere ſolet poſt ſummum dolorem, rebus ſubito in vehementer lætum exitum commutatis, quemadmodum accidere ſolet in tragœdiis, Deo quopiam repente de machina ſemet oſtendente. Neque vero neſciunt homines, ſe bonam hujus gaudii partem debere invictiſſimo Angliæ Regi Henrico Octavo, qui ſumma prudentia, parique conſtantia non conquievit, donec immedicabilem, ut videbatur, diſcordiam vertiſſet in omnibus exoptatam concordiam. Supereſt omnibus votis comprecari ſuperos, ut hoc munus ſuum velint nobis eſſe perpetuum: aut ſi in rebus mortalium nihil omninò perpetuum eſt, certè diuturnum. Ego ſane perquam lubens optimi pacificatoris tam pium vereque Chriſtianum animum aliquo monumento poſteris, ſi qua poſſim, fecero teſtatum. Mihi ſat beatus viderer, mi More, ſi Ferdinando Regi res tam eſſent ſecundæ, quam illius inſignis pietas promeretur, qui mihi profecto videtur ad omnem virtutem natus; Eraſmo tam candidè favet, ut amiciorem animum optare non poſſim. Ante biennium invitavit me Viennam, ſalario quadringentorum florenorum, tantum ut illic viverem. Nuper bibonem quendam tribus verbis commendaram Epiſcopo Tridentino, illius Cancellario, ut eſſet in numero ſatellitum equitum; Rex illico locum dedit, quid inquiens, non facerem pro Præceptore meo Eraſmo? Nihil unquam de illo ſum meritus: quid non faceret, ſi quid officii in illum collocaſſem, qui nunc nullam occaſionem prætermittit mihi gratificandi. Sed nondum fortuna reſpondit optimi principis egregiis dotibus. Nuper Spiræ fuit, ut ſcis, conventus principum, petebatur ſubſidium adverſus Turcas imminentes Ungariæ. Oblata eſt ſumma pecuniæ tam exigua, ut maluerit pro animo gratias agere quam pro munere debere. Quid acciderit Mariæ Cæſaris ſorori, & hujus marito Ludovico, norunt omnes. Nunc Turca rurſus invaſit Hungariam, bonamque partem populatus eſt. Maria cui dicavi Viduam, metu ceſſit in Moraviæ civitatem, vulgo dictam Snamen, ne Viennæ quidem ſatis fidens. Turca horret Cæſaris indies creſcentem potentiam, eoque maluiſſet Joannem vicinum Regem quam Ferdinandum. Et fortaſſis aliquis dicet, hic quoque ſatius futurum fuiſſe dimidium accipere quam totum. Sed arbitror divinum conſilium alio ſpectare, nec dubito, quin æterni numinis bonitas omnia verſura ſit in lætum exitum, ſi nos animum ad ea verterimus, quæ illi ſunt placita. Ea quæ ſint, non tam ignoramus quam diſſimulamus. Utinam Cæſar maturius compoſito cum Gallorum Rege diſſidio, fratri ac ſorori ſuæ in tempore adfuiſſet. Metuo ne nimium diu moretur illum Italia, & Pontificis amplexus, cui non dubito, quin pro ſua religione ſit exhibiturus honorem omnem quem filius debet patri. Sed utinam ille gloriam ab hominibus ob Chriſtum exhibitam Chriſto tranſcribat, quod tamen hunc Clementem futurum non diffido. Fœderibus principum admiſceri Pontificem, mihi nec Pontifici videtur expedire, nec Reipublicæ Chriſtianæ. Ille major eſt, quam ut ullo fœdere ſit adſtringendus, mea quidem ſententia. Si reſediſſem Baſileæ, Theologi clamaſſent me comprobaſſe, quæ illic geruntur. Nunc quidem jactant me ceſſiſſe metu, quum diſceſſerim omnibus dolentibus, etiam iis, quorum dogmata palam ac libere improbabam. Sane invitus reliqui nidum quem tot annis preſſeram, & talis erat valetudo, ut nullam omnino mutationem latura videretur. Nec me clam erat, quanto diſpendio migraturus eſſem. Sed de vita periclitari malui, quam videri comprobator talis inſtituti. Erat bona ſpes, rem ad moderatum ſtatum rediturum; ſed duo monachi, alter concionator in ſummo, alter apud ſuos Dominicanos, excitarunt nobis hunc tumultum. Illi quidem fugerunt, alii vero feriuntur malo. Georgius Saxoniæ Dux non minus odioſe conflictatur cum Luthero, quam ego cum thraſone quodam nugaciſſimo. Admonui illum, ut negligeret hominem, cui plus ſatis feroci adderet animos. Interim triumphat, qui tanto etiam principi faceſſat negotium. Hactenus profectio valetudini profuit, idque præter omnem ſpem: Æſtas hic vehementer arriſit, ſed autumnum metuo: oppidum ſemicinctum eſt proxime iminentibus montibus, ut vix ullus dies abeat abſque nube aut nebula. Magiſtratus mihi deſignavit ædes plane regias, pridem extructas Maximiliano Cæſari, ſed imperfectas, & æſtati quam hyemi aptiores. Utinam liceat adhuc ſemel in vita videre amicos mihi chariſſimos, quos in pictura, quam Olpejus exhibuit, utcunque conſpexi ſumma cum animi mei voluptate. Bene vale cum tibi chariſſimis omnibus.

Datum apud Friburgum Briſgoiæ Nonis Septembr. M. D. XXIX.



SEQUENTEM
ERASMI EPISTOLAM,
Quia vitam THOMÆ MORI describit,
Adjiciendam duximus.

DESID. ERASMUS ROTERODAMUS
ULRICO HUTTENO
S. D.

QUod THOMÆ MORI ingenium sic deamas, ac pene dixerim deperis, nimirum scriptis illius inflamatus, quibus (ut verè scribis) nihil esse potest neque doctius neque festivius: isthuc mihi crede, Clarissime Huttene, tibi cum multis commune est, cum Moro mutuum etiam. Nam is vicissim adeo Scriptorum tuorum genio delectatur, ut ipse tibi propemodum invideam. Hæc videlicet est illa Platonis omnium maxime amabilis sapientia, quæ longè flagrantiores amores excitat inter mortales, quàm ullæ quamlibet admirabiles corporum formæ. Non cernitur illa quidem oculis corporeis, sed & animo sui sunt oculi: ut hic quoque verum comperiatur illud Græcorum, ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεται ἀνθρώποις ἐρᾶν. Per hos fit aliquoties, ut ardentissima caritate conglutinentur, inter quos nec colloquium nec mutuus conspectus intercessit. Et quemadmodum vulgò fit, ut incertis de causis alia forma alios rapiat: ita videtur & ingeniorum esse tacita quædam cognatio, quæ facit ut certis ingeniis impensè delectemur, cæteris non item. Cæterùm quòd à me flagitas, ut tibi totum Morum velut in tabula depingam, utinam tam absolute præstare queam, quam tu vehementer cupis. Nam mihi quoque non injucundum fuerit, interim in amici multo omnium suavissimi contemplatione versari. Sed primum, οὐ παντὸς ἀνδρός ἐστιν, omnes Mori dotes perspexisse: deinde haud scio an ille laturus sit, à quolibet artifice depingi sese. Nec enim arbitror levioris esse operæ Morum effingere, quam Alexandrum Magnum, aut Achillem: nec illi quam hic noster immortalitate digniores erant. Tale argumentum prorsus Apellis cujuspiam manum desiderat: at vereor, ne ipse Fulvii Rutubæque similior sim, quam Apellis. Experiar tamen tibi totius hominis simulachrum delineare verius quam exprimere, quantum ex diutina domesticaque consuetudine vel animadvertere licuit, vel meminisse. Quod si quando fiet, ut vos aliqua legatio committat, tum demum intelliges, quam non probum artificem ad hoc negotii delegeris: vereorque planè, ne me aut invidentiæ incuses, aut cæcutientiæ, qui ex tam multis bonis tam pauca vel viderim lippus, vel commemorare voluerim invidus. Atque ut ab ea parte exordiar, qua tibi Morus est ignotissimus: Statura modoque corporis est infra proceritatem, supra tamen notabilem humilitatem. Verum omnium membrorum tanta est symmetria, ut nihil hic omnino desideres: Cute corporis candida, facies magis ad candorem vergit, quàm ad pallorem: quanquam à rubore procul abest, nisi quòd tenuis admodum rubor ubique sublucet: capilli subnigro flavore, sive mavis, sufflavo nigrore: barba rarior, oculi subcæsii, maculis quibusdam interspersi: quæ species ingenium arguere solet felicissimum, apud Britannos etiam amabilis habetur, cum nostri nigrore magis capiantur. Negant ullum oculorum genus minus infestari vitiis. Vultus ingenio respondet, gratam & amicam festivitatem semper præ se ferens, ac nonnihil ad ridentis habitum compositus: atque ut ingenuè dicam, appositior ad jucunditatem, quàm ad gravitatem aut dignitatem, etiamsi longissimè abest ab ineptia scurrilitateque. Dexter humerus paulo videtur eminentior lævo, præsertim cum incedit: id quod illi non accidit natura, sed assuetudine, qualia permulta nobis solent adhærere. In reliquo corpore nihil est quod offendat, manus tantum subrusticæ sunt; ita duntaxat, si ad reliquam corporis speciem conferantur. Ipse omnium quæ ad corporis cultum attinent, semper à puero negligentissimus fuit, adeò ut nec illa magnopere curare sit solitus, quæ sola viris esse curanda docet Ovid. Formæ venustas quæ fuerit adolescenti, nunc etiam licet ἐκ τῆς καλάμης conjicere: quanquam ipse novi hominem, non majorem añis vigintitrib⁹: nam nunc non multum excessit quadragesimum. Valetudo prospera magis quàm robusta, sed tamen quæ quãtislibet laboribus sufficiat, honesto cive dignis, nullis aut certè pauciss. morbis obnoxia: spes est vivacem fore, quando patrem habet admodũ natu grandem, sed mirè virenti vegetaq; senectute. Neminem adhuc vidi minus morosum in delectu ciborum. Ad juvenilem usq; ætatem aquæ

aquæ potu delectatus est, id illi patrium fuit. Verùm hoc in re ne cui molestus esset, fallebat convivas è stanneo poculo cerevisiam bibens, eamque aquæ proximam, frequenter aquam meram. Vinum, quoniam illic mos est ad idem poculũ vicissim invitare sese, summo ore nonnonquam libabat, ne prorsus abhorrere videretur, simul ut ipse communibꝰ rebus assuesceret. Carnibus bubulis, salsamentis, pane secundario, ac vehementer fermentato libentius vescebatur, quàm his cibis quos vulgus habet in deliciis: alioqui neutiquam abhorrens ab omnibus, quę voluptatem innoxiam adferũt etiam corpori. Lactariorum, & eorum fœtuum qui nascuntur in arboribus semper fuit appetentior: esum ovorum in deliciis habet. Vox neq; grandis est, nec admodum exilis, sed quæ facile penetret aures, nihil habens canorum, ac molle, sed planè loquentis est: nam ad Musicam vocalem à natura non videtur esse compositus, etjamsi delectatur omni Musices genere: lingua mirè explanata articulataque, nihil habens nec præceps, nec hæsitans. Cultu simplici delectatur, nec sericis, purpurave, aut catenis aureis utitur, nisi cum integrum non est ponere. Dictu mirum, quàm negligens sit ceremoniarum, quibus hominum vulgus æstimat morum civilitatem: has ut à nemine exigit, ita aliis non anxiè præstat, nec in congressibus, nec in conviviis: licet harum non sit ignarus, si lubeat uti; sed muliebre putat, viroq; indignum, ejusmodi ineptiis bonam temporis partem absumere. Ab aula principumque familiaritate olim fuit alienor, quod illi semper peculiariter invisa fuerit tyrannis, quemadmodum ęqualitas gratissima. Vix autem reperias ullam aulam tam modestã, quæ non multum habeat strepitus atq; ambitionis, multum fuci, multum luxꝰ, quæq; prorsus absit ab omni specie tyrannidis. Quin nec in Henrici VIII. aulam pertrahi potuit, nisi multo negocio; cum hoc Principe nec optari quicquam possit civilius ac modestius. Natura libertatis atq; ocii est avidior; sed quemadmodũ otio cum datur, lubens utitur, ita quoties poscit res, nemo vigilantior aut patientior. Ad amicitiam natus factusq; videtur: cujus & sincerissimus est cultor, & longè tenacissimus. Nec ille metuit πολυφιλίαν, ab Hesiodo parum laudatã. Nulli non patet ad necessitudinis fœdus. Nequaquã morosus in diligendo, commodissimus in alendo, constantissimus in retinendo. Si fors incidit in quẽpiam, cujus vitiis mederi non possit, hunc per occasionem dimittit, dissuens amicitiam, non abrumpens. Quos sinceros reperit, & ad ingenium suum appositos, horum consuetudine fabulisque sic delectatur, ut in his rebus præcipuam vitæ voluptatem ponere videatur. Nam à pila, alea, chartis, cæterisq; lusibus, quibus vulgus procerum temporis tædium solet fallere, prorsus abhorret. Porrò ut propriarum rerum est negligentior, ita nemo diligentior in curandis amicorum negociis. Quid multis? Si quis absolutum veræ amicitiæ requirat exemplar, à nemine rectius petierit, quàm à Moro. In convictu tam rara comitas, ac morũ suavitas, ut nemo tam tristi sit ingenio, quem non exhilaret: nulla res tam atrox, cujus tædium non discutiat. Jam inde à puero sic jocis est delectatus, ut ad hos natus videri possit: sed in his nec ad scurrilitatem usque progressus est, nec mordacitatem unquam amavit. Adolescẽs comœdiolas & scripsit & egit. Si quod dictum esset salsius etiam in ipsum tortum, tamen amabat: usque adeò gaudet salibus argutis, & ingenium redolentibus: unde & epigrammatis lusit juvenis, & Luciano cumprimis est delectatus. Quin & mihi ut Morias encomium scriberem, hoc est, ut camelus saltarem, fuit autor. Nihil autem in rebus humanis obvium est, unde ille non venetur voluptatem, etiam in rebus maximè seriis. Si cum eruditis & cordatis res est, delectatur ingenio, si cum indoctis ac stultis, fruitur illorum stultitia. Nec offenditur morionibus, mira dexteritate ad omnium affectus sese accommodans. Cum mulieribus ferè, atque etiam cum uxore, non nisi lusus jocosque tractat: diceres alterum quendam esse Democritum, aut potiꝰ Pythagoricum illum Philosophum, qui vacuus animo per mercatum obambulans, contemplatur tumultus vendentium atque ementium. Nemo minus ducitur vulgi judicio, sed rursus nemo minus abest à sensu communi. Præcipua illi voluptas est spectare formas, ingenia & affectus diversorum animantium. Proinde nullum ferè genus est avium, quod domi non alat; si quod aliud animal vulgò rarum, veluti simia, vulpes, viverra, mustela, & his consimilia: ad hæc si quid exoticum, aut alioqui spectandum occurrat, avidissimè mercari solet; atque his rebus undiq; domum habet instructam, ut nusquam non sit obvium, quod oculos ingredientium demoretur: ac toties sibi renovat voluptatem, quoties alios conspicit oblectari. Cum ætas ferret, non abhorruit à puellarum amoribus, sed citra infamiam, & sic ut oblatis magis frueretur, quàm captatis: & animo mutuo caperetur potius, quàm coitu. Bonas literas à primis statim annis hauserat. Juvenis ad Græcas literas ac Philos. studium sese applicuit, adeò non opitulante patre, viro alioqui prudenti proboq;, ut ea conantem omni subsidio destitueret, ac penè pro abdicato haberet, quòd à patriis studiis desciscere videretur: nam is Britannicarum legum peritiam profitetur. Quæ professio, ut est à veris literis alienissima: ita apud Britannos cumprimis habentur magni clarique, qui in hoc genere sibi pararunt authoritatem: nec temerè apud illos alia via ad rem ac gloriam parandam magis idonea: siquidem plerisq; nobilitatem illius insulæ peperit hoc studiorum genus. In eo negant quemquam absolvi posse, nisi plurimos annos insudarit. Ab hoc igitur cum non injuria abhorreret adolescentis ingenium, melioribus rebus natum, tamẽ post degustatas scholasticas disciplinas, sic in hoc versatus est, ut neque consulerent quemquam libentius litigatores, neq; quæstum uberiorem faceret quisquam eorum, qui

qui nihil aliud agebant. Tanta erat vis ac celeritas ingenii. Quin & evolvendis Orthodoxorum voluminibus non segnem operam impendit. Augustini libros de Civitate Dei publicè professus est, adhuc penè adolescens, auditorio frequenti; nec puduit, nec pœnituit sacerdotes ac senes à juvene profano sacra discere. Interim & ad pietatis studium totum animum appulit, vigiliis, jejuniis, precationibus, aliisque consimilibus progymnasmatis sacerdotium meditans. Qua quidem in re non paulo plus ille sapiebat, quàm plerique isti, qui temerè ad tam arduam professionem ingerunt sese, nullo prius sui periculo facto. Neq; quicquam obstabat quo minus sese huic vitæ generi addiceret, nisi quòd uxoris desiderium non posset excutere. Maluit igitur maritus esse castus, quàm sacerdos impurus. Tamen virginum duxit admodum puellam, claro genere natam, rudem adhuc, utpote ruri inter parentes ac sorores semper habitam, quo magis illi liceret illam ad suos mores fingere. Hanc & literis instruendam curavit, & omni musices genere doctam reddidit: planeque talem penè finxerat, qui cum libuisset universam ætatem exigere, ni mors præmatura puellam sustulisset è medio, sed enixam liberos aliquot, quorum adhuc supersunt puellæ tres, Margaretha, Aloysia, Cæcilia, puer unus Joannes. Neque diu cœlebs vivere sustinuit, licet aliò vocantibus amicorum consiliis. Paucis mensibus à funere uxoris, viduam duxit, magis curandæ familiæ, quàm voluptati, quippe nec bellam admodum, nec puellam, ut ipse jocari solet, sed acrem ac vigilantem matremfamilias: qui cum tamen perinde comiter suaviterque vivit, ac si puella foret forma quantumlibet amabili. Vix ullus maritus à sua tantum obsequii impetrat imperio atque severitudine, quantum hic blanditiis jocisque. Quid enim non impetret, posteaquam effecit, ut mulier jam ad senium vergens, ad hoc animi minimè mollis, postremò ad rem attentissima, cithara, testudine, monochordo, tibiis canere disceret, & in hisce rebus quotidie præscriptum operæ pensum exigenti marito redderet? Consimili comitate totam familiam moderatur, in qua nulla tragœdia, nulla rixa. Si quid extiterit, protinus aut medetur, aut componit. Neque quemquam unquam dimisit ut inimicum, aut ut inimicus. Quin hujus domus fatalis quædam videtur felicitas, in qua nemo vixit, qui non provectus sit ad meliorem fortunam, nullus unquam ullam famæ labem contraxit. Quin vix ullos reperias, quibus sic convenerit cum matre, ut huic cum noverca: nam pater jam alteram induxerat, utramque non minus adamavit, ac matrem. Nuper induxit tertiam, hac Morus sanctè dejerat, se nihil unquam vidisse melius. Porrò erga parentes ac liberos, sororesque sic affectus est, ut nec amet molestè, nec unquam desit officio pietatis. Animus est à sordido lucro alienissimus. Liberis suis semovit è facultatibus, quod satis esse putat, quod superest, largiter effundit. Cùm advocationibus adhuc aleretur, nulli non dedit amicum verumque consilium, magis illorum commodis prospiciens quàm suis: plerisque solitus persuadere, uti litem componerent, minus enim hic fore dispendii. Id si minus impetrabat, tum rationem indicabat, qua possent quàm minimo dispendio litigare: quando quibusdam hic animus est, ut litibus etiam delectentur. In urbe Londoniensi, in qua natus est, annos aliquot judicem egit in causis civilibus. Id munus ut minimum habet oneris (nam non sedetur nisi die Jovis usque ad prandium) ita cumprimis honorificum habetur. Nemo plures causas absolvit, nemo se gessit integrius, remissa plerisque pecunia, quam ex præscripto debent qui litigant. Siquidem ante litis contestationem, actor deponit tres drachmas, totidem reus, nec amplius quicquam fas est exigere. His moribus effecit, ut civitati suæ longè carissimus esset. Decreverat autem hac fortuna esse contentus, quæ & satis haberet autoritatis, nec tamen esset gravibus obnoxia periculis. Semel atque iterum extrusus est in legationem, in qua cum se cordatissimè gessisset, non conquievit Serenissimus Rex Henricus, ejus nominis Octavus, donec hominem in aulam suam pertraheret. Cur enim non dicam pertraheret? Nullus unquam vehementius ambiit in aulam admitti, quàm hic studuit effugere. Verùm cum esset optimo Regi in animo, familiam suam eruditis, gravibus, cordatis, & integris viris differtam reddere, cùm alios permultos, tum Morum inprimis accivit, quem sic in intimis habet, ut à se nunquam patiatur discedere. Sive seriis utendum est, nihil illo consultius; sive visum est Regi fabulis amœnioribus laxare animum, nullus comes festivior. Sæpe res arduæ judicem gravem & cordatum postulant: has sic Morus discutit, ut utraq; pars habeat gratiam. Nec tamen ab eo quisquam impetravit, ut munus à quoquam acciperet. Felices Respublicas, si Mori similes Magistratus ubique præficeret Princeps. Nec interim ullum accessit supercilium. Inter tantas negotiorum moles, & veterum amiculorum meminit, & ad literas adamatas subinde redit. Quicquid dignitate valet, quicquid apud amplissimum Regem gratia pollet, id omne juvandæ Reipublicæ, juvandis amicis impendit. Semper quidem adfuit animus de cunctis benemerendi cupidissimus, mireque pronus ad misericordiam: cum nunc magis exerit, quando potest plus prodesse. Alios pecunia sublevat, alios autoritate tuetur, alios comendatione provehit, quos alioqui juvare non potest, his consilio succurrit. Nullum unquam à se tristem dimisit. Diceres, Morum esse publicum omnium inopum Patronum. Ingens lucrum sibi putat accessisse, si quem oppressum sublevavit, si perplexum & impeditum explicuit, si alienatum redegit in gratiam. Nemo lubentius collocat beneficium,

cium, nemo minus exprobrat. Jam cum tot nominibus sit felicissimus, & felicitatis comes ferè soleat esse jactantia, nullum adhuc mortalium mihi videre contigit, qui longius abesset ab hoc vitio. Sed ad studiorum commemorationem redeo, quæ me Moro, mihique Morum potissimum conciliarunt. Primam ætatem carmine potissimum exercuit, mox diu luctatus est ut prosam orationem redderet molliorem, per omne scripti genus stilum exercens: qui cujusmodi sit, quid attinet commemorare? tibi præsertim, qui libros ejus semper habeas in manibus. Declamationibus præcipue delectatus est, & in his materiis ἀδόξοις, quod in his acrior sit ingeniorum exercitatio. Unde adolescens etiamnum dialogum moliebatur, in quo Platonis communitatem ad uxores usque defendit. Luciani Tyrannicidæ respondit, quo in argumento me voluit antagonistam habere: quo certius periculum faceret, ecquid profecisset in hoc genere. Utopiam hoc consilio edidit, ut indicaret quibus rebus fiat, ut minus commode habeant Respublicæ, sed Britannicam potissimum effinxit quam habet penitus perspectam cognitamque. Secundum librum prius scripserat per otium, mox per occasionem primum adjecit extempore: atque hinc nonnulla dictionis inæqualitas. Vix alium reperias, qui felicius dicat extempore: adeo felici ingenio felix lingua subservit. Ingenium præsens, & ubique prævolans: memoria parata: quæ cum omnia habeat velut in numerato, prompte & incontanter suggerit, quicquid tempus aut res postulat. In disputationibus nihil fingi potest acutius, adeo ut summis etiam Theologis sæpe negotium facessat, in ipsorum arena versans. Johannes Coletus, vir acris, exactique judicii, in familiaribus colloquiis subinde dicere solet, Britanniæ non nisi unicum esse ingenium: cum hæc insula tot egregiis ingeniis floreat. Veræ pietatis non indiligens cultor est, etiamsi ab omni superstitione alienissimus. Habet suas horas quibus Deo litet precibus, non ex more, sed è pectore depromptis. Cum amicis sic fabulatur de vita futuri seculi, ut agnoscas illum ex animo loqui, neque sine optima spe. Ac talis Morus est etiam in aula. Et postea sunt, qui putent Christianos non inveniri, nisi in monasteriis. Tales viros cordatissimus Rex in familiam suam, atque adeo in cubiculum non solum admittit, verum etiam invitat: nec invitat modo, verum etiam pertrahit. Hos habet arbitros ac testes perpetuos vitæ suæ: hos habet in consiliis, hos habet itinerum comites. Ab his stipari gaudet, potius quàm luxu perditis juvenibus, aut mulierculis, aut etiam torquatis Midis, aut insinceris officiis: quorum alius ad voluptates ineptas avocet, alius ad tyrannidem inflammet, alius ad expilandum populum novas technas suggerat. In hac aula si vixisses, Huttene, sat scio rursum aliam aulam describeres, & misaulos esse desineres: quanquam tu quoque cum eo Principe vivis, ut integriorem nec optare possis. Neque desunt qui rebus optimis faveant, veluti Stromerus ac Coppus. Sed quid ista paucitas ad tantum examen insignium virorum, Montioii, Linacri, Pacæi, Coleti, Stocschelii, Latimeri, Mori, Tonstalli, Clerici, atque aliorum his adsimilium? quorum quemcunque nominaris, mundum omnium virtutum ac disciplinarum semel dixeris. Mihi vero spes est haudquaquam vulgaris, fore, ut Albertus, unicum his temporibus nostræ Germaniæ ornamentum, & plures sui similes in suam allegat familiam, & cæteris principibus gravi sit exemplo, ut idem & ipsi suæ quisque domi facere studeant. Habes imaginem ad optimum exemplar à pessimo artifice non optime delineatam. Ea tibi minus placebit, si continget Morum nosse propius. Sed illud tamen interim cavi, ne mihi possis impingere, quod tibi minus paruerim, neve semper opprobres nimium breves Epistolas. Etiam si hæc nec mihi scribenti visa est longior, nec tibi legenti, sat scio, prolixa videbitur: id faciet Mori nostri suavitas. Verum ne nihil ad postremam tuam Epistolam respondeam, quam prius excusam legi quàm scriptam, clarissimi Principis Alberti humanitatem ex ipsius etiam ad me literis intellexi. Sed qui quæso factum, ut patera prius ad omnes pervenerit tuis literis, quam ad me? Certe per neminem certius mittere poteras, quàm per Richardum Pacæum, serenissimi Angliæ Regis Oratorem, sive me haberet Brabantia, sive Britannia. Tu, quantum video, & calamo & ense graviter belligeraris: nec minus tamen feliciter, quàm fortiter. Nam apud Cardinalem Cajetanum audio te magnam etiam iniisse gratiam. Capnioni bene esse gaudeo, Francisci Sichnli nomen non sinent emori literæ, nisi velint ingratitudinis postulari. De rebus nostris alias: nunc illud tantum. Res hic sordidissimis sycophantiis agitur; quibus artibus ut imparem me fatear, necesse est. Si quis est isthic qui cupiat artem sycophanticam discere, indicabo illi quendam hujus disciplinæ mirum artificem, quem huic rei planè natum dicas. Minus bonus Orator Cicero, quam hic sycophanta: & reperit dociles multos apud nos. Nondum tempus est, verum brevi vobis hominem commendabo, ut quo dignus est, quodque misere ambit, omnium Eruditorum literis celebretur, portentum verius quàm homo.

Bene vale. Antverpiæ X. Cal. Aug.
Anno M. D. XIX.



Sequentem Epistolam sub *Nucerini* ejusdem nomine editam, Erasmum eundem auctorem habere persuasum est nonnullis;

Quicunque vero auctor sit, elegans sane est & legi meretur, duorum Angliæ celeberrimorum Virorum obitus enarrans.

GULIELMUS COVRINUS NUCERINUS PHILIPPO MONTANO S. D.

QUONIAM juxta Pythagoræ sententiam oportet omnia esse communia, rectè collegit Euripides, & dolores inter amicos oportere communes esse. Accipies igitur, vir amicissime, ab amico minime læta, sed omni lacrymarum genere bonis omnibus deploranda: quanquam arbitror famam istuc jam dudum omnia pertulisse priusquàm ad nos, de morte quorundam apud Anglos insignium virorum, sed præcipuè THOMÆ MORI, dum viveret ejus regni Baronis inclyti, ac supremi judicis, quem illi Cancellarium appellant; qua dignitate non est apud eam gentem alia major, excepto Rege, eoque quum prodit, aureum sceptrum imposita corona Cæsarea gestatur ad unum latus, ad alterum liber. Quæ vero sum narraturus partim è schedis Gallicè scriptis, quæ hic circumferuntur, desumpsi, partim è rumoribus. Nam nihil horum vidi. Sed priusquam aggrediar, paucis describam Londoniensis urbis situm. Civitas in latum angusta, ad Thamysim flumen sic in longum porrecta est, ut videatur non posse desinere, unde & nomen videtur inditum: siquidem apud Flandros loca mari vicina *Dunen* appellant. Indidem dictum videtur Galliarum *Lugdunum*, quasi dicas, *longas ripas*. Ad Orientem in extremo habet arcem bene munitam, qua reges interdum utuntur, vulgus Turrim appellat. Sed in eadem servari solent viri nobiles, aut alias dignitate quapiam præminentes, qui videntur aliquid adversus Regiam majestatem deliquisse. In altero extremo ad Occasum insigne monasterium est Benedictinorum, vulgus appellat Westmonasterium: & huic proximum Regis palatium structuræ veteris, sed quo nunc reges parum delectantur. Palatio adjuncta est domus spaciosissima, nullis fulta columnis, in qua sedent Judices. Utrumque ædificium flumini imminet, ut hinc illinc cymba vehi possint. In hac arce THOMAS MORUS posteaquam multis mensibus fuisset captivus, Calend. Juliis Anno Domini M.D.XXXV. productus est ad modo dictam Curiam, capitis causam dicturus apud tribunal Judicum à Rege delegatorum. Ibat reus baculo innixus tam longam viam, corpore gravi ægrotatione in carcere debilitato, nihil tamen perturbationis vultu præ se ferens. Primum recitati sunt articuli criminum quæ illi objiciebantur. Mox Cancellarius qui Moro successit, ac dux Nortfolcii, hunc in modum reum appellarunt: En vides, Magister More (sic appellant mediocri dignitate præditos) te graviter deliquisse in Regiam Majestatem: attamen speramus te, si modo resipiscas, & abjures istam obstinatam opinionem, in qua hactenus tam procaciter perstitisti, veniam à Regis clementia consequuturum. Ad hæc Morus: Domini mei, ego summo cordis affectu ago vobis gratias pro ista vestra amica erga me voluntate: tantum illud oro Deum omnipotentem, confirmare dignetur me in hac qua nunc sum sententia, ut in ea perseverem usque ad mortem. Cæterum quum reputo quàm prolixi quamque graves articuli sunt, quibus oneror, vereor ne mihi nec ingenium suppetat, nec memoria, nec oratio, quæ sufficiat ad respondendum omnibus, præsertim quum in carcere tam diu fuerim detentus, in quo gravi ægrotatione contraxi corporis debilitatem, quæ me nunc etiam habet. Tum jussu Judicum allata est sella, in qua sederet. Ubi consedisset, prosequutus est institutum sermonem hunc in modum: Quod ad primum attinet articulum, qui conatur ostendere meam in Regem malevolentiam in negotio posterioris matrimonii

trimonii, confiteor ingenue, me semper restitisse illius serenissimæ Majestati. Nec est animus super hoc negotio quicquam aliud dicere, quàm quod hactenus semper dixi, ad hoc urgente me conscientia: per quam ut non debebam, ita nec volebam principem meum celare veritatem. Nec hic est ulla proditio quæ intenditur; quin potius, ni id fecissem, præsertim in re tanti momenti, unde pendebat mea sententia, & principis honos, & regni tranquillitas, tum verè fuissem, quod nunc objicitur, malevolus, perfidus ac proditor. Ob hoc delictum (si modo delictum appellandum est) gravissimas dedi pœnas, exutus omnibus facultatibus meis, ac perpetuo addictus carceri, in quo menses jam quindecim totos fui detentus. Sed his omissis tantum ad ea respondebo quæ sunt hujus negotii præcipua. Quod objicitur, me incurrisse in pœnam violatæ constitutionis, quæ proximo consilio prodita est, me jam in carcere agente; quasi malitioso animo, perfidiose, ac proditorie Regiæ Majestati detraxerim famam, honorem ac dignitatem, quæ illi per dictam constitutionem erat tributa, videlicet quod ibi declaratur sub Jesu Christo supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ: inprimis respondebo ad hoc quod mihi objicitur, quod Domino Secretario Regis ac venerabili Majestatis illius consilio, rogatus quæ mea esset de hoc edicto sententia, nihil aliud voluerim respondere, quàm me jam mundo mortuum esse, nec istiusmodi negotiis amplius solicitari, sed tantum meditari in Passione Domini nostri Jesu Christi. Dico me per istam vestram constitutionem ob hoc silentium non posse damnari capitis, eo quod nec vestrum edictum, nec ullæ leges mundi possunt quenquam ob silentium addicere morti, sed tantum ob dictum aut perpetratum facinus. De occultis enim solus judicat Deus. Ad hæc respondit Procurator Regius interpellans: At tale silentium, inquit, evidens argumentum est animi malè sentientis de jam dicta constitutione. Nam omnis subditus sincerus ac fidelis Regiæ Majestati, si de dicta constitutione interrogetur, tenetur & obligatur citra omnem dissimulationem respondere categorice: Regium edictum esse bonum, justum ac sanctum. Ad quæ Morus: Si verum est quod habetur in legibus, eum qui tacet videri consentire, meum silentium confirmavit potius vestram constitutionem quàm improbavit. Jam quod dicis, omnem subditum fidelem obligari ut respondeat categoricè si interrogetur, &c. Respondeo, bonæ fidei subditum magis obligatum esse Deo, conscientiæ, & animæ suæ, quàm ulli alii rei in hoc mundo, maxime si talis conscientia, qualis est mea, nihil offendiculi, nihil seditionis pariat domino suo. Nam illud pro certo vobis affirmo, quòd nulli mortalium unquam detexerim hac in re conscientiam meam. Venio nunc ad secundum accusationis caput, quo arguor contra dictam constitutionem molitus ac machinatus fuisse, eo quod ad Roffensem scripserim octo paria Epistolarum, quibus illum animarim adversus istud edictum. Equidem vehementer optarim eas Epistolas hic proferri ac recitari, quæ me vel convincerent vel liberarent. Cæterum quando illæ, quemadmodum prædicatis, per Episcopum exustæ sunt, ipse non gravabor recitare sententiam earum. In earum quibusdam agebatur de nostris privatis negotiis, pro vetere nostra amicitia ac familiaritate. In una quadam continebatur responsum ad Episcopi literas, quibus scire cupiebat, quid & quo pacto respondissem de ista constitutione. Ad id nihil aliud rescripsi, nisi me jam meam composuisse conscientiam, ipse componeret suam. Animæ meæ periculo, ac teste Deo vobis assevero, nihil aliud in illis literis à me scriptum fuisse. Harum igitur caussa non possum per vestram constitutionem addici morti. Superest tertius articulus, qui intendit, quod quum de vestra constitutione examinarer, dixerim eam esse similem gladio utrinque secanti, propterea quòd si quis vellet eam servare, perderet animam; si contradicere, perderet corpus. Idem quoniam, ut dicitis, respondit Episcopus Roffensis, perspicuum esse inter nos fuisse conspirationem. Ad hæc respondeo, me nunquam fuisse loquutum, nisi conditionaliter: sic videlicet, si tale esset edictum, qualis est gladius utrinque incidens, quo pacto posset quis evitare, quin in alterum incideret periculum. Hæc mea fuit oratio. Quomodo responderit Episcopus, nescio: si illius oratio cum mea congruebat, id nequaquam accidit ex conspiratione, sed potius ex ingeniorum ac doctrinæ similitudine. Breviter: illud pro certo habetote, me nunquam quicquam malitiose fuisse loquutum adversus vestram constitutionem: at fieri potuit, ut ad benignam Regis clementiam aliquid malitiose fuerit delatum. Post hæc vocati sunt per quendam ex ostiariis duodecim viri, juxta gentis illius consuetudinem, quibus traditi sunt articuli, ut super illis consultarent, ac post consultationem judicarent, ac pronunciarent, utrùm Thomas Morus malitiose obstitisset prædictæ constitutioni Regis, an non. Qui quum per horæ quartam partem secessissent, reversi sunt ad principes ac judices delegatos, ac pronunciarunt *Killim*, hoc est, dignus est morte. Ac mox per Dn. Cancellarium lata est sententia juxta tenorem novæ Constitutionis. His ita peractis Thomas Morus hunc in modum orsus est loqui: Age, quando sum condemnatus, quo jure Deus novit, ad exonerandam conscientiam volo liberius eloqui quod sentio de vestra constitutione. Primum illud dico, me septem annis intendisse animum studiumque meum in istam causam, verum hactenus in nullo Doctorum ab ecclesia probatorum reperi scriptum, quod Laicus, aut ut vocant, secularis, possit aut debeat esse caput status spiritualis aut ecclesiastici. Hic Cancellarius

interrumpens Mori sermonem, Domine More, inquit, itane tu vis haberi sapientior, meliorisque conscientiæ omnibus Episcopis, tota nobilitate, toto denique regno? Ad quæ Morus: Domine, inquit, Cancellarie, pro uno Episcopo quem habes tuæ opinionis, ego sanctos & orthodoxos viros habeo plures centum, mecum sentientes, & pro unico vestro concilio, quod tale sit Deus novit, pro me habeo omnia Concilia generalia annis abhinc mille celebrata: & pro uno regno, habeo Franciam cæteraque orbis Christiani regna omnia. Hic Dux Nortfolcii interpellans: Nunc More, inquit, perspicuè liquet tua malevolentia. Ad quæ Morus: Milordt, (sic Angli compellant insigni dignitate præstantes) ut hoc loquar non incitat malevolentia, sed cogit necessitas ad exonerandam conscientiam meam, teste DEO, qui solus scrutatur corda hominum. Præterea dico & illud, constitutionem vestram esse perperam factam, eo quòd vos professi estis, & jurejurando vosmetipsos obstrinxistis, nihil unquam molituros adversus sanctam Ecclesiam, quæ per universam ditionem Christianam unica est, integra & individua, neque vos soli ullam habetis autoritatem citra aliorum Christianorum consensum condendi legem, aut instituendi concilium adversus unionem & concordiam Christianitatis. Nec me fugit, quamobrem à vobis condemnatus sim, videlicet ob id, quod nunquam voluerim assentire in negotio novi matrimonii Regis. Confido autem de divina bonitate ac misericordia, fore ut quemadmodum olim Paulus Stephanum persecutus est usque ad mortem, & tamen iidem nunc unanimes sunt in cœlo, ita nos qui nunc discordes sumus in hoc mundo, in futuro seculo pariter simus concordes, & perfecta charitate unanimes. Hac spe fretus precor Deum ut vos servet unà cum Rege, eique dare dignetur bonos consultores. His ita peractis, Thomas Morus reductus est in Turrim. Hic obiter accidit spectaculum ipsa condemnatione miserabilius. Margaretha filiarum Mori natu maxima, mulier præter eximiam formæ venustatem cum summa dignitate conjunctam, judicio, ingenio, moribus & eruditione patris simillima, per mediam populi turbam, perque satellitum arma semet injecit, & ad parentem penetravit. Quum & mulier esset, & natura cumprimis verecunda, tamen & metum & pudorem omnem excusserat impotens animi dolor, cùm audisset patrem in Curia morti addictum esse. Hoc accidit priusquam Morus arcis portam ingrederetur. Ibi in carissimi parentis collum irruens, arctissimo complexu aliquandiu tenuit eum. Cæterùm ne verbum quidem interim potuit proloqui. Curæ, inquit Tragicus, leves loquuntur, ingentes stupent. Movit stipatores, tametsi duros, hoc spectaculum. Horum itaq; permissu Morus his verbis consolatus est filiam: Margaretha, patienter feras, nec te discrucies amplius. Sic est voluntas Dei. Jam pridem nosti secreta cordis mei: simulque dedit osculum ex consuetudine gentis, si quem dimittunt. At illa cùm digressa esset ad decem vel duodecim passus, denuò recurrit, & amplexa parentem rursus inhæsit collo illius, sed elinguis præ doloris magnitudine. Cui pater nihil loquutus est, tantum erumpebant lacrymæ, vultu tamen à constantia nihil dimoto. Nec aliud supremis verbis mandavit, quàm ut Deum pro anima patris deprecaretur. Ad hoc pietatis certamen plurimis è populari turba lacrymæ excidere. Erant & inter satellites, ferum & immite genus hominum, qui lacrymas tenere non potuerunt. Nec mirum, quum pietatis affectus adeò valida res sit, ut immitissimas etiam feras moveat. Hic apud se quisq; reputet quàm valido ariete tum pulsatum sit Thomæ Mori pectus. Erat enim erga suos omnes adeò φιλόστοργος, ut non alius magis: sed eam filiam ut erat eximiis prædita dotibus, ita diligebat impensius. Morum fortiter excepisse sententiam mortis, aut etiam carnificis securim, minus admirandum existimo, quàm pietatem erga suos potuisse vincere. Nihil enim addubito, quin hic doloris gladius crudelius vulneravit Mori præcordia, quàm illa carnificis securis, quæ collum amputavit. Die Mercurii sequente, hoc est, 7. die Julii, productus est in planiciem; quæ est ante arcem. Mos est illic ut afficiendo supplicio, de ponte plebem alloquantur. At Morus paucissimis verbis est usus, tantum orans qui aderant, ut pro ipso Deum orarent in hoc mundo, se vicissim in altero mundo precaturũ pro ipsis. Mox hortabatur atque instanter rogabat, orarent Deum pro Rege, ut illi dignaretur impertire bonum consilium, contestans se mori fidelem ac bonum Regis ministrum, ac Dei inprimis. Hæc loquutus promptè constantiq; vultu flexis genibus cervicem posuit securim excepturus, non sine gravi multorum gemitu. Erat enim bonis omnibus carissimus.

Quæ hactenus narravi, ferè continebantur in scheda apud Parisios jactata, ac per manus hominum volitante. Quisquis autem scripsit, videtur actis interfuisse. Quę deinceps referam, partim ex amicorum literis, partim è rumoribus accepi. Paucis antè diebus, h.e. XV. Cal. Julias Joannes Fischerus, Episcopus Roffensis, qui tum vitæ sanctimonia atq; austeritate, tum administrandis Sacramentis, tum assiduitate docendi voce simul & scriptis, denique mira liberalitate in egenos, benignitate in studiosos, verum agebat Episcopum, ex arce dicta in qua captivus tenebatur, productus est, & ad Curiam, quæ ut antè dixi, Westmonasterio proxima est, frequenti satellitum armatorum stipatu perductus est, partim navigio, partim equo, ob corpusculi debilitatem, quam præter ætatem auxerat carceris incommoditas; licet ipse valetudinem suam semper & jejuniis & vigiliis & studiis & laboribus ac lacrymis vehementer attenuasset. Ille verò tametsi non ignoraret ejus cognitionis exitum, nihil tamen perturbatus est, sed placido, ac propè etjam ad hilaritatem composito vultu ad tribunal evocan-

evocantibus paruit. Ibi juxta morem ejus regionis quem ante descripsi, sententia capitali damnatus est, supplicium daturus, simulatque Regi visum esset. Hoc adjectum suspicor, si forte spe veniæ ac supplicii metu posset à sententia deduci. Mortis genus erat & fædum & horribile, quo tamen fuerant affecti Cartusiani aliquot, quos ajunt fuisse quindecim: quod ut credam vix possum adduci. Cartusianis adjunctus est Reginaldus monachus Brigittensis, vir angelico vultu & angelico spiritu, sanique judicii: quod ex illius colloquio comperi, quum in comitatu Cardinalis Campegii versarer in Anglia. Nam Cartusianorum novi neminem. Ajunt ex his quosdam fuisse per viam tractos, dein suspensos laqueo, ac spirantibus etiamnum exsecta intestina: quosdam etiam exustos igni, sed omnium incredibilem fuisse constantiam. Solet rumor rebus tristibus aliquid addere. At si hic verus est, videtur hoc esse consilium eorum qui regio obsecundant animo, ut immanitate suppliciorum cæteros absterreant. Nam facile divinabant, institutum plurimis improbatum iri, præsertim Ecclesiasticis, & religionis studio deditis. Sed ad Roffensem Episcopum redeo. Is accepta tam horrendæ mortis sententia, quum satellitibus stipatus reduceretur in arcem, ut ad ostium ventum est, versus ad satellites hilari placidoque vultu; Plurimam, inquit, optimi viri, vobis habeo gratiam pro officio, quo me euntem & redeuntem deduxistis. Dixisses hominem ex hilari suavique redire convivio, adeò & color erat jucũdior, & ipse toto corporis gestu, quatenus per gravitatem licuit, lætitiam quandam præ se ferebat, ut nemini non esset perspicuum, sanctissimum virum, ceu jam portui vicinum, toto pectore ad illam beatam tranquillitatem aspirare. Nec diu dilata est mors. Ad decimum Cal. Julii productus in planiciem, quam Angli vulgò dicunt Turris collem, vultu non solum constanti, verum etiam alacri, paucis alloquutus est populum. Primùm Regi regnoque bene precatus est. Mox ardenti magis quàm prolixa precatione se ipsum Dei misericordiæ commendavit; simulque procumbens in genua, gracili & exhausta cervice securim excepit. Neque enim apud Anglos carnifices gladio cervicem incidunt, sed damnato in truncum ad id apparatum inclinanti, securi caput amputant. Quanto cum animi dolore viderint hoc spectaculum quibus religio pietasque cordi est, & qui Christi spiritum in pastore operantem experti fuerant, facile quivis ex sese poterit æstimare. Cæterum quòd mitiore pœna affectus est, quàm minabatur judicum sententia, sunt qui in causa fuisse putent, quod metuerint, ne senex & exhausto corpusculo, si per viam tam longam rheda trahave tractus fuisset, sponte xpiraret. Ego suspicor, ob hoc mortis genus atrocius denuntiatum, ut immanitate supplicii territus mutaret sententiam. Nec desunt qui prædicant, ob hoc ipsum acceleratam mortem, quòd Romanus Pontifex Paulus Tertius Episcopum Roffensem ob insignem doctrinam ac pietatem in Cardinalium ordinem allegisset. Ex amicorum literis cognovi, in Germania inferiore sparsum rumorem, quum Episcopi Roffensis caput esset in ponte Londoniensi de more expositum, non solum non emarcuisse, verum etiam magis effloruisse, vivoque factum similius, ut multi crederent fore, ut etiam loqui inciperet: quod in quibusdam martyribus factum legimus. Ea res, seu fama, quum vulgò increbuisset, sublatum est atq; abditum. Populus enim credulus sæpe levi quapiam occasione turbas ingentes excitat. At veriti ne idem eveniret in capite Mori, priusquam exponeretur, aqua ferventi decoctum est, quo plus haberet horroris. Hæc aliaque multa his similia perscribuntur è Flandria Britannis viciniore: penes alios sit fides. Utinam huc pervenissent acta Roffensis, quemadmodum acta Mori pervenerunt. Ex Mori responsis facile liquet, illum destinasse mori citius, quàm suæ sententiæ canere palinodiam. Quo animo videntur omnes fuisse qui ante Morum extincti sunt. Morum ac Roffensem & illud movit, opinor, quòd qui bene natos, lautè educatos, in honore habitos, in carcere detinet, non dat vitam, sed longiorem & acerbiorem mortem. Ego si Regi fuissem in consilio, pro mea stultitia conatus fuissem illi persuadere, ut pro sua solita clementia cæterisque virtutibus, per quas nomen ipsius hactenus erat apud omnes nationes gratiosum & amabile, ab illis Britanniæ luminibus, totique orbi notis abstineret, aut certè pœna mitiore contentus esset. Rursus, si qui perierunt me adhibuissent in consilium, suasissem, ne se irruenti procellæ palam opponerent. Violenta res ira regum, cui si incommodè resistas, graviores excitat tumultus. Equi feroces, quemadmodum & tonitrua, non vi sed popysmate leniuntur. Et nautæ non pugnant adversus impotentem tempestatem, sed vel quiete vel obliquis cursibus utentes expectant cœlum commodius. Multis rebus medetur tempus, quas nulla vi possis emendare. Res humanæ semper quidem fluctuant, sed quoties incidit insignis aut fatalis rerum mutatio, multi periclitantur qui non cedunt turbini. Veluti quum Julius Cæsar aperiret januam tyrannidi, & Triumviri junctis copiis imperium orbis occuparent, laudatissimi quique viri perierunt, inter quos erat & M. Tullius. Qui Monarchis serviunt, iis quædam dissimulanda sunt, ut si non queant obtinere quod judicaverunt optimum, saltem aliqua ex parte moderentur principum affectus. Dixerit aliquis, pro veritate mortem oppetendam. At non pro quavis veritate. Si tyrannus jubeat, aut abjura Christum, aut pone cervicem: ponenda cervix. Sed aliud est silere, aliud abjurare. Si fas est te dissimulare Christianum citra grave scandalum, multo magis licuisset hic esse tacitum. Sed ineptè facio, qui de rebus tam arduis disputem, qui nunquam interfuerim Monarcharũ consiliis. Itaq; de tota causa judicium aliis relinquo. Illud satis constat, eos viros si quid peccarint, nulla in Regem malevolentia

peccasse, sed simplici sinceraque conscientia errasse. Hoc sibi penitus persuaserant, hoc medullis infixum habebant, sanctum, pium, Regi honorificum, regno salutare esse quod tuebantur. Argumento est, quod nullus illorum affectarit regnum, aut alteri asserere conatus sit, nec ullam molitus sit seditionem, aut ullas contraxerit copias, ac ne verbum quidem excidit odium conspirationemve resipiens. Silere cupiebant si licuisset, sed patienter ac placide mortem exceperunt, nihil aliud quam Regi regnoque bene precantes. At in atrocibus etiam criminibus magnam culpæ partem excusat simplex ac pura conscientia, animusque non lædendi, sed bene merendi cupidus. Tum apud efferas etiam nationes frequenter eximiæ virtuti præstantique doctrinæ honos est habitus. Platoni apud Aeginetas juxta civitatis constitutionem capite plectendo, profuit Philosophi cognomen. Diogenes impunè penetravit in castra Philippi regis Macedonum, ad quem pro exploratore adductus, libere exprobravit Regi insaniam, quod non contentus suo regno, semet conjiceret in periculum, ne perderet omnia. Non impune tantum, sed etiam cum munere dimissus est, non ob aliud, nisi quod esset Philosophus. Quemadmodum Monarcharum in eruditos benignitas plurimum honesti nominis illis conciliat, ita durius tractati plurimum invidiæ conflant illis. De his præcipuè loquor, qui scriptis inclaruerunt apud omnes nationes, & quorum memoria videtur apud posteros futura gratiosa. Quis nunc non execratur Antonium, qui Ciceronem ferro peremit? Quis non detestatur Neronem, qui Senecam occiderit? Nec minimum gratiæ decessit Octavii Cæsaris nomini, quod Ovidium ad Getas relegarit. Hæc nequaquam eo mihi dicuntur, ut Regem Christianum cum impiis principibus conferam, aut de negotio cujus circumstantias non novi pronuntiem, quod etiamsi periculum abesset, temerarium esset: sed ut ostendam quibus rationibus fuerim conaturus persuadere, ut Rex parcendo viris pietatis eruditionis commendatione jam immortalitati consecratis, suo quoque nomini consuleret. Plausibilis semper est præpotentum clementia: sed tum clarissimos fert applausus, quoties viris illustribus ac de republica bene meritis impenditur. Omne solum forti patria est: & exilium fortibus ac præclaris viris sæpe cessit feliciter. Mortis invidia gravis est. Quum rex Galliarum Ludovicus XII. regnum adeptus pararet divortium cum Lodovici regis XI. filia, Maria, ni fallor, nomine, res displicuit quibusdam bonis; ex quibus Johannes Standoch, & hujus Discipulus Thomas, in concione nihil aliud dixerant, nisi Deum orandum esse ut Regi inspiraret bonum consilium. Quæ apud populum dicuntur, ad seditionem spectant: & hi deliquerant adversus Regis edictum. Rex tamen nihil aliud quàm vertere solum jussit, nec quicquam ademit facultatum: at idem negotio quod agebat confecto, revocabat eos. Hac moderatione rex ille & suo consuluit instituto, & gravem invidiam evitavit, quod uterque esset Theologus, uterq; sanctitatis opinione commendatus. At Thomæ Mori mortem deplorant & ii, quorum instituto pro viribus adversabatur. Tantus erat hominis in omnes candor, tanta comitas, tantaque benignitas. Quem ille vel mediocriter eruditum ab se dimisit indonatum? Aut quis fuit tam alienus, de quo non studuerit bene mereri? Multi non favent nisi suis, Galli Gallis, Germani Germanis, Scoti Scotis; at ille in Hibernos, in Germanos, in Gallos, in Scythas & Indos amico fuit animo. Hæc naturæ benignitas sic Morum omnium animis penitus infixit, ut non secus ac parentem aut fratrem plorent extinctum. Ipse vidi multorum lacrymas, qui nec viderant Morum, nec ullo officio ab eo fuerant affecti: ac mihi quoque dum hæc scribo, nolenti ac repugnanti lacrymæ prosiliunt. Quomodo nunc affectum credimus Erasmum nostrum, cui cum Moro tam arcta fuit amicitia, ut prorsus, juxta Pythagoram, in duobus eadem esse videretur anima? Equidem misere metuo, ne bonus ille senex suo Moro commoriatur, si tamen adhuc in vivis est. Sunt qui nos consolantur hoc argumento, quòd dicunt, non deplorandos esse, sed gratulandum potius iis, qui tali morte vitam finierunt. Est istud, fateor, non leve doloris lenimen: at ego Morum optarim incolumem, quum omnium studiosorum gratia, tum verò præcipuè familiæ causa, quam & numerosam & plane philosophicam reliquit: filium natu minimum jam maritum ac liberorũ parentẽ, filias tres, & has nuptas ac liberorum matres, eruditas omnes, ac sub paterna disciplina ad Christianam Philosophiam pulchre institutas, uxorem fidelem, ac jam anum, ex qua tamen nullam prolem sustulit. Has omnes cum sponsis, nepotibus ac neptibus in unis ædibus alebat, tanta religione, tantaque concordia, quantam non temere repertias in collegiis Monachorum ac virginum. Hic mihi cogita, vir optime, qui luctus, quæ lacrymæ, qui gemitus, qui dolores totam illam familiam conficiant. Quot egregias animas vulneravit illa securis, quæ Mori caput amputavit? multi demirantes rogant, quid tanti sceleris cõmiserit vir semper habitus ĩnocentissimis moribus? Quibus vix habeo quod pro comperto respondeam, nisi quod partim conjicere licet ex articulis Moro objectis & illius responsione, partim ex amicorum literis ac fama vulgata discere datur. Rex, ut omnibus notissimum est, aliquot annis moliebatur repudium cum Regina Caroli Cæsaris matertera. Morus præsagiens quo res esset evasura, ultro deposuit Cancellarii munus, alia quædam causatus, ne cogeretur ejus negotii exequutor esse, quod apud sese non probabat. Erat enim mentis tam religiosæ, ut propior esset superstitioni quam impietati. Sic cogitabat; Privato licebit quiescere: Cancellario, qui os est regis, non licebit. Videbat fore, ut cogeretur multos condemnare morte, quos judicabat optimos: ad hæc exitum tanti negotii incertum

tum

tûm esse, ob Ecclesiasticorum potentiam ac gentis illius solitam in reges ferociam. Tale si quid natum fuisset, prima victima fuisset Cancellarius. At me si Morus in consilium adhibuisset, quum esset tam anxiè religiosa conscientia, dehortatus fuissem eum ne susciperet dignitatem. Vix enim fieri potest, ut qui in arduis principum functionibus versantur, in magnis pariter ac parvis justitiam ad unguem observent. Proinde mihi gratulantibus quod talem haberem amicum in tanto rerum fastigio collocatum, respondere soleo, me non prius illi de ejus dignitatis accessione gratulaturum, quàm juberet ipse. Jam tum enim nescio quid sinistri præsagiebat animus. Nec Regem arbitror latuisse, quam ob causam Morus deponeret Magistratum, utcunque dissimulavit: quod Homerus indicat, Monarchis esse proprium, offensionem in animo tegere, donec multo post tempore detur ulciscendi opportunitas. Interim Rex minis ac fulminibus Clementis VII. factus irritatior, adjecit animum ad vetus illius regionis exemplum, ut regnum à jure Pontificis Romani assereret, & utriusq; status supremam potestatem sibi vendicaret. Cæterum quum sentiret, plurimorum animos ab hoc instituto abhorrere, ne qua cooriretur seditio, promulgatum est edictum, ut quicunque non abjuraret Romani Pontificis autoritatem, aut improbaret novum matrimonium, capitalis esset. Verum hoc edictum non est promulgatum, nisi Roffense & Moro jam ductis in custodiam. Roffensis semper plurimum tribuit sedi Romanæ, & adversus repudium libris etiam conscriptis pugnarat, sed tum quùm adhuc integrum esset consulere. Morus scripsit nihil, sed pro officio quod gerebat, conabatur Regis animum in eam inflectere sententiam, quam putabat & Deo gratam, & Regi tutam, & regno salutarem. Erat illi magna familiaritas cum Episcopo Roffense; tum prædium quod habebat Morus, non procul aberat à Richemonda. Ibi Regio palatio vicina sunt duo monasteria vehementer opulenta, & quod majus est, bonæ disciplinæ, alterum Cartusianorum, alterum Brigittensium. Ab his facile crediderim sollicitatum Mori animum, ut Ecclesiæ causam tueretur: at ipsum aliquid effutisse quod rebellionem saperet, nunquam sum crediturus, ut qui ex crebris colloquiis perspexerim admirabilem quandam hominis cautionem. Equidem vix alium Anglum comperi, qui tam medullitus amarit principem suum, aut magis ex animo bene vellet, quàm ille. Unde igitur hic tumultus? Violenta res est, conscientia magis metuens Deum offendere, quàm mortem oppetere. Forte fefellit eum persuasio. At demiror si vir ille levibus argumentis adductus est, ut sic obfirmaret animum. Maluit ipse perpeti, quàm in alios facere: quod necesse fuisset, si in suscepto munere perseverasset. Quin & Reginæ veteris, singulari pietate fœminæ multos miseret, non tantum ob id, quod dudum tanta dignitate florens, nunc in eum statum redacta est, ut ob divortium nec eo frui possit, qui cum tam diu vixit, nec alteri nubere ob Clementis sententiam: verum etiam quod videt, non dubium quin cum summo animi dolore, ipsius causa tales viros trucidari. Hujus porro Tragœdiæ quis sit futurus exitus, Deus novit. Illud in confesso est, per necem beati Thomæ Acrensis, plurimum & auctoritatis & opum accessisse statui Ecclesiastico apud Anglos. Qui res mortalium suo imperscrutabili consilio moderatur, pro sua bonitate dignabitur hæc omnia vertere in suam gloriam. Tantum è scheda, rumoribus & amicorum literis, hactenus licuit cognoscere: si compertiora fuero nactus, tibi communicabo. Tu fac vicissim ut per te sciamus quid agat rex Sion cum suis Prophetis, populoque retincto, de quibus hic mira feruntur, an vera, nescio. Apud Lutetiam Parisiorum, X. Cal. Augusti, An. M.D.XXXV.

F I N I S.



Francofurti, ad Mœnum,
Ex Officina Christiani Genschii.